E 362

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

INNUMERABILIBUS INDICIBUS LOCUPLETATA; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM AUTEM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES GRÆCA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ A S. BARNABA AD PHOTIUM,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

BIBLIOTHECA · RODIENSIS · VALENTIÆ

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA; LATINA, JAM INTEGRE EXARATA, VIGINTI ET DUCENTIS VOLUMINIBUS CONSTAT, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM CUM VERSIONE LATINA LATERALIS COMPLECTITUR, ET FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEDET NUMERUM. POSTERIOR AUTEM VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET IDEOQUE INTRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM GRÆCAM VEL LATINAM COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM, CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS IV.

S. DIONYSIUS AREOPAGITA.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM SEU PETIT-MONTROUGE.

1857

Digitized by Google







Digitized by Google

SÆCULUM I.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ

ΤΟΥ ΑΡΕΙΟΠΑΓΙΤΟΥ

ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

—

S. DIONYSII

AREOPAGITÆ

OPERA OMNIA QUÆ EXSTANT

ET COMMENTARII QUIBUS ILLUSTRANTUR,

STUDIO ET OPERA

BALTHASARIS CORDERII,

SOCIETATIS JESU DOCTORIS THEOLOGI.

BIBLIOTHECA

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORES.

TOMUS POSTERIOR,

Complectens S. Maximi scholia in opera B. Dionysii. Accedunt auctores varii qui aut vitam S. Dionysii descripserunt aut dignitatem ipsius Areopagiticam asseruerunt.

VENEUNT DUO VOLUMINA 26 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1857

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOCCE TOMO IV CONTINENTUR.

	col.
Scholia sancti Maximi in opera beati Dionysii.	13
Scriptores varii Vitæ S. Dionysii Areopagitæ.	577

DE SCHOLIIS AD AREOPAGITAM IN HOC TOMO EDITIS.

Utrum Germani patriarchæ scholia ad Areopagitam, quæ partim adhuc in mss. codd. latere videntur, seniorem habeant parentem Germanum, ut putat Baronius ad an. 730, an juniorem, nunc quidem disputare non vacat. Cæterum ego in Vaticano codice hanc legebam præpositam scholiis inscriptionem : Ὅσα μὲν ἔχουσι τὸν ἀριθμὸν, σχόλια εἰσὶ Γερμανοῦ πατριάρχου· ὅσα δὲ ἄνευ ἀριθμοῦ, Μαξίμου μοναχοῦ· *Quæcunque habent adjunctum numerum, ea sunt Germani patriarchæ scholia; quæ vero nota numerali carent, Maximum monachum habent auctorem.* Verumtamen ibi in margine hæc ab amanuensi fit adnotatio : Συγχώρησον, ἀδελφὲ, ὅτι ἐγὼ τῶν δύο ἕνα ἀριθμὸν τέταχα τοῦ βιβλίου· *Ignosce, frater; etenim ego utrumque auctorem sub uno numero collocavi hoc in libro.* Id ego eo libentius observavi, quia v. cl. Jac. Morellius *Bibl. Gr. S. Marci* p. 89, prudenter jam dubitaverat, num distinctio scholiorum Maximi et Germani ad Areopagitam recte se habeat. — Mai, *Spicileg. Rom.*, VII, 74.

Ex typis MIGNE au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI.

(Ex edit. Venet. anni 1755, t. II.)

Paucis ac brevissime te in limine hujus secundi ac postremi Operum Areopagiticorum tomi detineo, benigne Lector: quandoquidem in Monito ad priorem tomum præfixo jam te certiorem feci de summa mea in hac editione conficienda et exornanda cura ac sedulitate. Quam exacte fidem meam liberaverim in enuntiato tempore utroque tomo publici juris faciundo, non est cur verba faciam, cum opus ipsum per sese loquatur. Pauca tamen mihi dicenda sunt de iis quæ huic tomo accessere, quidque in eo, ut ornatior exiret, præstiterim. Scholia Græca in Opera Areopagitica cum nitidissimo S. Marci codice diligentissime conferenda curavi, seleetas varias lectiones, aut correctiones, breviores quidem, ad marginem adnotavi, fusiores vero, quæ potius Additamenta *quædam dicenda sunt, quibus præcedentes editiones omnes caruere, ad paginæ calcem, una cum versione Latina, apposui* (1). *Ex his haud sane pauca invenies, præsertim in libro* De divinis nominibus. *Litteras Græci alphabeti, seu notas numerales, quibus scholia Germani patriarchæ a scholiis Maximi monachi dicto in codice distingui dicuntur, accurate, ut in ipso codice habentur, adjunxi. Labor major insumendus fuit ad Lansselianam versionem scholiorum S. Maximi huic editioni aptandam, quæ parum commoda videbatur. Et sane haud satis assequi ipse possum quid editor Parisiensis præ oculis habuerit, ut, cum omnia Areopagitica Opera cum cl. viri Balthasaris Corderii Latina versione ediderit, S. Maximi in eadem Opera scholiis Lansselii versionem apponere maluerit, cum tamen præsto illi esset eorumdem versio ab ipso Corderio facta, et editioni Antuerpiensi an. 1634 inserta, eaque procul dubio nitidior et accuratior sit, quam illa tumultuaria, ut eam vocat Lansselius ipse, utpote quam summa cum festinatione facere aliquorum precibus compulsus fuit, cum primum Græce tantum Maximum exhibere constituisset, ut idemmet testatur. Quare nil vitio vertendum viro, aliunde peritissimo, si ejusmodi versio paulo obscurior, et inelegantior, et in quibusdam etiam locis, minus accurata prodierit. Sed non ita editori Parisiensi condonandum videtur, qui eam versioni Corderianæ prætulerit, illaque rejecta, in editionem suam asciverit, præsertim, cum et illud incommodi accederet, quod, cum verba textus S. Dionysii circa quæ scholia versantur, plane aliter, utplurimum, se habeant in hacce versione Lansseliana, quam in Corderiana, imo et nonnunquam diversum omnino præferat sensum; nonnisi difficillime a lectore Græcæ linguæ ignaro deprehendi potest, ad quam partem ejusdem textus singula scholia pertineant: et eo vel maxime quod paragraphorum in quos capita divisa sunt in Corderiana textus S. Dionysii versione, numerus in Lansseliana scholiorum versione, atque in Parisiensi editione plane omissus sit: quamobrem eorumdem scholiorum usus nonnisi impeditissimus esse potest. Hæc ita me permoverant, ut parum abfuerit quin ipse, rejecta dicta Lansselii scholiorum S. Maximi versione, Corderianam eorumdem versionem juxta editionem Antuerpiensem editioni meæ insererem. Nec deerat vir doctus, qui hocce mihi consilium daret; quique vræterea addebat, hoc postulari ab uniformitatis ratione (quæ in quolibet opere, cum fieri potest, servanda est), ut ejusdem auctoris esset tum versio textus Areopagitici, tum scholiorum quæ in ipsum conscripta sunt. Quare et rejicere suaaebat Tilmannianam Pachymeræ Paraphraseos in Epistolas S. Dionysii versionem pro Corderiana ascitam, cum Paraphrases ejusdem Pachymeræ in libros S. Dionysii, imo et scholia S. Maximi in easdem Epistolas, sint ex Corderii versione. Quominus tamen huic consilio acquiescerem (an recte, benignus Lector judicium feret) duo potissimum in causa fuere. Primum ne viderer datæ publico fidei aliqua in parte deesse; siquidem in me receperam, Opera S. Dionysii juxta postremam Parisiensem editionem, quam cæteris præcellere communis persuasio est, recudere; alterum, quod admodum credibile mihi videretur, Parisiensem editorem, cum ex duplici editione, Lansseliana scilicet et Corderiana, suam conflare vellet, meliora ac potiora selegisse, quanquam aliter alicui videretur. Idcirco neque omittendas censui notas Lansselii tum in dictam Pachymeræ Paraphrasim, tum in B. Dionysii Vitam a Syngelo conscriptam, et in ejusdem Martyrium: quanquam hæc omnia videri alicui possent minime necessaria, ac fortasse nec utilia (ut talia visa fuere Corderio, qui, cum viginti circiter annis post Lansselium, editionem suam Antuerpiensem curaret, ea omnia omisit). Nihilominus ipse satius duxi, aliquantulum abundare, quam in ulla re, quæ a quoquam desiderari posset, deesse. Attamen cum summum me desiderium teneret, perfectioris, quantum fieri posset, reddendæ hujus editionis meæ, idcirco virum doctum, qui me de his omnibus monuerat, rogavi, ut defectui, quem in Lansseliana scholiorum S. Maximi versione animadverterat, ipse mederetur: quod utcunque impetravi: nam verba textus S. Dionysii, circa quæ scholia versantur, ad ver-*

(1) *Additamenta* a correctionibus et variis lectionibus distinximus et inter uncos posita textui inseruimus. EDIT. PATR.

Digitized by Google

sionem Corderianam revocavit; ita tamen ut, ubi scholia vocem aliquam Græcam exponerent, ipse Latinæ Corderianæ versioni vocem eamdem Græce adjungeret, præmisso Gr., hoc est Græce; ut notum fieret lectori, in vocis Græcæ vi atque energia explicanda scholium illud unice vel præcipue impendi. Præterea versionem ipsam haud infrequenter, ubi necessitas major videbatur, correxit: interpunctionem, quæ vitiosissima erat, emendavit: ac demum numerum singulis paragraphis adjunxit, quo facilius lector comperire posset ad quam partem textus scholia singula pertinerent. Quæ, ni fallor, haud modicum addunt editioni huic meæ ornamentum, imo et emolumentum. Majoris tamen fortasse quis fecerit, quæ huic tomo accedunt ex alio penu deprompta Additamenta. Notum est omni, qui eruditionis quidpiam attigerit, quanta et a quanto tempore ferveat de Areopagiticorum Operum auctore controversia: quanquam enim hodierno tempore in abjudicandis magno illi Dionysio Operibus hisce eruditi ferme consentiant, non desunt tamen hodiedum, qui pro illis eidem vindicandis libenter pugnent; et alii, quibus saltem causa hæc haud omnino deplorata seu desperata videatur. Cum igitur anonymus quidam auctor Gallus opellam, cui titulus est, Problema de Operibus S. Dionysii nomine inscriptis, *patrio sermone elucubraverit, in qua utriusque partis rationes et argumenta accuratissime proponit* (2), *hinc rem omnibus gratam me facturum putavi, si eam Latine versam editioni huic meæ adjungerem: inde enim poterit quisque hanc celebrem causam penitius, modico cum labore, perspectam habere eamque dijudicare. Longius processere nonnulli, ut videlicet non solum Areopagitica Opera magno Dionysio abjudicarent, sed etiam eorumdem auctorem hæreseos labe infectum fuisse contenderent. Inter cæteros Michael Lequienus, ordinis Prædicatorum, vir sane doctissimus et eruditissimus, nullum non lapidem movit in Dissertatione Damascenica secunda, ut ipsum Eutychianorum, seu Monophysitarum erroribus addictum fuisse, demonstraret. Verum, ut est præclara ejus ordinis dos, ut veritatem, cum opus fuerit, non minus contra suos quam contra alios tueatur, ex eodem ordine prodiit, qui Lequienum, ut ut virum perspicacissimum, hac in re deceptum esse probaret, atque Areopagiticorum auctoris orthodoxiam contra ipsum validissime propugnaret. Is est celeberrimus P. Bernardus M. de Rubeis, cujus hac de re Dissertationem tanquam nobilem huic editioni meæ coronidem, postremo loco appono. Ex his omnibus illud tibi modo persuadeas velim, optime Lector, me semper operam daturum quam potero maximam, ut quæcunque Patrum aliorumve auctorum Opera recudenda suscepero, ea ex typographia mea ornatiora et perfectiora quam antea fuerant, prodeant. Vale.*

(2) Quæ in hoc Problemate pro *Areopagiticorum* authentia aut contra genuinitatem eorum prolixe admodum congessit auctor anonymus, jam antea egregie tractaverat R. P. D. Le Nourry in *Apparatu ad Bibliothecam maximam Patrum*. Ejus Dissertationem tomo primo S. Dionysii præmisimus; non est igitur cur argumenta fuse jam exposita cum auctore anonymo iterum ad examen revocemus. Edit. Patr.

Digitized by Google

SANCTI MAXIMI
SCHOLIA
IN EOS BEATI DIONYSII LIBROS QUI EXSTANT

Interprete Petro Lansselio, Gravelingano, Societatis Jesu presbytero.

—

GEORGII PACHYMERÆ
PARAPHRASIS
IN SANCTI DIONYSII EPISTOLAS
Abeodem Petro Lansselio recognita.

ACCEDUNT

EJUSDEM S. MAXIMI IN NONNULLAS S. DIONYSII EPISTOLAS SCHOLIA,

Cum interpretatione Latina Balth. Corderii.

—

PETRUS LANSSELIUS LECTORI SALUTEM.

Redeo iterum ad te, bone lector, et pauca moneo. In sanctissimi Dionysii Opera lucubrationes sunt Græcorum duorum sane eruditæ, quæ propter eorum hominum sapientiam et auctoritatem, merito suo maximi fiunt, et leguntur. Eorum altero comitatiorem nostrum esse Dionysium volui, ut in hoc quasi novo in Gallia.n reditu, non a suis modo Parisiensibus, verum etiam ab omnibus qui humanitate non careant, jucundius excipiatur. Porro Maximum longe anteferendum Pachymeræ putavi, nam et antiquior est, quod Pachymeres ipse agnoscit, qui cum Maximi locum unum protulisset, φησί τις, inquit, τῶν παλαιῶν. Præterea celebrior est editis libris et doctissimis Commentariis, quibus doctrinæ catholicæ veritatem illustravit, quorum indicem Photius. Baronius, et alii suppeditant : item ad fores triumphantis Ecclesiæ martyrii lauream, atque palmas in æternum virescentes posuit; unde titulum sanctitatis est consecutus, quare de illo memorans Pachymeres in cap. 11 De cœl. hierar. *quasi ad genua illi accidens ita veneratur,* τοῦτό ἐστιν ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου καὶ μεγάλου Μαξίμου. *Denique Pachymeres in sua Paraphrasi nihil habet, quod in scholiis hujus magni Maximi non contineatur, quod facile ex ejus Paraphrasi in epistolas, quam damus, potes intelligere; et si tibi id otii est, ut ad notas oculos adjicias, in Pachymeræ plus verborum esse videbis, minus rerum : quod si tamen desiderari totum senserimus, in altera editione prodibit. Hic vero dissimulare minime possum, quantum laboris et difficultatis exsorbuerim, uti Maximus subito et* αὐτοσχεδίως *Latine loqueretur. Primum enim Græce tantum exhibere constitueram, jamque typis mandari cœptus erat Dionysius, cum precibus aliquorum fui compulsus, qui utilissimam rem esse aiebant futuram, ut tumultuariam hanc versionem aggrederer. Eo sum ingenio et voluntate, ut laborem penitus nullum, communium utilitatum causa, defugiendum existimem : itaque, dum operis typographicis invigilo, quæ in opere Dionysiano laborabant, dum errata corrigo, dum quatuor manuscripta confero, nata est mihi S. Maximi interpretatio. Nihil hic dicam, quam sit Maximi opus spissum et operosum, quam stylus sit implicatus, obscurus, et, ut ita dicam,* λοξίας, *quam res subtilis atque e media scholastica theologia et metaphysica haud raro petita. Photio summi judicii viro credi potius, quam mihi cupio, cujus hoc est de Maximo testimonium :* Ἔστι δὲ τὴν φράσιν σχοινοτενής τε ταῖς περιόδοις, καὶ χαίρων ὑπερβάτοις, ἐναχμάζων τε ταῖς περιβολαῖς, καὶ κυριολογεῖν οὐκ ἐσπουδασμένος. Ἐξ ὧν αὐτοῦ τῇ συγγραφῇ καὶ τὸ ἀσαφὲς καὶ δυσεπίκτητον διατρέχει· τῷ τραχεῖ δὲ τοῦ ὄγκου, ὅσα περὶ συνθήκην καὶ ἀναπαύσεις, τὸν λόγον ὑποβάλλων, οὐδ' ἡδὺς εἶναι σπουδάζει τῇ ἀκοῇ, *etc. Hoc est :* Oratio ejus comprehensionibus continenter producitur, gaudetque hyperbatis, circumductionibus quoque invalescens : et ne proprie quidem loqui satagit. Ex quibus perscriptum hoc ejus, et obscuritas, et difficultas illud comprehendendi passim decurrit. Asperitatem denique tumidioris dictionis, quantum ad compositionem et respirationum intervalla, sua in oratione sectatus, ne auditu quidem esse jucundus studet. *Hæc ille. Quæ lectorem eruditum apud se reputantem, mihi æquiorem futurum spero, si uspiam in clivo tam arduo titubanter incessero. Cæterum stylum adhibui non exquisitum, pictum, et politum, sed quem fido interpreti convenire putavi, familiarem et apertum, et* κατὰ πόδα· *ne si fucum et purpurissam, odoratosque illos rhetorum imbres fuissem sectatus, gravissimo auctori nubem obscuritatis inducerem, qui lucem potius afferre debuissem. Placuit enim mihi semper dictum illud sapiens eruditi Synesii :* Φιλοσοφίᾳ οὐ διενεκτέον ὑπὲρ τῶν ὀνομάτων, ὑπηρεσίαν τῇ διανοίᾳ ζητούσῃ, κἂν χαμόθεν αὐτὴν ἐς τὰ πράγματα συμπορίζηται τραχήν τε καὶ ἐφαρμόζουσαν. *Hoc est :* Philosophiæ non multum de nominibus pugnandum; quæ administram animi sensibus operam requirit, vel si eam ex ima fæce populi ad res explicandas dilucidam ac consentaneam corrugare necesse sit.

Digitized by Google

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΞΙΜΟΥ

ΠΡΟΛΟΓΟΣ

ΕΙΣ ΤΑ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ.

—

SANCTI MAXIMI

PROLOGUS

IN OPERA SANCTI DIONYSII

Interprete Petro Lansselio.

—

Nobilitatem magni Dionysii atque in divitiis splendorem, solus ipse Atheniensium senatus, in quo ut consilium daret electus est, repræsentat : siquidem Areopagitarum unus hic erat, sicut divinus declaravit Lucas, dum sancta sanctorum apostolorum gesta enarrat; cum enim dixisset sanctissimum apostolum Paulum Athenis agentem, ac verbis cum quibusdam philosophis Epicureis, nec non Stoicis conligentem, atque fidem in Dominum nostrum Jesum Christum, mortuorum resurrectionem, et judicium universale annuntiantem, a philosophiæ expertibus (nec enim revera erant philosophi) comprehensum, atque ad Areopagum deductum fuisse, ac concionatum e vestigio quosdam cepisse, atque ad veritatis lumen transposuisse, addit : *Sic Paulus exivit de medio eorum; quidam vero viri, adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis* [a].

Ego sane non frustra audio, inter omnes qui tum temporis per divinum Paulum crediderunt, solum præstantissimum Dionysium apposita etiam ipsius dignitate a deifero conscriptore nominatum esse; ait enim *Areopagita*, adjicio autem amplius, nimirum propter sapientiæ copiam et excellentiam irreprehensibilis inter Athenienses vitæ instituti, ejus cum familia mentionem factam esse. Sciendum enim est, sicut antea monui, non cujusvis hominis fuisse, in Areopagi senatu dignitatem obire; sed eorum qui apud Athenienses, genere, divitiis ac vitæ probitate primas tenebant; et qui in hoc illustres censebantur, sententiam in Areopago ferebant; siquidem ex novem qui Athenis archontes constituti erant, Areopagitas (sicut

A Τὴν μὲν εὐγένειαν, τό τε περιφανὲς ἐν πλούτῳ μεγάλου Διονυσίου καὶ μόνον αὐτὸ τὸ κατὰ Ἀθηναίους βουλευτήριον, καθ' ὃ βουλεύειν ᾑρέθη, παρίστησι. Τῶν γὰρ Ἀρεοπαγιτῶν εἷς ἐτύγχανεν οὗτος, ὡς ὁ θεῖος ἐδήλωσε Λουκᾶς, ἱστορῶν τὰς τῶν ἱερῶν ἀποστόλων ἱερὰς πράξεις· εἰπὼν γὰρ τὸν ἀγιώτατον ἀπόστολον Παῦλον γενόμενον ἐν Ἀθήναις, συμβαλόντα τέ τισιν εἰς λόγους τῶν ἐξ Ἐπικούρου φιλοσόφων, καὶ τῶν γε μὴν ἀπὸ τῆς στοᾶς· καὶ κηρύξαντα τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστιν, τήν τε τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ τὴν καθολικὴν κρίσιν, συλληφθῆναι παρὰ τῶν ἀφιλοσόφων (οὐ γὰρ ἀληθῶς φιλοσόφων) ἀχθῆναί τε κατὰ τὸν Ἄρειον πάγον, καὶ δημηγορήσαντα, παραχρῆμά τινας ἑλεῖν, καὶ πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας μεταθεῖναι φῶς, ἐπάγει · *Καὶ οὕτως ὁ* B *Παῦλος ἐξῆλθεν ἐκ μέσου αὐτῶν· τινὲς δὲ ἄνδρες, κολληθέντες αὐτῷ, ἐπίστευσαν· ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς.*

Ἐγὼ μὲν οὖν οὐ μάτην ἀκούω τοῦ παρὰ πάντας τοὺς πεπιστευκότας τότε διὰ τοῦ θείου Παύλου, μόνον τὸν ἄριστον Διονύσιον ἐξονομασθῆναι παρὰ τοῦ θεοφόρου συγγραφέως, προστεθείσης αὐτοῦ καὶ τῆς ἀξίας· φασὶ γὰρ Ἀρεοπαγίτης, ἐπιβάλλω δὲ μᾶλλον, ὅτι διά τε τὸ κατὰ σοφίαν περιττὸν, καὶ διὰ τὸ ἐν Ἀθηναίοις ἀνεπιλήπτου πολιτείας ἔκκριτον, μνη- C μονευθῆναι μετὰ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Χρὴ δὲ εἰδέναι, καθὰ προέφην, ὡς οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἦν, εἰς τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν τελεῖν· ἀλλ' οἱ παρ' Ἀθηναίοις πρωτεύοντες ἔν τε γένει καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ χρηστῷ· καὶ κατὰ τοῦθ' οἱ ἐπίσημοι καθεστῶτες ἐβούλευον εἰς τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν· ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα καθισταμένων ἀρχόντων Ἀθήνῃσιν, τοὺς Ἀρεοπαγί-

[a] Act. xvii, 33, 34.

Digitized by Google

τας ἔδει συνεστάναι δικαστὰς, ὡς φησιν Ἀνδροτίων ἐν δευτέρᾳ τῶν Ἀτθίδων· ὕστερον δὲ πλειόνων γέγονεν ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, τουτέστιν ἡ ἐξ ἀνδρῶν περιφανεστέρων πεντήκοντα καὶ ἑνὸς, πλὴν ἐξ εὐπατριδῶν, ὡς ἔφημεν, καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ σώφρονι διαφερόντων, ὡς ἱστορεῖ Φιλόχορος διὰ τῆς τρίτης τῶν αὐτῶν Ἀτθίδων. Ἔξω δὲ τῆς πόλεως ἦν τὸ κατὰ Ἄρειον πάγον δικαστήριον, κληθὲν οὕτω, (καθ' ἃ μυθολογοῦσιν Ἀθηναῖοι) ἐκ τοῦ κατ' αὐτὴν τὴν ἐξοχὴν τοῦ κατὰ τὴν πόλιν ὄρους συστάντος δικαστηρίου μεταξὺ Ποσειδῶνος καὶ Ἄρεως· ὁ γὰρ Ποσειδῶν δίκην εἶπε πρὸς Ἄρεα κατὰ τοὺς ἀρχαίους μύθους παρ' Ἀθηναίοις ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ, φάσκων ἀναιρεθῆναι τὸν ἴδιον υἱὸν Ἁλιρρόθιον ὑπ' Ἄρεως· κἀκεῖθεν ἐξ Ἄρεως ὁ πάγος ἐκεῖνος Ἄρειος ἐκλήθη. Ἐδίκαζον οὖν Ἀρεοπαγῖται περὶ πάντων σχεδὸν τῶν σφαλμάτων καὶ παρανομιῶν, ὡς ἅπαντά φησιν Ἀνδροτίων ἐν πρώτῃ, καὶ Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ καὶ τρίτῃ τῶν Ἀτθίδων.

A Androtion in secunda τῶν Ἀτθίδων ait) constare oportebat; postea pluribus concessus fuit Areopagi senatus, id est ex viris illustrioribus quinquaginta et uni, sed nobilibus tamen, ut diximus, ac divitiis vitæque modestia excellentibus, sicut Philochorus in tertia τῶν Ἀτθίδων earumdem narrat. Porro extra civitatem erat Areopagitarum tribunal, sic nominatum (prout fabulantur Athenienses) propter eamdem excellentiam ex judicio quod inter Neptunum et Martem in civitatis monte constitutum fuit: Neptunus enim (secundum antiquas Atheniensium fabulas) in hoc loco contra Martem causam dixit, asserens filium suum Halirrhothium a Marte occisum, et inde collis ille ex Marte Ἄρειος seu Martius vocatus est. Judicabant igitur Areopagitæ fere B de omnibus peccatis et iniquitatibus, sicut Androtion in prima, et Philochorus in secunda et tertia τῶν Ἀτθίδων aiunt.

Διὰ δὲ τοῦτο ἅτε καινῶν δαιμονίων καταγγελέα τὸν θειότατον Παῦλον, ὡς ἱστόρησεν ὁ φιλαλήθης Λουκᾶς, οἱ τῆς ὑπὸ Θεοῦ μωρανθείσης σοφίας ἐρασταὶ πρὸς τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἕλκουσιν. Ἀλλ' ἐν τοῖς Ἀρεοπαγίταις τηνικαῦτα χρόνου βουλεύων, ἅτε δικαστὴς ἀκλινέστατος, ὁ πάμμεγας Διονύσιος, ἀδέκαστον ἀπένειμε τῇ κατὰ τὸν πνευματοφόρον Παῦλον ἀληθείᾳ τὴν ψῆφον, ἐῤῥῶσθαί τε πολλὰ φράσας τῇ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν ἀνοήτῳ [1] σεμνότητι, τὸν ἀληθῆ καὶ πανεπίσκοπον κριτὴν ἐννοίας Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς Υἱὸν μονογενῆ καὶ Λόγον, C ὃν ὁ Παῦλος ἐκήρυξεν, εὐθὺς εἴχετο τοῦ φωτός· κἂν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τότε ἐκράτουν, ἀλλ' οὖν αὐτονόμους ἀφῆκαν Ἀθήνας καὶ Λακεδαιμονίαν· ὅθεν ἔτι παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἐπολιτεύετο. Καὶ τελεῖται μὲν ἅπαντα τῆς σωτηρίας τὰ δόγματα διὰ Παύλου τοῦ κρατίστου, παιδαγωγεῖται δὲ διδασκαλικῶς ὁ Διονύσιος ὑπὸ Ἱεροθέῳ τῷ μεγίστῳ, καθά φησιν ὁ αὐτός· εἶτα καθίσταται κατὰ τὸ φερόμενον ἐν ἑβδόμῳ βιβλίῳ τῶν Ἀποστολικῶν διαταγμάτων ὁ Διονύσιος ἐπίσκοπος ὑπὸ Παύλου τοῦ χριστοφόρου τῶν ἐν Ἀθήνῃσι πιστευσάντων.

Propterea divinum Paulum veluti novorum dæmoniorum annuntiatorem (sicut amans veri Lucas narravit [b]) stultæ apud Deum sapientiæ amatores, ad Areopagitarum judicium trahunt, verum inter Areopagitas tum temporis, ut constantissimus judex, maximus Dionysius, calculum nullo munere corruptum veritati pro spiritifero Paulo tradidit, atque insipienti Areopagitarum gravitati ac severitati multum valedicens, verum ac omnium inspectorem judicem Jesum Christum unigenitum Dei et Patris Filium, quem Paulus prædicarat, animo concipiens, statim lumini adhæsit; etsi enim Romani tunc dominarentur, tamen Athenas et Lacedæmoniam propriis uti legibus sinebant; unde adhuc apud Atheniense magistratus) Areopagitarum munere suo fungebantur: ac omnibus quidem salutis dogmatibus a præstantissimo Paulo initiatur; magistri autem more Dionysius a maximo Hierotheo instituitur, sicut ipse ait; postea Dionysius (prout habetur in septimo libro *Apostolicarum constitutionum*) constituitur a christifero Paulo Atheniensium fidelium episcopus.

Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρειοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. Ἔστι δὲ τὴν ὀρθότητα καὶ πολυμάθειαν ἀποθαυμάσαι τοῦ ἁγίου τούτου Διονυσίου, τὸν ἀληθῶς διὰ πολλῆς ἠγμένον ἐπιστήμης τῶν ἀνεπιλήπτων τῆς Ἐκκλησίας παραδόσεων, θεάσασθαί τε τὰ παρὰ τοῖς τῶν Ἑλλήνων φιλοσόφοις νόθα δόγματα πρὸς τὴν ἀλήθειαν μετενηνεγμένα. Ἐλεῆσαι γὰρ ἔστι μᾶλλον καὶ συναλγῆσαι τῆς ἀπροσεξίας τοὺς ὀλιγώρους τῆς εὐπαιδευσίας [2] ἐξεταστὰς, ὅτι τῇ σφῶν ἀμαθίᾳ συμμετροῦσι καὶ τὰς τῶν ἐξῆς ἀνθρώπων φιλομαθεῖς εὐθημοσύνας. Ἐν-

Meminit vero etiam Areopagitæ Dionysius antiquus Corinthiorum episcopus, et Polycarpus in sua ad Athenienses epistola. Porro sancti hujus Dionysii vitæ probitatem ac scientiæ copiam mirari licet, D et eum qui vere per multarum irreprehensibilium Ecclesiæ traditionum cognitionem deductus fuit, ac intueri adulterina ethnicorum philosophorum decreta ad veritatem traducta; decet enim potius misereri ac condolere, ob [illegible]iem paucos esse bonæ doctrinæ examinatores, quod sua inscitia reliquorum etiam hominum scientiæ cupidam commetiantur animi ac ingenii promptitudinem. Tales quidem

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES *.

[b] Act. XVII, 18.

[1] ἀνονήτῳ. [2] ἀπαιδευσίας.

* Ex codice S. Marci Veneti.

Digitized by Google

in quorumdam scripta incidentes, ac forte minime eorum quæ dicuntur sensum assequi valentes, mox ad indiscretam scriptoris cavillationem efferuntur; atqui cum prorsus nequeant ea quæ acerbe reprehendunt, corrigere aut arguere, oportet, ut in se iram convertant, et potius molestia afficiantur, quod sua desidia ignorent etiam ipsi ea quæ ad cognitionem perducta sunt, aut revera, quod minime apud idoneos cum desiderio addiscendi conversantes, suis dubiis liberentur. Sed audent aliqui divino Dionysio convicii loco hæreses objicere, cum prorsus errores hæreticorum ignorent; profecto enim, si ex unoquoque eorum quæ in hæreticis condemnata sunt, hujus decreta dijudicarent, multo magis distare ab improbis illis cognovissent, quam verum lumen a tenebris. Quid enim dixerint in iis quæ de sola adoranda Trinitate ab ipso divine exponuntur? Quid de uno beatissimæ hujus Trinitatis Jesu Christo unigenito Dei verbo, qui perfecte humana indui natura voluit; nunquid animam mente præditam, ac corpus sicut nostrum terrestre, et reliqua quæ a rectis constituta magistris explicavit? Quid autem de intelligibilibus aut mente præditis atque sensilibus quis merito reprehendat; aut de universali nostra cum corpore nostro et anima nostra futura resurrectione, et de judiciis, quæ tum fient justorum et injustorum? nam salus nostra adversus hæc collectim dicere intendit quæ pluribus explicare nefas, cum expositio in scholiis cuncta opportune declaret.

Ita est, inquiunt. Sed neque Eusebius Pamphili, quin nec Origenes hujus libros scriptis mandarunt.

Adversus quos dicendum Eusebium quam plurima omisisse quæ ad ejus manus non pervenerunt; etenim nec prorsus omnia collegisse ait, imo magis fatetur libros qui ad ipsum non devenerunt esse numero superiores, et sane multorum meminisse possem quos minime habuit, et hos quidem suæ regionis, ut Hymenæi et Narcissi, qui sacerdotes Hierosolymis fuere; ego sane in aliquos Hymenæi libros incidi. Item neque Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum tantum Epistolarum, sed neque plurimorum aliorum. Origenes enim, nescio an omnium, vix autem quatuor meminit. Diaconus vero quidam Romanus, nomine Petrus, narravit mihi, omnia divini Dionysii opera, Romæ in sacrorum scriptorum bibliotheca reposita servari.

Scribit autem plurima ad beatissimum Timotheum, sancti Pauli apostoli discipulum, Ephesiorum episcopum, a primariis Jonicæ philosophiæ sectatoribus Ephesi versantibus molestias, ut videtur, sustinentem, ac interrogantem velut profanæ philosophiæ peritum, ut magis certaret: nihilque

A τυγχάνοντες οἱ τοιοῦτοι συγγράμμασιν ἐνίων, καὶ τυχὸν οὐ παρακολουθοῦντες τῇ τῶν λεγομένων διανοίᾳ, πρὸς ἀδιάκριτον εὐθὺς ἐκφέρονται τοῦ συγγραφέως διαβολήν· καίτοι παντελῶς οὐ δυνάμενοι τὰ σκώμματα διευθύνειν τε καὶ διελέγχειν ἃ φασιν αὐτοί, δέον ἐπὶ σφᾶς αὐτοὺς τρέπειν τὴν ὀργὴν, καὶ μᾶλλον ἀσχάλλειν, ὅτι μὴ σπουδάσαντες ἔγνωσαν καὶ αὐτοὶ τὰ περὶ [a] γνῶσιν ἀνηγμένα· ἢ τἀληθὲς, ὅτι μὴ πρὸς τοὺς ἱκανοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα φιλομαθῶς γεγονότες, τῶν ἀπορημάτων ἀπελύθησαν. Ἀλλὰ τολμῶσί τινες λοιδορεῖν εἰς αἱρέσεις τὸν θεῖον Διονύσιον, καθάπαξ καὶ τὰ τῶν αἱρετικῶν ἀγνοοῦντες· ἢ γὰρ ἂν, ἐξ ἑκάστου τῶν κατακεκριμένων ἐν τοῖς αἱρετίζουσι συγκρίνοντες, τὰ παρὰ τούτων δόγματα πολλῷ τῶν φλαύρων ἀφεστηκότα διεγίνωσκον, καθόσον φῶς ἀληθὲς

B καὶ σκότος, Τί γὰρ εἴποιεν ἐν τοῖς περὶ τῆς μόνης προσκυνητῆς Τριάδος θεολογουμένοις παρ' αὐτῷ; τί δ' ἂν περὶ τοῦ τῆς παμμακαρίας ταύτης Τριάδος ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μονογενοῦς Θεοῦ Λόγου τελείως ἐνανθρωπῆσαι θελήσαντος; οὐχὶ ψυχὴν ἔννουν, καὶ σῶμα τὸ καθ' ἡμᾶς γήϊνον διεξῆλθε, καὶ τὰ λοιπὰ [b] τὰ ὅσα τοῖς ὀρθοῖς ἐντέτακται διδασκάλοις; Τί δὲ περὶ νοητῶν καὶ νοερῶν καὶ τῶν αἰσθητῶν μέμψαιτ' ἂν τις εἰκότως· ἢ περὶ τῆς καθολικῆς ἡμῶν ἀναστάσεως τῆς μετὰ σώματος τοῦ καθ' ἡμᾶς καὶ τῆς ἡμῶν ψυχῆς γενησομένης· καὶ περὶ τῶν τότε δικαιωτηρίων, δικαίων τε καὶ τῶν μὴ τοιούτων; εἰς

C τὰ [c] γὰρ, συλλήδδην εἰπεῖν, ἡ καθ' ἡμᾶς ἀφορᾷ σωτηρία, ἄτινα πλατέως διεξελθεῖν οὐ δίκαιον, τῆς ἐπὶ σχολίων ἐξηγήσεως ἅπαντα κατὰ καιρὸν ἐπισημαινομένης.

Ναὶ, φασὶν [d]· ἀλλ' οὐκ ἔγραψεν αὐτοῦ τὰς συντάξεις Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου· καὶ μὴν οὐδ' Ὠριγένης.

Πρὸς οὓς λεκτέον, ὡς πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος οὐκ ἐλθόντα περὶ χεῖρας οἱκεῖας· καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηοχέναι· μᾶλλόν γε μὴν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθεστάναι μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα· καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ, καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας, ὡς Ὑμεναίου καὶ Ναρκίσσου τῶν ἱερασαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγὼ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ὑμεναίου. Καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος, πλὴν δύο καὶ μόνων

D ἐπιστολῶν· ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων. Ὁ γὰρ Ὠριγένης, οὐκ οἶδα εἰ πάντων, μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη. Διάκονος δέ τις Ῥωμαῖος, Πέτρος ὄνομα, διηγήσατό μοι, πάντα τὰ τοῦ θείου Διονυσίου σώζεσθαι κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκην ἀνατεθειμένα.

Γράφει δὲ τὰ πλεῖστα πρὸς τὸν τρισμακάριον Τιμόθεον, τὸν τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου φοιτητὴν, Ἐφεσίων ἐπίσκοπον, ὑπὸ τῶν κατὰ τὴν Ἔφεσον τῆς Ἰωνικῆς φιλοσοφίας προεστώτων, ὡς εἰκὸς, πάσχοντα πράγματα, καὶ πυνθανόμενον, ὡς εἰδήμονος τῆς ἐξωτερικῆς φιλοσοφίας, ἵνα καὶ μᾶλλον ἀγωνίζοιτο· καὶ

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[a] πρός. [b] πάντα. [c] ταῦτα. [d] φησί.

Digitized by Google

οὐδὲν ἀπεικός· ἐπεὶ καὶ ὁ Θεοφιλὴς ἀπόστολος Παῦλος ταῖς Ἑλλήνων ἐχρήσατο ῥήσεσι, ταύτας ἀκούων τυχὸν παρὰ τῶν συνόντων αὐτῷ, τῆς ἑλληνικῆς φιλοσοφίας ἐμπείρων. Συνίστησι δὲ καὶ τοῦτο, Διονυσίου ταῦτα φιλαλήθως τὰ συγγράμματα καθεστάναι· τὸ γὰρ ἀνεπιτηδεύτως μνημονεύειν αὐτὸν ῥήσεων τῶν συναχμασάντων αὐτῷ ἀνδρῶν, ὧν αἵ τε θεῖαι τῶν ἀποστόλων μνημονεύουσι Πράξεις, καὶ Παύλου τοῦ θεοφιλοῦς αἱ πολυωφελεῖς ἐπιστολαί, τὸ τῶν συγγραμμάτων ἀσκευώρητον ἀποφαίνουσι· μάλιστα δὲ πάντων τὸ τῶν δογμάτων ἀσφαλέστατον. A

Ἐπειδὴ δέ τινές φασι, μὴ εἶναι τοῦ ἁγίου τὸ σύγγραμμα [7], ἀλλά τινος τῶν μεταγενεστέρων, ἀνάγκη αὐτοὺς καὶ τῶν ἀπηγορευμένων τινὰ καὶ ἀτόπων αὐτὸν τιθέναι, καταψευδόμενον τοιαῦτα ἑαυτοῦ, ὡς συνῆν τοῖς ἀποστόλοις, καὶ ἐπέστελλεν οἷς οὐδὲ συνεγένετό ποτε κατ' αὐτοὺς, οὐδὲ ἐπέστειλε. B

Τὸ δὲ καὶ πλάσασθαι προφητείαν πρὸς τὸν ἀπόστολον Ἰωάννην ἐν ἐξορίᾳ ὄντα, ὡς ἐπανήξει πάλιν εἰς νῆν Ἀσιάτιδα γῆν, καὶ τὰ συνήθη διδάξει, τοῦτο τερατολόγου ἀνδρὸς καὶ προφήτου δόξαν ἐκμανῶς θηρωμένου.

Τὸ δὲ καὶ λέγειν αὐτὸν ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ τοῦ σωτηρίου πάθους ἐν Ἡλιουπόλει συνόντα Ἀπολλοφάνει, θεωρεῖν καὶ συμφιλοσοφεῖν περὶ τῆς ἡλιακῆς ἐκλείψεως, ὡς οὐ κατὰ φύσιν οὐδὲ κατὰ τὸ ἔθος τότε γεγενημένης· λέγειν δὲ αὐτὸν καὶ παρεῖναι σὺν τοῖς ἀποστόλοις τῇ προκομιδῇ τοῦ λειψάνου τοῦ θείου τῆς ἁγίας θεοτόκου Μαρίας· καὶ χρήσεις προφέρειν Ἱεροθέου τοῦ ἰδίου διδασκάλου ἐκ τῶν εἰς αὐτὴν ἐπιταφίων λόγων· πλάττεσθαι δὲ καὶ ἐπιστολὰς καὶ λόγους ὡς πρὸς τοὺς μαθητὰς τῶν ἀποστόλων ἐκφωνηθέντας, πόσης ἀτοπίας καὶ καταγνώσεως, καὶ τῷ τυχόντι ἀνθρώπῳ, μήτι γε δὴ ἀνδρὶ τοσοῦτον ἀνηγμένῳ κατά τε ἦθος καὶ γνῶσιν, καὶ τὸ ὑπεραίρειν τὰ αἰσθητὰ πάντα, καὶ τοῖς νοεροῖς συνάπτεσθαι κάλλεσι, καὶ δι' αὐτῶν ὡς ἐφικτὸν Θεῷ! C

Ἐξηγητικῶν μὲν οὖν ὑπομνημάτων ὡς ὅτι μάλιστα διεξοδικωτάτων ἐδεῖτο πρὸς ἑρμηνείαν τῆς αὐτοῦ πολυμαθείας· πλὴν κεφαλαιωδέστερον, ὡς ἡ βίβλος ἐχώρησε, διὰ σχολίων, τὰ φανέντα μοι, θεῷ πεποιθὼς, παρατέθεικα κατὰ τοὺς ἑξῆς παρακειμένους λόγους, οὓς τέως εἰς τὰς ἐμὰς ἐλθεῖν συμβέβηκε χεῖρας [8].

a probabilitate alienum, quandoquidem amicus Dei Paulus apostolus, sententiis gentilium usus fuerit, cum forte eas a familiaribus suis Græcæ philosophiæ peritis audivisset. Porro illud etiam confirmat, hæc vere Dionysii scripta constitui; eum nempe sine ulla affectatione meminisse sententiarum virorum qui cum ipso floruerunt, quorum divina apostolorum Acta mentionem faciunt, et utilissimæ Pauli Dei amantissimi Epistolæ scriptorum integritatem declarant, maxime vero omnium certissima doctrina.

Quoniam vero aliqui dicunt hoc scriptum minime sancto tribuendum, sed cuidam posteriorum, necesse, ipsos et desperatæ quemdam salutis, ac absurdum hunc existimare, talia de seipso mentientem, quod apostolis convixerit ac litteras miserit, quibus nunquam adfuit neque scripsit.

Porro etiam vaticinium fingere ad Joannem apostolum in exsilio versantem, quod iterum in Asianam terram revertetur, et consueta docebit, hoc est, præstigiatoris hominis et prophetæ opinionem insane venantis.

Ipsum autem dicere se tempore salutaris passionis Heliopoli cum Apollophane agentem, speculatum ac simul philosophatum de solari eclipsi, quod non secundum naturam neque secundum consuetudinem tum accidisset; dicere autem se una cum apostolis interfuisse cum divinum corpus sanctæ Deiparæ Mariæ gestaretur, ac sententias proprii magistri Hierothei ex ejus funebribus ad ipsam sermonibus proferre, fingere etiam epistolas et verba tanquam ab apostolorum discipulis pronuntiata, quantæ absurditatis, et condemnationis cuivis etiam e plebe homini, ne dicam viro adeo moribus et scientia elevato, et cuncta sensilia superanti, ac pulchritudinibus mente præditis conjuncto, atque per eas quantum licet Deo!

Commentariis quidem amplissimis ad interpretationem copiosæ adeo scientiæ opus erat; tamen brevius, quantum margo libri capiebat, Dei fretus auxilio, ea quæ mihi visa sunt scholiis in sequentes libros, quos ad meas hactenus pervenire manus contigit, apposui.

Ex scholiis diligentissimi cujusdam viri.

Ἰστέον ὡς τινες τῶν ἔξω φιλοσόφων, καὶ μάλιστα Πρόκλος, θεωρήμασι πολλάκις τοῦ μακαρίου Διονυσίου κέχρηται, καὶ αὐταῖς δὲ ξηραῖς ταῖς λέξεσι· καὶ ἔστιν ὑπόνοιαν ἐκ τούτου λαβεῖν ὡς οἱ ἐν Ἀθήναις παλαιότεροι τῶν φιλοσόφων, σφετερισάμενοι τὰς αὐτοῦ πραγματείας, ὡς ἐν τῇ παρούσῃ ἀπομνημονεύει βίβλῳ, ἀπέκρυψαν, ἵνα πατέρες αὐτοὶ ὀφθῶσι τῶν θείων αὐτοῦ λογίων· καὶ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ νῦν ἀνεφάνη ἡ παροῦσα πραγματεία πρὸς ἔλεγχον τῆς αὐτῶν κενοδοξίας καὶ ῥᾳδιουργίας. Καὶ ὅτι σύνη- D

Sciendum aliquos profanorum philosophorum, et maxime Proclum, sæpe usum speculationibus beati Dionysii; imo ipsis etiam nudis dictionibus; unde ex hoc suspicari licet, antiquiores Athenis philosophos, hujus opera sibi vindicantes, sicut in præsenti libro admonet, occultasse, ut ipsi divinorum ejus librorum auctores ac patres viderentur; et Dei dispensatione nunc præsens opus demonstratum est, ad ipsorum vanitatem et nequitiam redarguendam. Familiare autem ipsis

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[7] σύνταγμα. [8] *Dionysianum ms. minus recte meo judicio ponit hoc loco ea quæ in editione Moreliana præcesserant*, ἐπειδὴ δέ τινες, *quam proinde hic sequi maluimus.*

Digitized by Google

fuisse nostra usurpare, divinus docet Basilius, in illud : *In principio erat Verbum*, ita super ea dictione disserens : Novi multos eorum qui extra veritatis sermonem ob mundanam sapientiam vehementer superbiunt, admiratos hæc fuisse suisque operibus ingerere ausos. Diabolus enim fur est, ac nostra suis interpretibus divulgat. Et hic quidem sic. Numenio autem Pythagorico aperte dicente : « Quid enim est Plato, nisi Moyses Attice loquens? » nullus negare potest, cum noster minime sit, sed adversariorum, sicut testatur etiam Eusebius Cæsareæ Palæstinæ episcopus, quod non tantum modo, sed etiam ante Christi adventum pro more habuerint profani sapientes, nostra furari.

θες αὐτοῖς τὰ ἡμέτερα σφετερίζεσθαι, διδάσκει ὁ θεῖος Βασίλειος εἰς τό· *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος*, ἐπ' αὐτῆς τῆς λέξεως οὐτωσὶ λέγων· « Ταῦτα οἶδα πολλοὺς τῶν ἔξω τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας μεγάλα φρονούντων ἐπὶ σοφίᾳ κοσμικῇ, καὶ θαυμάσαντας, καὶ τοῖς ἑαυτῶν συντάγμασιν ἐγκαταλέξαι τολμήσαντας· κλέπτης γὰρ ὁ διάβολος, καὶ τὰ ἡμέτερα ἐκφερομυθῶν πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ ὑποφήτας. » Καὶ οὗτος μὲν οὕτως. Τὰ δὲ Νουμενίου τοῦ Πυθαγορικοῦ προφανῶς λέγοντος· « Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων; » οὐδεὶς ἀρνήσασθαι δύναται, οὐχ ἡμετέρου, ἀλλὰ τῶν ἐναντίων ὄντος, ὡς μαρτυρεῖ καὶ Εὐσέβιος ὁ τῶν Παλαιστίνων Καισαρείας καθηγησάμενος, ὅτι οὐ νῦν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Χριστοῦ παρουσίας σύνηθες τοῖς ἔξω σοφίας, τὰ ἡμέτερα κλέπτειν.

ΕΡΜΗΝΕΙΑ ΛΕΞΕΩΝ

ΚΑΤΑ ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ ΕΜΦΕΡΟΜΕΝΩΝ ΤΗΔΕ ΤΗ ΒΙΒΛΩ.

A

Ἀγάμενος, θαυμάσας, ἐκπλαγείς.
Ἄγαν, πάνυ.
Ἀγεννῶς, ἀσθενῶς, ἀνάνδρως.
Ἁγιστεία, ἁγιασμὸς, κάθαρσις.
Ἀγκύλον, σκολιὸν, δυσχερὲς, ποικίλον.
Ἀγκυλόχειλον, σκολιόχειλον.
Ἀγλαΐα, λαμπρότης.
Ἀγνῶτες, ἄγνωστοι, ἀνεπιστήμονες, ἀμαθεῖς, ἀγνώριμοι.
Ἀδέκαστος, δίκαιος, ἀδωροδόκητος, ἀπροσωπόληπτος, ὀρθός.
Ἄδυτα, τὰ ἐνδότατα ἅγια, τὰ ἀποκρυφώτερα.
Ἀδρανῶς, ἀσθενῶς.
Ἀθυρόντων, παιζόντων.
Ἀθύρματα, παίγνια.
Αἰγλη, λαμπηδών.
Αἶσχος, ῥύπος, μίασμα,
Ἀκραιφνὲς, καθαρὸν, διαυγὲς, τέλειον, ἄθικτον.
Ἀκηλίδωτον, καθαρὸν, ἄῤῥυπον.
Ἀκμὴ, νεότης.
Ἅλις, ἀρκούντως, ἱκανῶς.
Ἁλῶναι, ληφθῆναι.
Ἀμάλθακτον, ἀνένδοτον, ἐδραίαν, ἰσχυρὰν, παγίαν, βεβηκυῖαν.
Ἀμείλικτον, ἀκολάκευτον, ἀπαρέγκλιτον.
Ἀμβλωθρίδια, τὰ ἐξημβλωμένα ἔμβρυα.
Ἀμοιβαίαις, ἀνταλλαττομέναις.
Ἀμυδρῶς, ἀσθενῶς, λεπτῶς, οὐ σαφῶς, ἀλαμπῶς, σκοτεινῶς.
Ἀμυήτους, ἀκατηχήτους, ἀμαθεῖς, ἀνεπιστήμονας.
Ἀμφοῖν, τοῖν δύο ἢ ἀμφοτέροις.
Ἄμφω, ἑκατέρωθεν, ἢ ἀμφοτέρους.
Ἀμαυρὰ, ἀσθενὴς, ἀλαμπὴς, ἀτράνωτος, σκοεινή.
Ἄνωτες, πρόσω, ἄνω, ἐπὶ τὸ προκείμενον.
Ἀνακτόροις, βασιλείοις.
Ἀνάπαυλαν, ἀνάπαυσιν.
Ἀνάπτυξις, διασάφησις.
Ἀνακάθαρσις, διάνοιξις, διασάφησις, ἐπίλυσις, διευκρίνησις.
Ἀνίερος, βέβηλος, αἰσχρός.
Ἀνιώντων, ὀδυνώντων, λυπούντων.

B

Ἀντρεῖ, ἀντιλέξει.
Ἀντωπεῖν, ἀντιβλέπειν, ἀντοφθαλμεῖν.
Ἀντιπεπονθότως, ἀντικειμένως, ἐναντίως.
Ἀολλῆ ποιεῖ, συνηθροισμένα, ἡνωμένα.
Οὐκ ἀπαδούσας, οὐκ ἀπρεπεῖς, οὐκ ἀλλοτρίας, οὐκ ἐναντιουμένας.
Ἀπαναίνεσθαι, ἀπαρνεῖσθαι.
Οὐκ ἀπεικότως, οὐ παρὰ τὸ πρέπον.
Ἀπερράπισεν, ἀπεφίμωσεν, ἀπεστόμισεν ἢ ἀπερρίπισεν, ἀπῆλασεν, ἀπεδίωξεν.
Ἀπερισάλπιγκτοι, ἀπεριήχητοι, ἀκατήχητοι.
Ἀπεμφαίνει, ἀπέοικεν.
Ἀπεστομάτισαν, ἀπεψθέγξαντο.
Ἀπήμονα, ἀβλαβῆ.
Ἀπόχρη, ἐξαρκεῖ.
Ἀπόφασις, λόγος ἀποφατικός.
Ἀπόφασις, ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος.
Ἀποφάσκει, ἀπαγορεύει, ἢ ἀποφατικῶς ἀπαγορεύει, ἤτοι διαγορεύει.
Ἀποδεόντων, ἀπολειπομένων.
Ἀποπερατοῦσαν, συμπληροῦσαν, συμπεραίνουσαν.
Ἀρρότους, ἁρμοζόντως, ἢ παγίως, ἑδραίως.
Ἀῤῥενωπὸν, ἄθελκτον, ἀθήλωτον, ἀνδρεῖον, ἀνένδοτον, ἀπαρέγκλιτον ὑφέσει πάσῃ. Ἰστέον δὲ ὡς ἐπὶ γυναικῶν ἀνδριζομένων ἢ ἀῤῥενοφανῶν εἴρηται.
Ἀρωγὸς, βοηθός.
Ἀσμένως, περιχαρῶς, ἡδέως.
Ἄττα, τίνα, ἢ ἄτινα, ἢ παραπλήσια.
Ἀτιθάσσων, ἀνημέρων.
Αὖ, δὴ ἢ πάλιν.
Αὖθις, παρ' αὐτὰ, ἢ εὐθέως, ἢ πάλιν.

B

Βάραυσος, πᾶς τεχνίτης διὰ πυρὸς ἐργαζόμενος.

Γ

Γανυμένη, εὐφραινομένη, ἢ χαίρουσα.
Γαργαλίζοντας, ἐπὶ τὸ ἡδέως καταπεσεῖν προτρεπομένους.
Γενικῶς, γενναίως.
Γέρα, τιμαὶ, ἀμοιβαὶ, ἀνταποδόσεις.

Δ

Δαῖτας, εὐωχίας, ἀρίστας τροφάς.

Digitized by Google

Δεδιττόμενος, ἐκφοβῶν.
Δειμάτων, φόβων.
Δειροὶ, σοφοὶ, ἔμπειροι.
Διευκρινηθείη, εὐδιακριθείη, εὐδιορίστως καὶ σαφῶς διατρανωθείη.
Διειδέστατον, διαφανέστατον, καθαρώτατον, διαυγέστατον, λαμπρόν.
Διειδεστάτοις, ἤτοι διαφανεστάτοις.
Διεῖσα, λάμπουσα, διεισιοῦσα, διεισδαίνουσα.
Διαπορθμεύεται, διακομίζεται, διαπερᾷ, διατυποῦται.
Διάμετρον, τὸ ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας κατὰ πλάτος διάστημα.
Δόρατα, ξίφη, ὅπλα.
Δράσει, ἐνεργήσει, πράξει.
Δραστηρίως, ἐνεργῶς, ἐργαστικῶς, πρακτικῶς.
Δρώμενα, ἐνεργούμενα, πραττόμενα.

E

Ἐκφαντορία, ἔκφανσις, φανέρωσις.
Ἐλάτειραν, ἀπελαστικὴν, ἐκδιώκτριαν.
Ἐμφερείας, ὁμοιότητος.
Ἐναπομόργνυνται, ἐναποτυποῦσι.
Ἐναρμόνιον, ἐμμελὲς, πρόσφορον.
Ἐναρεστάτη, ῥυπαρωτάτη.
Ἐνὴν, δυνατὴν, ἐνδεχομένην.
Ἐν κόσμῳ, ἐν εὐκοσμίᾳ.
Εἰκῇ, ματαίως.
Εἰκὸς, πρέπον, δέον, ἀκόλουθον.
Εἰκαιολογῆσαι, ματαιολογῆσαι.
Εἰκαῖον, μάταιον.
Εἶναι θεῖος, ὑπάρχειν, γεγενῆσθαι διὰ τοῦ βαπτίσματος.
Εἴ τῳ, εἴ τινι.
Εἰ δέ τῳ, εἰ δέ τινι.
Ἐκτετικότες, ἀποδεδωκότες.
Ἐξιωμένους, ἰωμένους, ἰατρεύοντας.
Ἐπίπροσθεν, ἔμπροσθεν, πρὸ τοῦ θυσιαστηρίου.
Ἐπιφοίτησις, ἐπέλευσις, παρουσία.
Ἐρῶν, ἐφιέμενος, ἐπιθυμῶν.
Ἐρῶν, φήσων, λέξων.
Εὔρυνον, πλάτυνον.
Εὐρώστως, ὑγιῶς.
Εὐεικτα, εὐπειθῆ.
Ἑστίασις, εὐωχία, εὐφροσύνη, χαρά.
Ἐσέφθη, ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ ἐσεβάσθη, ἐτίμησεν, ἐθαύμασεν, ἐξεπλάγη· εἴρηται καὶ ἀντὶ τοῦ ἡσύχασεν, ἠσχύνθη.
Ἔφεσις, ἐπιθυμία.
Ἐφικτὸν, καταληπτόν.
Ἐφικτὸν, ἐξόν.
Εὐθημοσύνας, εὐθέτους καὶ εὐσχήμους δημιουργίας, ἢ τὰς εὖ ἐχούσας τάξεις καὶ θέσεις.
Πρὸς ἕω, πρὸς ἀνατολάς.
Ἑῷον, πρωϊνὸν, ἀνατολικόν.

H

Ἤ, ὅτε δασύνεται καὶ περισπᾶται ἀντὶ τοῦ ὡς ἢ καθό.
Ἤθωσαν, ἀκμάζουσαν, νεάζουσαν.
Ἠγήσοιτο, προηγήσοιτο.
Ἠττόρων, ὑποδεεστέρων.

Θ

Θεοειδὲς, τὸ κατ' εἰκόνα λέγει.
Θεογενεσίαν, τὸ βάπτισμα.
Θεορρημοσύνῃ, τοῖς θείοις ῥήμασι, τῇ θεία διδασκαλίᾳ, τῇ κατηχήσει.
Θεωρὸς, θεωρητική.
Θεμιτὸν, ἔννομον, δίκαιον.
Θιασῶται, χορευταὶ, οἱ τὰ θεῖα ᾄδοντες.

I

Ἰδιαίτερον, ἰδικώτερον, ἰδίως προσειρημένον.

A *Ἵδρυσις*, ἑδραίωσις, ἀσφάλεια.
Ἴλεω, ἱλασμός.
Ἵλεως, ἱλαρὸς, εὐμενής.
Ἴνδαλμα, φαντασία, ἀφομοίωμα.
Ἴσχει, ἐνταῦθα κατέχει.
Ἴτω, ἰέτω, ἐρχέσθω.
Ἰταμοὶ, ἀναίσχυντοι, ἀναιδεῖς.

K

Κακεργέτισιν, κακοέργοις.
Κατάφασις, λόγος καταφατικός.
Κατάφασις, ἀπόφανσίς τινος κατά τινος.
Κατὰ τῆς κόρρης, κατὰ τῆς σιαγόνος, κατὰ τοῦ κροτάφου, κατὰ τῆς κορυφῆς.
Κατὰ κάθετον, τὸ ἀπὸ ὕψους εἰς βάθος διάστημα.
Καταδεῖται, καταδεσμεῖται.
Κατεδάρθη, κατεκλίθη.
Ἐκαθεύδησεν, ὕπνωσεν.
B *Κηλὶς*, μῶμος, μομφή.
Κλεινὸς, ἔνδοξος ἀρετῇ.
Κλείθροις, κλειδώμασι.
Κραιπάλη, ὁ ἐκ πολλῆς οἰνώσεως ἐπακολουθῶν παλμὸς καὶ κλόνος τῷ κρανίῳ, ἤγουν τῇ κάρᾳ.

Λ

Λῆξιν, συμπλήρωσιν, συμπεραίωσιν.
Λοξὰ, σκολιὰ, καμπύλα, οὐκ ἐξ εὐθείας γινωσκόμενα.

M

Μαρμαρυγαὶ, λαμπηδόνες.
Μαιευόμενοι, λοχευόμενοι, συναγόμενοι, τρεφόμενοι.
Μέθη, ἡ ἐκ πολλῆς οἰνώσεως οἷον μετένεξις τοῦ ἡγεμονικοῦ.
Μίθρου, τοῦ ἡλίου.
Μυσταγωγία, μηστηρίων ἀγωγὴ, διδασκαλία καὶ μετουσία· ἡ μυήσεως ἀγωγὴ καὶ μετάληψις δηλαδὴ θεία.
C *Μύησις*, μάθησις, κατήχησις, ἐπιστήμη.
Μυχῶν, τόπων σκοτεινῶν ἢ κρυπτῶν.

O

Ὁμόγνια, ὁμογενῆ, γνήσια, φίλα.
Ὀνίνησιν, ὠφελεῖ.
Οἶοι, δυνατοί.
Οἶμον, ὁδόν.
Οὐκ ἀπαδούσας, οὐκ ἀπρεπεῖς, οὐκ ἀλλοτρίας, οὐκ ἐναντιουμένας.
Οὐκ ἀπεικότως, οὐ παρὰ τὸ πρέπον.
Οὐκ ἀπὸ, οὐ πόρρω, οὐκ ἔξω.
Οὐκ ἐξορχήσῃ, οὐκ ἐπιδεικτικῶς, οὐδὲ θεατρικῶς δημοσιεύσεις.
Ὀλβίου, πλουσίου.
Ὀπαδὸς, ἀκόλουθος.
D *Ὀρρωδῶ*, φοβοῦμαι.

Π

Πάμπαν, παντελῶς.
Περιουσία, περισσεία, πλεονασμὸς, ὑπεροχὴ, ἀσύγκριτος οὐσία.
Περιπεζίας, ἐπιβατῆς, πορευτῆς, καταληπτῆς.
Περαῖτερον, ἀποτελοῦν.
Περιφὺς, περιπλακείς.
Προεπηλάκιζες, ὕβριζες.
Προϊοῦσα, προερχομένη.
Προΐουσα, προχέουσα.
Πρὸς ἕω, πρὸς ἀνατολάς.
Προσεχὴς, ἀκλινῶς καὶ ἀνεπιστρόφως ἑαυτῆς καὶ τῶν ἑαυτῆς θεωρός.
Πρωτουργὸς, πρωτοεργός.
Πείσεται, πάθη ὑποστήσεται.
Παλέοις, ὡς διψαλέοις. Εἴρηται ἐπὶ ποιοῖς τισιν ἰδίως ὄφεσι, τοῖς κατ' Ἰεριχὼ μάλιστα εὑρισκομέ-

Digitized by Google

νοις, ἐξ ὧν ἰατροὶ ὡς τὰ πολλὰ τὴν θηριακὴν σκευάζουσιν· οὕτως ἀντιθέτως τούτοις ἐνταῦθα ἁπλῶς τίθεται αὐτῷ πιαλέοις, τουτέστι πινομένοις, λιπαροῖς, πλουσίοις ἅμα καὶ ὑπερεχεομένοις καὶ κορεστικοῖς.

Πτοίαν, φόβον, πτόησιν.

Ρ

Ῥᾷον, εὐχερὲς, εὔκολον.

Ῥαστώνην, εὐχέρειαν, εὐκολίαν.

Σ

Σεφθείημεν, σεβασθείημεν, τιμήσοιμεν, ἐκπλαγείημεν, θαυμάσοιμεν.

Στέρνα, στήθη.

Συμπτύσσει, συγκλείει, συνάγει, ἑνοῖ.

Σύμβολον, αἰσθητόν τι ἀντὶ νοητοῦ παραλαμβανόμενον, οἷον ἀντὶ τῆς ἀΰλου καὶ θείας τροφῆς καὶ εὐφροσύνης, ἄρτος καὶ οἶνος, καὶ ὅσα τοιαῦτα.

Συνελὼν, συλλαβὼν, συναγαγών.

Συλλήβδην, συνειλημμένως, ὑφ' ἓν, ὁμοῦ.

Σχολὴ, τὸ μηδὲν δρᾷν ἢ καὶ τὸ περί τι σχολάζειν

Τ

Ταύτῃ, οὕτως.

Ταὐτὴν, ὁμοίαν, ἴσην, τὴν αὐτήν.

Τελετὴ, μυστηρίων ἐπιτέλεσις, τελείωσις.

Τελεταρχία, τῶν τελετῶν ἢ τῶν τελουμένων ἄρχουσα.

Τότε, ἀντὶ τοῦ πότε.

Υ

Ὕας, χοίρους.

Ὑπαιθρος, ὑπαέριος.

Ὑποτύπωσις, ὑπογραμμὸς, ὑπόδειγμα.

Ὑποτύφοντας, ὑποφλέγοντας, καίοντας.

Ὑποφῆται, διδάσκαλοι, ὑπουργοὶ, διάκονοι

Ὕφεσις, ὑπόβασις.

Ὑφειμένον, ὑποβεβηκὸς, δευτερεῦον.

Φ

Φαμὲν, λέγομεν.

Φασὶ, λέγουσι.

Φάναι, εἰπεῖν.

Φανὴν, λαμπράν.

Φανοτάτῳ, λαμπροτάτῳ.

Φθῖνον, λῆγον, ἐλαττούμενον.

Φοιτῶσαν, ἀφικνουμένην, παραγινομένην.

Φρουρητικὸν, φυλακτικόν.

Ω

Ὠλέναι, χεῖρες, πῆχεις, βραχίονες.

Digitized by Google

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΜΑΞΙΜΟΥ
ΣΧΟΛΙΑ
ΕΙΣ ΤΑ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΟΥ.

—

SANCTI MAXIMI
COMMENTARIA
IN
SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ OPERA

Interprete Petro Lanselio, Societatis Jesu presbytero.

—

EIΣ ΤΟ

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ ΙΕΡΑΡΧΙΑΣ.

—

IN LIBRUM

DE CŒLESTI HIERARCHIA.

—

ΕΞΗΓΗΣΙΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ.

A

Ἱεραρχίας. Ἐπειδὴ ἡ ἐπιγραφὴ ἱεραρχίαν ἔχει, καλεῖν εἴωθεν ἱεράρχας τοὺς ἐπισκόπους. Ἰστέον οὖν, ὅτι ἱεραρχία μέν ἐστιν ἡ τῆς διατάξεως αὐτῆς τῶν ἱερῶν ἀρχὴ καὶ οἱονεὶ φροντίς· καὶ ἱεράρχης ὁ τῶν ἱερῶν ἄρχων καὶ φροντίζων καὶ προνοῶν, οὐ μὴν τῶν ἱερέων· ἀλλὰ ὁ τὰ ἱερὰ καὶ τὴν κατάστασιν αὐτῶν τε καὶ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τῶν μυστηρίων διατάσσων, οὐ μὴν ὁ ἀρχιερεύς. Ταύτην δὲ τὴν ἐξήγησιν καὶ αὐτὸς ὁ μέγας Διονύσιος κάτω παρατίθεται ἐν τῷ Περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας λόγῳ.

1 EXPLICATIO TITULI.

Hierarchiæ. Quandoquidem inscriptio habeat ἱεραρχίαν, solitus est vocare ἱεράρχας episcopos: sciendum igitur est, quod ἱεραρχία quidem sit principium ipsius dispositionis sacrorum, et veluti cura, et ἱεράρχης sacrorum princeps et curator et provisor, nec tamen sacerdotum; sed is qui sacra et ipsorum constitutionem, atque Ecclesiæ, et mysteriorum disponit, nec tamen princeps-sacerdos. Hanc autem explanationem etiam ipse magnus Dionysius infra opponit, in libro *De ecclesiastica hierarchia.*

Ὁ πρεσβύτερος. Σημείωσαι, ὡς τὸ [9] τοῦ πρεσβυτέρου ὄνομα καὶ τὸν ἐπίσκοπον δηλοῖ· ἐπειδὴ [10] πρεσβύτερός ἐστι καὶ ὁ ἐπίσκοπος· καὶ τοῦτο δηλοῦται καὶ ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἔνθα ἐν Ἀσίᾳ συντάσσεται ταῖς Ἐκκλησίαις αὐτῆς ὁ ἅγιος ἀπόστολος Παῦλος.

2 *Presbyter.* Nota presbyteri nomen etiam episcopum declarare; quandoquidem presbyter quoque sit episcopus: illud etiam declaratur in Actis sanctorum apostolorum [e], ubi sanctus Paulus apostolus in Asia Ecclesias ejus instituit.

B

ΕΙΣ ΤΟ ΚΕΦΑΛ. Α'.

§ I. *Πᾶσα δόσις ἀγαθή.* Σημείωσαι ὅτι κέχρηται ὁ μακάριος Διονύσιος τῇ τοῦ ἁγίου Ἰακώβου καθο-

IN CAP. I.

§ I. *Omne datum bonum.* Nota beatum Dionysium usum fuisse Epistola catholica sancti Jacobi (indo

[e] Act. xx.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[9] δὲ, ἤτοι τό. [10] ὡς ὅτι.

Digitized by Google

enim ista scriptura[1]), tumque editam fuisse.

Etenim ex ipso. Hæc de Filio, tanquam Deo, loquitur.

§ II. *A Patribus traditas.* Patres hic significat eos qui ipsi doctrinam tradiderunt, non vero naturales; ex gentilibus enim erat : sicut declarant Acta sanctorum apostolorum, atque ipse in epistola ad sanctum Polycarpum, et in capite nono *Cœlestis hierarchiæ.*

Symbolice. Neque enim sermone naturaliter accepto dicit ; sed per signa quædam et imagines.

Mentium, Gr. νοῶν. Νόας vocant etiam gentiles philosophi, intelligentes, seu angelicas virtutes ; quandoquidem omnino unusquisque ipsorum sit mens ; et universam substantiam mentem viventem, in speciem suam substantialem habeat; νόες autem vocantur propter meliorem declinationis factæ sonum, quandoquidem oportebat a dictione ὁ νοῦς, τοῦ νοῦ plurale οἱ νοῖ esse; sed propter euphoniam, ex alio recto singulari, factum est οἱ νόες. Hæc enim consuetudo Atticis qui dicunt Ἀριστοφάναι et Σωκράται pro οἱ Ἀριστοφάνεις et οἱ Σωκράτεις. Sunt vero etiam qui dicant οἱ νόοι tanquam a νόος, τοῦ νόου ; vocat autem etiam Scriptura ipsas hoc nomine, sicut in Isaia, *mens magna princeps Babylonis*, hoc est diabolus. Secundum Iones igitur, νοῦς, νοὸς, νόες, sicut χροῦς, χροὸς, οἱ χρόες. Ionica enim declinatio.

Superprincipialem, Gr. ὑπεράρχιον. Ὑπεράρχιος Deus est veluti supra omne principium, et lumen quod a Deo principium habet; tanquam principium eorum qui dicuntur dii, angelorum, inquam, et justorum hominum.

Intimitate, Gr. ἐνδότητος. Ἐνδότητα dicit occultationem ; ignotus enim est omnibus iis, qui extra ipsum sunt.

Contemperationem. Nota *contemperationem*, et quare divinitas, cum una sit, multiplicetur.

non creavit; si enim necessario ad virtutem duceremur, neque nos imperatores quosdam eorum quæ in nobis sunt ostendisset, neque naturam nostram intelligentem esse permisisset, id est intelligentem animam; aufer enim libertatem nostram, et neque Dei imago erimus, neque anima ratione et intellectu prædita, et natura prorsus corrumpetur, dum non est quod ipsam esse oportebat. Quod autem ait, αὐτοκινήτων, dictum esse pro iis quæ suæ sunt potestatis et imperii intelligendum; non autem pro iis qui seipsos movent, veluti animalia ad distinctionem immobilium, ut domorum et montium, aut eorum quæ ab aliis moventur, ut lapidum et lignorum: disserens enim de virtute τοὺς αὐτοκινήτους, **165** seu qui proprio moventur arbitrio assumpsit, quorum ait accommodatam providentiam, ut et eam quæ in lege ac prophetis, et beneficiis, sicut etiam Apostolus apud Athenienses concionans declarat.

A τί μὴ ἀνόητα καὶ ἄλογα ἡμᾶς ἐποίησε; τὸ γὰρ ἐξ ἀνάγκης ἡμᾶς ἄγεσθαι ἐπ' ἀρετὴν οὔτε αὐτοκράτορά τινας ἡμᾶς ἐδείκνυ τῶν καθ' ἑαυτούς, οὔτε τὴν νοερὰν ἡμῶν φύσιν εἶναι συνεχώρει, τουτέστι τὴν νοερὰν ψυχήν· ἄνελε γὰρ ἡμῶν τὸ αὐτεξούσιον, καὶ οὔτε εἰκὼν Θεοῦ ἐσόμεθα, οὔτε ψυχὴ λογικὴ καὶ νοερά, καὶ τῷ ὄντι φθαρήσεται ἡ φύσις, οὐκ οὖσα ὅπερ ἔδει αὐτὴν εἶναι. Ὅπερ δέ φησιν, *αὐτοκινήτων*, ἀντὶ τοῦ αὐτεξουσίων, καὶ αὐτοκρατόρων εἰρῆσθαι νοητέον· οὐ γὰρ τῶν ἑαυτοὺς κινούντων, οἷον ἐμψύχων, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀκινήτων, ὡς οἴκων καὶ ὀρῶν· ἢ ἑτεροκινήτων, ὡς λίθων καὶ ξύλων. Περὶ γὰρ ἀρετῆς διαλεγόμενος τοὺς αὐτοκινήτους παρέλαβεν, ὧν φησι πρόσφορον τὴν πρόνοιαν, οἵαν τὴν διὰ νόμου καὶ προφητῶν, τὴν διὰ τῶν εὐεργεσιῶν, ὡς καὶ ὁ Ἀπόστολος δηλοῖ, δημηγορῶν παρ' Ἀθηναίοις.

Invitos nos. Pulchre eorum rationem evertit, qui dicunt oportere nos etiam invitos et ex necessitate esse bonos; hoc enim esset essentiæ nostræ corruptio; auferretur enim liberum arbitrium.

Ἄκοντας ἡμᾶς. Καλῶς ἀνέτρεψε τὸν λόγον τῶν λεγόντων, ὅτι ἐχρῆν ἡμᾶς καὶ ἄκοντας καὶ ἐξ ἀνάγκης εἶναι καλούς· τοῦτο γὰρ φθορὰ ἦν ἡμῶν τῆς οὐσίας· ἀνῄρητο γὰρ ἂν τὸ αὐτεξούσιον.

Per se mobilium, Gr. τῶν αὐτοκινήτων. Pro τῶν αὐτεξουσίων, iis qui suo vivunt arbitrio, sicut adjacens declarat paragraphus.

Τῶν αὐτοκινήτων. Ἀντὶ τοῦ τῶν, αὐτεξουσίων, ὡς ἡ παρακειμένη δηλοῖ παραγραφή.

§ XXXIV. *Et mutatio.* Nota incorporea et materiæ expertia mutari, dum non manent omnino in boni identitate: bonum enim, ut semper stans et firmum, idem manet; quod vero mutatur, non idem manet.

§ XXXIV. Καὶ ἀλλοίωσις. Σημείωσαι ὅτι καὶ τὰ ἀσώματα καὶ τὰ ἄϋλα ἀλλοιοῦται, μὴ μένοντα ἐν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ ὁλοτελῶς ταὐτότητι· τὸ μὲν γὰρ ἀγαθὸν ταὐτόν, ὡς ἀεὶ ἑστὼς καὶ βέβαιον· τὸ δὲ τρεπόμενον οὐ ταὐτόν.

In scientia vero peccantes. Vide quomodo istud interpretetur: Væ vobis cum cognitione peccantibus. Et: *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens eam, vapulabit multis*[a-t].

Ἐν γνώσει δὲ ἁμαρτάνοντας. Ὅρα πῶς ἑρμηνεύει τό· Οὐαὶ τοῖς ἐν γνώσει ἁμαρτάνουσι, καὶ τό· *Ὁ δοῦλος ὁ εἰδὼς τὸ θέλημα τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ μὴ ποιῶν αὐτό, δαρήσεται πολλάς.*

Sive scientiæ, Gr. ἢ τῆς γνώσεως. Forte vocat γνῶσιν cognitionem quæ doctrina acquiritur, quam oblivio frequenter obscurare potest, quam etiam superius dixit ex auditu gigni; cognitionem vero oblivione carentem, censendum eam quæ ex naturali meditatione, aut illustratione sine doctore inhæret.

Ἢ τῆς γνώσεως. Γνῶσίν φησιν ἴσως τὴν ἐκ διδασκαλίας προσγινομένην, ἣν καὶ λήθη πολλάκις δύναται ἀμαυρῶσαι, ἣν καὶ ἀνωτέρω φησὶν ἐξ ἀκοῆς ἐγγίνεσθαι· ἄληστον δὲ τὴν γνῶσιν οἰητέον τὴν ἐκ φυσικῆς θεωρίας ἢ ἐλλάμψεως ἀδιδάκτως προσγινομένην.

Verum hæc quidem nobis. Nota aliud quoque ipsius esse opus de justo et divino judicio; nota vero caput hoc continere 23 syllogismos, demonstrantes malum non esse ens.

Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἡμῖν. Σημείωσαι, ὅτι καὶ ἄλλο ἐστὶν αὐτοῦ σύνταγμα περὶ δικαίου καὶ θείου δικαιωτηρίου· σημείωσαι δὲ, καὶ ὅτι εἴκοσι καὶ τρεῖς συλλογισμοὺς ἔχει τὸ κεφάλαιον τοῦτο, ἀποδεικνύντας, ὅτι οὐκ ἔστιν ὂν τὸ κακόν.

IN CAP. V.

§ I. *Non supersubstantialem.* Antiqui Deum vocabant *unum*, non tanquam numeri principium; sed quia ab omnibus secretus est, nihilque habet eorum quæ post ipsum fuerunt cui connumeretur, quin etiam quod compositionis expers ac simplex sit; hoc autem non repræsentat quæ sit Dei essentia; essentia enim improprie de Deo dicatur, nam superessentialis est.

ΕΙΣ ΤΟ ΚΕΦΑΛ. Ε'.

§ I. Οὐ τὴν ὑπερούσιον. Ἕν ὠνόμασαν τὸν Θεὸν οἱ πάλαι οὐχ ὡς ἀριθμῶν ἀρχήν, ἀλλὰ διὰ τὸ πάντων ἐξῃρῆσθαι, καὶ μηδὲν ἔχειν συναριθμούμενον τῶν μετ' αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ ἀσύνθετον καὶ ἁπλοῦν· οὐ τοῦτο δὲ παρίστησι, τίς ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ· κυρίως γὰρ οὐσία ἐπὶ Θεοῦ οὐκ ἂν λέγοιτο· ἔστι γὰρ ὑπερούσιος.

Substantiæ deificæ principium, Gr. θεαρχικῆς οὐσιαρχίας. Οὐσιαρχίαν seu essentiæ principium vocat

Θεαρχικῆς οὐσιαρχίας. Οὐσιαρχίαν φησὶ τὴν πάσης ἀρχὴν οὐσίας καὶ αἰτίαν· αὐτὴ γὰρ ἡ Θεότης

[a-t] Luc. XII, 47.

Digitized by Google

ὑπὲρ πᾶσαν οὐσίαν. Πρόοδον δὲ τὴν θείαν ἐνέργειαν λέγει, ἥτις πᾶσαν οὐσίαν παρήγαγε.

Καὶ γὰρ ἡ τἀγαθοῦ θεωνυμία. Πῶς ἀγαθὸς λέγεται ὁ Θεός. Ὅρα δὲ πῶς φησι *τὸ ἀγαθὸν*, ἤτοι τὴν αὐτοῦ θεωνυμίαν, ἐκτείνεσθαι εἰς τὰ ὄντα πάντα, καὶ εἰς τὰ οὐκ ὄντα εἶναι· τὸ δὲ *ἕν* ὑπὲρ τὰ ὄντα εἶναι, καὶ ὑπερεκτείνεσθαι αὐτό· *τὴν* δὲ *ζωὴν* ὑπὲρ τὰ ζῶντα εἶναι· καὶ *τὴν σοφίαν* ὑπὲρ τὰ νοερὰ καὶ λογικὰ καὶ αἰσθητικὰ ἐκτείνεσθαι, ὡς εἶναι δῆλον, ὅτι *τὸ ἀγαθὸν*, τουτέστιν ὁ Θεὸς, καὶ τοῦ ὄντος, καὶ ζωῆς, καὶ σοφίας αἴτιον· τὸ δὲ ὄν, ζωῆς καὶ σοφίας αἴτιον, τοῖς οὖσι νόει ἀκολούθως [τοῖς λοιποῖς].

Καὶ εἰς τὰ[16] *οὐκ ὄντα ἐκτείνεται.* Καὶ εἰς τὰ οὐκ ὄντα ἐκτείνεται τὸ ἀγαθὸν, ὡς εἰς τὸ εἶναι καλοῦν αὐτά· ἢ καὶ κατὰ τὸ εἰρημένον αὐτῷ τῷ Πατρὶ, ὅτι καὶ αὐτὸ τὸ μὴ ὂν καλὸν, ὅταν ἐν Θεῷ διὰ τὸ ὑπερούσιον θεωρῆται. Ὄντα δὲ τὰ οὐκ ὄντα ὑλικά φησιν, ὡς πολλάκις ἐδηλώσαμεν ἄνω· ἢ οὕτως, ἐπειδὴ οὐ περιγράφεται τόπῳ ὁ Θεὸς, εἰκότως φησὶ καὶ ὑπὲρ τὰ οὐκ ὄντα αὐτὸν εἶναι, ἵνα δείξῃ τὸ ἀπερίγραπτον αὐτοῦ.

Καὶ ὑπὲρ τὰ ζῶντα. Ἐπισημήνασθαι χρὴ, πῶς, ὅταν μὲν περὶ ἀγγέλων φησὶ καὶ ἀνθρώπων, τοὺς ἀγγέλους νοητά φησι· τὰς δὲ ἡμετέρας ψυχὰς νοερὰς, ὡς πολλάκις ἀνωτέρω παρεστήσαμεν, καὶ τὰς ἑρμηνείας ἐκθέμενοι τοῦ νοητοῦ καὶ νοεροῦ. Νῦν δ' ἐπειδὴ περὶ τοῦ Θεοῦ πρῶτόν φησιν, εἰκότως καὶ τοὺς ἀγγέλους μεθ' ἡμῶν νοερούς φησιν, ἅτε καὶ αὐτοὺς διὰ τοῦ νοεῖν τὸν Θεὸν, ὅσον οἷόν τε, τρεφομένους τῇ νοήσει, τῷ ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τὴν θείαν σοφίαν, ὡς καὶ αἱ ἀνθρώπιναι ψυχαί· καὶ τὰ αἰσθητικὰ δὲ, τουτέστι τὰ ἄλογα. Ἐμψυχα δὲ ὅμως πάντα σοφίας μετέχουσι θείας, καὶ ἐν ταῖς φυσικαῖς αὐτῶν ὁρμαῖς, ὡς καὶ ὁ θεῖος Βασίλειος ἐν τῇ *Ἑξαημέρῳ* δείκνυσι, καὶ αὐτὸ δὲ τὸ ἐν σοφίᾳ γενέσθαι πάντα κατὰ τὸ εἰρημένον· *Πάντα ἐν σοφίᾳ ἐποίησας.* Ἡ δὲ σοφία ἐστὶν ὁ Υἱὸς ὁ ὤν· πάντα οὖν ἐν τῷ Υἱῷ τῷ ὄντι ἐγένοντο, φησίν.

§ II. *Ἐκφαντορικάς.* Ἐκφαντορικάς φησι τὰς ἐκφαινούσας ἤτοι παριστάσας.

Τῆς ὑπὲρ πᾶσαν ἀγαθότητα. Σημείωσαι ὅτι καλῶς λέγομεν, ὅτι ἐστὶν ὑπὲρ πᾶσαν ἀγαθότητα καὶ θεότητα· ὑποβεβηκυίας οὖν θεότητας νόησον ἀγγέλων καὶ ἀνθρώπων δικαίων.

Ἐν ἀποκρύφοις. Ὡς τό· *Ἔθετο σκότος ἀποκρυφὴν αὐτοῦ*· καὶ πάλιν· *Ἐν ἀποκρύφῳ καταιγίδος.*

A causam et principium omnis essentiæ; ipsa enim Divinitas est supra omnem essentiam. Πρόοδον vero seu *progressionem* vocat divinam efficaciam, quæ universam essentiam produxit.

166 *Siquidem nomen boni de Deo.* Quomodo Deus dicatur bonus. Vide autem quomodo dicit *bonum* seu divinum ejus nomen extendi ad omnia quæ sunt et quæ non sunt, atque supra ea quæ non sunt esse; *unum* vero esse supra ea quæ sunt, ipsumque ulterius protendi: *vitam* autem superare omnia quæ vivunt, et *sapientiam* supra omnia quæ intelligunt, et quæ ratione et quæ sensu utuntur extendi, ita ut manifestum sit quod *bonum*, id est Deus, sit causa et ejus quod est, et vitæ et sapientiæ; illud autem quod est, vitæ et sapientiæ cau-
B sam, intellige ad res accommodate.

Atque ad ea quæ non sunt extenditur. Atque ad ea quæ non sunt extenditur bonum, tanquam ipsa ut sint vocans, aut juxta illud, quod Pater alibi dixit, quia etiam id quod non exsistit est bonum, cum in Deo propter essentiæ excessum consideratur. Ὄντα vero vocat ea quæ non sunt materialia, sicut sæpe superius declaravimus; aut sic, quoniam Deus loco non circumscribitur, merito ait eum etiam supra ea quæ non sunt esse, ut ostendat illum minime circumscribi posse.

Et supra viventia. Advertere oportet, quomodo, quando de angelis et hominibus loquitur, angelos vocet νοητά seu *quæ intelliguntur*; nostras vero animas νοεράς seu *quæ intelligunt*, sicut frequenter superius repræsentavimus, dum interpretationes τοῦ
C νοητοῦ et νοεροῦ exponebamus: nunc vero quoniam primo et principaliter de Deo loquitur, merito angelos, sicut et nos dicit νοερούς, quasi etiam ipsi Deum intelligendo, quantum fieri potest, intellectione alantur, quia ad divinam sapientiam conversi sunt, sicut et hominum animæ, atque τὰ αἰσθητικά, id est rationis expertia. Animata vero omnia pariter divinam etiam participant sapientiam in suis naturalibus propensionibus, sicut divinus Basilius ostendit in *Hexaemero*, atque illud ipsum, in sapientia facta esse omnia, secundum Scripturam: *Omnia in sapientia fecisti*[u]. Sapientia autem est Fi-
D lius, qui est; omnia igitur, inquit, erant in Filio qui est.

§ II. *Manifestatorias.* Gr. ἐκφαντορικάς. Ἐκφαντορικάς vocat eas quæ declarant seu repræsentant.

Quæ supra omnem bonitatem. Nota nos recte dicere quod omnem superet bonitatem et deitatem; ergo per subditas deitates intellige angelorum justorumque virorum deitates.

167 *In absconditis.* Ut illud: *Posuit tenebras latibulum suum*[v]; et rursus: *In abscondito tempestatis*[x].

[u] Psal. CIII, 24. [v] Psal. XVII, 12. [x] Psal. LXXX, 8.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[16] τὰ αὐτά.

Digitized by Google

Et sensus participant. Quoniam paulo ante visus est dicere, bonum esse subjectum, cum dixit *esse ejus quod est causam*, et ita deinceps, ne qui absque intellectu legerent occasionem arguendi reperirent, ait: *Non autem aliud esse bonum, et aliud id quod est.* Atque iterum, aliud vitam; quam sapientiam, unam siquidem omnium esse causam, et non multas, atque merito unam Deitatem quæ universa produxit, sanctam nec non beatam Trinitatem, et minime multas divinitates creatrices; hoc autem non supervacanee dixit, sed Græcos stringens sapientes et hæreticos Simonis sectatores, qui dicant deos mundi fabricatores, quanto inferiores sunt, tanto quoque infirmiores producere creaturas, etiam usque ad omnium fundamentum, ut aiunt, id est materiam.

Et hanc quidem esse. Boni appellationem perfectæ omnino providentiæ declarativam, ait esse; reliquas vero particulares, ut vitam et sapientiam et rationem; nam res omnes per Dei bonitatem productæ sunt ut exsisterent, suntque bonæ seu valde bonæ; non autem omnes vitam aut sapientiam aut rationem participant, ideoque ejusmodi appellationes ad perfectæ distinctionem posuit. Ὁλικωτέρας vero seu generaliores vocat eas quæ in pluribus cernuntur, ut vitam; pervenit enim usque ad plantas et animalia rationalia rationisque expertia: sapientia autem et ratio particulares magis; nam hæ in solis rationis participibus conspiciuntur.

§ III. *Ac vitæ sapientiam.* Cum paulo obscurior sit sermo, arbitror talem insinuare sententiam, ut aliquo dubitante ac dicente: Cur, nomine ipsius τοῦ ὄντος seu *entis* superante *vitæ* appellationem, et rursus nomine vitæ præstante sapientiæ, sicut etiam ordo ipse hoc postulat, quemadmodum ipsemet paulo ante declaravit dicendo, et ens et vitam, et sapientiam essentiæ effectricem, et vitæ effectricem, et sapientiæ datricem, essentiæ causam, et vitæ, et mentis, et rationis participum atque sensus, non amplius ordinem hunc in rebus videmus? Oportet enim secundum dictos a te gradus, ea quæ exsistunt magis iis quæ vivunt et sentiunt et intelligunt et ratiocinantur, id est mentem ac rationem participantibus, Deo propius **168** accedere; non amplius autem sic, sed contrarium est; veluti cœlo, et astris, et terra, et aqua, et aere, et iis quæ ex ipsis oriuntur, viciniora sunt circa Dei providentiam ea quæ vivunt, etsi vita vegetativa vivant, ut plantæ et similia, viventibusque viciniora sunt sensilia, id est rationis expertia; plantis enim ac herbis, pretiosiora sunt in vita ratione carentia, quatenus etiam tantum sentiunt plantis nihil sentientibus; quæ autem ratione utuntur viciniora sunt Deo sensilibus, rationabilibus vero mentes, id est superiores mundo virtutes, ut nobis qui ratione utimur superiores, immaterialitate atque intelligendi

A *Καὶ αἰσθήσεως μετειληφότων.* Ἐπειδὴ πρὸ μικροῦ ἔδοξέ πως ὑπόβασιν λέγειν τὸ ἀγαθὸν, εἰπὼν τοῦ ὄντος αἴτιον, καὶ οὕτω καθεξῆς, ἵνα μὴ οἱ ἀσυνέτως ἀναγινώσκοντες εὕρωσι μέμψεως ἀφορμὴν, φησὶν· *Οὐκ ἄλλο δὲ εἶναι τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἄλλο τὸ ὄν·* καὶ αὖ πάλιν, ἄλλο τὴν ζωὴν, ἢ τὴν σοφίαν· ἓν γὰρ εἶναι τῶν ἁπάντων αἴτιον, καὶ οὐ πολλὰ, καὶ μίαν εἰκότως θεότητα πάντα παράγουσαν, τὴν ἁγίαν καὶ μακαρίαν[17] Τριάδα, καὶ μὴ πολλὰς θεότητας δημιουργούς· τοῦτο δὲ οὐ περιττῶς εἶπεν, ἀλλὰ καθαπτόμενος τῶν παρ' Ἕλλησι σοφῶν, καὶ τῶν ἀπὸ Σίμωνος αἱρετικῶν, οἳ κοσμοποιούς φασι θεοὺς, καθόσον ὑποδεδήκασι, τοσοῦτον καὶ τὰ ἀσθενέστερα τῶν κτισμάτων παράγοντας, ἕως καὶ τῆς τῶν ἁπάντων ὑποστάθμης, ὥς φασι, τουτέστι τῆς ὕλης.

B *Καὶ τὴν μὲν εἶναι.* Τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἐπωνυμίαν παντελοῦς προνοίας δεκτικὴν εἶναί φησι· τὰς δὲ λοιπὰς, μερικὰς, οἷον ζωὴν καὶ σοφίαν, καὶ λόγον· καὶ πάντα μὲν γὰρ τὰ ὄντα δι' ἀγαθότητα Θεοῦ παρήχθη πρὸς ὕπαρξιν, καί εἰσιν ἀγαθὰ, ἤτοι καλὰ λίαν· οὐ πάντα δὲ ζωῆς ἢ λόγου ἢ σοφίας μετέχουσι· διὸ τὰς τοιαύτας ἐπωνυμίας κατὰ ἀντιδιαστολὴν τῆς παντελοῦς τέθεικεν. Ὁλικωτέρας δέ φησι τὰς ἐπὶ πλειόνων θεωρουμένας, οἷον ζωήν· φθάνει γὰρ ἐπὶ φυτῶν καὶ ζώων, λογικῶν τε καὶ ἀλόγων· σοφία δὲ καὶ λόγος μερικώτερα· ἐπὶ μόνων γὰρ λογικῶν ὁρῶνται ταῦτα.

C § III. *Καὶ τῆς ζωῆς τὴν σοφίαν.* Ἀσαφέστερόν πως ἐγκειμένης τῆς ῥήσεως, οἶμαι τὸ λεγόμενον τοιοῦτόν τινα νοῦν ὑποφαίνειν· ὥς τινος ἐπαποροῦντος καὶ λέγοντος· Διὰ τί, τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ *τοῦ ὄντος* ὑπερέχοντος τῆς ζωῆς τὴν προσηγορίαν, καὶ πάλιν τοῦ ὀνόματος τῆς ζωῆς ὑπεραίροντος τὴν σοφίαν, ὅτε καὶ τῆς τάξεως τοῦτο ἀπαιτούσης, ὡς καὶ αὐτὸς πρὸ βραχέως ἐδήλωσεν εἰπὼν, καὶ ὂν, καὶ ζωὴν, καὶ σοφίαν τὴν οὐσιοποιὸν, καὶ ζωοποιὸν, καὶ σοφοδότιν αἰτίαν τῶν οὐσίας, καὶ ζωῆς, καὶ νοῦ, καὶ λόγου μετειληφότων, καὶ αἰσθήσεως, οὐκέτι τὴν τάξιν ταύτην ὁρῶμεν ἐν τοῖς οὖσι; δέον γὰρ κατὰ τοὺς εἰρημένους ὑπὸ σοῦ βαθμοὺς, τὰ ὄντα πλέον τῶν ζώντων, καὶ τῶν αἰσθανομένων, καὶ τῶν νοερῶν, καὶ λογικῶν, τουτέστι τοῦ νοῦ καὶ λόγου μετειληφότων, πλησιάζειν D Θεῷ· οὐκέτι μὲν οὕτως, ἐξ ἐναντίου δέ ἐστιν, οἷον οὐρανοῦ, καὶ ἄστρων, καὶ γῆς, καὶ ὕδατος, καὶ ἀέρος, καὶ τῶν ἐξ αὐτῶν πλησιαίτερα περὶ τὴν πρόνοιαν τοῦ Θεοῦ τὰ ζῶντα, εἰ καὶ τὴν φυτικὴν ζῶσι ζωὴν, οἷα τὰ φυτὰ καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ τῶν ζώντων πλησιαίτερα τὰ αἰσθητικὰ, τουτέστι τὰ ἄλογα· τῶν γὰρ φυτῶν καὶ βοτανῶν τιμιώτερα ἐν ζωῇ τὰ ἄλογα, καθ' ὃ κἂν μόνον αἰσθάνωνται, τῶν φυτῶν μὴ αἰσθανομένων· τῶν δὲ αἰσθητικῶν ἐγγύτερα τῷ Θεῷ τὰ λογικά· τῶν δὲ λογικῶν οἱ νόες, τουτέστιν αἱ ὑπερκόσμιοι δυνάμεις, ὡς ἡμῶν τῶν λογικῶν ἀνώτεραι, κατὰ τὸ ἄϋλον καὶ νοερὸν ἐγγίζουσαι μᾶλλον ἡμῶν

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[17] ἀμοῦσιον.

Digitized by Google

τῷ Θεῷ· καίτοι ἔδει τὸ ἐναντίον τὰ ὄντα καὶ μειζόνων δωρεῶν ἀπολαύοντα τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ τὰ ἄλλα εἶναι, οἷον τὸν οὐρανὸν, τὰ ἄστρα καὶ τὰ τοιαῦτα. Καὶ αὕτη μὲν ἡ ἐπαπόρησις· λοιπὸν οὖν ἀποκρίνεται ὁ θεῖος Διονύσιος ἐκ τοῦ νοῦ, καὶ τοῦ λόγου, καὶ τῆς αἰσθήσεως καθ' ὑπόβασιν καὶ τὰς προτιμήσεις τάττων· οὕτως εὑρήσεις μετὰ μίαν σελίδα.

Καίτοι ἔδει τὰ τῶν μειζόνων. Μείζονας δωρεάς φησι τὰς ἐπὶ πλεόνων θεωρουμένας, οἷον τὸ ὂν καὶ τὴν ζωήν· ἀλλὰ τὰ τούτων μόνον μετέχοντα οὐκ ἐν πρώτοις καὶ κρείττοσιν, ἀλλ' ἐν τοῖς ἥττοσιν ὁρῶνται, ἐπειδὴ τὰ μὲν ὑπερέχοντα, καὶ τὰς τῶν ὑφειμένων ἔχουσιν ἰδιότητας τοῦ εἶναι, τοῦ ζῆν, καὶ κατὰ τοῦτο κρείττονα, εἰ καὶ διὰ μερικωτέρων ἐπωνυμιῶν σημαίνοντα· τὰ δὲ τῶν ὁλικωτέρων οὐ μετέχουσι τῆς τῶν κρειττόνων ἰδιότητος, τουτέστι σοφίας, καὶ λόγου καὶ νοερότητος· καὶ κατὰ τοῦτο ἥττονα, ὡς ἡττόνων, ἤγουν ὁλιγωτέρων δωρεῶν μετέχοντα, ὥσπερ οὖν τὰ ἕτερα, ὡς πλειόνων, καὶ κρείττονα καὶ θεῷ πλησιαίτερα.

Καὶ ζῶσιν ὑπὲρ τὰ ἄλλα. Ὅτι τὰ ὑπερκείμενα καὶ μᾶλλον θεῷ πλησιάζοντα λέγεται πλέον ζῆν τῶν ὑποδεεστέρων, οἷον οἱ θεῖοι νόες ὑπὲρ ἡμᾶς ζῶσιν, ὡς μᾶλλον θεῷ πλησιάζοντες. Πάλιν ἡμεῖς ὡς λογικοὶ, τῶν ἀλόγων πλέον λεγόμεθα ζῆν· πάλιν τὰ ἄλογα, ὡς αἰσθησιν ἔχοντα, πλέον ζῇ τῶν φυτῶν, ὡς αἰσθησιν μὴ ἐχόντων, ἀλλὰ μόνην τὴν φυτικὴν ζωήν.

§ IV. *Ὃ ὢν ὅλου τοῦ εἶναι.* Τὸ ὄν, ἐπὶ τοῦ Θεοῦ λεγόμενον, ὅλου συλλήβδην τοῦ εἶναι ὑπέρεστι· τοῦτο γάρ φησιν ὑπερούσιον, ἀντὶ τοῦ ὑπὲρ τὸ ἐν γενέσει ὄν· τὸ γὰρ ὂν οὐσία· ἀπὸ γὰρ τοῦ εἶναι τὸ ὄνομα παρῆκται τῆς οὐσίας. Ὁ οὖν Θεὸς, ὡς καὶ τοῦ εἶναι ὑπερκείμενος (τὸ γὰρ *εἶναι* ἐξ αἰτίας τινὸς δηλοῖ εἰς τὸ εἶναι ἀχθῆναι), ὢν ὑπερουσίως νοεῖται· διὸ καὶ αἰὼν λέγεται εἶναι τῶν παρηγμένων ὑπ' αὐτοῦ αἰώνων· ὅπερ γὰρ μήτε ἦν, μήτε ἔσται, ἀλλ' ἔστι μόνον, τοῦτο ἑστὼς ἔχον τὸ εἶναι, τὸ μὴ μεταβάλλειν εἰς τὸ ἔσται, μήτ' αὖ μεταβεβηκέναι ἀπὸ τοῦ [ἦν εἰς τὸ] ἔστι, τοῦτό ἐστιν αἰών· οὐ γὰρ μόνον τὰ ὄντα πάντα δεῖ παρεῖναι τῷ παντὶ καὶ ὅλῳ, ἀλλὰ καὶ τὸ μηδὲν τοῦ ποτε μὴ ὄντος· οὐδὲ γάρ τι προσγέγονεν αὐτῷ, μὴ ὂν πρότερον. Αὕτη οὖν ἡ διάθεσις καὶ φύσις καλοῖτο ἄν, καὶ εἴη *αἰών*· αἰὼν γὰρ ἀπὸ τοῦ *ἀεὶ ὄντος* εἴρηται. Εἴ τις οὖν οὕτω τὸν αἰῶνα λέγοι ζωὴν ἄπειρον, τῷ πᾶσαν ἤδη εἶναι, καὶ μηδὲν ἀναλίσκειν αὐτῆς τῷ παρεληλυθέναι, μηδ' αὖ μένειν, οὐκ ἂν εἴη πᾶσα· ἐγγὺς δὲ ἂν εἴη τοῦ ὁρίζεσθαι τί αἰών. Ἐκεῖνο γοῦν ἐστιν ἄπειρον, τὸ μὴ ἐπιλεῖπον· καὶ τοῦτο κυρίως, ὅτι μηδὲν ἑαυτοῦ ἀναλίσκει· οὕτως οὖν ὁ Θεὸς καὶ αἰὼν, καὶ αἰῶνας ποιῶν. Αἰὼν τοίνυν ἐστὶν οὐ τὸ ὑποκείμενον, ἀλλὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὑποκειμένου ἐκλάμπον· τὰ οὖν νοητὰ καὶ τὰ μὴ ὁρώμενα κατὰ τὸν Ἀπόστολον αἰώνια· αἰώνιον δὲ οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ αἰὼν, ἀλλὰ τὸ αἰῶνος μετέχον, τουτέστι τῆς ἀδιαστάτου καὶ ἀπείρου ζωῆς. Ὡς οὖν καὶ τῶν αἰώνος, τουτέστι τοῦ ἀεὶ ὄντος μετεχόντων, καθ' ὁμοιότητα αἰώνων λεγομένων ποιητὴς ὁ Θεὸς, πεποιη-

A facultate sunt nobis Deo vicinæ magis; atqui oportebat contrarium, nimirum res quæ majoribus Dei donis fruuntur aliis eminere, veluti cœlum, astra ac similia, atque hoc quidem dubium; postea igitur respondet divinus Dionysius ex mente, et ratione et sensu, in descensu etiam præstantias ordinans; ita reperies post unam paginam.

Atqui decebat ea quæ majora. Majora dona vocat quæ in pluribus cernuntur, ut esse et vivere; at quæ his tantum participant, non sunt in primis et præstantioribus, verum in vilioribus advertuntur: quoniam quæ excellunt habent etiam inferiorum proprietates exsistendi, vivendi, et in hoc excellunt, etsi illa magis particularibus declarentur appellationibus; hæc vero generalioribus non participant superioribus proprietatibus, id est sapientia, et ratione et intellectu, atque idcirco inferiora sunt, ut minoribus seu paucioribus donis participantia, quemadmodum alia, ut pluribus participantia, præstantiora sunt atque Deo viciniora.

Excellentius quæ vivant aliis. Superiora ac Deo propria dicit magis vivere inferioribus, veluti divinæ mentes præstantius nobis vivunt, ut Deo propiores. Rursus nos ut ratione præditi, dicimur plus vivere brutis; iterum bruta, ut sensu prædita, plus vivunt plantis, utpote sensu destitutis, solaque vita vegetativa instructis.

§ IV. *Qui est totius esse.* Quod est de Deo dictum, superat totum quod est collective sumptum; hoc enim inquit supersubstantiale, pro supra ens productum; ens enim essentia: nam ab esse nomen essentiæ deductum est. Ergo Deus, ut etiam ipso esse superior (*esse* enim declarat productum **169** fuisse ab aliqua causa ad exsistendum), qui est, supra essentiam intelligitur; ideo etiam dicitur esse æternitas sæculorum ab eo productorum; quod enim neque erat, neque erit, sed tantum est, habens hoc esse consistens, non mutari in futurum, neque contra ab esse [in est] transivisse, hoc est æternitas. Non enim tantum entia omnia oportet adesse omni et toti, sed etiam nihil ejus quod alibi non est; neque enim aliquid ipsi adfuit quod prius non fuisset. Hæc igitur dispositio et natura, vocari posset atque esset *æternitas;* αἰών enim ab ἀεὶ ὄντος seu *quod semper sit*, dicitur. Si igitur aliquis ista ratione dixerit æternitatem vitam infinitam, quod tota jam sit, nihilque ejus consumatur præterito, neque contra futuro; non enim esset tota: accederet vero ad definiendum quid sit æternitas. Illa igitur est infinita, non deficiens; atque hoc proprie, quia nihil sui consumit: ita igitur Deus et æternitas, æternitatumque conditor; ergo æternitas est non subjectum, sed quod ex ipso subjecto elucet; ergo inintelligibilia et invisibilia secundum Apostolum æterna[y]; æternum est, non vero ipsa æternitas, sed æternitatem participans, id est minime distantis seu præsentis infinitæque vitæ particeps.

[y] Rom. I, 20.

Digitized by Google

Quemadmodum igitur Deus conditor eorum etiam quæ æternitatem, id est illud quod semper est, participant, et similitudine quadam æternitates dicuntur, æternitatem creasse dicitur pro intelligibilia, cum sit eorum æternitas, atque conservator; ita etiam tempus dicitur qui temporis expers, ut temporum auctor; quod enim in intelligibilibus æternitas seu ævum, illud ipsum est in sensilibus tempus : sicut igitur visibilia sunt imagines invisibilium et intelligibilium, ac æternitatem dicimus minime trementem illam atque simul totam vitam ac infinitam protinus omninoque firmam, ac in uno atque per unum stantem : sic etiam tempus, tum quidem in eo quod semper est requiescere, apparere vero in subjecto, quando etiam postea naturam visibilem procedere oportebat. Itaque progressum divinæ bonitatis ad sensilia ut ea producat, vocamus tempus; non enim motus interstitiorum ad partes et tempestates et noctes et dies, est tempus, sed ejusdem cum tempore nominis; quemadmodum enim quod mensurat et mensuratur, solemus eodem appellare nomine : ita etiam, hic, veluti si quod cubito mensuravimus **170** sive pavimentum sive murum aut aliud cubitum dicimus. Motus igitur astrorum, secundum illud Scripturæ : *Sint in signa et in tempora et in annos* [z], facti sunt a Deo ad is ergo qui hæc disposuit, posset hæc esse supra

A

B

Et neque erat. Neque *erat*, neque *est*, neque *erit* proprie de Deo dicitur, Deus enim hæc superat; dicitur vero etiam hæc esse, propterea quod ipse secundum omnem cogitationem superessentialiter exsistit.

C

Neque erat. Recte dixit, *neque erat.* Nam *erat* declarativum est temporis. Deus vero est etiam supra *erat*, id est supra tempus. At dices : Et quomodo habetur de Dei Verbo : *In principio erat Verbum* [a] ? Ecce enim hic habetur *erat* : sæpe dicimus, Patrem esse principium et causam omnium; ideo igitur ait, *In principio erat Verbum*, quoniam Filius est in Patre. Ergo bene dixit : *In principio erat Verbum* : porro *erit*, clarum est, hoc enim significat quod nunc non sit, sed aliquando erit, quod de Deo dicere impium et ineptum.

Aut potius non est. Subaudiendum etiam hæc quibus proprie adjungitur *erat*, et quæ ei adjacent; aut aliter intelligendum ut supra omnem ipsius *esse* cogitationem ac imaginationem exsistens. Dicendo autem τὰ ὄντα, declarat ea omnino ad exsistentiam adducta : illud vero *et ipsum esse eorum quæ sunt* apponens, illorum perseverantiam significavit.

D

§ V. *Estque ipsum per se.* Minime arbitrandum est, hæc dici de omnium causa, sed de iis quæ ab ipso per creationem subsistunt intelligibilibus et intelligentibus, atque sensilibus necnon cæteris. Sicut enim ante diximus, Deus est ante *esse* : nam

definitionem et manifestationem nobis evidentem : is ergo qui hæc disposuit, posset hæc esse supra æternitatem atque sine tempore ut causa.

Καὶ οὔτε ἦν. Ὅτι οὔτε τὸ ἦν, οὔτε τὸ ἔστιν, οὔτε τὸ ἔσται κυρίως λέγεται ἐπὶ Θεοῦ· ὑπὲρ γὰρ ταῦτα ὁ Θεός. Λέγεται δὲ καὶ ταῦτα διὰ τὸ κατὰ πᾶσαν ἐπίνοιαν ὑπερουσίως αὐτὸν εἶναι.

Οὔτε ἦν. Καλῶς εἶπεν, οὔτε ἦν· τὸ γὰρ ἦν δηλωτικόν ἐστι χρόνου. Ἔστι δὲ ὁ Θεὸς καὶ ὑπὲρ τὸ ἦν, τουτέστιν ὑπὲρ χρόνον. Ἐρεῖς οὖν· Καὶ πῶς κεῖται περὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου· *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος;* Ἰδοὺ γὰρ ἐνταῦθα κεῖται τὸ ἦν· πολλάκις λέγομεν, ὅτι ἀρχὴ καὶ αἰτία πάντων ὁ Πατήρ· διὰ τοῦτο οὖν, *Ἐν ἀρχῇ ἦν*, φησὶν, ὁ Λόγος, ἐπειδὴ ὁ Υἱὸς ἐν τῷ Πατρί ἐστι. Καλῶς οὖν εἶπεν· *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος*· τὸ δὲ *ἔσται* σαφές ἐστι. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ, ὅτι νῦν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἔσται ποτὲ, ὅπερ ἐπὶ Θεοῦ λέγειν ἀνόσιον καὶ ἀπρόσφορον.

Μᾶλλον δὲ, οὔτε ἐστί. Προσυπακουστέον καὶ ταῦτα [18] οἷς ἐπιλέγεται κυρίως τὸ *ἐγένετο*, καὶ τὰ σὺν αὐτῷ κείμενα· ἢ καὶ ἑτέρως νοητέον, ὡς ὑπὲρ πᾶσαν τοῦ *εἶναι* ἔννοιάν τε καὶ φαντασίαν ὑπάρχων. Διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν *τὰ ὄντα* τὸ ὅλως αὐτὰ πρὸς ὕπαρξιν ἀχθῆναι δηλοῖ. Τὸ δὲ *καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τῶν ὄντων* προσθεὶς, τὴν διαμονὴν αὐτῶν ἐσήμανε.

§ V. *Καὶ ἔστιν αὐτὸ καθ' αὐτό.* Ταῦτα οὐ δεῖ νομίζειν περὶ τοῦ τῶν ἁπάντων αἰτίου λέγεσθαι, ἀλλὰ περὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ δημιουργικῶς ὑποστάντων νοητῶν τε καὶ νοερῶν, καὶ αἰσθητῶν, καὶ λοιπῶν· καθὰ γὰρ προειρήκαμεν, ὁ Θεὸς πρὸ τοῦ *εἶναι*· καὶ γάρ ἐστι

[z] Gen. i, 14. [a] Joan. i, 1.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[18] κατὰ ταῦτα.

Digitized by Google

προών· τὸ δὲ εἶναι οἷον ἔμφασιν ἔχει τινὰ προϋπ- A
όντος αἰτίου. *Προὼν* μὲν οὖν λέγεται ὁ Θεὸς, καὶ
λοιπὸν λέγεται καὶ *ὤν*, ὡς ἁπάντων αἴτιος· εἶτα τὸ
εἶναι τὰ πάντα ἐξ αὐτοῦ. Τὸ οὖν *εἶναι* κατ' ἐπίνοιαν
ἐκ μετοχῆς ὑπέστη τοῦ προεῖναι αὐτοῦ, οὐχ ὡς με-
ρισθέντος τοῦ Θεοῦ εἰς τὸ εἶναι καὶ προεῖναι, ἀλλὰ τὸ
θέλημα αὐτοῦ τὸ παραγαγὸν εἰς τὸ εἶναι τὰ ὄντα,
τοῦτο λέγεται εἶναι προϋποστὰν ἐν τῷ Θεῷ, καὶ τού-
του τοῦ θείου θελήματος εἰς τὸ εἶναι κτίσιν προορι-
σθέντος, εἰκότως πρὸ τῶν ἄλλων, ὧν μετέχει τὰ ὄντα
τοῦ Θεοῦ, πρεσβυτέρα τις ἀρχὴ ἡ τοῦ εἶναι, ἐπινοεῖ-
ται αὐτὸς ὁ Θεός· πρῶτον γάρ ἐστί τι, καὶ τότε ἐστὶ
καὶ ζωὴ, καὶ σοφία. Οἱ γοῦν ἀόρατοι καὶ ἀνώτατοι
νόες πρῶτον τοῦ *εἶναι* μετέσχον, καὶ οὕτω ζωῆς καὶ
σοφίας. Ὥσπερ γὰρ ἐφ' ἡμῶν πρώτη τις ὑπέστη ὕλη,
ἀφ' ἧς ἐσμέν· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων νοῶν, B
οἱονεὶ ὕλη, νοεῖται αὐτὸ τὸ ὂν ἑκάστου διὰ ζωῆς εἶδος,
καὶ καθ' ὃ οὐσίωται εἰς ζωὴν καὶ σοφίαν καὶ ὁμοιό-
τητα. Ὁμοιότητα δὲ καὶ ἄνω διεξήλθομεν καὶ ταὐτό-
τητα, τὰς ἀναγωγοὺς ἐπὶ Θεὸν δυνάμεις, καθ' ἃς
ὁμοιοῦνται αὐτῷ προσεχεῖς αὐτῷ οὖσαι, καὶ τούτων
καθ' ὑπόβασιν μετέχουσι τὰ μετὰ ταῦτα πρῶτον καὶ
αὐτὰ τοῦ εἶναι μετέχοντα. Ἀρχὰς δὲ τῶν ὄντων τὰς
πρώτας ὑποστάσας ἐν τῇ κτίσει οὐσίας νόησον, ἀρ-
χὰς λεγομένας, οὐχ' ὅτι ἐξ αὐτῶν τὰ ὄντα, ὡς ἀπὸ
στοιχείων, ἀλλ' ὅτι, καθὰ εἴρηται, πρὸ τῶν μετ' αὐ-
τὰς ἐδημιουργήθησαν· οἷον ἐπὶ μὲν τῶν νοητῶν ἀρχὴ
κτίσεως θρόνοι, καὶ οὕτω τὰ ἑξῆς· ἐπὶ δὲ τῶν αἰσθη-
τῶν ἀρχὴ κτίσεως οὐρανὸς καὶ γῆ· *Ἐν ἀρχῇ γὰρ*
ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· τῶν C
γὰρ αἰσθητῶν πρωτόκτιστα ταῦτα. Εἶτα καὶ ἄλλως
αἱ ἰδέαι καὶ τὰ παραδείγματα, ἅπερ εἰσὶ νοήσεις αὐ-
τοτελεῖς ἀΐδιοι τοῦ ἀϊδίου Θεοῦ, καθὰ προέφημεν,
ἐπινοοῦνται οἱονεὶ στοιχεῖα, καὶ ἀρχαὶ, καὶ ὕλη ἄϋλος
καὶ ἀσώματος τῶν μετεχόντων καὶ αὐτῶν τῶν ἰδεῶν,
οἷον τῶν παραχθεισῶν ἀσωμάτων τάξεων· ἡ γὰρ αὐ-
τοζωὴ, καὶ αὐτοσοφία, καὶ αὐτόταξις, καὶ τἄλλα τὰ
ἐν Θεῷ παραδείγματά εἰσιν, ὧν μετέχουσιν αἱ δη-
μιουργίαι, ὡς σημείου ἤτοι κέντρου αἱ κατ' εὐθεῖαν
γραμμαὶ ἐπὶ τὸν κύκλον φερόμεναι.

est προών seu præexsistens; esse autem habet veluti quamdam demonstrationem causæ quæ ante subsistit. Itaque Deus dicitur προών, ac denique dicitur etiam ὤν, ut omnium auctor, deinde omnia ex ipso esse. Ergo *esse* secundum cogitationem, subsistit per participationem ejus quod præexstitit: non quod Deus divisus sit in esse ac ante esse, sed ipsius voluntas quæ res in esse produxit, dicitur in Deo ante substitisse, atque divinæ hujus voluntatis, ad creaturæ exsistentiam prædeterminatæ, merito ante alia, quibus res Deo participant, antiquius aliquod principium ipsius esse, Deus ipse cogitatur; primo enim aliquid est, ac tum est et vita et sapientia. **171** Invisibiles igitur ac supremæ mentes, primo participarunt *esse*, atque ita vitam ac sapientiam; sicut enim in nobis prima quædam subsistit materia ex qua sumus, ita etiam incorporeis mentibus velut materia intelligitur ipsum ens forma cujusque in vita, et quo substantiatur in vitam et sapientiam et similitudinem. Porro similitudinem etiam supra explicuimus, atque identitatem, virtutes quæ ad Deum sursum ducunt, quibus Deo assimilantur dum ipsi adhærent, ac his in descensu participant quæ sequuntur, cum ipsa etiam primum esse participent. Rerum autem principia, intelligee essentias quæ primo in creatione substiterunt, quæ dicuntur principia, non quod res ex ipsis tanquam elementis; sed quia, sicuti dictum est, creatæ sunt ante posteriores; velut in intelligibilibus, principium creationis sunt throni, et ita deinceps; insensilibus autem, principium creationis cœlum et terra: *In principio* enim *creavit Deus cœlum et terram*. Hæc enim creatione sensilium prima. Denique etiam aliter idem et exemplaria, quæ sunt intellectiones per se perfectæ æternæ æterni Dei, sicut antea diximus, animo concipiuntur ut elementa, et principia, et materiæ expers atque sine corpore materia, participantium ipsarumque idearum, tanquam incorporeorum productorum ordinum. Siquidem ipsa vita, ipsaque sapientia, et ipse ordo, atque alia sunt in Deo exemplaria, quorum creaturæ participes, ut puncti seu centri quæ recta ad circulum feruntur lineæ.

Πάντων οὖν εἰκότως. Ἑαυτῷ ταύτην τὴν προση-
γορίαν ἔθετο ὁ Θεὸς, εἰπών· *Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν*· διὸ πρὸ
τῶν ἄλλων, ὅσα περὶ αὐτοῦ λέγεται, οἷον ζωῆς, καὶ
σοφίας, καὶ τῶν τοιούτων, εἰκότως ἀναγορεύεται. Τῷ D
δὲ εἰπεῖν *προεῖναι καὶ ὑπερεῖναι*, τὸ ἄναρχον καὶ
πάντη ἀκατανόητον τοῦ εἶναι τὸν Θεὸν ὑφηγήσατο, ὃς
καὶ τῷ προορισμῷ τῆς οἰκείας ἀῤῥήτου γνώσεως
προϋπεστήσατο τὸ ὅλως εἶναι τὰ πάντα· τούτῳ γὰρ
ἀθρόῳ [a] κατὰ πρώτην προσβολὴν ἐπιβάλλει ὁ νοῦς τῷ
εἶναι· εἶθ' οὕτω τὸ ὁπωσοῦν εἶναι αὐτὰ θεωρεῖ. Τὸ
οὖν ἁπλῶς εἶναι, οὐ τὸ πῶς εἶναι ἐδήλωσεν, εἰπὼν
καθ' αὐτὸ τὸ εἶναι, ὥσπερ ἑξῆς τὴν αὐτοζωὴν, τὴν
αὐτοομοιότητα, καὶ τὰ σὺν αὐτοῖς εἰπὼν, τὸ ὅλως εἶ-

Merito igitur omnibus. Deus sibi hoc nomen imposuit, cum dixit: *Ego sum qui est* [b-c]: ideo ante alia quæ de ipso dicuntur, veluti vitam et sapientiam et talia, jure appellatur. Dicendo autem προεῖναι καὶ ὑπερεῖναι, seu prius esse et supra esse, Deum principio carere, omninoque non intelligibilem esse declaravit, qui etiam prædeterminatione propriæ ineffabilis cognitionis omnia produxit antequam prorsus essent; mens enim primo impetu huic in unum collecto esse incumbit; postea sic ipsa aliquantulum esse cernit. Ergo simpliciter esse, non autem aliquo modo esse declaravit, cum dixit per se esse; sicut deinceps cum ipsam vitam, ipsam similitudi-

[b-c] Exod. III, 14.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[a] τοῦτο γὰρ ἀθρόως.

Digitized by Google

nem, et quæ cum ipsis dixit, prorsus esse vitam ac simpliciter vivere, non vero talem vitam explicavit, et alia similiter, hoc primum appellant esse.

172 *Et si vis viventium.* Sicut aliqua ratione in qualitatibus nempe ante subsistunt ipsæ qualitates, postea accidentes qualitate afficiunt; ita etiam hæc intellige quasi per se corporea albedo corpori inhærens, ipsum dealbat : sic etiam quæ hic dicta sunt cum proportione intellige, quod Deus præexsistens, seu vita, cuncta vivificat quæ ipsam participant.

Per se participationes. Participationes dicit, quibus res participant, ut ipsum esse, aut vita, aut sapientia, aut ordo, et cætera, quæ participationes divina sunt dona, quæ etiam principia rerum vocavit.

§ VI. *Estque ex ipsa et in ipsa.* Ita intelligendum: *mens* cum sit per se excellens bonitas, totaque efficacia, in seipsam conversa, efficacia seu actu est, non virtute seu habitu, prius exsistens amentia, postea actu mens effecta; unde etiam tantum est mens pura, non superinductam habens sapientiam, sed prorsus a seipsa intelligit. Si enim essentia ejus alia est, quæ autem intelligit sunt ab ipso diversa, ipse intelligi nequit, seu ejus essentia; si vero aliquid habet, a seipso habet, non ab alio; si autem a seipso, et ex seipso intelligit, ipse est quæ intelligit; ergo cum sit mens, ut qui est, revera res intelligit; si autem seipsum intelligens res intelligit, ipse est res, aut enim alibi exsistentes ipsas intelliget, aut in seipso, ut quæ sunt ejus; alibi quidem res exsistere intelligere impossibile, ubi enim exsistunt in sensilibus? sensilia enim non sunt, utpote mutationi obnoxia, generabilia et corruptibilia; ergo seipsum et in seipso intelligit. Quoniam autem Deus est etiam rerum conditor, in eo quod necdum est, eas cognoscet; verum ipse est universi hujus archetypum, et quæ intelligit non ab aliis typum accipiens intelligit, cum sit eorum quæ sunt exemplar; sic neque ipse in loco, neque ea quæ in ipso velut in loco; sed habet ea ut seipsum habens, ipsisque exsistens, omnibus quidem simul exsistentibus, et indivisibiliter in ipso exsistentibus; distinctis autem, in *indivisibili* indivisibiliter. Ejus igitur cogitationes sunt res, res autem sunt species. *Cogitationes* vero non ita intelligendum, quod postquam aliquod certi cogitavit, illud ipsum fuerit aut sit; hanc enim cogitationem aliquid quod intelligitur præcedere debet, ut postquam illud cogitaverit, faciat; sed res intelligit, ut seipsum **173** intelligens, ac inexsistentibus conjunctus; ipsa enim ejus cogitatio, rebus est generatio; quod igitur ipsis inest, id est species, atque hoc est idea : ipse vero cum totus sit mens, totus est scientia : quæ vero ex ipso et in ipso mentes contemplationibus scientiæ similes. Sunt autem simul etiam distinctæ in ipso, ut multæ scientiæ

A ναι ζωὴν, καὶ ἁπλῶς τὸ ζῆν, οὐχὶ δὲ τὴν τοιάνδε ζωὴν εἰσηγήσατο, καὶ τὰ ἄλλα δὲ ὁμοίως, τοῦτο πρῶτον κατηγοροῦνται τὸ εἶναι.

Καὶ εἰ βούλει τῶν ζώντων. Ὥσπερ λόγῳ τινὶ ἐπὶ τῶν ποιοτήτων οἱονεὶ προϋπεισιν αἱ αὐτοποιότητες· εἶτα συμβαίνουσαι ποιοῦσιν οὕτω· καὶ ταῦτα νόει, οἷον ἡ αὐτοσώματος λευκότης, ἐπιγενομένη σώματι, λευκαίνει τοῦτο· οὕτω καὶ τὰ εἰρημένα ὧδε νόησον ἀναλόγως, ὅτι προϋπὼν ὁ Θεὸς, ἤτοι ἡ ζωὴ, ζωοῖ πάντα τὰ αὐτοῦ μετέχοντα.

Τὰς αὐτομετοχάς. Μετοχάς φησιν, ὧν τὰ ὄντα μετέχουσιν, οἷον αὐτὸ τὸ εἶναι ἢ ζωὴ, ἢ σοφία, ἢ τάξις, καὶ τὰ λοιπὰ, αἵτινες μετοχαὶ θεῖαι τυγχάνουσι δωρεαὶ, ἃς καὶ ἀρχὰς τῶν ὄντων ἐκάλεσε.

B

§ VI. *Καὶ ἔστιν ἐξ αὐτῆς καὶ ἐν αὐτῇ.* Οὕτω νοητέον· ἡ αὐτοῦπεραγαθότης, νοῦς οὖσα, καὶ ὅλη ἐνέργεια, εἰς ἑαυτὴν ἐστραμμένη, ἐνεργείᾳ ἐστὶν, ᾧ δυνάμει, πρότερον οὖσα ἀφροσύνη, εἶτα νοῦς ἐνεργείᾳ γινομένη· ὅθεν καί ἐστι νοῦς μόνον καθαρὸς, οὐκ ἐπείσακτον ἔχων τὸ φρονεῖν, ἀλλὰ παρ' ἑαυτοῦ πάντως νοεῖ. Εἰ γὰρ ἡ μὲν οὐσία αὐτοῦ ἄλλη ἐστὶν, ἃ δὲ νοεῖ ἕτερα αὐτοῦ, αὐτὸς ἀνόητος ἔσται, ἡγουν ἡ οὐσία αὐτοῦ· εἴ τι δὲ ἔχει, παρ' ἑαυτοῦ ἔχει, οὐ παρ ἄλλου· εἰ δὲ παρ' ἑαυτοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ νοεῖ, αὐτός ἐστιν ἃ νοεῖ. Οὐκοῦν νοῦς ὤν, ὄντως νοεῖ τὰ ὄντα ὡς ὤν. Εἰ οὖν νοῶν ἑαυτὸν τὰ ὄντα νοεῖ, αὐτός ἐστι τὰ ὄντα· ἢ γὰρ ἑτέρωθι ὄντα αὐτὰ νοήσει, ἢ ἐν ἑαυτῷ, ὡς αὐτοῦ ὄντα· ἀλλαχοῦ μὲν ὄντα οὖν οὐ δυνατὸν C νοῆσαι· ποῦ γὰρ ὄντα ἐν αἰσθητοῖς; τὰ γὰρ αἰσθητὰ οὐκ εἰσὶν ὄντα, ἅτε τρεπτὰ ὄντα, καὶ γινόμενα, καὶ ἀπολλύμενα. Ἑαυτὸν οὖν ἄρα καὶ ἐν ἑαυτῷ νοεῖ. Ἐπειδὴ δὲ καὶ ποιητὴς τῶν ὄντων ἐστὶν ὁ Θεὸς, ἐν τῷ μήπω ὄντι νοήσει αὐτά· ἀλλ' αὐτὸς ἀρχέτυπός ἐστι τούτου τοῦ παντός· καὶ ἃ νοεῖ, οὐ τύπους λαμβάνων ἀφ' ἑτέρων, αὐτὸς ὢν τῶν ὄντων παράδειγμα· ὥστε οὔτε αὐτὸς ἐν τόπῳ, οὔτε τὰ ἐν αὐτῷ ὡς ἐν τόπῳ· ἀλλ' ἔχει αὐτὰ ὡς ἑαυτὸν ἔχων, καὶ ἐνὼν αὐτοῖς, πάντων μὲν ὁμοῦ ὄντων, καὶ ἐν ἀμερεῖ ὄντων ἐν αὐτῷ· διακεκριμένων δὲ, ἐν τῷ ἀμερεῖ[80] ἀμερῶς. Αἱ τοίνυν νοήσεις αὐτοῦ εἰσι τὰ ὄντα· τὰ δὲ ὄντα εἰσὶ τὰ εἴδη. *Νοήσεις* δὲ οὐχ οὕτως ἀκουστέον, ὅτι, ἐπειδὴ τόδε ἐνόησεν, ἐγένετο τόδε, ἢ ἐστὶ τόδε· ταύτης γὰρ D τῆς νοήσεως προηγεῖσθαι δεῖ νοούμενόν τι, ἵνα αὐτὸ νοήσας ποιήσῃ· ἀλλὰ νοεῖ τὰ ὄντα, ἅτε ἑαυτὸν νοῶν, καὶ τοῖς ἐνοῦσι συναπτόμενος· αὐτὴ γὰρ αὐτῷ ἡ νόησις γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι. Τὸ οὖν ἐνὸν ἐν αὐτοῖς, τοῦτό ἐστι τὸ εἶδος, καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ ἰδέα· αὐτὸς δὲ, νοῦς ὢν ὅλως, ὅλος ἐστὶν ἐπιστήμη· τὰ δὲ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ νόες ἐοικότες θεωρήμασι τῆς ἐπιστήμης. Εἰσὶ δὲ ὁμοῦ καὶ διακεκριμένα ἐν αὐτῷ, ὡς καὶ ἐν ψυχῇ ὁμοῦ πολλαὶ ἐπιστῆμαι οὖσαι, ἀσύγχυτοι μένουσι, καὶ ἐνεργοῦσι ἔξω κατὰ μίαν, ὅταν δέῃ· καὶ πάσας ὁμοῦ τὰς δυνάμεις ἡ ψυχὴ ἐν ἑαυτῇ ἔχει, καθ' ἃς προνοεῖ τοῦ σώματος, καὶ ὅμως ἀσυγχύτως αὐτάς

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[80] Pachym. ἐν μέρει vitiose, quia agitur de puncto indivisibili.

Digitized by Google

κατὰ καιρὸν προβάλλει, τὴν μὲν φυσικὴν ἐνεργοῦσα περὶ τὸ σῶμα δύναμιν, καθ' ἣν τρέφει τοῦτο, καὶ αὔξει, καὶ πρὸς γένναν ἐπιτήδειον ποιεῖ· τὴν δὲ αἰσθητικὴν ἐνεργεῖ δύναμιν περὶ φλέβας καὶ ἀρτηρίας, καὶ τὴν σάρκα, καὶ τὰ νεῦρα· καθ' ἣν δύναμιν τῶν αἰσθητῶν ἀντιλαμβανόμεθα· τὴν δὲ δοξαστικὴν, καθ' ἣν κρίνει τὰ αἰσθητά· καὶ τὴν φανταστικὴν, καθ' ἣν φαντάζεται τὰ αἰσθητά· ἀναζωγραφικὴν δὲ, καθ' ἣν ἀναπλάττει· καὶ μνημονευτικὴν, καθ' ἣν μέμνηται· ὀρεκτικὴν δὲ, καθ' ἣν ὀρέγεται, καὶ κινεῖ τὸ ζῶον κατὰ τόπον· καὶ εἰκαστικὴν, καὶ θυμοειδῆ, καὶ ἐπιθυμητικήν. Ταύτας γὰρ ἔχει δυνάμεις σώματι χρωμένη ἐν τῷ ἀλόγῳ αὐτῆς μέρει. Μετὰ δὲ θάνατον ὁ νοῦς μόνος ἔσται ἐνεργῶν, τούτων ἀργουσῶν.

A simul in anima exsistentes, manent non confusæ, et sigillatim foris operantur, cum necesse fuerit; et anima omnes facultates in seipsa simul habet, quibus corpori providet, verumtamen ipsas sine confusione dum tempus est, exserit, naturalem quidem circa corpus exercens facultatem, qua ipsum nutrit, auget, atque aptum ad generationem effici; sensilem vero exercet facultatem circa venas, arterias, carnem ac nervos, qua facultate sensilia percipimus; opinandi autem facultatem, qua sensilia judicat, ac imaginativam, qua sensilia imaginatur, depingendi facultatem qua effingit, reminiscendi vero facultatem qua meminit, appetendi autem qua appetit, et animal loco movet, ac assimilandi, et irascibilem atque concupiscibilem; has enim habet facultates cum corpore utitur, in sua rationis experte parte; post mortem vero mens sola operabitur, his cessantibus.

Καὶ τὰ ὁπωσοῦν τῷ εἶναι. Ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ ὑπεραγαθότητός φησιν, ἥτις ἐστὶν αὐτὸ τὸ εἶναι αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, ἡ ὕπαρξις τῶν ὄντων, καὶ ἡ τούτων διαμονή. Ἐνιαίως φησὶν, ἤγουν κατὰ ἁπλῆν τινα καὶ περιεκτικὴν τῶν ὅλων αἰτίαν, καὶ ἄσχετον· οὐδενὶ γὰρ λόγῳ, ἢ νοήματι, καὶ πράγματι ἔχει τὸ Θεῖον τὴν πρὸς τὰ ὄντα σχέσιν τε καὶ κοινωνίαν· ἀλλ' ἔστι πάντῃ καὶ κατὰ πάντα ὑπερηρμένον, μόνῳ τῷ συνέχειν καὶ προνοεῖσθαι τούτων ἐφαπτόμενον, ὡς ἄν τις εἴποι. Τὰ δὲ ἐξῆς ὑποδείγματα πιστωτικὰ τοῦ λόγου τοῦ εἶναι πάντα ἐκ Θεοῦ, ὡς αἰτίου τῆς τούτων ὑπάρξεως, ἄλλο παρὰ ταῦτα ὑπάρχοντος, καὶ ἐν ἑαυτῷ συνεστάναι ἄλλῳ παρὰ ταῦτα ὑπάρχοντι.

B *Et quæ quomodocunque exsistendo.* Ex eminentissima, inquit, Dei bonitate, quæ est ipsius Dei esse, rerum exsistentia et perseverantia. Unite ait seu in simplici quadam et omnium comprehensiva atque invicta causa; nulla enim ratione, aut cogitatione, aut actione divinum Numen cum rebus conjunctionem et communionem habet; sed est omnia, et omnibus supereminet, his sola conservatione ac providentia, ut aliquis dixerit, adhærens; cætera autem exempla fidem faciunt sermoni asserenti omnia esse a Deo, ut horum exsistentiæ causa, aliud ab illis exsistente ac in seipso, alio ab illis exsistente consistere.

Καὶ ἔχει πάντα ἀριθμόν. Ὁ γὰρ ἀριθμὸς ἐκ πολλῶν μονάδων συντιθεμένων εἰς μέγεθος παραύξει· ἡ οὖν μονὰς, ὡς αἰτία ἀριθμῶν, ἐνοειδῶς τοὺς πάντας περιείληφεν ἀριθμούς· οὕτω καὶ τὸ κέντρον, ἤγουν σημεῖον, τὰς ἐπὶ τὸν κύκλον εὐθείας περιέχει.

C *Habet omnem numerum.* Numerus enim ex multis monadibus compositus crescit in magnitudinem: monas igitur, ut numerorum causa, uno modo numeros omnes in se complexa est: ita etiam centrum seu punctum, rectas in circulo lineas complectitur.

Καὶ ἐν κέντρῳ. Ταῦτα βεβαιωτικὰ τοῦ λόγου ὑποδείγματα. Σημείωσαι ὡς καὶ ἀπὸ τῶν γραμμικῶν τὰ περὶ Θεοῦ σαφηνίζει, κέντρῳ αὐτὸν παρεικάζων.

Atque in centro. Hæc exempla rationem confirmant; nota quomodo etiam ex lineis declaret ea quæ Deum spectant, ipsum centro assimilans.

174 *Ἐνοειδῶς ἡνωμένας.* Τὸ ἐνοειδῶς ἐνταῦθα τέθεικεν ἀντὶ τοῦ ἁπλῶς καὶ ὁμοίως· οὐ γὰρ ἑτεροίως.

174 *Uniformiter copulatas.* Illud *uno modo* hic posuit, pro simpliciter et similiter; non enim aliter.

Ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ ὅλῃ τῶν ὅλων. Πρόδηλον ὅτι ἐν τῷ ὅλῳ τὰ μέρη· οὐκοῦν οἱ ἐν τοῖς καθ' ἕκαστον τῶν ὄντων φυσικῶς θεωρούμενοι τῶν ἐνυπαρχουσῶν αὐτοῖς δυνάμεων ἢ κινήσεων λόγοι ἐν τῇ καθόλου D λαμβανομένῃ φύσει θεωροῦνται, φησὶν· οἷον οἱ τῆς ἔξω φιλοσοφίας πάντα τὰ καθ' ἑαυτῶν ὑπάρχοντα καὶ ἐν ἄλλοις θεωρούμενα, ἃ ἔμψυχά τε καὶ ἄψυχά φαμεν· ταῦτα πάντα ὑπὸ μίαν κατηγορίαν ἤγαγον, εἰπόντες οὐσίαν, ἐν τῇ τοιαύτῃ φωνῇ περιλαμβάνονται καὶ τὰ τῆς καθ' ἕκαστον οὐσίας ἰδιώματα, καὶ οἱ λόγοι ἀσύγχυτοι μένοντες· ἕτερος γὰρ τῶν ἐμψύχων, καὶ ἄλλος τῶν ἀψύχων ὁ λόγος· ὡσαύτως καὶ τῶν αἰσθητικῶν, τουτέστι λογικῶν τε καὶ ἀλόγων, καίτοι κατὰ τὸν τῆς οὐσίας, ἤτοι τοῦ ἁπλῶς εἶναι συνηνωμένοι λόγον. Τὸ δὲ ἐν ψυχῇ μονοειδῶς εἴρηκε, σημαίνων μίαν εἶναι τὴν ἐκ ψυχῆς ἐνδιδομένην ὅλῳ τῷ

Imo et in tota natura universi. Manifestum, partes esse in toto: ergo rationes quæ in singulis rebus naturaliter considerantur, inexsistentium ipsis facultatum aut motuum, in natura, inquit, generaliter sumpta considerantur; veluti profani philosophi omnia quæ per se exsistunt et in aliis considerantur, quæ animata et animæ expertia dicimus, hæc omnia sub unam appellationem adduxerunt, dicentes essentiam; in tali voce complectuntur et essentiæ singulorum proprietates, et rationes non confusæ manentes; alia enim animatorum, et alia inanimatorum ratio, similiter etiam sensilium, id est rationalium, et irrationalium; etsi essentiæ seu ipsius simpliciter exsistentiæ ratione simul uniantur: illud autem in anima uno modo dixit, significans unam esse ab anima toti corpori vitalem

Digitized by Google

facultatem, varie in membris operantem, attributam.

§ VII. *Siquidem principium est rerum.* Si principium est, id quo res exsistit, merito in omnium principio omnia ante substiterunt, ut in idea et exemplari, sicut ante diximus, simul et uno modo, ac contraria, ut in Deo, sicut dictum est, considerata; quomodo autem conjuncte, et contraria, ita intelliges: quod ornatum est, habet formam divisam, ut in mundo, alibi astra et alibi hominem: iterumque alio in loco ignem ac alio in loco aquam; cum enim sint contraria, si simul exsistent, corrumpuntur; in Dei autem cogitationibus, et omnes res simul erant, et non confuse, neque in loco; non enim sunt corpora, nec in corpore, sed in æternis cogitationibus quæ sunt exemplaria: unde etiam Deus omnium est principium; nam principium est quidquid ante effectum suum substitit, ac in aliis ordo est eorum quæ velut ordinata sunt; ordo autem est efficacia similitudinis omnium rerum inter se, et commensuratio exsistens causa communionis rerum universi inter se; quin etiam Deus est status omnis, et motus omnis rerum. Hæc autem diverse intelligenda: siquidem in intelligibilibus et intelligentibus, natura cum sit principium motus et status, seu quietis, idem enim est, efficaciam declarat; nam motus qui in ministeriis divinis **175** ac inferiorum instructionibus vitalis est efficacia, et quies atque status, cum sit æternus et minime mutabilis, declarat mentes sibi propria operari, ac divinis impleri; in sensilibus autem natura exsistens principium motus et status seu quietis, motum quidem declarat in productione: statum vero seu quietem, ex corruptione essentiæ aut cessationem aut mutationem. Dicitur autem Deus hæc esse, quod ipse superessentialiter sit auctor. Motus autem in Deo, est benignus providentiæ processus in ea quæ ex ipso et per ipsum; status vero, est semper eodem modo se habere, ac sine egressu, incognitam sui ipsius quietem et intrepidam turbæ vacuitatem possidere. Notandum autem, eum intelligibiles facultates æternas vocasse, ut æternitatem participantes; Scriptura enim hoc asserit: *Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* [d]. In aliis vero exsistentia sunt veluti sanctitas, immortalitas, vitæ beatitas: hæc enim in intelligibilibus ac intelligentibus essentiis talia sunt: dicuntur autem cogitatione esse in intelligibilibus ac nobis, ut dii et domini et potentes virtute angeli, ac participatione homines.

Omnis definitio, et cætera quæcunque. Quæ eo quod exsistant sunt, dicit hæc in aliis considerata exsistere et non in se ipsis; nam essentiæ (hæc enim vocavit *entia*) sunt eorum quæ per se exsistunt, quas designant, immortalitas, sapientia, ordo, con-

A σώματι ζωτικὴν δύναμιν, ποικίλως ἐνεργοῦσαν ἐν τοῖς μέλεσιν.

§ VII. Ἀρχὴ γάρ ἐστι τῶν ὄντων. Εἰ αἴτιόν ἐστι τὸ δι' ὃ γίνεται τὸ γινόμενον, εἰκότως ἐν τῷ πάντων αἰτίῳ πάντα προϋφέστηκεν, ὡς ἐν ἰδέᾳ καὶ παραδείγματι, καθὰ προέφημεν, ὁμοῦ καὶ ἑνοειδῶς, καὶ τὰ ἐναντία, ὡς ἐν τῷ Θεῷ εἴρηται ἐπιθεωρούμενα. Πῶς δὲ καὶ ἡνωμένως, καὶ ἐναντία [21], οὕτω νοήσεις· τὸ κοσμηθὲν ἔχει τὸ εἶδος μεμερισμένον, ὡς ἐν τῷ κόσμῳ, ἀλλαχοῦ τὰ ἄστρα, καὶ ἀλλαχοῦ τὸν ἄνθρωπον· καὶ αὖθις ἄλλῃ τὸ πῦρ, καὶ ἄλλῃ τὸ ὕδωρ. Ἐναντία γὰρ ὄντα, ἐὰν ὁμοῦ γένωνται, συμφθείρονται· ἐν δὲ ταῖς νοήσεσι τοῦ Θεοῦ καὶ πάντα ὁμοῦ ἦσαν ὄντα καὶ ἀσυγχύτως, καὶ οὐκ ἐν τόπῳ· οὐ γὰρ σώματά εἰσιν, οὔτε ἐν σώματι, ἀλλ' ἐν ἀϊδίοις νοήσεσιν, αἰτινές εἰσι παραδείγματα· ὅθεν καὶ πάντων ἀρχὴ ὁ Θεός· ἀρχὴ γάρ ἐστι πᾶν τὸ προϋφεστὼς τοῦ γινομένου· καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις, καὶ τάξις ἐστὶ τῶν ὡς τεταγμένων· τάξις δέ ἐστιν ἐργασία ὁμοιότητος πρὸς ἄλληλα πάντων τῶν ὄντων, καὶ συμμετρία γινομένη αἰτία κοινωνίας τῶν πρὸς ἄλληλα παντὸς τοῦ ὄντος, ἀλλὰ καὶ πᾶσα στάσις, καὶ πᾶσα κίνησίς ἐστι τῶν ὄντων ὁ Θεός. Διαφόρως δὲ ταύτας νοητέον· καὶ ἐπὶ μὲν τῶν νοητῶν καὶ τῶν νοερῶν, ἡ φύσις, ἀρχὴ οὖσα κινήσεως καὶ στάσεως, ἤτοι ἠρεμίας, ταὐτὸν γάρ ἐστι, ἐνέργειαν δηλοῖ· ἥ τε γὰρ κίνησις ἡ εἰς διακονίας θείας καὶ διδασκαλίας τῶν ὑποβεβηκότων ἐνέργειά ἐστι ζωτικὴ, ἥ τε ἠρεμία καὶ στάσις αἰώνιος οὖσα καὶ ἄτρεπτος, τὰ οἰκεῖα ἐνεργεῖν δηλοῖ τοὺς νόας, καὶ τῶν θείων ἐμφορεῖσθαι. Ἐπὶ δὲ τῶν αἰσθητῶν ἡ φύσις ἀρχὴ οὖσα κινήσεως καὶ στάσεως, ἤτοι ἠρεμίας, τὴν μὲν κίνησιν δηλοῖ εἰς τὸ εἶναι παραγωγήν· τὴν δὲ στάσιν, ἤτοι ἠρεμίαν, τὴν διὰ τῆς φθορᾶς τοῦ εἶναι ἢ παῦσιν ἢ μεταβολήν. Λέγεται δὲ ταῦτα εἶναι ὁ Θεὸς, ὡς αἴτιος αὐτὸς ὑπάρχων ὑπερουσίως. Κίνησις δὲ ἐπὶ Θεοῦ ἡ εἰς τὰ ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ ἐν ἀγαθότητι προνοητικὴ πρόοδος· στάσις δὲ τὸ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχειν, καὶ ἀνεκφοιτήτως ἑαυτοῦ τὴν ἀνεπίγνωστον ἠρεμίαν καὶ ἀτρεμῆ ἀοχλησίαν κεκτῆσθαι. Σημειωτέον δὲ, ὅτι τὰς νοητὰς δυνάμεις αἰωνίας ἐκάλεσεν, ὡς αἰῶνος μετεχούσας. Ἡ δὲ τοῦτο λέγουσα Γραφή ἐστι· *Τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα· τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια.* Τὰ δ' ἐν ἑτέροις ὑπάρχοντά εἰσιν οἷον ἁγιασμὸς, ἀθανασία, ζώη· ταῦτα γὰρ ἐν νοηταῖς καὶ νοεραῖς οὐσίαις τοιαῦτά εἰσι· κατ' ἐπίνοιαν δὲ λέγονται ἐν τοῖς νοητοῖς καὶ ἡμῖν, ὡς θεοὶ καὶ κύριοι καὶ δυνατοὶ ἰσχύϊ ἄγγελοι κατὰ μέθεξιν καὶ ἄνθρωποι.

Πᾶς ὅρος, καὶ τὰ ἄλλα. Ὅσα τῷ εἶναι ὄντα εἰσὶ, ταῦτά φησιν ἐν ἑτέροις θεωρούμενα ὑπάρχειν, καὶ οὐ καθ' ἑαυτά· αἱ γὰρ οὐσίαι (ταῦτα γὰρ ἐκάλεσεν *ὄντα*), τῶν καθ' ἑαυτά εἰσιν, ἅστινας χαρακτηρίζουσιν, ἀθανασία, σοφία, τάξις, ἁρμονία, καὶ τὰ σὺν

[d] II Cor. iv, 18.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[21] τὸ δὲ ἐναντία.

Digitized by Google

αὐτοῖς, ἅπερ ἐν ἑτέροις ὑπάρχειν λέγονται· ὥσπερ καὶ τὰ κατ' αἴσθησιν περὶ τὰ σώματα ὁρώμενα· οἷον χρῶμα, σχῆμα, πηλικότης, καὶ τὰ ὅμοια, ἅπερ σωμάτων ἐκτὸς συνίστασθαι ἀδύνατον. Διεῖλε δὲ αὐτὰ ὁ Πατὴρ τῶν κατ' ἐπίνοιαν· ταῦτα δὲ εἶναί φαμεν τὰ τῇ νοήσει καταλαμβανόμενα, οἷον νόημα, λόγον, αἴσθησιν, καὶ τὰ τοιαῦτα· ἄτινα τῇ ἐπινοίᾳ μόνῃ οἱονεὶ τῇ ἐπενθυμήσει γνωρίζομεν· ἢ καὶ κατ' ἐπίνοιαν λέγει τὰ νοητά, καὶ αἰσθήσει ὑποπίπτοντα μηδαμῶς.

A venientia, et iis adjuncta, quæ dicuntur esse in aliis; sunt etiam quæ sensu circa corpora videntur, ut color, figura, quantitas et similia, quæ extra corpus consistere nequeunt. Porro Pater hæc divisit ab iis, quæ sunt cogitatione; hæc autem dicimus esse quæ intellectione comprehenduntur, veluti cognitionem, verbum, sensum et talia; quæ cogitatione sola tanquam reflexo intellectionis actu cognoscimus; aut etiam esse cogitatione dicit intelligibilia, et nullo modo sensibus subjecta.

§ VIII. *Al νοηταὶ καὶ νοεραί.* Σημείωσαι δὲ, ὅτι τὸ *νοηταὶ* ὡς πρὸς ἡμᾶς· τὸ δὲ *νοεραὶ* ὡς πρὸς τὸν Θεὸν νοεῖται.

§ VIII. *Intellectiles ac intelligentes.* Nota vero quod νοηταί respectu nostri; quod νοεραί respectu Dei intelligitur.

Καὶ τὸ εἶναι. Καὶ τὸ θεοειδῶς εἶναι.

Et esse. Et divine esse habent.

Καὶ τὰ ἄλλα πάντα. Ὅτι αὐτὸς αἴτιος τοῦ εἶναι τὰ πάντα, καὶ πρὸ τοῦ εἶναι, ἅτε καὶ ἰδέα, ἤτοι παράδειγμα ὢν τοῦ εἶναι, ὡς ἐντεῦθεν δηλοῦται· τὸ γὰρ αὐτὸ εἶναι, οὐκ αὐτό ἐστιν ὁ Θεὸς, διὰ τὸ εἶναι τὸν Θεὸν, ἀλλὰ διὰ τὸν Θεὸν, καὶ τὸ εἶναι ἐστὶ, καὶ λέγεται· διὸ ἐν τῷ Θεῷ ἐστι τὸ εἶναι, ὡς ἰδέα· οὐ μὴν ὁ Θεὸς, ἐν τῷ εἶναί ἐστι· πρὸ γὰρ τοῦ εἶναι ἦν· ὅμως διὰ τὸ πάντων αἴτιος εἶναι, καὶ παραγωγεὺς δείκνυται, καὶ ἔξω πάντων ἐστὶν, ὡς αἴτιος πάντων, καὶ τοῖς τῶν πάντων γνωρίσμασι προσαγορεύεται, ὡς τὰ πάντα παραγαγών.

B *Et alia omnia.* Ipsum auctorem esse, cur sint omnia, et ante quam essent, ut idea seu exemplar ipsius exsistentiæ, sicut hinc declaratur: nam ipsa exsistentia non est ipse **176** Deus, quia Deus exsistit, per Deum autem et exsistentia est, et dicitur; ideo exsistentia est in Deo ut idea, non autem Deus est in ipsa exsistentia; erat enim ante ipsam exsistentiam; tamen quia est omnium auctor, productor quoque declaratur, et nominibus omnium appellatur, ut qui omnia produxit.

Καὶ αὐτοῦ ἐστι τὸ εἶναι. Αὐτοῦ μὲν, ὡς ἐξ αὐτοῦ ἐστι τὸ εἶναι· ἐν αὐτῷ δὲ τῷ συντηρεῖσθαι παρ' αὐτοῦ· οὐκ αὐτὸς δὲ τοῦ εἶναι, οὐδὲ ἐν τῷ εἶναι συνεχόμενος· ὑπὲρ γὰρ τὸ εἶναι ὁ ὑπερούσιος.

Et ejus est exsistentia. Ipsius quidem, quia ex ipso est exsistentia: in eo vero, quod ab ipso conservetur, ipse non est exsistentia, neque in exsistentia C continetur; est enim supra exsistentiam, quia superessentialis.

Καὶ οὐκ αὐτὸς ἐν τῷ εἶναι. Προσυπακουστέον ἐν ἀμφοτέροις τὸ *αἴτιον*, τουτέστι τὸ εἶναι αὐτὸν ἔχει αἴτιον, καὶ οὐχὶ αὐτὸς, ὡς ἐκ προηγουμένης [22] αἰτίας ἔχει τὸ εἶναι.

Et non ipse in exsistentia. Subaudiendum est in utrisque, *principium*; id est exsistentia habet ipsum auctorem, neque ipse velut ex principali causa exsistentiam habet.

Κατὰ πᾶσαν τῶν ὄντων ἐπίνοιαν. Ἡ τῶν ὄντων θεωρία, ἣν ἐνταῦθα ἐπίνοιαν ἐκάλεσε, πολλή τις οὖσα καὶ ποικίλη πάσῃ ἐπιβολῇ τοῦ νοῦ, προϋπαντῶσαν εὑρίσκει τοῦ αἰτίου τὴν ἔννοιαν, ἡγοῦν τοῦ δημιουργοῦ· τὸ οὖν *πολλαπλασιάζεσθαι* δηλοῖ, τὸ ἐν τοῖς πολλοῖς τὸν αὐτὸν αἴτιον θεωρεῖσθαι.

Πορφυρόεντος ἄγαλμα, μελαγκρατέτης ὑάκιν-[θος [29].

Quæ omnia ostendunt multam sancti hujus viri doctrinam.

Ταῦτα γὰρ πάντα δείκνυσι τὸ πολυμαθὲς τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρός.

Oportet autem, ut existimo, ablationes. Ipsemet Pater locum præsentem in sequentibus exponit. Θέσεις igitur sunt, quæ proprie de Deo dicuntur, veluti qui est, vita, lumen, et cætera : ἀφαιρέσεις vero, quæ tanquam a Deo aliena negantur, sicut Deus non est corpus, non est anima, nec aliquod eorum quæ cognosci queunt, aut in cognitionem cadunt. Aliter : Quid sint θέσεις, et ἀφαιρέσεις, in libro *De divinis nominibus* excellenter intelleximus.

Χρὴ δὲ, ὡς οἶμαι, τὰς ἀφαιρέσεις. Τὸ παρὸν χωρίον ἐν τοῖς ἑξῆς αὐτὸς ὁ Πατὴρ σαφηνίζει. Θέσεις μὲν οὖν εἰσιν, ὅσα οἰκείως ἐπὶ Θεοῦ λέγεται, [ὅτι ἐστὶν] οἷον τὸ ὢν, τὸ ζωὴ, τὸ φῶς, καὶ τὰ ἄλλα· ἀφαιρέσεις δὲ, ὅσα ὡς ἀλλότρια Θεοῦ ἀποφάσκεται· οἷον ὅτι οὐ σῶμα ὁ Θεὸς, οὐ ψυχὴ, οὐδέ τι τῶν γνωστῶν, ἢ τῇ νοήσει ὑποπιπτόντων. Ἄλλως· Τί εἰσι θέσεις καὶ αἱ ἀφαιρέσεις, ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων* λόγῳ διαφόρως ἔγνωμεν.

C

In omnibus rebus. Eorum, inquit, quæ sunt cognitiones, non detegunt Dei ignorationem, et in lucem adducunt; sed potius contegunt et occultant. Lumen vero quod in rebus est, accipiendum pro cognitione rerum quatenus sunt, sicut etiam in sequentibus invenimus.

Ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν. Αἱ τῶν ὄντων γνώσεις, φησὶ, τὸ περὶ Θεοῦ ἄγνωστον οὐκ ἐκκαλύπτουσι, καὶ εἰς φανέρωσιν ἄγουσιν· ἀλλὰ μᾶλλον συγκαλύπτουσι καὶ ἀποκρύπτουσι. Τὸ δὲ ἐν τοῖς οὖσι φῶς ὑπολητέον τὸ γνῶναι τὰ ὄντα ἢ ὄντα ἐστὶ, καθὼς καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς εὑρίσκομεν.

IN CAP. III.

ΕΙΣ ΤΟ ΚΕΦΑΛ. Γ'.

Quomodo divina bonaque natura. Quid liber *Theologicarum institutionum* complectatur. En theologiæ subjectum et argumenta quæ universam divinam et illustratam cognitionem ac rectam fidem complectuntur; scire, quomodo una divina natura, recentiores quidam Patres ὁμοούσιον, *consubstantiale*, appellarunt; quomodo trina, quod dicimus τρισυπόστατον *trium subsistentiarum*, atque cognoscere personarum proprietates, et quid significent, nempe rationem Patris, rationem Filii, ac quæ sit sanctificatrix divini Spiritus virtus et divinum nomen, atque quomodo dicatur : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Ps.* XLIV, 2), et quomodo de adorabili Spiritu sancto dicitur *qui ex Patre procedit* : et quomodo in Patre et in seipsis et in se mutuo Filius et Spiritus sanctus æterne et inseparabiliter ac distincte in mansione

Πῶς ἡ θεία καὶ ἀγαθὴ φύσις. Τί περιέχει ὁ λόγος τῶν *Θεολογικῶν ὑποτυπώσεων*. Ἰδοὺ θεολογίας ὑποθῆκαι καὶ ἀφορμαὶ, πάσης ἐχόμεναι θείας καὶ πεφωτισμένης γνώσεως καὶ ὀρθοδοξίας· τὸ εἰδέναι, πῶς ἐνικὴ ἡ θεία φύσις, οἱ νεώτεροι Πατέρες τινὲς *ὁμοούσιον* [30] προσεῖπον· πῶς τριαδικὴ, ὃ φαμεν *τρισυπόστατον*, καὶ τὸ εἰδέναι τῶν προσώπων τὰς ἰδιότητας, καὶ τί δηλοῦσιν· οἷον πατρότητα, καὶ υἱότητα· καὶ τίς ἡ τοῦ θείου Πνεύματος *ἁγιαστικὴ δύναμις καὶ θεολογία*· καὶ πῶς εἴρηται τὸ, *ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν*· καὶ πῶς περὶ τοῦ προσκυνητοῦ Πνεύματος εἴρηται, *ὅπερ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται*· καὶ πῶς ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐν ἀλλήλοις, ὁ Υἱὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα συναϊδίως καὶ ἀσχίστως καὶ ἀδιαιρέτως ἐν μονῇ εἰσιν ἀνεκφοιτήτῳ. Δεῖ δὲ εἰδέναι,

D

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[27] ζωΐδιόν τι. [28] βαθυχλοαούσης: [29] μελαγκρατής τε ὑάκ. [30] τριακόσιοι δεκαοκτὼ *ὁμοούσιον*.

Digitized by Google

ὅτι μονὴ καὶ στάσις ταυτόν εἰσι· κίνησις δὲ ἕτερόν ἐστι τῆς μονῆς. Φησὶν οὖν ὅτι, καὶ ἐν μονῇ ἀκινήτῳ ἀεὶ οὖσα ἡ θεία φύσις, δοκεῖ κινεῖσθαι ἐν τῇ ἐν ἀλλήλοις χωρήσει.

Καὶ τῆς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν αὐτοῖς. Οὗτος ὁ νοῦς τῶν εἰρημένων· συναΐδιος, φησὶν, ἡ ὕπαρξις τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ οὐχ ἑτέρως μὲν ὑπῆρξεν, ἑτέρως δὲ μετὰ ταῦτα κατέστη· ἢ χωρισμόν τινα ἢ μεταβολὴν ἔσχηκεν, ἀλλ' ἅμα καὶ κατὰ ταυτὸν τό τε ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐ μετ' αὐτόν.

Πῶς ὁ ὑπερούσιος Ἰησοῦς. Σημείωσαι κατὰ Νεστοριανῶν καὶ Ἀκεφάλων.

Πῶς ἀγαθός. Τί περιέχει ὁ *Περὶ θείων ὀνομάτων* λόγος [31.28].

Καὶ γὰρ ἐχρῆν. Διὰ τί αἱ *θεολογικαὶ Ὑποτυπώσεις* καὶ ὁ *Περὶ θείων ὀνομάτων* λόγος ὀλιγόστιχοί εἰσι μᾶλλον ἢ ἡ *Συμβολικὴ θεολογία.*

Τῆς συμβολικῆς. Τῶν πρώτων τὰ τῆς *Συμβολικῆς θεολογίας* φησί.

Ταῖς συνόψεσι τῶν νοητῶν. Συνόψεις τῶν νοητῶν τὰς τῇ ἀΰλῳ αὐτῶν ἁπλότητι πρεπούσας θεωρίας ἐκάλεσε. Τὸ δὲ *περιστέλλονται* ἀντὶ τοῦ *συστέλλονται* τέθεικεν.

Ἀλλ' ἀλογίαν παντελῆ. Ἀλογίαν φησὶ τὸ μὴ δύνασθαι λόγῳ παραστῆσαι τὰ ὑπὲρ λόγον· καὶ ἀνοησίαν οὖν τὸ ἀνεννόητον, καὶ ὃ μὴ δύναταί τις νοῆσαι, ὡς ὑπὲρ νοῦν.

Κἀκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ ἄνω. Ἐπειδὴ τὰ νοητὰ καὶ ὑπὲρ νοῦν τοῦ Θεοῦ ἑνάδες εἰσὶ, καὶ ἓν ὁ Θεὸς, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ τὸ ἕν· εἰκότως συνέσταλται, ἅτε καὶ ἀμερὲς καὶ ἁπλήθυντον. Τὰ δὲ μετὰ Θεὸν, ὅσῳ μᾶλλον κάτεισιν ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ, τοσούτῳ μᾶλλον ὁμιλοῦνται τοῖς μεριστοῖς καὶ σκεδαστοῖς, καὶ πεπληθυσμένοις συμπληθύεται αὐτοῖς πρὸς τὸν μερισμὸν καὶ τὸ πολυσχιδὲς τῶν αἰσθητῶν. *Πρὸς τὰ ἔσχατα* δὲ, τουτέστιν ἀπὸ τῆς θεολογικῆς ὑποτυπώσεως.

Ἀπὸ τοῦ πρωτίστου. Πρωτίστου φησὶ τοῦ μᾶλλον οἰκειοτέρου καὶ τῇ ἐννοίᾳ προεισβάλλοντος, οἷον ὅτι ὢν ὁ Θεὸς, ὅπερ ἑαυτὸν ὠνόμασεν.

Ὅτι τὸ ὑπὲρ πᾶσαν. Πῶς δεῖ κεχρῆσθαι ταῖς θέσεσι καὶ ταῖς ἀφαιρέσεσιν ἐπὶ Θεοῦ· καὶ ὅτι τὰς μὲν θέσεις ἀπὸ τοῦ πρωτίστου καὶ μᾶλλον συγγενοῦς τῷ Θεῷ ποιούμεθα· τὰς δὲ ἀφαιρέσεις ἀπὸ τῶν ἐσχάτων καὶ μᾶλλον αὐτοῦ διεστηκότων.

Τὴν ὑποθετικὴν κατάφασιν. Κατάφασίς ἐστι λόγος ἀποφαντικὸς ἢ τοῦ καθόλου, ἢ τοῦ μαχομένου, ἢ συμπλεκομένου τινὸς, ἢ συγκρινομένου· οἷον, ὁ Θεὸς ζωή ἐστιν, ὁ Θεὸς ἀγαθότης ἐστίν. Ὑποθετικὴ δέ ἐστι λόγος ἀποφαντικὸς ἢ τοῦ καθόλου, ἢ μαχομένου τινὸς, ἢ συμπλεκομένου δηλωτικός. Ἡ οὖν

sine egressu. Seiendum vero est, quod μονὴ et στάσις, *mansio* et *status*, idem sint; sed motio differt a mansione. Dicit itaque divinam naturam in mansione immota exsistentem, videri moveri mutua profectione.

Et in ipso ac in seipsis. Hæc dictorum est sententia; coæterna, inquit, exsistentia sanctæ Trinitatis, neque **236** aliter quidem exstitit, aliter vero postea constitit, aut separationem quamdam sive mutationem accepit; sed simul et eodem momento Filius est ex Patre, et Spiritus sanctus, non autem post ipsum.

Quomodo Jesus qui est supra substantiam. Nota contra Nestorianos et Acephalos.

Quomodo bonus. Quid liber *De divinis nominibus* complectatur.

Decebat enim. Cur *theologicæ Institutiones*, et liber *De divinis nominibus* pauciores versus contineant, quam *Symbolica theologia?*

Symbolicæ. Primis convenire theologiam quæ in signis versatur.

Intellectilium aspectibus. Conspectus intelligibilium, vocavit contemplationes immateriali eorum simplicitati convenientes. Posuit autem περιστέλλονται pro συστέλλονται, contrahuntur.

Unum etiam in silentium perfectum. Gr. ἀλογίαν. Ἀλογίαν dicit non posse sermone repræsentare quæ sermonem vincunt: et similiter ἀνοησίαν vocavit illud quod intelligi nequit, et quod nullus intelligere possit, cum mentem superet.

Atque in illis quidem a supremo. Quoniam unitates Dei sunt τὰ νοητὰ seu quæ minime sub sensus cadunt, mentemque vincunt, et Deus est unum, vel potius supra unum, merito contrahitur, tanquam individuum et non multiplicabile. Quæ autem post Deum, quanto magis descendunt ad sensibilia, tanto magis conjunguntur divisibilibus et separabilibus, et cum ipsis multiplicatis simul per divisionem multiplicatur, et multa sensilium dissectio. *Ad extrema*, id est a theologica institutione.

A primo. Primum dicit illud quod magis proprium intellectui ejus qui primum aggreditur: nempe quod Deus sit ὁ ὤν, *qui est*, quod nomen sibi imposuit.

Quia id quod superat omnem. Quis sit usus affirmationum et negationum in Deo; et nos affirmationes a primo magisque Deo cognato efficimus; at negationes ab extremis et magis ab ipso remotis.

Hypotheticam affirmationem. Affirmatio est sermo enuntiativus alicujus quod est vel universale, vel repugnans, vel copulatum, veluti: Deus est vita, Deus est bonitas. Ὑποθετικὴ vero est sermo enuntiativus ejus quod est aut universale, aut **237** repugnans, aut copulati declarativus. Itaque ὁπο-

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[31.28] τί περιέχει ὁ τῆς *Συμβολικῆς θεολογίας* λόγος.

Digitized by Google

θετικὴ κατάφασις in Deo, Deus est magis vita et bonitas quam aer et lapis; detractiones autem negatione contrario modo positioni dicuntur; nam positio, sicut dictum est, secundum descriptivam affirmationem enuntiatur; nempe Deus est vita, aut aer; at negativa detractio: Deus non inebriatur, non irascitur; et in positionibus a cognatioribus incipimus; magis enim Deo proprium vita et bonitas quam aer et lapis. In detractionibus vero ab extremis ascendimus, nimirum Deum non declarari sermone, nec cognosci, magis est Deo proprium quam non crapulari et non irasci; ac omnino a secundo seu viliori detractionem ordimur, videlicet: non inebriatur Deus magis quam non dicitur, et: non irascitur Deus magis quam non intelligitur. Κραιπάλη quidem est copiosa et vehementissima ebrietas, veluti καραπάλη, id est τὸ κάρα seu *caput πάλλουσα quatiens*, plurimumque movens; μῆνις autem est non quæcunque ira, sed permanens. Itaque a sensibilibus ad intelligibilia ascendentes, non debemus omnes has incorporeas detractiones humiliter intelligere, sed in unoquoque illorum quæ dicuntur subaudire, quod ipse beatus Dionysius dixit: Deus enim nihil est dictorum quæ nos cognoscimus, aut intelligimus, quin nec illorum quæ intelligibiles virtutes universæ cognoscunt. Omnia enim quæ dicta sunt, prorsus ex Deo sunt, ac ejus dona: et quomodo proprie ipse ex ipsis qui ipsis providet? Omnia vero diverse explicuimus in libro *De divinis nominibus*. Hæc enim omnia sunt accidentia, et in substantiis eorum quæ post Deum; at Deus tum essentiam superat, tum horum est auctor; ergo et his superior. *Aliter*: Vita et bonitas, affirmatio seu positio; non crapulatur, non irascitur; ecce tibi negatio seu detractio.

Quam aer aut lapis. Aer quidem, juxta Scripturam in libris Regum, in aura tenui. Lapidem vero propheta vidit. Magis igitur proprie quam illa, *vita* et *bonitas*, in Deo ponuntur, et illum declarant. Sic etiam ex detractione, contrario modo, scilicet *crapulari* et *irasci*, remota sunt a Deo et aliena; sed *non dici* magis convenit Deo et propius accedit, quia omnem mentem et sermonem vincit. **238**

IN CAP. IV.

Neque in loco est. Pater necessario per hæc auditorem suum confirmat, ne propter sequentes negationes arbitretur divinitatem prorsus non esse; sed in his quidem, illam esse supposuit; in illis vero, nullum esse eorum quæ sunt, sed essentiam superare.

IN CAP. V.

Quod nec anima sit, neque mens. Hæc inter se discrepant (sicut superius declaratum est): imaginatio, opinio, ratio, intelligentia, quæ in mente

A ὑποθετικὴ κατάφασις ἐπὶ Θεοῦ, ὅτι ὁ Θεὸς ζωή ἐστι καὶ ἀγαθότης μᾶλλον ἢ ἀὴρ καὶ λίθος· αἱ δὲ ἀφαιρέσεις κατὰ ἀπόφασιν λέγονται ἐναντίως τῇ θέσει· ἡ μὲν γὰρ θέσις, κατὰ ὑποθετικὴν, ὡς εἴρηται, κατάφασις λέγεται, ὅτι ζωὴ ὁ Θεὸς ἢ ἀὴρ· ἡ δὲ ἀποφατικὴ ἀφαίρεσις, οὐ μεθύσκεται ὁ Θεὸς, οὐκ ὀργίζεται· καὶ ἐπὶ τῶν θέσεων ἐκ τῶν συγγενεστέρων ἀρχόμεθα· οἰκειότερον γὰρ Θεῷ ζωὴ καὶ ἀγαθότης μᾶλλον ἢ ἀὴρ καὶ λίθος. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀφαιρέσεων καὶ τῶν ἐσχάτων ἄνιμεν, οἷον τὸ μὴ λόγῳ δηλοῦσθαι τὸν Θεὸν, καὶ τὸ μὴ νοεῖσθαι, οἰκειότερον μᾶλλον τῷ Θεῷ, ἢ τὸ μὴ κραιπαλᾶν, μηδὲ ὀργίζεσθαι, καὶ ὅλως ἐκ τοῦ δευτέρου τῆς ἀφαιρέσεως ἀρχόμεθα· οἷον, οὐ μεθύει μᾶλλον ὁ Θεὸς ἢ οὐ λέγεται· καὶ οὐ μηνιᾷ μᾶλλον ὁ Θεὸς ἢ οὐ νοεῖται. Κραιπάλη μὲν οὖν ἐστι ἡ πολλὴ καὶ B σφοδροτάτη μέθη, οἱονεὶ καραπάλη τις οὖσα, ὃ ἐστὶν ἡ τὸ κάρα, ἤτοι τὴν κεφαλὴν πάλλουσα καὶ πάνυ κινοῦσα. Μῆνις δὲ οὐχ ἡ τυχοῦσα ὀργὴ, ἀλλ' ἡ ἐπίμονος. Ἀπὸ γοῦν τῶν αἰσθητῶν ἀνιόντας ἐπὶ τὰ νοητὰ, πάσας ταύτας τὰς ἀσωμάτους ἀφαιρέσεις μὴ ταπεινῶς νοεῖν χρὴ, ἀλλ' ἐφ' ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων προσυπακούειν, ὅπερ αὐτὸς ὁ μακάριος Διονύσιος εἶπεν· οὐδὲν γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς τῶν εἰρημένων, ὧν ἡμεῖς γινώσκομεν, ἢ νοοῦμεν· ἀλλ' οὔτε ὧν γινώσκουσιν αἱ νοηταὶ δυνάμεις πᾶσαι· πάντα γὰρ τὰ εἰρημένα καθάπαξ ἐκ Θεοῦ εἰσι καὶ αὐτοῦ δωρεαί· καὶ πῶς αὐτὸς ἐξ αὐτῶν ὁ προνοούμενος αὐτῶν κυρίως; Πάντα δὲ [33] διαφόρως διεξήλθομεν ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων*· πάντα γὰρ ταῦτα, ὡς συμβεβηκότα, καὶ ἐν οὐσίαις τῶν μετὰ Θεόν. Ὁ δὲ Θεὸς καὶ C ὑπὲρ οὐσίαν, καὶ τούτων αἴτιος, οὐκοῦν καὶ ὑπὲρ αὐτά. *Ἄλλως*· Ζωὴ καὶ ἀγαθότης, [ἰδοὺ] κατάφασις ἤτοι θέσις· οὐ κραιπαλᾷ, οὐδὲ μηνιᾷ, ἰδοὺ ἀπόφασις ἤτοι ἀφαίρεσις.

Ἢ ἀὴρ καὶ λίθος. Ἀὴρ μὲν, κατὰ τὸ ἐν Βασιλείαις εἰρημένον, ἐν αὔρᾳ λεπτῇ· λίθον δὲ ὁ προφήτης εἶδε. Τούτων οὖν οἰκειότερον μᾶλλον θέσεις καὶ δηλώσεις [34] ἐπὶ Θεοῦ *ἡ ζωὴ καὶ ἡ ἀγαθότης*. Ὥσπερ οὖν καὶ ἐκ τῆς [35] ἀφαιρέσεως ἐπὶ τοῦ ἐναντίου [36], οἷον τὸ *κραιπαλᾶν* καὶ *μηνιᾶν*, πόρρω Θεοῦ καὶ ἀλλότρια· τὸ δὲ *μήτε λέγεσθαι* [37] μᾶλλον πρέπον Θεῷ καὶ ἐγγυτέρω, διὰ τὸ ὑπὲρ πάντα νοῦν τε καὶ λόγον.

D

ΕΙΣ ΤΟ ΚΕΦΑΛ. Δ'.

Οὐδὲ ἐν τόπῳ ἐστίν. Ἀναγκαίως ὁ Πατὴρ διὰ τούτων προσησφαλίσατο τὸν ἀκροατὴν, ὥστε μὴ ταῖς ἐξῆς ἀποφάσεσιν οἴεσθαι ὅλως μὴ εἶναι τὸ θεῖον· ἀλλ' ἐν τούτοις μὲν τὸ εἶναι αὐτὸ ὑπέθετο, ἐν ἐκείνοις δὲ τὸ καὶ μηδὲν τῶν ὄντων εἶναι, ἀλλ' ὑπερούσιον.

ΕΙΣ ΤΟ ΚΕΦΑΛ. Ε'.

Ὡς οὔτε ψυχή ἐστιν, οὔτε νοῦς. Διαφέρει ταῦτα ἀλλήλων, ὡς ἐν τοῖς ἀνωτέρω δεδήλωται, φαντασία, δόξα, λόγος, νόησις, ἃ κατὰ [38] τὸν νοῦν θεωρεῖται.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[33] ταῦτα δέ. [34] δυνάμεις. [35] ἐπὶ τῆς. [36] ἐκ τοῦ ἐναντίου. [37] μήτε νοεῖσθαι. [38] περί.

Digitized by Google

Προσεπινοητέον δὲ τὸ κατὰ τὸν ἡμέτερον λόγον μὴ ἔχειν λόγον· ὁμοίως καὶ νόησιν κατὰ τὴν ἐν τοῖς νοεροῖς κτίσμασι· καὶ τὰ ἑξῆς δὲ οὕτως ἐκδέχεσθαι χρή. *Ἄλλως*· Καὶ ἐπὶ τούτων ὁμοίως τὸ ὡς ἡμᾶς εἰδέναι θετέον· τῶν μετ' αὐτὴν δὲ, δηλαδὴ τὴν θείαν φύσιν, τουτέστι τῶν κτισμάτων τὰς θέσεις ποιεῖσθαι φησὶν ἐν τῷ λέγειν ζωὴν ἢ φῶς κατὰ τὰ ἐν τοῖς γεννητοῖς θεωρούμενα, ἐξ ὧν τὸν ταῦτα ὑποστήσαντα ἐννοοῦμεν, καὶ οὐ τῆς αὐτοῦ φύσεως διὰ τούτων θέσιν τινὰ εἰσάγομεν· καὶ πάλιν ἀφαίρεσιν ποιοῦμεν τῷ κατὰ μηδὲν τούτων εἶναι λέγειν τὸ θεῖον. A

Οὐδὲ ἕν, οὐδὲ ἑνότης. Διαφέρουσιν ἀλλήλων *ἕν* καὶ *ἑνότης*· τὸ μὲν γὰρ δηλοῖ τὸ ὑπερκείμενον, τὸ δὲ τὴν τοιαύτην ποιότητα, ὥσπερ λευκὸν καὶ λευκότης, ἀγαθὸν καὶ ἀγαθότης. Σημείωσαι δὲ ὅτι οὔτε ἡ θεότης οὐσία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, ὥσπερ οὐδὲ ἕν τι τῶν εἰρημένων, οὐδὲ τῶν ἐναντίων αὐτοῖς· διὸ οὐδὲν αὐτῶν ἐστιν. Οὐ γὰρ ἐστι ταῦτα οὐσία αὐτοῦ, ἀλλὰ δόξα περὶ αὐτόν. Οὕτω καὶ Σέξτος ὁ ἐκκλησιαστικὸς φιλόσοφος εἶπε, καὶ ὁ θεολόγος Γρηγόριος ἐν τῷ τρίτῳ τῶν *θεολογικῶν* αὐτοῦ, ὡς οὔτε [ἡ] θεότης, οὔτε τὸ ἀγέννητον, οὔτε ἡ πατρότης οὐσίαν σημαίνουσι Θεοῦ. B

Οὐδὲ θεότης, ἢ ἀγαθότης. Σημείωσαι δὲ καὶ ὅτι οὐδὲ Πνεῦμά ἐστιν, ὡς ἡμᾶς εἰδέναι, οὔτε υἱότης, οὔτε πατρότης. Καὶ τὸ *ὡς ἡμᾶς εἰδέναι* ἐπὶ πάσης τῆς ἐν τοῖς προκειμένοις ἀποφάσεως λαβέ· δηλοῖ δὲ τὸ *κατὰ τὴν ἡμετέραν εἴδησιν.*

Οὐδὲ τὰ ὄντα γινώσκει. Μή σε ταρασσέτω τὸ κεφάλαιον τοῦτο καὶ νομίσῃς βλασφημεῖν τὸν θεῖον τοῦτον ἄνδρα· σκοπὸς γὰρ αὐτῷ δεῖξαι τὸν Θεὸν μηδὲν τῶν ὄντων ὄντα, ἀλλ' ὑπὲρ τὰ ὄντα· εἰ γὰρ τὰ πάντα αὐτὸς δημιουργήσας παρήγαγε, πῶς ἔχει εὑρεθῆναι ἕν τι τῶν ὄντων; εἶπε γὰρ, ὅτι οὐδὲ τὰ ὄντα γινώσκει τὸν πάντων αἴτιον Θεόν· τοῦτο δὲ ἀπώλεια σαφὴς, τὸ μὴ γινώσκειν Θεόν· ἀλλὰ ταχέως αὐτὸ ἐσαφήνισεν, εἰπὼν ᾗ αὐτός ἐστι, τουτέστιν, οὐδὲν τῶν ὄντων γινώσκει Θεὸν, καθ' ὃ αὐτός ἐστιν, ἀντὶ τοῦ τὴν ἀνεννόητον καὶ ὑπερούσιον οὐσίαν αὐτοῦ, ἢ ὕπαρξιν καθ' ἣν ὑπάρχει· εἴρηται γάρ· *Οὐδεὶς γινώσκει τὸν Υἱὸν εἰ μὴ ὁ Πατὴρ, οὐδὲ τὸν Πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ Υἱός.* Καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἐπάγει ὁ μέγας Διονύσιος, καὶ φησιν, [καὶ ὅτι οὐδεὶς γινώσκει τὸν Θεὸν ᾗ ἐστιν,] οὐδὲ αὐτὸς ὁ Θεὸς γινώσκει τὰ ὄντα ᾗ ὄντα ἐστὶ, τουτέστιν οὐκ οἶδεν ἐπιβάλλειν τοῖς αἰσθητοῖς αἰσθητῶς, ἢ ταῖς οὐσίαις ὡς οὐσίαις· ἀνοίκειον γὰρ τοῦτο Θεῷ· οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ αἰσθητὰ ἢ διὰ θέας, ἢ γεύσεως, ἢ ἁφῆς νοοῦμεν τί εἰσί· τὰ δὲ νοητὰ ἀπὸ μαθήσεως, ἢ διδασκαλίας, ἢ ἐλλάμψεως καταλαμβάνομεν[39]. Ὁ δὲ Θεὸς οὐδὲ ἐξ ἑνὸς τρόπου τοιούτου οἶδε τὰ ὄντα, ἀλλὰ γνῶσιν ἔχει τὴν αὐτῷ πρέπουσαν· τοῦτο γὰρ αἰνίττεται τὸ ῥητὸν τὸ λέγον, *Ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν,* ὅπερ δηλοῖ ὅτι οὐ κατὰ τὸν λόγον τῆς γενέσεως τῶν C

considerantur. Porro mente supplendum est, non habere rationem secundum nostram rationem· similiter etiam intelligentiam secundum eam quæ est in creaturis mente præditis; et reliqua isto modo accipienda. *Aliter;* Et his similiter, ut nos sciamus, ponendum, eorum quæ eam scilicet divinam naturam sequuntur, id est creaturarum positiones fieri ait, cum dicitur vita aut lumen juxta illa quæ in generabilibus advertuntur, ex quibus eum qui hæc condidit intelligimus: non autem per hæc quamdam naturæ ejus positionem inducimus; rursusque detractionem facimus dicendo divinitatem in nullo horum esse.

Nec unum, nec unitas. Differunt inter se *unum* et *unitas;* illud enim significat subjectum, illa vero talem qualitatem, sicut album albedo, bonum et bonitas. Nota vero quod nec divinitas sit Dei essentia, sicut unum eorum quæ dicta sunt, nec aliquid illorum quæ ipsis contraria; quæ nullum eorum est. Ipsa enim non sunt ejus essentia, sed opinio circa ipsum. Sic etiam Sextus philosophus ecclesiasticus dixit, et Gregorius theologus, nec divinitatem nec ingenitum, nec paternitatem significare Dei essentiam.

Neque divinitas, neque bonitas. Nota eum nec esse Spiritum ut nos sciamus, nec rationem Filii, nec rationem Patris seu paternitatem, et τὸ ὡς ἡμᾶς εἰδέναι usurpat in omni præsenti negatione. Significat vero *secundum nostram scientiam.*

Neque quæ sunt cognoscit. **239** Non te perturbet hoc caput, et nec divinum hunc virum blasphemare putes; scopus enim ejus est ostendere Deum nihil esse eorum quæ sunt, sed superare; si enim ipse omnia creando produxerit, quomodo invenietur esse unum eorum quæ sunt? dixit enim, quod ea quæ sunt minime Deum omnium auctorem cognoscant; manifestus autem interitus, Deum non cognoscere: at mox seipsum declaravit cum dixit, quatenus est, id est nullum eorum quæ sunt Deum cognoscit quatenus est, pro, minime intelligibilem et essentia superiorem esse illius essentiam, vel exsistentiam qua exsistit: dicit enim Scriptura: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* [1·k]; atque a contrario addit magnus Dionysius, aitque [Nemo cognoscit Deum qua est], nec ipse Deus cognoscit ea quæ sunt quatenus sunt, id est, nescit intendere sensilibus modo sensibili, aut essentiis ut essentiis; illud enim Deo non convenit: nos quidem homines sensilium naturam aut visu, aut gustu, aut tactu intelligimus: at intelligibilia studio, aut instructione aut illustratione comprehendimus. Deus vero nullo horum modorum novit ea quæ sunt, sed habet cognitionem sibi accommodatam; hoc enim Scriptura insinuat cum dicit: *Qui novit omnia antequam*

[1·k] Matth. xi, 27.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[39] καταλαμβάνονται.

Digitized by Google

fierent [1], quod declarat Deum non cognoscere illa quæ sunt secundum rationem generationis eorum [hoc est sensibiliter], sed secundum alium cognitionis modum. Angeli quidem illa cognoscunt noscendi facultate et modo immateriali, non sicut nos sensibili; sic igitur etiam Deus absque comparatione et transcendentaliter, non autem essentiis incumbens novit ea quæ sunt. *Aliter :* Τὰ ὄντα seu creaturæ non possunt intellectionibus supra propriam naturam extendi : merito igitur seipsas inspicientes, divinam ignorant naturam, quatenus ipsa est. Sic igitur divina natura seipsam intuens, non novit in se illa quæ sunt secundum essentiæ illorum rationem; hoc enim declaravit cum dixit, quatenus sunt entia, quoniam superat omnia quæ sunt, et modo essentiam vincente exsistit, alioquin nullus dixerit Deum ignorare suas creaturas. *Ad idem.* Nullum nosse purissimam Trinitatem, quatenus est, pro, nihil est sicut illa, ut eam cognoscat, quemadmodum ipsa est; nos enim cognoscimus quidem quid sit humanitas, quoniam homines sumus; at exsistentiam purissimæ Trinitatis nescimus quid sit; non enim sumus ex **240** eadem essentia : sic neque Deus novit ea quæ sunt, quatenus sunt, quemadmodum nos; quia non est aliquod eorum quæ sunt, aut in ipsis. Etsi enim Deus sit spiritus, equidem sanctus Spiritus ita nominatur; sed non est spiritus nobis cognitus, aut angelis. Cur vero, cum superius dixisset, non est lumen, nec veritas, paulo post contrarium dicit, non est tenebræ neque lumen, nec error, nec veritas ? Posset itaque qui illum tuetur dicere, illum primo de lumine absoluto loqui, nec esse errorem, sicut in essentiis angelorum, et veritatem earum quæ per se absoluta et sine causa est veritas. Quæ autem sequuntur, nec eorum quæ ad aliquid nimirum ex tenebris mutatus in lumen, quasi ex lumine quod tantum est virtute, mutatus in esse lumen quod actu est lumen. Lumen et tenebræ sunt ex iis quæ inter se dependent, nec enim est caligo, nec lumen copiosum; sic neque a contrario, ex errore qui erat virtute veritas mutatus est in veritatem actualem. Hæc enim omnia sunt ipso posteriora, cum ab ipso providendi facultate processerint : nihil igitur est eorum quæ ab ipso.

A ὄντων οἶδεν αὐτὰ ὁ Θεὸς [ὅπερ ἐστὶν αἰσθητῶς, ἀλλὰ] καθ' ἕτερον γνώσεως τρόπον. Οἱ ἄγγελοι δὲ γνωστικῶς αὐτὰ καὶ ἀΰλως γινώσκουσιν, οὐχ ὡς ἡμεῖς αἰσθητῶς. Οὕτως οὖν καὶ ὁ Θεὸς ἀσυγκρίτως καὶ ὑπεραναβεβηκότως, οὐ μὴν ταῖς οὐσίαις ἐπιβάλλων οἶδε τὰ ὄντα. Ἄλλως· Τὰ ὄντα, ἤγουν τὰ κτίσματα ὑπὲρ τὴν ἑαυτῶν φύσιν ἐκτεθῆναι ταῖς νοήσεσιν οὐ δύναται· εἰκότως οὖν εἰς ἑαυτὰ βλέποντα ἀγνοεῖ τὴν θείαν φύσιν, καθ' ὃ αὐτή ἐστιν. Οὕτως οὖν καὶ ἡ θεία φύσις, [εἰς] ἑαυτὴν βλέπουσα, οὐκ οἶδεν ἐν ἑαυτῇ εἶναι τὰ ὄντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας [αὐτῶν] λόγον· τοῦτο γὰρ ἐδήλωσεν εἰπών, ᾗ ὄντα ἐστὶν, ἐπειδὴ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι κέκτηται ὑπερουσίως· ἑτέρως γὰρ οὐκ ἂν τις εἴποι ἀγνοεῖν τὸν Θεὸν τὰ ἑαυτοῦ κτίσματα. *Εἰς τὸ αὐτό.* Ὅτι οὐδεὶς γινώ- B σκει τὴν ἄχραντον Τριάδα, καθ' ὃ αὐτή ἐστιν, ἀντὶ τοῦ, οὐδὲν ἐστιν ὡς αὐτὴ, ἵνα καὶ γινώσκῃ αὐτὴν ὡς αὐτή ἐστιν· ἡμεῖς μὲν γὰρ γινώσκομεν τί ἐστιν ἀνθρωπότης, ἐπειδὴ ἄνθρωποί ἐσμεν· τὴν δὲ ὕπαρξιν τῆς ἀχράντου Τριάδος οὐκ ἴσμεν τί ἐστιν· οὐ γάρ ἐσμεν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς [40]· οὕτως οὐδὲ ὁ Θεὸς εἶδε τὰ ὄντα ᾗ ἐστὶ, καθὼς ἡμεῖς οὐ γάρ ἐστί τι τῶν ὄντων ἢ κατ' αὐτά· κἂν γὰρ αὐτὸς πνεῦμα ὁ Θεὸς, καὶ τὸ ἅγιον μέντοι Πνεῦμα οὕτως ὠνόμασται, ἀλλ' [οὐκ] ἔστι πνεῦμα γνώριμον ἡμῖν, ἢ ἀγγέλοις. Τί δὲ ἀνωτέρω εἰπὼν, οὐκ ἔστι φῶς, οὐδὲ ἀλήθεια, ὑποκαταβὰς πάλιν λέγει, οὐκ ἔστι σκότος, οὐδὲ φῶς, οὐδὲ πλάνη, οὐδὲ ἀλήθεια; Δυνατὸν οὖν ἐπιχειροῦντα εἰπεῖν, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον περὶ τοῦ ἀπολύτως C φωτὸς λέγει, οὐδὲ πλάνη ὡς ἐν οὐσίαις [41] τῶν ἀγγέλων, καὶ ἀλήθειαν τὴν αὐτοαπολελυμένως καὶ ἀναιτίως ἀλήθειαν· τὰ δὲ ἑφεξῆς, ὅτι οὔτε τῶν πρός τι, οἷον ἐκ σκότους μεταβάλλων φῶς, ὡσανεὶ ἐκ τοῦ δυνάμει φωτὸς εἰς τὸ ἐνεργείᾳ φῶς μεταβάλλων ἐκ τῶν σχετικῶν εἰς ἄλληλα φῶς καὶ σκότος· οὔτε γὰρ γνόφος ἐστὶν, οὔτε πολὺ φῶς, οὕτως οὔτε ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἐκ τοῦ κατὰ δύναμιν πλάνην εἶναι εἰς ἀλήθειαν ἐνεργείᾳ μετέβαλε· πάντα γὰρ ταῦτα, δεύτερα αὐτοῦ, ἐξ αὐτοῦ προνοητικῶς ἐκφοιτήσαντα. Οὐδὲν οὖν ἐστι τῶν ἐξ αὐτοῦ.

[1] Dan. XIII, 42.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[40] ἐξ αὐτῆς τῆς. [41] ὡς αἱ οὐσίαι.

Digitized by Google

ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΧΥΜΕΡΗ

ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ

ΕΙΣ ΤΑΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΑΣ

GEORGII PACHYMERÆ

PARAPHRASIS

IN EPISTOLAS SANCTI DIONYSII

Ex interpretatione Godefridi Tilmanni, Carthusiæ Parisiensis monachi, cum Græco exemplari rursus a Petro Lansselio collata.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ Α'.

Ἐπιδάλλω, φησί τις τῶν παλαιῶν (1), Γάϊον τοῦτον εἶναι, ᾧ τὴν τρίτην ἐπιστολὴν ἔγραψεν ὁ θειότατος ἀπόστολος καὶ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ὁ θεολόγος· τεκμαιρόμενος καὶ ἐκ τῶν ἄλλων οἷς συγγέγονε μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ θεῖος οὗτος ἀνήρ. Θεραπευτὰς δὲ τοὺς μοναχοὺς ἔλεγεν ἐν τῷ *Περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας* συντάγματι (2), εἰπὼν ἐκεῖ καὶ πῶς καθίστανται μὴ ὄντες κληρικοὶ, ἀλλ' ἀνώτεροι τοῦ λαοῦ. Τούτους δὲ ἔοικε θαυμάζειν Φίλων ὁ Ἰουδαῖος ἐν τῷ *Περὶ θεωρητικοῦ βίου ἢ οἰκετῶν* (3) συντάγματι, θεραπευτὰς αὐτοὺς καλῶν, καὶ τὴν δίαιταν αὐτῶν διηγούμενος· οὐ χεῖρον δὲ καὶ αὐτολεξεὶ τὰ τοῦ Φίλωνος θεῖναι (4). Φησὶ τοίνυν ἐν τῷ τοιούτῳ συντάγματι· « Πολλαχοῦ μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τὸ γένος· ἔδει γὰρ ἀγαθοῦ τελείου μετασχεῖν καὶ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον· πλεονάζει δὲ ἐν Αἰγύπτῳ καθ' ἕκαστον τῶν ἐπικαλουμένων νομῶν, καὶ μάλιστα περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν (5). Οἱ δὲ πανταχόθεν ἄριστοι, καθάπερ εἰς πατρίδα, θεραπευτῶν ἀποικίαν στέλλονται, πρός τι χωρίον ἐπιτηδειότατον, ὅπερ ἐστὶν ὑπὲρ λίμνης κείμενον Μαρείας ἐπὶ γεωλόφου ὑθαμαλωτέρου σφόδρα εὐκαίρως, ἀσφαλείας γε ἕνεκα καὶ ἀέρος εὐκρασίας. » Καὶ πάλιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου· « Ἐν ἑκάστῃ δὲ οἰκείᾳ ἔστιν οἴκημα ἱερὸν ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον· ἐν ᾧ μονούμενοι, τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται, μηδὲν εἰσκομίζοντες, μὴ σιτίον, μὴ ποτὸν, μηδ' ἕν τι τῶν ἄλλων ὅσα πρὸς τὰς τοῦ σώματος χρείας ἀναγκαῖα· ἀλλὰ νόμους καὶ λόγια θεσπισθέντα διὰ προφητῶν, καὶ ὕμνους, καὶ τἄλλα, οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναυξάνεται καὶ τελειοῦται. » Καὶ πάλιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου· « Τὸ δὲ ἐξ ἰωθινοῦ μέχρις ἑσπέρας διάστημα σύμπαν αὐτοῖς ἐστιν ἄσκησις· ἐντυγχάνοντες γὰρ ταῖς ἱεραῖς γράμμασι, φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλο-

241 IN EPISTOLAM I.

Equidem non levibus conjecturis mihi videor assecutus (ait unus quispiam antiquorum) hunc esse Caium, cui divinissimus apostolus evangelista Joannes, idemque theologus eximius, tertiam scripsit epistolam. Ex aliis sane quam multis cepit is conjecturam quibus colligitur admirabilem hunc virum usum esse familiari apostolorum congressu. Therapeutas autem docuit beatus Pater eos esse, qui et monachi, in eo opere, quod *De ecclesiastica hierarchia* scriptum reliquit. Illic abunde explicuit, quo pacto institui debeant, qui clerici non sunt, populo alioqui superiores. Qui istius vitæ institutum profitebantur, hos visus est Philo ille Judæus miraculi loco deprædicare in opere cui inscriptio est, *De vita theoretica*, hoc est contemplativa, sive de supplicibus; tales vocans therapeutas. Sed et vitæ istius monasticæ formulam pluribus explicat. Neque malum fuerit prorsus 242 ipsam dictionem Philonis loco præsenti intexere : enimvero eo in opere ad hunc scribit modum, in pluribusque orbis regionibus hoc genus monachorum reperire est. Oportebat sane boni istius sic perfecti fieri participem non Græciam solum, sed et reliquarum gentium barbariem. Abundat vero in Ægypto in singulis regionibus vocatis nomis, et maxime circa Alexandriam. Ut enim ubivis gentium quisque est optimus, in eam concurrit demigratve coloniam, perinde atque in patriam therapeutarum, nimirum in regionem magnopere accommodam et peropportunam; quæ quidem imminet stagno cui nomen Mariæ, in colle declivi ac humiliore sita, alioqui non importuno, cum securitatis gratia, tum ob commodam aeris temperiem. Rursus ex eodem opere : In unaquaque familia, ædes una consecrata est, quæ

Digitized by Google

istis σεμνεῖον dicitur, sive μοναστήριον, in qua soli ipsi a vulgo seorsum degentes, mysteria peragunt, quæ religiosam addecent ac cœlibem vitam. Nemo eo quidquam esculentum importat, vel poculentum, aut eorum aliquid quæ ad sublevandas corporis necessitates noscuntur pertinere; leges tantum, perque diviniloquos prophetas reddita oracula eo convehunt, hymnos, alia item pleraque, quibus eruditio, inque Deum pietas quotidianis incrementis coalescunt et perficiuntur. Rursus ex eodem opere : A matutino autem solis exortu ad usque vesperam, omnis ea intercapedo istis cedit in continentem Scripturarum meditationem. Cumque pertinaci studio sacras litteras legunt : fit, ut pulchre admodum philosophentur, pro more majorum philosophiam ad allegoriam transferentes. Quandoquidem litteras interpretationis conspicuæ, censent esse symbola seu signa arcanæ cujusdam et reconditioris naturæ conjecturis probabilibus explicandæ. Sed et commentaria habent priscorum, qui suæ sectæ primarii exstitere duces. Qui multa monimenta formulæ in eruendis allegoriis observandæ reliquerunt, quibus quasi primariis exemplaribus utentes imitantur propositi seu studii rationem. Idem post pauca : Itaque non uni solum contemplationi vacant, sed cantica hymnosque in Deum scribunt omnigena numerositate metrorum ac membrorum, decenti ea exornantes graphicoque charactere. Rursus idem : Temperantiam insuper perinde atque stabile quoddam fundamentum animæ exornandæ collocant in primis, mox cæterarum virtutum molem superexstruunt. Prius siquidem, quam sol occumbat, in his nemo ausit quidquam **243** vel esculenti vel potus ori admovere; quandoquidem meditationem philosophia dignam esse judicant, quæ luci comparetur ; contra corporis necessitates addicunt tenebris. Quo fit, ut philosophiæ quidem lucem diurnam, corporis vero necessitati sublevandæ exiguam admodum dispertiant noctis portionem. In his etiamnum nonnulli tertio vixdum die, sumendæ alimoniæ meminerunt, nimirum ii quos totos occupavit ardentius desiderium obtinendæ scientiæ. Quidam rursus tanta alacritate delibuti sic exhilarescunt, deliciantur verius quasi luculentissimo convivio ab ipsa accepto sapientia, opulenter ac citra invidiam sua dogmata suppeditante, ut dupla intercapedine temporis restitent, vix sexto demum die, per necessitatem assueti sumere cibum. Itemque : Sunt et feminæ quædam therapeutides, quarum pars multo melior defecta jam ætate incanuit; virgines etiamdum eæ perseverant, castimoniam virginalem intemerato pudore custodientes, non utique ut apud gentiles ædituæ quædam passim inveniuntur, adactæ necessitate verius, quam ultronea animi devotione. Nam admirabili zelo ac desiderio percipiendæ sapientiæ prægestientes, quam ut viris conviverent, nullam prorsus iniere rationem corporeæ voluptatis; ut quæ avidius expetiverint posteritatem sibi relinqui non quidem

A σοφίαν, ἀλληγοροῦντες, ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζουσιν ἀποκεκρυμμένης φύσεως ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης. Ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν ἀρχηγέται γενόμενοι, πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπολειπόμενοι, καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι, μιμοῦνται τῆς προαιρέσεως τὸν τρόπον.» Καὶ μετ' ὀλίγα (6) · « Ὥστε οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν ἀριθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράσσοντες.» Καὶ πάλιν · « Ἐγκράτειαν δὲ ὥσπερ τινὰ θεμέλιον προκαταβαλλόμενοι τῇ ψυχῇ, τὰς ἄλλας ἐποικοδομοῦσιν ἀρετάς. Σιτίον δὲ ἢ ποτὸν οὐδεὶς αὐτὰ προεινέγκατο πρὸ ἡλίου δύσεως · ἐπεὶ τὸ μὲν φιλοσοφεῖν ἄξιον φωτὸς

B κρίνουσιν εἶναι · σκότους δὲ τὰς τοῦ σώματος ἀνάγκας · ὅθεν τῷ μὲν ἡμέραν, ταῖς δὲ βραχύ τι μέρος νυκτὸς ἐνειμαν. Ἔνιοι δὲ καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ὑπομιμνήσκονται τροφῆς, οἷς πλείων ὁ πόθος ἐπιστήμης ἐνίδρυται · τινὲς δὲ οὕτως ἐνευφραίνονται καὶ τρυφῶσιν ὑπὸ σοφίας ἐστιώμενοι, πλουσίως καὶ ἀφθόνως τὰ δόγματα χορηγούσης, ὡς καὶ διπλασίονα χρόνον ἀντέχειν, καὶ μόλις δι' ἓξ ἡμερῶν ἀπογεύεσθαι τροφῆς ἀναγκαίας ἐθισθέντες.» Καὶ πάλιν · « Εἰσὶ δὲ καὶ γυναῖκες θεραπευτίδες, ὧν καὶ πλείσται γηραλέαι, παρθένοι τυγχάνουσι, τὴν ἁγνείαν οὐκ ἀνάγκῃ, καθάπερ ἔνιαι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱερειῶν, φυλάττουσαι μᾶλλον ἢ καθ' ἑκούσιον γνώμην διὰ ζῆλον καὶ πόθον σοφίας, ᾗ συμβιοῦν σπουδάζουσαι, τῶν περὶ

C τὸ σῶμα δεινῶν ἠλόγησαν, οὐ θνητῶν ἐκγόνων, ἀλλ' ἀθανάτων ὀρεχθεῖσαι, ἃ μόνη τίκτειν ἀφ' ἑαυτῆς οἷα τέ ἐστιν ἡ θεοφιλὴς ψυχή.» Καὶ πάλιν · « Αἱ δὲ ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων γίνονται αὐτοῖς δι' ὑπονοιῶν ἐν ἀλληγορίαις · ἅπασα γὰρ ἡ νομοθεσία δοκεῖ τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐοικέναι ζώῳ · καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς διατάξεις · ψυχὴ δὲ τὸν ἐναποκείμενον ταῖς διαλέξεσιν ἀόρατον νοῦν, ὃν ἤρξατο διαφερόντως τῇ οἰκείᾳ αὐγῇ θεωρεῖν, ὡς διὰ κατόπτρου τῶν ὀνομάτων ἐξαίσια κάλλη ἐμφαινόμενα κατιδοῦσα.» Ἀλλὰ ταῦτα μὲν τὰ τοῦ Φίλωνος, ἃ δὴ περὶ θερα-

D πευτῶν ἔγραψεν, ὧν εἷς ἐστι καὶ Γάϊος, πρὸς ὃν ἐπιστέλλει ὁ ἅγιος, λέγων ὅτι Ἐφ' ἡμῖν μέν, ἐπεὶ τὸ σκότος στέρησίς ἐστι, τὸ δὲ φῶς ἕξις, οὐ γίνεται ἀφανὲς τὸ φῶς τῷ σκότει, ἀλλὰ τὸ σκότος τῷ φωτί · ἀπουσία γὰρ τοῦ φωτὸς τὸ σκότος ἐστίν · οὐ μὴν ἀπουσία τοῦ σκότους τὸ φῶς. Τοῦτο λάβε καὶ ἐπὶ τῆς γνώσεως · ἡ γὰρ γνῶσις, ἕξις · ἡ δὲ ἀγνωσία, στέρησις γνώσεως. Καὶ ἐπεὶ ἡ ἀπουσία τῆς γνώσεως παρυφίσταται, τὴν ἀγνωσίαν ποιεῖ, ὡς τὸ σκότος ἡ τοῦ φωτὸς ὑποχώρησις · πάντως καὶ ἡ παρουσία τῆς γνώσεως διαλύει τὴν ἀγνωσίαν · καὶ ὅσῳ μᾶλλον πλέον τὸ φῶς, τοσούτῳ τὸ σκότος ἀφανίζεται · καὶ ὅσον πλείους αἱ γνώσεις, τοσοῦτον ἡ ἀγνωσία ἀφανίζεται. Καὶ ὅρα, ὅτι πολλὰ φῶτα οὐκ εἶπε, πολὺ δὲ φῶς · ἓν γὰρ τὸ φῶς, εἴτε ἀνιέμενον εἴτε ἐκτεινόμενον. Καὶ πάλιν, πολλὴν μὲν γνῶσιν οὐκ εἶπε, πολλὰς δὲ γνώσεις εἶπεν · ἐπειδὴ γὰρ ἡ γνῶσις γνωστῶν γνῶσις, τὰ δὲ γνωστὰ πολλὰ καὶ ἄπειρα, ἄρα καὶ αἱ γνώσεις πολλαὶ καὶ ἄπειροι. Πολλὴν δὲ γνῶσιν οὐκ

Digitized by Google

εἶπεν, ἐπειδὴ μεσότης ἐστὶν ἡ γνῶσις, καὶ παρ' ἑκάτερα ἔχει ὡς κακίας τὴν ἄνεσιν καὶ τὴν ἐπίτασιν (7)· ἔνθεν μὲν τὴν ἄγνοιαν, ἐκεῖθεν δὲ τὴν περίνοιαν, ἣ δὴ καὶ πολλὴ γνῶσις λέγοιτ' ἄν (8). Ὡς γοῦν αἱ πολλαὶ γνώσεις ὡς μεσότητες τὴν φρόνησιν συνιστῶσιν, οὕτως αἱ πολλαὶ ἄγνοιαι τὴν μωρίαν, καὶ αἱ πολλαὶ περίνοιαι τὴν πονηρίαν (9). Μὴ τοῦτο γοῦν, φησὶ, κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ὑπολάβῃς, ὅτι, ὥσπερ τὸ σκότος λύεται φωτὶ, καὶ μάλιστα πολλῷ· ἢ ὥσπερ ἡ ἀγνωσία, ἥτις καὶ αὐτὴ σκότος ἐστὶ, παύεται, γνώσεων καὶ μάλιστα πολλῶν ἐπιγενομένων· οὕτω καὶ ἡ κατὰ Θεὸν ἀγνωσία ἔοικε τῇ κατὰ ἀμαθίαν ἀγνωσίᾳ, ὡς ἔφημεν. Ἀλλ' ὅσῳ φωτίζεταί τις παρὰ Θεοῦ, καὶ ὅσῳ τις συνάγει γνῶσιν τῶν ὄντων, τουτέστι τὴν περὶ τῶν ὄντων καὶ νοερῶν, τοσούτῳ μᾶλλον ἀναβαίνων περὶ τὴν γνῶσιν τὴν περὶ Θεὸν, γνώσεται τὴν ἀκαταληψίαν, ἤτοι ἀγνωσίαν τὴν περὶ Θεὸν, φῶς εἶναι καὶ γνῶσιν ὑπὲρ πάντα τὰ γνωσθέντα· καὶ λοιπὸν σιγῇ τιμᾷ τὴν περὶ Θεὸν ἀφασίαν. Οὐκοῦν οὐ κατὰ στέρησιν γνώσεως λέγεται ἡ περὶ Θεοῦ ἀγνωσία, ἀλλὰ καθ' ὑπεροχὴν πάσης γνώσεως, ὅτι ἔγνω τις τὸ πᾶσι καὶ ἑαυτῷ ἄγνωστόν τε καὶ ἀκατάληπτον. Ταῦτα καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ κεφαλαίῳ τοῦ *Περὶ θείων ὀνομάτων* εἴρηται.

A morti obnoxiam, sed immortalem, quam sola ex se edere novit anima, quæ se gratiosam reddidit Deo, atque amabilem. Idem rursus : Proinde ab iis in sacras litteras commentationes eduntur figurativis allegoriis adopertæ. Universa siquidem sanctio legis non absimilis esse istis censetur cuipiam animali, quod corporis vice habeat sanctiones positæ legis; animam autem interpretantur invisibilem sensum, sub involucro dictionum sive litteræ introrsus delitescentem, quem ubi primum cœpit generose eminenterque contemplari familiari quadam et sibi cognata luce; perinde est, ac si perspiciat eximiam ipsam sententiarum pulchritudinem sese per nominum veluti speculum repræsentantem. Et hæ quidem ex Philone, quæ de therapeutis scripto prodidit, in B quibus unus hic Caius numeratur ad quem epistolam præsentem transmittit sanctus, dicens.: Quando secundum nos, tenebræ ipsæ privatio quædam est; contra, lux, habitus : consequens est lucem ipsam non evanescere tenebrarum adventu, imo infusione lucis ipsæ disparent tenebræ : siquidem absentia lucis sese circumfundunt tenebræ; non item per absentiam tenebrarum succedit lux. Idem **244** prorsus tibi intelligendum de ignorantia et scientia vel cognitione. Cognitio enim habitus est, privatio autem cognitionis ignorantia. Jam quando absentia cognitionis ipsam quadantenus ignorationem repræsentat, sicut et ipsæ tenebræ secessio lucis est ; sequitur omnino præsentia cognitionis dissolvi ignorantiam ; quantoque se copiosius lux effundit, tanto pessum eunt magis tenebræ et exinaniuntur. Similem in modum, quo uberior adest seges cognitionum, hoc magis exinanitur ignoratio. Jam mihi vide, quia non multas dixit luces, sed multam lucem; una siquidem lux, sive se illa remiserit, sive se intenderit fusius. Contra, non multam cognitionem, sed multas dixit cognitiones. Nam quando cognitio est eorum quæ vi cognoscitiva apprehenduntur, ejusmodi autem sic multa sunt, ut nullo queant circumscribi fine : consequens fuerit multas esse cognitiones, imo infinitas. Ad hæc, neutiquam dixit multam cognitionem, quod cognitio mediocritas quædam sit, et utrimque habeat tanquam vitia remissionem et intensionem. Et hinc quidem ignorantiam, illinc vero dispescimus curiositatem sciendi, quæ multa utique cognitio dici possit. Ut igitur multæ cognitiones quasi mediocritates unam constituunt prudentiam, sic complures ignorantiæ stultitiam pariunt unam, et multæ curiositates vafriciem. Quod igitur præsenti loco inducit Pater, provide, ne juxta communem intelligentiam acceperis dictum. Quemadmodum enim tenebræ infusione lucis dissolvuntur, idque maxime, si quamplurimum lucis emicuerit : aut, sicut ignorantia (quæ et ipsa tenebris assimilis est) desinit esse adventu cognitionum, præsertim si cumulate ingruerint : ad eum modum quæ secundum Deum est ignoratio, ei videtur non dissimilis, ut jam dictum nobis est, quæ per imperitiam atque ruditatem dici solet ignorantia. Cæterum quanto quis a Deo illustratur copiosius, uberioremque sibi conciliat eorum quæ sunt cognitionem : de his nimirum quæ subsistunt, quæve intellectu percipiuntur : is quo sublimius ad scientiam ascendit eorum quæ ad Dei cognitionem provehunt : tanto perspicacius intelliget majestatem Dei nulli comprehensibilem esse creaturæ. Idem rursus eam ignorationem, quæ ad perfectiones de Deo dictas refertur, verissime esse lumen percipiet, cognitionemque cætera cognoscibilia transcendentem. Denique hanc suam de Dei perfectionibus ineloquentiam secum tacitus honore præcipuo dignam ducit. Nullatenus igitur ejusmodi de Deo ignorantia intelligenda est hic dici, quod privatoria sit cognitionis; magis vero propter eximiam atque exsuperantem prærogativam totius scientiæ, qua quis nosse promeruit id, quod omnibus sibique incognitum manet et incomprehensibile. Et hæc quidem capite secundo *Divinorum nominum* explicata sunt.

Ταῦτα τοίνυν, τὸ σκότος φημὶ καὶ τὴν ἀγνωσίαν, ὑπερφυῶς; ἀλλὰ μὴ μετὰ στέρησιν ἐκλαβὼν, ὅτε περὶ Θεοῦ ἐκλαμβάνεις ταῦτα, ἀπόφησον ὑπεραληθῶς, δηλονότι εἰπὲ τρανῶς. Ἐπειδὴ γὰρ ταῦτα καὶ ὑπὲρ ὃ ἐνταῦθά εἰσι, νοοῦνται ἐκεῖσε· καὶ ὁ περὶ τούτων λόγος οὐχ ἁπλῶς ἀληθινὸς λόγος ἔσται, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τοῦτο τὸ ἀληθινὸν μιμουμένου τοῦ λόγου τὸ τῶν πραγμάτων ὑπεροχικόν· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ *ὑπερα-*

C **245** Hæc igitur, tenebras dico et ignorationem supereminenter cum intellexeris, non item privatorie de Deo dici: ἀπόφησον ὑπεραληθῶς, id est enuntia verissime, dic scilicet τρανῶς, hoc est lilucide, perspicue. Nam quando hæc, supra etiamnum quam hic sunt, intelliguntur se illic verissimo habere; quique de his sermo est, non utcunque verus sit sermo; quin præter hoc, veritatem quan-

Digitized by Google

tamcunque nostri imitatitii sermonis ipsa præcellit rerum magnitudo. Hoc etenim insinuat ἀπόφησον ὑπεραληθῶς. Quanto enim quis sortitus est ampliorem rerum notitiam, lucemque effusiorem (ait) intelligentiam videlicet veritatis, is tanto perspicacius intelliget ignotiora esse, quæ de Deo dicuntur. Non enim vel lumine quopiam, vel cognitione ea elucescunt, quin eorum potius fugiunt cognitionem, qui talium qualemcunque notitiam indepti sunt. Ipsa quoque quantalibet promotio et incrementum in his, lumine dico et cognitione, divinam majestatem perspicue declarant invisibilem esse, et nulli creaturæ usquequaque cognobilem. Neque enim exinaniuntur ejusmodi tenebræ in tam multa luce istius (quæ circa numen est) veritatis, verum undecunque luce ipsa operiuntur; atque hinc scitur verius, quia tenebræ sunt, quando omnem de Deo cognitionem obumbrant. Ubi igitur primum concurrerint eæ, quæ de intelligentiis habentur, notitiæ, non continuo aufugit ignorantia, sed permanet arcana prorsus, omnemque effugiens cognitionem, nusquam secedens, sed restitans, ac evincens omnium cognitionem, aliud omnino nihil pro comperto habentem, quam quod supereminenter id manet incognitum, quod inquiritur maxime. Idcirco qui Deum vidisse, et quod vidit, intellexisse prædicatur, non utique ipsum hic vidit Deum (*Deum enim nemo vidit unquam* [m]), sed eorum quidpiam, quæ circa ipsum sunt, aptave apprehendi ductu naturæ; quando iis tum demum contingit, qui per se sinceram mentis expurgationem præstiterunt dignos. Ipse vero supra omnem mentem, omnemque substantiam eminentissime residens, eo quidem astruitur nullo pacto sciri posse, quod mentem creatam transcendere intelligatur. Rursus qua universis quæ sunt, supereminet, hinc esse omnino negatur. Commune siquidem rebus creatis est, et iis quæ ad substantiæ participium venerunt, ut sint; Deus autem omnem conditam essentiam transcendit; propterea est quidem Deus, sed eminentissimo genere essentiæ. Hæc sane ignoratio juxta præstantiorem acceptionem, **246** omni ex parte absoluta et perfecta dicitur. Quanto enim sustollitur quis ad Dei contemplationem, tanto propius is occurrit isti præstantissimæ ignorationi. Si quidem talis ignoratio neutiquam privatio cognitionis est, magis vero cognitio est præcellentis cujusdam prærogativæ, ipsum Deum (quatenus attingi potest) apprehendens, qua intelligit ipsum cunctis eminere, quæ in cognitionem cadunt.

A ληθῶς ἀπόφησον· ἐπειδὴ ὅσον τις ἔχει, φησὶ, τῶν ὄντων τὴν γνῶσιν, καὶ τὸ ὂν φῶς, τοῦτ' ἔστι τῆς ἀληθείας τὴν νόησιν, τοσοῦτον τὰ περὶ τοῦ Θεοῦ ὄφεται ἄγνωστα· οὐ γὰρ τῷ φωτὶ ἢ τῇ γνώσει φανεροῦνται, ἀλλὰ μᾶλλον τοὺς ταῦτα ἔχοντας λανθάνει, καὶ ἡ ἐν τούτοις ἐπίδοσίς τε καὶ αὔξησις, τῷ φωτὶ φημι καὶ τῇ γνώσει, τὸ θεῖον δεικνύει ἀθέατόν τε καὶ ἄγνωστον. Οὐδὲ γὰρ ἀφανὲς γίνεται τὸ τοιοῦτον σκότος ἐν τῷ πολλῷ φωτὶ τῆς περὶ τοῦτο ἀληθείας· ἀλλὰ περικαλύπτεται, καὶ μᾶλλον γινώσκεται, ὅτι σκότος, καὶ ἀποκρύπτεται πᾶσαν γνῶσιν· ὥστε, ὅταν συνέλθωσιν αἱ περὶ τῶν νοερῶν γνώσεις, οὐκ ἀποδιδράσκει ἡ ἀγνωσία, ἀλλὰ μένει ἀποκρυπτομένη καὶ διαφεύγουσα πᾶσαν γνῶσιν· οὐχ ὑποχωροῦσα, ἀλλ' οὖσα καὶ μένουσα, καὶ νικῶσα τὰς γνώσεις, οὐδὲν ἄλλο καταB λαμβανούσας· ἢ ὅτι ὑπεροχικῶς ἄγνωστόν ἐστι τὸ ζητούμενον. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Θεὸν θεασάμενος, καὶ νοήσας ὃ εἶδεν, αὐτὸν μὲν οὐχ ἑώρακε (*Θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε*)· ἀλλά τι τῶν περὶ αὐτὸν ὄντων καὶ πεφυκότων καταλαμβάνεσθαι, καὶ τότε τοῖς ἀξίοις διὰ καθάρσεως γινομένοις. Αὐτὸς δὲ ὑπὲρ πάντα νοῦν, καὶ πᾶσαν οὐσίαν ὑπεριδρυμένος, ἐν αὐτῷ μὲν τῷ μὴ καθόλου γινώσκεσθαι, ὑπὲρ νοῦν γινώσκεται, ὅτι ὑπὲρ πάντα ἐστίν· ἐν δὲ τῷ μὴ εἶναι καθόλου πάλιν· τὸ γὰρ εἶναι τῶν κτιστῶν ἐστι καὶ τῶν ἐλθόντων εἰς ὕπαρξιν. Ὁ δὲ Θεὸς καὶ ὑπὲρ τὸ εἶναι· διὰ τοῦτο, ἔστι μὲν, ἀλλ' ὑπερουσίως, καὶ ἡ κατὰ τὸ κρεῖττον παντελὴς ἀγνωσία. Ὅσῳ γὰρ ἀνάγεταί τις, εἰς ἀγνωσίαν κρείττονα καταντᾷ· C αὕτη γοῦν ἡ ἀγνωσία οὐ στέρησίς ἐστι γνώσεως, ἀλλὰ γνῶσις ὑπερέχουσα καὶ καταλαμβάνουσα ὡς ἐφικτὸν τὸν Θεὸν, ὅτι ὑπὲρ πάντα ἐστὶ τὰ γινωσκόμενα.

IN EPISTOLAM II.

Et hæc multis adeo locis, excellenter quidem in opere Divinorum nominum exsecutus est, omnium maxime ipsa hæc interpretatus capite undecimo sub finem dicens: Quonam pacto, qui omnium est auctor, imo ipsa bonitas, ipsa deitas, idem esse possit subsistens causa bonitatis atque deitatis, cum his etiam præemineat? Proinde arbitror in hunc modum legi debere: Rogasne qui fit ut Deus supra principium emineat et deitatis et bonitatis? Mox sciscitanti respondet: Siquidem intelliges deitatem ejusmodi donum esse, quod a Deo in nos derivatur, quo divinæ quadantenus efficimur consortes naturæ; nec tamen id quod ipse Deus est, assequimur. Hæc si expenderis tecum, quæ-

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ Β'.

Ταῦτα πολλάκις μὲν ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων* λόγῳ διαφόρως εἶπεν, ἐξαιρέτως δὲ αὐτὰ ἡρμήνευσεν D ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ κεφαλαίῳ (10) περὶ τὸ τέλος λέγων (11)· Πῶς ὁ πάντων αἴτιος καὶ ἀγαθότης καὶ θεότης, ὑποστάτης ἐστὶ καὶ ἀγαθότητος καὶ θεότητος (12), καὶ ὑπὲρ ταῦτά ἐστιν; Οὕτω δὲ ἀναγνωστέον· Ἐρωτᾷς, πῶς ὁ Θεὸς ὑπὲρ θεότητος ἀρχὴν καὶ ὑπὲρ ἀγαθότητος ἀρχήν ἐστιν; Εἶτα ἀποκρίνεται καί φησιν· Εἰ νοήσεις ὅτι ἡ θεότης αὐτὸ ἐκ Θεοῦ δῶρόν ἐστι καθὸ θεούμεθα, οὐ μὴν αὐτὸς ὁ Θεὸς (13), ἔξεις τὸ ζητούμενον. Οὐ γὰρ αὐτὴν φησι τὴν κατ' οὐσίαν θεότητα καὶ ἀγαθότητα, ὅ τί ποτέ ἐστι, λέγω (14), ἀλλὰ τὴν ἀγαθοποιὸν καὶ θεοποιὸν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ τοῦ ὄντως καὶ ἀγαθοῦ τοῦτο γὰρ ἡ ἀρχὴ

[m] Joan. I, 18.

Digitized by Google

καὶ αἰτία τοῦ θεοῦσθαι, καὶ ἀγαθύνεσθαι· καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον φησὶ λέγεσθαι ὑπὲρ θεαρχίαν καὶ ὑπὲρ ἀγαθαρχίαν, τὴν οὕτω δηλαδὴ νοουμένην (15). Εἰ γοῦν τὸ ἐκ Θεοῦ δῶρον ἀρχὴ γίνεται τοῦ θεοῦσθαι ἡμᾶς δηλονότι, πάσης ἀρχῆς αἴτιος καὶ ἀρχὴ ὁ Θεός· οὕτω δὲ καὶ τῆς λεγομένης θεότητος ἐπέκεινά ἐστιν. Ὁ μὲν γὰρ Θεὸς οὐ κατὰ σχέσιν, ὡς ἡμεῖς, κτᾶται τὸ ἀγαθὸν, ἀλλ' ἀσχέτως ἔχει (16)· καὶ οὐ κατὰ μετοχήν· ἡμεῖς δὲ σχετικῶς· ἡμεῖς γὰρ τρεπτοί, ἐκεῖνος δὲ ἄτρεπτος. Ἀμίμητον δὲ μίμημά φησι τοῦ Θεοῦ τὴν ἡμῶν ὡς ἐφικτὸν θέωσιν. Ἐπεὶ γὰρ οὐ καλῶς θεούμεθα, εἰ μὴ ἐν τῷ μιμεῖσθαι τὸ Θεῖον, διὰ τοῦτο μίμημα λέγεται (17)· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐφικνούμεθα πρὸς τὸ ἀρχέτυπον, οὐδ' ὀπωσοῦν, ἀμίμητον λέγεται· τοίνυν καὶ μίμησις μὲν καὶ σχέσις ἐστὶν, αὐτὰ τὰ πράγματα, ἡ θεότης καὶ ἡ ἀγαθότης (18)· μετέχοντες δὲ καὶ μιμούμενοι οἱ ἄγγελοι, καὶ τῶν ἀνθρώπων (19) περὶ οὓς ταῦτα ὁρῶνται. Τὸ δὲ Θεῖον (20) ἀμίμητόν ἐστι καὶ ἄσχετον (21)· ὅτι ὅσῳ τις πρὸς μίμησιν καὶ σχέσιν Θεοῦ προκόπτει (22), τοσούτῳ καταλαμβάνεται τὸ ἀνέφικτον τῆς μιμήσεως καὶ τῆς σχέσεως. Ὑπερέχον τοιγαροῦν τὸ Θεῖον τῶν μιμήσεων καὶ τῶν σχέσεων, δηλονότι τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀγαθότητος· ἀλλὰ καὶ αὐτῶν τῶν μιμουμένων καὶ μετεχόντων, τουτέστι τῶν κατὰ χάριν θεῶν τε καὶ ἀγαθῶν, εἰκότως (23) ὑπὲρ τὴν θεαρχίαν καὶ τὴν ἀγαθαρχίαν ἐστίν.

A stionis abs te propositæ obtinebis solutionem. Neque enim ipsam deitatem atque bonitatem hic intelligi debere significat secundum deitatis essentiam, etiamsi alicubi visus sit id voluisse dicere; sed munificam gratiam insinuat nos utique bonos simul et deos constituentem, ejus, inquam, gratiam, qui vere Deus vereque est bonus. Hoc enim donum et origo est et causa, quibus dii efficimur pariter et boni, et juxta hanc rationem ait dici supra principium divinitatis, et supra principium bonitatis, ista scilicet ratione conceptæ. Si igitur hoc a Deo promanans donum principium est nostræ deificationis, nimirum auctor idem est totius principii, imo principium ipse Deus; atque ita jam dictam deitatem asseritur transcendere. Neque enim Deus ipse eximiam illam bonitatem, quemadmodum nos, B secundum habitudinem sibi vindicat, sed sine habitudine seu qualitate habet, nec jure participii; nos contra, juxta habitudinem, siquidem vertibiles sumus, ille nulli obnoxius vicariæ mutationi. Inimitabilem insinuat Dei imitationem, nostram ipsorum esse deificationem, quatenus eam assequi datur, quandoquidem enim non bene dii efficiamur, nisi numen divinum imitando, ideo 247 imitatio dicitur. Cum autem ad primarium illud divinitatis exemplar ne ulla quidem ex parte pertingimus, jure nobis inimitabilis astruitur. Ipsæ igitur res deitas et bonitas (nostræ) sunt imitatio et habitus seu gratia, circa quos talia conspiciuntur; participantes vero et imitantes angeli, et ii hominum circa quos talia conspiciuntur; divina vero natura est inimitabilis et habitibus carens. Nam quanto quis ad qualemcunque imitationem, atque ad (effictam Dei) qualitatem promoverit: tanto intelliget is verius nulla vel imitatione vel habitudine, numinis majestatem attingi posse. Unde fit, ut omnimodam imitationem atque apprehensionem numen illud longe exsuperet, sua nimirum deitate simul et bonitate: imo omnes omnium imitantium participantiumque vires in immensum transcendit; eorum videlicet, qui gratuito Dei munere dii, bonique appellantur. Jure igitur supra deitatis et bonitatis principium est.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ Γ'.

Τὴν τοῦ προφήτου Μαλαχίου ῥῆσιν ἐν τούτοις βούλεται διδάξαι, λέγοντος· *Ἐξαίφνης ἥξει εἰς τὸν ναὸν αὐτοῦ Κύριος, ὃν ὑμεῖς ζητεῖτε· καὶ ὁ ἄγγελος τῆς διαθήκης, ὃν ὑμεῖς ἐπιποθεῖτε.* Οἶμαι δὲ τὸ ῥητὸν τοῦτο παρὰ Γαΐῳ ἐρωτᾶσθαι, τὸ γοῦν παρ' ἐλπίδα, καὶ τοῦ τέως ἀφανοῦς εἰς τὸ ἐμφανὲς ἐξαγόμενον, *ἐξαίφνης* ἐστὶν, ὡς τὸ, *Ἐξαίφνης γέγονεν ἡ ἀστραπή*. Ἀοιπὸν καὶ ἐπὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Θεοῦ Λόγου, ἣν δὴ καὶ φιλανθρωπίαν καλεῖ, τοῦτο δηλοῖ τὸ *ἐξαίφνης*. Τί γὰρ ἀφανέστερον Θεοῦ; τὸ γοῦν *ἐκ τοῦ κρυφίου* τῆς θεότητος· τὸ κρύφιος γὰρ πολλάκις ἀντὶ τοῦ Θεὸς εἴληφε· κρυφιότητα, τὴν θεότητα· κρύφιος γοῦν καὶ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ Θεὸς, ὡς ἀόρατος, εἴρηται (24). Τὸ γοῦν ἐπὶ τοῦ κρυφίου τῆς θεότητος τὸν ὑπερούσιον εἰς τὸ καθ' ἡμᾶς οὐσιωθέντα φανῆναι· τοῦτό ἐστι τὸ ἐξαίφνης. Τί δὲ, διὰ τοῦτο, διὸ καὶ ἐξεφάνη, ἤδη τὸ κρύφιον ἀπεβάλετο; οὐδαμῶς· ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν σάρκωσιν κρύφιός ἐστιν· ὁ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς Θεὸς τέλειος, καὶ ἄνθρωπος τέλειος. Καὶ ὅρα κατὰ Νεστοριανῶν· μᾶλλον δὲ, ἵνα τὸ θειότερον εἴπω· τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ

IN EPISTOLAM III.

Dictio *repente*, quid in his Malachiæ prophetæ verbis significet, docere vult Pater: *Repente veniet ad templum suum Dominus, quem vos quæritis: et angelus testamenti, quem vos desideratis*[a]. Equidem arbitror sententiam hanc ab ipso Caio in quæstionem primum positam. Ἐξαίφνης igitur rem indicat insperato emicantem, et quasi e latebris in apertam lucem sese inopine repenteque proferentem: ut illud est, ἐξαίφνης γέγονεν ἡ ἀστραπή, id est, repente facta est coruscatio. Denique de humana carne a Deo Verbo assumpta, quam vocat Pater φιλανθρωπίαν, hoc etiamnum dictum esse declarat dictio, ἐξαίφνης. Nam quid, quæso, usquam est Deo occultius? Illud igitur ἐκ τοῦ κρυφίου, id est D ex occulto, divinitatis indicat arcanum. Κρύφιος enim, *occultus*, plerumque sumitur Patri pro nomine Θεός, id est *Deus*, et per κρυφιότητα divinitatem ipsam solet exprimere. Itaque κρύφιος pro Deo hic ponitur: quemadmodum ἀόρατος, *invisibilis*, dictus est. Sed et illud, ex occulto scilicet divinitatis, quod supersubstantialis ille Deus conspicuum se

[a] Mal. III,

Digitized by Google

exhibuerit trabea nostræ carnis amictus : hoc ipsum indicat ἐξαίφνης, id est *inopine*, *improvise*, *repente*. Quid tandem? Hacne gratia aut ideo augustissima Dei majestas prius in secretissimo secessu delitescens, repente inclaruit orbi, seque vel vulgo visendam dejecit? Nullo modo. Quin post susceptionem carnis perseverat etiamnum occultus. Siquidem Jesus Christus perfectus Deus, perfectus idem **248** et homo est. Mihi vide, ut adversus Nestorianos jam tum congrediebatur. Magis vero, ut quiddam divinius pronuntiem; hoc enim admirabilius est, quod in hac sua perquam illustri manifestatione, in eo ipso quod apparuit, arcanum retinet. Dominus enim noster Jesus Christus in ipsa assumptæ carnis nostræ revelatione, incognitum servat sacramentum dispensatoriæ istius incarnationis. Quis enim intellexit omnium, quo pacto sese Deus attemperarit carni? unde fit ut hoc dum dicitur, ineffabile : dum intelligitur, manet incognitum.

solum, sed et quæ proprie nostra est Christianorum mysteriorum sacra institutio sanctis illis indiguit symbolicis signis. Neque id admirabile : quandoquidem angeli ipsi per ænigmata ad divinorum mysteriorum cognitionem provehunt nos et perducunt. Et ipse quidem Dominus in parabolis quasi signis quibusdam, dum divina tractaret, hoc ipsum secutus videtur. Hoc nimirum theologiæ genus luculenter expressit, dum in cœna mysteria traderet divinæ operationis vi prædita, aut quæ sui participes deos quadantenus efficerent; sive ea quæ ab ipso Domino Jesu Christo et Deo nostro gesta sunt per typicæ illius mensæ apparatum. Proinde τραπέζωσιν vocat eum, qui tunc discipulorum fuit, ad mensam illam sacram discubitum simul, et quæ nunc temporis conficiuntur, in mensa divina **282** sacrosancta mysteria per panis sacri atque calicis benedictionem. Duplici quidem ratione ita hæc sacramenta conficiuntur. Una est, ut sancta hæc a vulgaribus hominibus distinguantur ac separentur, qui nequeunt pertingere ad ea quæ consideranda proponuntur, quorum scilicet vulgarium gratia, signa ejusmodi figurativa sunt. Altera est quando vita hæc nostra ab anima pendet simul et corpore: et quidem parte una individuam atque incorpoream animæ naturam; hoc autem quod distinctæ sit ac multimembris naturæ corpus, atque hinc factum, ut divini istius sacramenti confectio sub duplici materia dispensaretur, pro qualicunque virium nostrarum proportione, Domino nos interim erudiente arcano suo afflatu. Jam animæ impassibilitas, vis nempe ipsius intellectilis : non quod omnino sit expers patiendi, sed quia externarum passionum nullæ se offerant causæ quemadmodum hoc corpus innumeris obnoxium incommodis, quorum nullum prorsus cogitur anima sustinere, nisi ultronea propriave voluntate eo deflexerit. Hæc igitur animæ circa passiones inflexibilitas ad spectandas species, quæ intellectu solo comprehenduntur, sejuncta est et disparata : quas quidem visiones simplices esse et intimas astruit, quasi arcanas maxime et introrsus delitescentes. Cæterum passiva, quæ extra se fiunt, admittit sibi cognata hæc involucra figurarum. Liquet hoc ex eo, quod prophetarum nonnulli perspicuæ, hoc est nudæ nec ullis tectoriis adumbratæ theologiæ auditores fuisse referuntur : ut est quia Dominus se visendum exhibuit ipsi Abraham, sive etiam Moysi. Et dixit hoc et hoc. Et factus est sermo Domini ad hunc prophetam. Et hi quidem in seipsis unam aliquam affingunt imaginem tali visioni, puta contemplationem congruam pietati, quæ divinæ naturæ utrobique servata temperie conveniat. Quo enim pacto alias quis possit manuduci ad præscriptæ theologiæ intelligentiam? Ipsæ etiamnum creaturæ præponuntur, et quasi præjacent invisibilibus et intelligibilibus. Idque non solus astruit admirabilis ille apostolus Paulus dicens : *Quia invisibilia ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*[m]! sed et Verbum verax, ipse Dominus noster Jesus Christus quando dicit : *Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo si cœlestia dixero vobis credetis*[n]? Idcirco eximii illi prophetæ partim quidem in civilis ac legibus institutæ vitæ morem sua contemplantur oracula, ut cum dicit Isaias[o]: *Venite* **283** *et disceptemus, dicit Dominus.* Nam et hoc ad civilis vitæ legumque rationem pertinet. Alicubi purgative, ut cum admonent : *Sitientes, venite ad aquam*[p]; et : *Lavamini, mundi estote*[q]; et : *Accedite ad eum, et illuminamini*[r]. Hæc enim doctrinam respiciunt simul et expiationem. Illa igitur, quæ politica sunt, et legum formulam præferunt, rationem obtinent signorum; sunt enim crassiora nobisque manifesta omnibus. Quæ vero purgatoria, rationem continent nudæ illius signo-

A τὰ σάββατα, καὶ τὰς νουμηνίας νομοθετήσας, ὕστερον λέγει διὰ τοῦ Ἡσαΐου· *Τίς γὰρ ταῦτα ἐξεζήτησεν ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν*, εἰ μὴ φανερῶς μὲν λέγονται, ἀφανῶς δὲ νοοῦνται; καὶ τὸ προσῆκον ἢ τοῖς πράγμασιν ἁ, κρυφιωδέστερα ὄντα, οὕτως ἐκφαίνονται, ἵνα μὴ τοῖς πολλοῖς βεβηλωθῶσιν, ἢ τοῖς ἡμετέροις νοῖς καὶ ψυχαῖς, δηλονότι κατὰ τὴν τῶν ὑποδεχομένων δύναμιν· ἄλλως γὰρ νομοθετοῦνται οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἄλλως οἱ κατὰ Χριστὸν ἡμεῖς, τὴν αὐτὴν νομοθεσίαν· ἐκεῖνοι μὲν ἐν γράμματι, ἡμεῖς δὲ ἐν πνεύματι· οὐ γὰρ ἁπλῶς ἱστορίαν ἔχει ὁ λόγος τῶν προφητῶν, ἀλλὰ ζωτικὴν τελείωσιν· σκοπὸς γάρ ἐστι τοῖς ἁγίοις διὰ τῶν Γραφῶν, πρὸς τὴν αἰώνιον ζωὴν τελεῖσθαι τοὺς διδασκομένους (35). Ταῦτα δέ φησι, δεικνὺς ἀναγκαίως τὴν ἀναγωγὴν ἐν τοῖς θείοις λόγοις γίνεσθαι (36). Χρὴ

B τοιγαροῦν καὶ ἡμᾶς εἴσω παρακύψαι τῶν συμβόλων, καὶ θεωρῆσαι αὐτὰ ὡς ἔκγονα θείων καὶ νοητῶν χαρακτήρων· καὶ γὰρ οὐ μόναι αἱ προσκυνηταὶ τῆς ἁγίας Τριάδος ὑποστάσεις συμβόλοις διαποικίλλονται· καὶ πῦρ λέγεται ὁ Θεὸς, ὡς, *Πῦρ καταναλίσκον*, καὶ *τὰ λόγια τούτου πεπυρωμένα*· ἀλλὰ καὶ οἱ ἄγγελοι συμβολικῶς διαγράφονται· λέγεται γὰρ καὶ περὶ αὐτῶν· *Ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα.* Ἀλλ' ὅμως πρὸς τὰ ὑποκείμενα καὶ οἱ τύποι νοοῦνται, κἂν οἱ αὐτοὶ εἶεν· ἢ γοῦν τοῦ πυρὸς εἰκὼν λαμβάνεται ἐπὶ Θεοῦ, ἢ κατὰ τὸ ὑπὲρ νόησιν, ὅτι πῦρ λέγεται· ἀλλ' ὑπὲρ τοῦτό ἐστι. Τέως δὲ λέγεται πῦρ, ὡς αἴτιος πυρός. Καὶ ἐπεὶ τὸ θεῖον ὑπὲρ νόησίν ἐστιν, ἀπὸ τῶν αἰτιατῶν ὡς αἴτιος

C νοεῖται, ἢ κατὰ τὴν αὐτοῦ πρόνοιαν, ὡς ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις, *Πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τῆς γῆς*· τὸ γὰρ προνοητικὸν αὐτοῦ καὶ ἐπὶ πᾶσι δραστήριον καὶ διακριτικὸν πῦρ ὀνομάζεται· ἢ κατὰ τὸν λόγον, ὡς παρὰ τῷ Ἱερεμίᾳ· *Οὐχ οὕτως οἱ λόγοι μου, ὥσπερ πῦρ; λέγει Κύριος*· διὰ τὸ καθαρὸν πάντῃ καὶ ἀκίδηλον· καθὼς καὶ παρὰ τῷ Δαυίδ· *Τὰ λόγια Κυρίου πεπυρωμένα, λόγια ἁγνά.* Ἀλλ' οὕτω μὲν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ· λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀγγέλων τὸ πῦρ, ὡς αἰτιατῶν ἐκ Θεοῦ κατὰ μέθεξιν, ὥσπερ δῆτα λέγονται καὶ φῶς, καὶ θεοὶ καὶ τἆλλα τὰ τῷ Θεῷ προσήκοντα.

[m] Rom. I, 20. [n] Joan. III, 12. [o] Cap. I, 18. [p] Isa. LV, 1. [q] Isa. I, 16. [r] Psal. XXXIII, 6.

Digitized by Google

rum theologiæ. Ideoque illa quidem inducta videntur hominum more, sive etiam aliquousque sublimius. Hoc enim indicat dictio μέσως, id est *medie*. Hæc vero sublimius et ad perfectionem efficacius inducuntur. Et illa quidem a conspicuis legibus: hæc autem ab iis quæ per se arcanæ sunt et divinæ. Rursus illa antiquæ legis decreta propalam quidem evulgantur, obscure autem intelliguntur. Alioqui is, qui lege sanxit jejunia, Sabbata et neomenias, postea per Isaiam [s] sic loquitur: *Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris*, nisi quia perspicue quidem dicuntur, intelliguntur autem obscurius? Conveniebat profecto istiusmodi rebus, quæ per se cum abstrusiores sint, ad hunc modum ut evulgarentur, ne a quamplurimis profanarentur: sive id nostris etiam congruebat sensibus et animis, pro accipientum videlicet captu. Aliter enim Judæi suæ, aliter nos qui Christo nomina dedimus, legis nostræ decreta interpretamur. Illi enim in littera vim suæ legis constituunt; nos in spiritu. Neque enim historiam utcunque continet sermo propheticus, sed et in se habet reconditam vivificam perfectionem. Hic enim sanctis unicus fuit scopus, ut per eas Scripturas, quos docuissent semel, perficerent proveherentque ad æternam vitam. Et hæc quidem ait, interim graphice declarans sublimiorem quamdam intelligentiam in divinis Scripturis esse requirendam. Operæ igitur pretium fuerit, ut et nos ejusmodi signa introspiciamus, simul et eadem contemplemur, quasi divinarum intelligibiliumque germina figurarum. Non enim solæ illæ omnibus adorandæ sacrosanctæ Trinitatis personæ figurativis signis distinguuntur. Ignis siquidem dicitur Deus, ut illud: *Ignis consumens est* [t]; et: *Eloquia ipsius ignita* [u]. Sed angeli quoque ipsi figurative describuntur: dicitur enim de his: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignis flammam* [v]. Attamen quantum ad hæc subjecta attinet, etiam figuræ satis intelliguntur, tales licet ipsæ sint: sive 284 imago ipsa ignis pro Deo sumitur, aut secundum id quod intelligentiam excedit, quia ignis quoque dicitur. Cæterum hoc rursus exsuperat: nam prius ignis dicitur, quasi qui auctor sit ignis. Et quando numen omnem intelligentiam transcendit, hinc a rebus creatis ut earum auctor intelligitur, sive propter ipsius providentiam, sicut in Evangeliis: *Ignem veni mittere in terram* [x]. Hæc enim ipsius providentia, exprompta et alacris cura omnium, inque providendo discretiva vis, ignis nomine exprimitur. Sive insuper per efficaciam sermonis, quemadmodum apud Jeremiam [y]: *Nunquid non verba mea quasi ignis? dicit Dominus;* idque propter omnimodam puritatem integritatemque, quemadmodum apud David: *Eloquia Domini igne examinata, eloquia casta* [z]. Et hæc quidem de Deo dicta sint. Proinde de angelis etiamnum ignis enuntiatur, quatenus a Deo conditi, idque secundum participationem: quemadmodum iidem lux dicuntur, et dii, aliisque ejusmodi agnominationibus, quæ Deo ipsi non incongrue competere noscuntur.

Μᾶλλον δὲ, ἵνα συνελὼν εἴπω, τὸ πῦρ ἐπὶ Θεοῦ λεγόμενον κατ' αἰτίαν λέγεται· καλεῖται γὰρ ὡς αἰτία τοῦ πυρός· ἐπὶ δὲ τῶν λόγων τοῦ Θεοῦ καθ' ὕπαρξιν· τοῦτο δὲ λέγει, οὐχ ὅτι ἐνυπόστατοί εἰσιν αἱ τοῦ Θεοῦ πρόνοιαι, ἀλλ' ὅτι ἀπὸ Θεοῦ εἰσι καὶ ὑπάρχουσιν, οὐχ ὡς (37) ὑφεστῶσαι, ἀλλ' ὡς ἐνεργούμεναι· ἐπὶ δὲ τῶν ἀγγέλων κατὰ μέθεξιν· ἐπεὶ γὰρ καὶ θεοειδεῖς λέγονται, καὶ τοῦ θείου μετέχουσι. Πῦρ δὲ ὁ Θεὸς λέγεται, πῦρ καὶ αὐτοὶ καλοῦνται κατὰ τὴν μετοχήν. Διαφέρει δὲ τὸ κατὰ μέθεξιν θεῖον τοῦ καθ' ὕπαρξιν ἐνταῦθα, ὅτι τὸ κατὰ μέθεξιν δηλοῖ οὐσίαν καθ' ἑαυτὴν οὖσαν καὶ ἐπακτὸν ἔχουσαν τὸ θεοειδές· τὸ δὲ καθ' ὕπαρξιν, πνεῦμα ἢ λόγιον θεῖον, τουτέστιν ἐκ Θεοῦ παραχθὲν καὶ λεχθέν (38). Οὕτω γὰρ οὐ συμφύρονται οἱ λόγοι τῶν συμβολικῶν ὀνομάτων· ἀλλὰ προσηκόντως τοῖς ὑποκειμένοις νοοῦνται· ὡς φέρε εἰπεῖν ἐπὶ τοῦ φωτὸς, φῶς λέγεται ὁ Θεὸς, ἀλλὰ τῷ εἶναι αἴτιος τοῦ φωτός· φῶς τὰ προστάγματα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὕπαρξιν. Εἴπομεν δὲ ἀνωτέρω, πῶς ἐκλαμβάνει τὴν ὕπαρξιν· ἐπεὶ φῶς ὁ Θεὸς λέγεται, ὑπάρχει δὲ τὸ πρόσταγμα ἐξ αὐτοῦ παραχθὲν, φῶς καὶ αὐτὸς κληθείη· πλὴν οὐ κατὰ μέθεξιν· οὐ γάρ τι ἄλλο ὂν τὸ πρόσταγμα μετέσχε τοῦ θείου φωτός· ἀλλ' οὕτως αὐτὸ παρήχθη ἐκ Θεοῦ, καὶ θεῖον, A

Quin potius, ut cuncta perstringam compendio, ignis hic de Deo dictus, secundum causam enuntiatur. Vocatur enim sicut auctor, ab ipsa ignis creatione. De providentiis autem ac verbis Dei, secundum substantiam. Hoc porro dicit Pater, non quod in se subsistentes sint providentiæ Dei: sed quia a Deo sunt, et exsistunt, non quasi subsistentes, sed ut efficaciter operantes. Jam vero de angelis prædicatur secundum participationem, quandoquidem deiformes dicuntur, et divinæ quadantenus consortes naturæ. Ignis profecto Deus ipse dicitur: sed et angeli ignis vocantur, jure participii. Cæterum divinitas hæc, quæ secundum participationem dicitur, ab ea in immensum differt, quæ præsenti loco prædicatur secundum substantiam: quia quæ participative capitur, substantiam declarat per se quidem exsistentem, sed aliunde obtinentem ascititiam illam similitudinem Divinitatis. Illa vero, quæ est secundum exsistentiam inspiratio, et oraculum divinum, hoc est a Deo productum et dictum. Ita enim symbolicorum nominum rationes nequaquam confusanee permiscentur: magis vero intelliguntur pro decoro subjecti cujusque argumenti, quemadmodum de luce quoque pronuntiare liceat. Lux Deus ipse dicitur, sed quatenus auctor est B

[s] Isa. I, 12. [t] Deut. IV, 24. [u] Psal. CXVIII, 140. [v] Psal. CIII, 4. [x] Luc. XII, 49. [y] Jer. XXIII, 29, [z] Psal. XVII, 31.

Digitized by Google

lucis. Lux item Dei ipsius mandata, sed secundum substantiam. Superius autem dictum nobis est, quomodo **285** interpretetur substantiæ nomen. Nam quando lux Deus ipse dicitur, est autem mandatum ab ipso profectum, jure lux mandatum quoque vocari potest; neque tamen id secundum participationem fit. Non enim aliud aliquid exsistens ipsum Dei mandatum, particeps dici debeat divinæ illius lucis; sed ita sane ab ipso proficiscitur Deo. Ipsa denique divinitas, quam pronuntiat Pater secundum substantiam. Lux itidem angelus, at participio divinæ; lucis supremi angelorum ordines sunt etiam lumen pro cujusque et ordine et merito; prout primario illi lumini propius accedunt, quodque vim obtineant cum illuminandi, tum provehendi se inferiores ordines ad sublimiorum rerum contemplationem. Ad hunc modum istiusmodi signorum nomina non indecore explicantur secundum res subjectas. Cæterum ne supra epistolaris mensuræ lineam dicendo prætervehamur: veniendum nobis nunc ad interrogationem præmotam, propositionemque desumptam e Proverbiorum libro. Enimvero interrogatio tua talis est: Quæ utique esculenta, quæve poculenta ipsius sunt sapientiæ. Jam de cibo primum dicimus. Cibus sane adimpletivus est rei indigæ atque deficientis infirmæ curativus, vitæ conservativus; qui ad florem revocans ætatis, et quasi renovans, vitalem clementer indulget corpori temperaturam, omnemque a nobis prorsus mœrorem exigit, et suppeditat jucunditatem. Pulchre admodum sapientissima ipsa sapientia craterem tenet, et potionem profundit; hoc enim indicat verbum προνοεῖ. Imo vero ante crateris commemorationem solidos cibos apponens, universos invitat ad epulum: ipsa, inquam, eorum amore capta decenti, qui ejus indigent, non ut prior invitetur, exspectat; invitat ipsa potius per summam suam benignitatem. Dupliciter ergo sapientia nutrit, nunc quidem alimonia, nunc vero potione. Ipsa crateris profusio multiplicem repræsentat providentiæ ipsius benignitatem. Crater igitur hic cum sit in orbem rotundus, et in patulam amplitudinem expansus, divinæ erga omnes providentiæ declarat apertam explicationem: quæ quidem in universum omnes circumplectitur, ambitque creaturas. Proinde ipsam Dei providentiam insinuat omni prorsus carere principio: non quod forte simul cum rebus exsistere incipiens illis provideat: (neque enim quidquam est eorum, quæ sunt, sanctæ illi rerum omnium creatrici, ac beatæ Trinitati coæternum:) sed quia priusquam eo proveherentur ut essent, ipsarum in Deo rationes erant **286** creaturarum; inque Dei mente, quæ aliquando futura fuerant, jam erant præformata. Idcirco providentia Dei ante omnem omnino creaturam præexstitisse astruitur absque ullo principio. Providentiæ siquidem divinæ erat, sive consilii rebus prospicientis, etiam velle producere creaturam, providenti ipsius bonitate fruituram. Sane ad hunc sensum nullo quoque fine circumscribenda providentia

A ὅπερ λέγει ὁ Πατὴρ καθ' ὕπαρξιν. Φῶς καὶ ὁ ἄγγελος, ἀλλὰ κατὰ μέθεξιν τοῦ θείου φωτός· φῶς αἱ ὑπερβεβηκυῖαι τῶν ἀγγέλων τάξεις (39) κατὰ τὴν τάξιν καὶ τὴν ἀξίαν αὐτῶν, ὅτι τῷ πρωτίστῳ φωτὶ πλησιάζουσι, καὶ ὅτι δύναμιν ἔσχον φωτιστικὴν καὶ ἀναγωγὸν τῶν ὑποδεεστέρων (40)· καὶ οὕτω προσηκόντως ἀναπτύσσονται τὰ τῶν συμβόλων ὀνόματα πρὸς τὰ ὑποκείμενα πράγματα. Ἀλλ' ὅπως μὴ ὑπὲρ τὸ μέτρον λέγοιμεν τῆς ἐπιστολῆς, ἔλθωμεν ἐπὶ τὴν ἐρώτησιν, καὶ τὸ τῶν παροιμιῶν πρόβλημα. Καὶ ἐπεὶ τὸ ἐρώτημά ἐστι, τίνα τὰ βρώματά εἰσι, καὶ τίνα τὰ πόματα, λέγομεν περὶ τῆς τροφῆς· ἡ τροφὴ πληρωτικὴ ἐστι τοῦ ἐνδεοῦς, καὶ τοῦ ἀσθενοῦς θεραπευτικὴ, καὶ τῆς ζωῆς φρουρητικὴ, καὶ θάλλειν ποιεῖ καὶ ἀνανεάζειν, καὶ τὴν ζωτικὴν δωρεῖται

B εὐπάθειαν· καὶ ἁπλῶς τὸ λυποῦν ἀπελαύνει, καὶ τὴν εὐφροσύνην χορηγεῖ. Καλῶς οὖν ἡ ὑπέρσοφος σοφία κρατῆρα ἱστᾷ, καὶ τὸ πόμα προχέει· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ *προνοεῖ* (41)· μᾶλλον δὲ, πρὸ τοῦ κρατῆρος, τὰς στερεὰς τροφὰς προτιθεῖσα, ἅπαντας συγκαλεῖται πρὸς εὐωχίαν, αὐτὴ ἐφιεμένη ἀγαθοπρεπῶς τῶν δεομένων αὐτῆς (42)· καὶ οὐ παρακαλεῖται, ἀλλὰ παρακαλεῖ δι' ἄκραν ἀγαθότητα. Διττῶς οὖν τρέφει διά τε βρώσεως, διά τε πόσεως. Ἡ δὲ *πρόχυσις* τοῦ κρατῆρος τὰς προνοητικὰς αὐτῆς ἀγαθότητας παριστάνει. Ὁ κρατὴρ οὖν, κυκλικῶς περιφερὴς ὢν καὶ ἐξηπλωμένος, δηλοῖ τὸ ἀνηπλωμένον ἐπὶ πάντας τῆς θείας προνοίας, ἥτις καὶ κύκλῳ πάντα περιλαμβάνει τὰ κτίσματα. Ἄναρχον δέ φησι τοῦ Θεοῦ τὴν πρόνοιαν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων τυχὸν συνάρχων προνοεῖ (43), οὐδὲ

C γάρ ἐστί τι τῶν ὄντων συνάναρχον τῇ ἁγίᾳ καὶ δημιουργικῇ (44) καὶ μακαρίᾳ Τριάδι· ἀλλ' ὅτι καὶ πρὶν ἢ παραχθῆναι τὰ ὄντα οἱ τῶν δημιουργημάτων λόγοι ἐν τῷ Θεῷ προῆσαν· καὶ ἐν ταῖς θείαις νοήσεσι τὰ μέλλοντα παράγεσθαι προτετύπωτο. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ ἀνάρχως προϋπάρχειν λέγεται πάσης τῆς κτίσεως· προνοία, γὰρ ἦν θείας, ἤτοι προνοήσεως, καὶ τὸ βούλεσθαι παραγαγεῖν τὴν κτίσιν τὴν ἀπολαύσουσαν τῆς προνοητικῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος (45). Κατὰ τοῦτο γοῦν καὶ ἀτελεύτητος ἡ πρόνοια λέγεται εἰς τοὺς ἀθανάτους ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἀπαθανατισθησομένους ἡμᾶς, καὶ τὰ δι' ἡμᾶς ἀγαθὰ ἐσομένη (46)· πλὴν ἐπειδὴ καὶ πρόεισιν ἡ πρόνοια, καὶ ἀνεκφοιτήτως ἐν τῇ ταὐτότητι ἑδραίως ἵδρυται· οὐ

D γὰρ διαχέεται καὶ ἀφανίζεται· διὰ τοῦτο λέγεται ὁ κρατὴρ ἑστάναι. Οἰκοδομεῖ δὲ ἡ σοφία οἶκον ἑαυτῇ, ὡς εἶναι καὶ ἔξω αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ. Καὶ ἐν αὐτῷ ἑτοιμάζει ἃ ἔφη, ὅτι καὶ ἐν τῷ παντὶ ἡ θεία πρόνοιά ἐστι, καὶ τὰ πάντα περιέχει, καὶ ἐν τῷ παντὶ οὐδὲν ἐν οὐδενὶ κατ' οὐδέν ἐστι, δηλαδὴ καθ' ὑπεροχήν· οὐδὲ γὰρ κατὰ στέρησιν, οὐδὲ δι' ἀνυπαρξίαν, ἀλλὰ καὶ ὧν καὶ ὑπὲρ ταῦτα ὤν, ὡς ἐν τῷ *Περὶ μυστικῆς θεολογίας* εἴρηται· ἐξῄρηται γὰρ τῶν ὅλων, οὐ κατ' ἄλλο μὲν τούτου, κατ' ἄλλο δὲ ἐκείνου· οὐδὲ ἄλλως τούτου, καὶ ἄλλως ἐκείνου· οὐδὲ τούτου μὲν ἀεὶ, τούτου δέ ποτε· ἀλλὰ ταὐτῶς καὶ ἀϊδίως καὶ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχων, καὶ οὐδαμῶς τῆς οἰκείας ἑστίας ἀπολειπόμενος, ἔξω δηλονότι ἑαυτοῦ γιγνόμενος· ἑστία γὰρ λέγεται, τουτέστιν ἡ ὡς ἔστι διαμονή,

Digitized by Google

καὶ ἑστὼς ἐν ἑαυτῷ, καὶ ἀεὶ κατὰ τὴν πρόνοιαν κινούμενος, οὔτε ἑστὼς κατὰ τὴν πρόνοιαν, οὔτε κινούμενος κατὰ φύσιν· μᾶλλον δὲ, ἐπειδὴ τὸ μὲν *ἑστὼς* ἐπὶ τῆς κατὰ τὸ ἀναλλοίωτον μονιμότητος ἔλαβε, τὸ δὲ *κινούμενος* ἐπὶ τῆς περὶ τὰ ὄντα προνοίας, ἐφ' ἑκατέρου τούτων νοεῖν ἡμᾶς χρὴ καὶ προσάγειν τὸ καθόλου, ἵνα τοιοῦτον τὸ λεγόμενον, οὔτε ἑστὼς καθόλου ὡς μὴ κινεῖσθαι προνοητικῶς, οὔτε κινούμενος καθόλου, ὡς τῆς οἰκείας μεθίστασθαι μονιμότητος. Διὰ τοῦτο γὰρ λέγει, ὅτι, καὶ εἰ κινεῖται εἰς προνοίας, ἀλλὰ τὸ μόνιμον ἔχει· καὶ εἰ μένει ἐν τῷ ἀναλλοιώτῳ, ἀλλὰ ταῖς προνοίαις κινεῖται. Ἐντεῦθεν διαλαμβάνει, τίς μὲν ἡ στερεὰ τροφὴ, τίς δὲ ἡ ὑγρά. Ἡ γοῦν στερεὰ τροφὴ σύμβολόν ἐστι· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σύνθημα τῆς νοερᾶς καὶ μονίμου τελειότητος. Ποία δέ ἐστιν ἡ νοερὰ καὶ μόνιμος τελειότης; Πάντως καθ' ἣν νοοῦντες οἱ ἄξιοι καὶ τῶν θείων μετέχοντες (ἡ γὰρ νόησις μετοχὴ λέγεται·) τελειοῦνται· ἀλλὰ κατὰ γνῶσιν ἑστῶσαν, ἐπειδὴ καὶ ἡ τροφὴ στερεὰ, καὶ ἐνιαῖον καὶ ἀδιαίρετον. Τοῦτο δέ φησιν, ὅτι δηλαδὴ χρὴ ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ λόγοις μὴ πρὸς τὰς ὑλικὰς ἐννοίας καταμερίζεσθαι τὸν νοῦν, ἀλλὰ μονοτρόπως τὸ ὑπερφυὲς καὶ ἀνεξιχνίαστον τῆς θείας φύσεως λογίζεσθαι, καὶ ταῦτά τινα τὸν τὰ αἰσθητήρια τοῦ ἐντὸς ἀνθρώπου γεγυμνασμένα ἔχοντα· ἐν οἷς ὁ θεῖος Παῦλος ἀπαρυσάμενος τῆς θείας σοφίας· τούτου γάρ ἐστιν ὁ λόγος· *Ὅτε ἤμην νήπιος, ὡς νήπιος ἐφρόνουν*· μεταδίδωσι τῆς στερεᾶς τροφῆς τοῖς τελείοις, πρῶτον ποτίσας γάλα, ὅτε τυχὸν εἶχον τὰ νοητὰ αἰσθητήρια ἀγύμναστα· ὡς γὰρ ὁ νήπιος, τὰ σωματικὰ αἰσθητήρια ἀγύμναστα ἔχων, ἅπαν ὃ ὁρᾷ ἢ ἀκούει, οὐ καθὼς ἔχει ὁρᾷ καὶ ἀκούει· τὸ γὰρ μηδὲν φοβερὸν μορμολύκειον οἴεται, καὶ λόγον πραῦν πολλάκις ὡς ἀπειλητικὸν δέχεται· οὕτω καὶ ὁ νηπιάζων κατὰ ψυχὴν, ἀγύμναστα ἔχει τὰ τῆς ψυχῆς αἰσθητήρια, καὶ οὐ δύναται ἢ θεάσασθαι, ἢ ἀκοῦσαι θεωρίαν ὑψηλοτέραν, ἣν τροφὴν στερ. ἂν ὁ λόγος ἀποκαλεῖ. Τὴν δὲ ὑγρὰν τροφὴν σύνθημα καὶ σύμβολον πάλιν οἶομαι. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἀπὸ κοινοῦ, τῆς διαχυτικῆς ἐπιῤῥοῆς, δηλονότι τῆς διὰ πολλῶν καὶ μεριστῶν διδασκαλίας (47)· οὐχ ἑνὶ γὰρ τρόπῳ καὶ ἁπλῷ, ἀλλὰ πολυειδεῖ καὶ ποικίλῳ τοὺς διδασκομένους ἐπὶ τὸ τέλειον τῆς θεογνωσίας ἄγεσθαι συμβαίνει. Διὸ καὶ δρόσῳ, καὶ ὕδατι, καὶ γάλακτι, καὶ οἴνῳ, καὶ μέλιτι, τὰ θεῖα λόγια παρεικάζονται· ἐπειδὴ γὰρ πάντα ὑδατηρά εἰσι· τὸ δὲ ὕδωρ ζωογόνον· διὰ τὴν τοιαύτην δύναμιν οὕτω λέγονται. Οὐ μὴν δὲ μόνον τὸ ὑδαρὲς ἔχουσιν, ἀλλὰ φέρουσιν ἕκαστον καί τινα ἰδίαν ποιότητα. Ὡς γοῦν αὐξητικὰ, γάλακτι ἐοίκασι· τὸ γὰρ γάλα θρεπτικὸν καὶ αὐξητικόν· ὡς ἀναζωτικὰ οἴνῳ· ὁ γὰρ οἶνος ἀναζωτικὸς, τὸ ἔμφυτον διεγεῖραν θερμόν· ὡς καθαρτικὰ καὶ φρουρητικὰ μέλιτι· τὸ γὰρ μέλι καθαίρει μὲν καὶ τὰ ἑλκώδη, φυλάττει δὲ καὶ τὰ ἐν αὐτῷ τῶν ὀπωρῶν ἐμβαλλόμενα. Ταῦτα γοῦν ὑπερβλύζει ἡ θεία σοφία τὴν ψυχὴν δροσίζοντα, κατὰ ταῦτα καὶ εὐωχεῖ ὁ Θεὸς τοὺς ἀξίους, καὶ αὐτὸς μεθύ-

dicitur, ad immortales angelos atque adeo ad nos olim futuros immortales relata : et ad bona omnia quæ propter nos futura. Cæterum quando ipsa progreditur providentia, nusquam tamen a se desciscendo, in sua ipsius identitate solide conquiescere describitur. Neque enim diffusione sui perefflui, exinanitur aut marcescit aliquando; hinc merito crater ipse consistere prædicatur. Ædificat autem sibi domum Sapientia [a]; perinde est atque dicat : Extra se est, et intra se nihilo secius permanet. Intra se quidem ea apparet quæ, ait Pater : quia et in omnibus divina est providentia universa suo ambiens complexu : et in omnibus nihil in nihilo secundum nihilum est, idque eminenti quadam prærogativa; neque enim privatorie, sive per substantiæ ablationem aut interitum; sed vere est istisque omnibus supereminet, sicuti in opere *Mysticæ theologiæ* mihi dictum est. Eminenter ab omnibus exemptus dicitur, non quidem secundum aliud aliquid ab hoc, secundum autem aliud ab illo : neque aliter ab illo. Neque rursus ab hoc quidem semper, ab illo item aliquando; sed pari modo et sempiterne nec difformiter, sed modo consimili se habens, et nusquam a propria desciscens mansione, extra nimirum seipsam. Ἑστία siquidem hic dicitur, perinde atque διαμονή, id est *permansio*. Et stans in seipsa, et per providentiæ operationem semper mota. Neque stans secundum providentiam, neque per naturam movetur : quinimo, quia hoc quidem dictum, stans in sua soliditate naturæ : eo dixit Pater, quod inalterabile sit numen. Quod autem moveri scribit, de providentiæ actione accipiendum est circa entia quævis. In utraque harum partium necesse est dictionem illam intelligamus, simul et pronuntiemus καθόλου, hoc est *in universum* : quasi hoc pacto sententiam contexuerit. Neque in totum stans sic, ut nullatenus moveatur suæ providentiæ operatione : neque rursus sic movetur in totum, ut a propria desciscat transmigretve stabilitate. Idcirco enim dicit, quia et si moveatur numen ad obeundam functionem suæ providentiæ, sed **287** interim suam ipsius retinet stabilitatem, etiamsi in sua inalterabili perseveret natura; sed et idem officiis movetur suæ providentiæ. Dehinc sequitur quis solidus sit cibus quisve liquidus. Solidus quippe cibus symbolum est, nempe signum et significatio intellectualis ac solidæ perfectionis. Sed quæ demum hæc intellectualis est et solida perfectio? Omnino illa esse censetur, secundum quam, qui intelligentiæ dono præditi sunt, modo digni, divinarumque consortes effecti rerum perficiuntur. Participatio enim quædam est perfectionis ipsa intelligentia; sed secundum scientiam, solide stantem, quando et hic cibus est, sed et singularem atque individuam. Hoc eo adjecit, quod in iis, qui de Deo sunt, sermonibus nusquam debeat mens per concretas materiæ cognitiones dispesci, aliove

[a] Prov. IX, 1.

Digitized by Google

diduci ; sed uniformiter reputare secum inenarrabilem hanc esse, nullique pro dignitate vestigabilem divinæ naturæ majestatem : idque maxime addecet eum, qui sensoria organa habet interioris hominis admodum exercitata, in quibus Paulus ille admirabilis hausit divinæ aquas sapientiæ. Nam ipsius verbum est : *Cum essem parvulus, ut parvulus sapiebam* ♭ : liberaliter dispertit solidum cibum, sed jam adultis ac perfectis, cum eosdem alioqui prius potasset lacte, cum illis forte necdum aderant exercitati sensus spirituales. Ut enim pusio quivis organa corporis inexercitata adhuc habens, quidquid vel videt vel audit, id utique non sicut se habet res, videt et audit. Larvatam enim personam formidabilem deputat, nihil alioqui formidabilem; quia verbum quamlibet placide et clementer prolatum, plerumque accipit, quasi comminatorie dictum. Ad eumdem modum, qui secundum animam pusillus adhuc est, habet profecto is suæ animæ sensoria inexercitata; nec potest talis contemplari ac ne audire quidem ullam sublimiorem theoriam, quam nomine solidi cibi sermo vocat divinus. Proinde liquidam alimoniam rursus crediderim accipi debere pro composito figuratoque signo. Hoc enim est quod subauditur τῆς διαχυτικῆς ἐπιῤῥοῆς, id est, *diffusivæ inundantiæ* sive *influxus* : videlicet doctrinæ quæ per plura et dividua instruit. Neque enim uno ac simplici modo, sed multiformi varioque edoctos prius contingit ad perfectam illam Dei scientiam promoveri ; ideoque sacra eloquia rori, aquæ, lacti, vino atque melli assimilia describuntur ; quandoquidem aquei liquoris imaginem referunt omnia. Aqua autem vim sortita est vivificandi et fecundandi ; et **288** hac gratia, eloquia aquæ nomine dicuntur. At non hanc solum aquæ vim in se obtinent, sed unumquodque progenerat juxta innatam sibi ac propriam qualitatem, ut ea quæ prædita sunt augendi vi, lacti perhibentur esse similia. Lac siquidem et nutrit et perducit ad incrementum. Pari modo, quæ recreant excitantve, vino conferuntur ; vim enim habet vinum spiritus vitalis excitativam; innata enim illi vis est excitativa caloris. Nec dissimiliter purgatoria conservativaque vis inest melli; purgat enim quidquid saniem aut putrilaginem præfert ulcerosam ; ad hoc fructus conditaneos conservat injectos. Hæc itaque divina Sapientia inundanti ex se scaturigine effundit, quibus hæc Deus se dignos lautissimo accipit convivio. Idem quoque inebriari astruitur, quippe qui his plenus esse describitur, et perquam plenus. Interim istius εὐωχεῖν etymum beatus Pater derivat ab εὖ *bene*, *commode*, et ἔχειν, sicut et dictio εὐξία. Ut igitur hominum more ebrietas in pejorem trahi solet partem; sic secundum id quod præstantius est, in Deo. Unde nostro more loquendi, immodica potus repletio in deteriorem sumitur partem : contra, de Deo dicta aliquid declarat præstantius. Insuper excessus ille in Deo, de ipso per eminentiam prædicatur supra quam cogitemus aut intelligamus. Neque enim res agnoscit, prout res sunt ; sed juxta præcellentem et quam humana sit, angustiorem intelligentiam. Sed neque a qualibet dignis mente percipitur, ut se tanta hæc habet majestas. Quoniam quidem omnes anteit gradus essentiæ, imo quæcunque usquam bona sunt prorsus supergreditur : atque ut perquam plenus horum, inebriatus dicitur esse. Rursus, quod extra simul et ultra isthæc bona omnia longissimo secessu velut trans-

εἰν λέγεται, ὡς πλήρης τούτων καὶ ὑπερπλήρης. Σημείωσαι δὲ ἐνταῦθα, ὅτι καὶ τὸ εὐωχεῖν ῥῆμα ὁ Πατὴρ ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν ἐτυμολογεῖ, καθὼς ἔχει καὶ ἡ τῆς εὐεξίας λέξις. Ὡς γοῦν ἐφ' ἡμῶν ἡ μέθη κατὰ τὸ χεῖρον λέγεται, οὕτω κατὰ τὸ κρεῖττον ἐπὶ Θεοῦ· ὅθεν καὶ ἐφ' ἡμῶν ἡ ἀμετρία χεῖρον, ἐπὶ δὲ Θεοῦ, κρεῖττον. Ἔτι δὲ καὶ τὸ ἐξεστηκέναι ἐπὶ Θεοῦ λέγεται κατὰ τὴν ὑπεροχήν, καὶ τοῦ νοεῖν καὶ τοῦ νοεῖσθαι· οὔτε γὰρ τὰ ὄντα γινώσκει ἢ ὄντα εἰσὶν, ἀλλὰ κατά τινα ἐξῃρημένην καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον νόησιν. Οὔτε μὴν παρὰ τῶν ἀξίων νοεῖται καθὼς ἔχει· ἐπεὶ καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναί ἐστι, καὶ ἁπλῶς ὅσα εἰσὶν ἀγαθὰ, καὶ ὡς ὑπερπλήρης τούτων, μεθύων λέγεται, καὶ ὡς αὖθις ἔξω καὶ ἐπέκεινα τῶν τοιούτων ἀγαθῶν ἀνῳκισμένος, ἐξεστηκὼς λέγεται· ὁ γὰρ ἐκστὰς, ἔξω πάντων γίνεται, καὶ οὐδὲν οἶδεν οὔτε τῶν ὄντων, οὔτε τῶν τελουμένων. Τὸ γοῦν ἔξω πάντων εἶναι τὸ θεῖον κατά τινα ὑπερανῳκισμένην ἕξιν, ἵν' οὕτως εἴπω, πρέπον ἐστὶ τῷ Θεῷ, καθ' ἣν οὐδὲ οἶδε τὰ ὄντα ἢ ὄντα εἰσὶν, ἀλλ' ὑπεροχικῶς ἐξῃρημένως ἐκ τούτων ὁρμώμενοι, καὶ τὰ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν δεῖπνα ἀλληγορήσομεν, ἅτινα ἐμφαίνουσι κοινήν τινα καὶ ὁμονοητικὴν τῶν ἁγίων κοινωνίαν, ἣν καὶ Ἐκκλησίαν πρωτοτόκων φησὶν ὁ θεῖος Ἀπόστολος, καὶ τὴν ἀνάκλισιν ἀνάπαυσιν τῶν πολλῶν καμάτων λογιζόμεθα. Εὐφραίνει δὲ τούτους ὁ Σωτὴρ ἡμῶν καὶ Δεσπότης, καὶ ἀνακλίνει, ὅτι αὐτός ἐστιν αἴτιος ἁπάντων τῶν τοῖς ἁγίοις ἐναποκειμένων καλῶν. Σὺ δὲ ἐπιζητήσεις καὶ τὸν ὕπνον, καὶ τὴν ἐγρήγορσιν ἐπὶ Θεοῦ ἀλληγορηθῆναι. Ὅταν ὕπνον φῶμεν τοίνυν, τὸ οἷον παραχωρητικὸν τοῦ Θεοῦ δηλοῦμεν· ὅταν δὲ ἐγρήγορσιν, τὴν εἰς τὸ προνοεῖν προσοχήν. Σὺ δὲ πάλιν καὶ ἄλλα ζητήσεις. Διὸ καὶ περιττὸν μὲν οἰηθέντες, τὰ αὐτὰ ἐπανακυκλοῦντες, ἕτερα δοκεῖν λέγειν, ἐνταῦθα στήσομεν τὸν τῆς ἐπιστολῆς λόγον, ἀποδεδωκότες ὡς ὑπολαμβάνω καὶ πλείονα, ὧν ἐν τοῖς σοῖς γράμμασιν ἐπεζήτησας. Πειθόμενοι δὲ πάλιν ὑμῖν θέλουσι περὶ πάντων μανθάνειν, αὐτὴν ὅλην τὴν *Συμβολικὴν θεολογίαν* ἀποστέλλομεν, καθ' ἣν εὑρήσεις πάντα, καὶ περὶ τῆς σοφίας, καὶ περὶ τοῦ οἴκου, καὶ περὶ τῆς στερεᾶς τροφῆς, διαιρουμένης εἰς ἄρτους καὶ θύματα καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· ἔστι γὰρ τὸ τοιοῦτον βιβλίον εὑρετικὸν ἁπασῶν τῶν συμβολικῶν θεολογιῶν, καὶ ὁμοφωνοῦν πρὸς τὰς ἱερὰς παραδόσεις, ἃς παρὰ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ διδασκάλου ἡμῶν παρελάβομεν.

animam irroret, clementerque aspergat. Secundum

♭ 1 Cor. xiii, 11.

Digitized by Google

migrarit : hinc dicitur excessisse, similitudine ab eo ducta, quod qui exstasi semel corripitur, extra omnia fit. Is enim eorum quæ sunt, quæve facta jam sunt, nihil novit omnino. Conveniebat quippe ipsi Deo, ut tanta illa majestas extra omnia astrueretur esse secundum quamdam ab omnibus eminentiore modo disparatam (ut sic dixerim) habitudinem : per quam neque entia sicut entia sunt, novit; sed præcellentius, multoque eminentius. His demum exciti atque redditi alacriores, eas etiam, quæ in cœlorum regno memorantur, celebratæ cœnæ, ad allegoriam trahemus, quotquot vice speculi nobis veluti deliceant commune illud sanctorum concorsque sodalitium : id quod eximius Apostolus Ecclesiam appellat primitivorum. Sed et recubitum illum, eam esse requiem censemus quæ sanctis succedit; sane quam multis laboribus prius exantlatis. Mire autem hos exhilarat nostræ **289** salutis assertor et Dominus, jubetque accumbere : quod is auctor universorum sit, quæ sanctis reposita sunt, bonorum. Dein sciscitabere, quid somnus, quid contra evigilatio de Deo allegorice dicta insinuet. Itaque quando somnum dicimus, illum videlicet secretissimum Dei declaramus secessum : e diverso, nomine evigilationis subindicamus attentam ipsius atque pervigilem curam, qua rebus conditis studio suæ providentiæ consulit. Sed et alia subinde quærere possis. Cæterum nos hac de re rati esse supervacaneum, ut eadem retexendo, totiesve inculcando, videri velimus nova quædam dicere, hic modum præsenti imponemus epistolæ : ut qui plura longe, quam tuæ ad nos litteræ meo arbitratu desiderasse videntur, disseruerimus. Proinde cupienti tibi fusius edoceri de omnibus his nos morem gerentes, *Symbolicam theologiam* transcribimus, sed et solidam, in qua invenies dilucide enarrata omnia, quæ de sapientia, de domo, de solido cibo in panes ac victimas distributo, deque id genus aliis in universum tradebantur obscurius. Est enim libellus hic talis, ut in quo queas invenire symbolicæ totius theologiæ rationes : qui verbis etiamnum Scripturæ mire concinit juxta sacras traditiones, quas a sancto Apostolo, admirabilique doctore meo, ipsi velut per manus accepimus.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ Ι'.

A Ἡ μὲν ἐπιστολὴ ἀξία τῆς ἀρχαιότητος ἐκείνης τῆς ἱερᾶς καὶ τοῦ μαθητοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, τὴν χάριν ἀπαγγέλλουσα. Ἔστι δὲ συμβάλλειν ἐκ τῆς ἐπιστολῆς ταύτης, καὶ ἐκ τῆς πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπον ἑβδόμης οὔσης, εἶναι τὸν μέγαν Διονύσιον, ὅτε ταῦτα ἔγραψεν, ἐτῶν περὶ που ἐννενήκοντα· ἐν μὲν γὰρ τῇ πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπόν φησιν, ὅτι ἐν τῇ κατ' Αἴγυπτον Ἡλιουπόλει διάγων, ἐθεάσατο τὴν ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ γενομένην τοῦ ἡλίου ἔκλειψιν, ὅπερ γέγονεν ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς Τιβερίου βασιλείας· τῷ γὰρ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει ἤρξατο τοῦ κηρύγματος ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, ὡς ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν δηλοῦται θείῳ Εὐαγγελίῳ. Τρία δ' ἔτη μετ' ὀλίγων καὶ μηνῶν κηρύξας, ἐκὼν πάσχει B ὁ Δεσπότης Χριστὸς καὶ Θεὸς ἡμῶν, ὡς εἶναι Τιβερίου ιη' ἔτος. Ἐβασίλευσε δὲ Τιβέριος ἀμφὶ τὰ κγ' ἔτη, ὡς εἶναι ἀπὸ τοῦ σωτηρίου πάθους ἕως τελευτῆς Τιβερίου ἔτη ς'. Ἐξωρίσθη δὲ ὁ ἅγιος Ἀπόστολος καὶ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἥτις ἐστὶ μία τῶν Κυκλάδων νήσων, περὶ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας· ἐβασίλευσε δὲ οὗτος ἔτη ιε', καὶ μῆνας ε'. Συνάγονται δὲ ἀπὸ τοῦ ιη' ἔτους Τιβερίου, ὅτε ἡ ἔκλειψις γέγονεν, ἕως τῆς τελευτῆς Δομετιανοῦ, ἔτη ξδ' περί που καὶ μῆνες ζ'. Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι ἐτῶν κε', ἅτε ὤμαι, καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα, ὡς εἶναί τὰ πάντα ἀμφὶ τὰ ϟ' ἔτη (48). Μέμνηται δὲ τῆς ἐπὶ τοῦ Δομετιανοῦ ἐξορίας τοῦ ἁγιωτάτου Ἰωάνου καὶ θεολόγου C καὶ Εἰρηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ καὶ πέμπτῳ λόγῳ τῶν *Κατὰ αἱρέσεων*, καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ τοῦ, *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*· ἐν ᾧ καὶ περὶ τοῦ γεγονότος λῃστάρχου λέγει. Οὕτω πληροῦνται Τιβερίου τὰ λείποντα, Γαΐου, Κλαυδίου,

IN EPISTOLAM X.

Epistola hæc sancta illa antiquitate cum primis digna, sed neque indignam par est censeri discipulo, quem magnopere diligebat Jesus, quippe quæ gratiam in commune pronuntiet. Quod autem eximius hic Dionysius annorum ætatis fuerit propemodum nonaginta, quando hanc scripsit epistolam, ex hac ipsa liceat conjecturam capere; ex ea item, quæ ad sanctum Polycarpum ordine septima. In hac siquidem ad sanctum Polycarpum asserit se, cum in Heliopoli Ægypti degeret, perspexisse solarem illam eclipsin, quo tempore Dominus Jesus a salutari cruce pendebat : quod prodigium incidit in annum regni Tiberii octavum et decimum. Exorsus enim est lucem effundere suæ prædicationis Dominus noster Jesus Christus anno istius Tiberii quinto et decimo, quemadmodum Evangelium Lucæ[a] plane divinum declarat. Tribus autem annis una cum mensium aliquot accessione, ubi prædicationis munere perfunctus est, ultroneus **290** se offert passioni Dominus simul et Deus noster Jesus Christus, circiter annum Tiberii octavum et decimum. Regnavit autem Tiberius annis propemodum tribus et viginti, sic ut a salutari Christi passione ad exitum usque Tiberii anni sex intermedii numerentur. Proinde sanctus hic apostolus et evangelista Joannes ablegatus exsilio est in insulam Patmon, quæ Cycladum una est, sub extremum regni Domitiani annum. Regnavit autem is annis quindecim, mensibus item quinque. Ab anno Tiberii octavo et decimo, quo celebre illud solis deliquium contigit, ad mortem usque Domitiani, recensio colligitur annorum plus minus quatuor et sexaginta, mensium quoque septem. Supponamus enim admirabilem hunc Dionysium, quando prodigia ejusmo-

[a] Cap. III, 1.

Digitized by Google

di, Domino cruci affixo, perspexit, annorum fuisse viginti quinque, quemadmodum me adhuc legisse arbitror, sic ut omnes anni fuerint circiter nonaginta. Meminit hujus relegationis sanctissimi Joannis et theologi, imperante Domitiano factæ, Irenæus in tertio et quinto libris *Adversus hæreses*. Clemens item Alexandrinus in eo opere, cui inscriptio est : *Quis dives cum sit, possit salvus fieri* : in quo de isto prædonum sicariorumque principe violento non pauca edisserit. Atque ita qui a Tiberio anni resident, supplentur per intercurrentes principes Gaium dico, Claudium, Neronem, Vespasianum, Titum, Domitianum. Dicit igitur Pater hic S. Joanni Theologo, ubi primum per scripturam verbis eum salutationis appellavit. Quid admiratione dignum, si Christus, quod verum est eloquitur : et persequuntur iniqui sanctos? At hi seipsis peræque ac sanctis digna gerunt. Seipsis quidem, quod sanctorum congressum prorsus sint indigni; sanctis autem, quod hac ratione provideatur ut, quæ sancta sunt, intemerata serventur ab illorum impura communione. Isthæc enim visibilia imagines expressæ sunt invisibilium. Etiamsi in sacrosancto Evangelio recitari audiamus : *Et separabit eos ab invicem* [d] : non continuo credi debet Deus istius auctor esse separationis a peccatoribus, qui ad sinistram constituendi sunt : verius hi sibi auctores sunt ejus mali peccatores, quippe qui seipsos prorsus ultronei sequestrarunt a Dei consortio. Quemadmodum ipsi alios perspicimus, quod probi sint amatores rerum per se honestarum, Deo familiarius jungi : jamque **291** ex præsenti primitias quasdam secuturæ mox vitæ præcerpere; ut qui inter homines ad angelicæ conversationis imaginem suos ipsi mores decenter componunt cum omni divini nominis obsecratione et sanctitate. Dei quidem denominationem eo inducit Pater sive quod actiones suas omnes in Dei semper nomine peragant; aut quia a Deo, nimirum Christo, nomenclaturam sortiti, Christi vitam digna exprimunt conversatione. Jam te quidem nunquam dixerim ulla affici passione; sed et si quid interim afflictat corporeæ passionis, eatenus pati te censuerim, quatenus, sensuque ipso percipis dolorem, ut ne maneas incoronatus. Proinde non injuria illis succenseo, qui se confidunt posse te, splendidissimum solem Evangelii in exsilium proscribere. In votis nihilominus, ut vel hi demum ad sobriam et meliorem mentem redeant, et ad te accurrant ocius : ut tuo splendore illustrati, æternæ salutis fiant participes. Quemadmodum enim is insaniæ morbo percitus creditur qui se putat solem hunc includere posse loci cujuspiam angustiis : haud secus illi mihi insanire videntur, qui micantissimam Evangelii lucem arbitrantur se posse tecum intra cancellos Patmi insulæ circumscribere. Nos autem neque contrarium, hoc est, longissimo licet interstitio a nobis sejungaris, privare poterit tuæ fulgore sapientiæ : quin absente etiamnum te, tuum nihilominus identidem recitabimus Evangelium. Et hoc profecto memoriam verissimæ ipsius theologiæ scite admodum nominat Post vero aliquantum

A Νέρωνος, Οὐεσπασιανοῦ, Τίτου, Δομετιανοῦ. Ἀγετ γοῦν ὁ πατὴρ πρὸς τὸν εὐαγγελιστὴν ἅγιον Ἰωάννην τὸν θεολόγον, μεθὸ ἐγγράφως αὐτὸν προσηγόρευσε· Τί θαυμαστὸν εἰ Χριστὸς ἀληθεύει, καὶ διώκουσι τοὺς ἁγίους οἱ ἄδικοι, ἀξίως ποιοῦντες τοῦτο καὶ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς ἁγίοις; ἑαυτοῖς μὲν, ὅτι οὐκ ἄξιοί εἰσι τῆς αὐτῶν ὁμιλίας· τοῖς ἁγίοις δὲ, ὅτι φυλάσσεσθαι ποιοῦσι τὰ ἅγια ἄχραντα ἀπὸ τῆς αὐτῶν κοινωνίας. Ταῦτα τὰ ὁρατὰ εἰκόνες εἰσὶ τῶν ἀοράτων, καὶ εἴπερ ἐν τῷ θείῳ Εὐαγγελίῳ ἀκούομεν, *Καὶ ἀφορισεῖ αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων*, οὐ χρὴ οἴεσθαι ὅτι ὁ Θεὸς αἴτιός ἐστι τοῦ ἀφορισμοῦ τοῖς ἁμαρτωλοῖς, τῆς ἐν ἀριστερᾷ στάσεως· ἀλλ' αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἴτιοι τούτων οἱ ἁμαρτωλοὶ, παντελῶς ἑαυτοὺς ἀφορίσαντες τοῦ Θεοῦ· ὥσπερ καὶ ἄλλους ὁρῶμεν ὡς ἐραστὰς B τῶν καλῶν μετὰ Θεοῦ γινομένους, οἳ δὴ καὶ ἐκ τῆς παρούσης ζωῆς τῆς μελλούσης ἀπάρχονται, ἀγγελοπρεπῶς ἐν μέσῳ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἐμπολιτευόμενοι σὺν πάσῃ θεωνυμίᾳ καὶ ἁγιότητι. Θεωνυμίαν δὲ λέγει ἢ τὸ πάντοτε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πάντα πράττειν αὐτούς· ἢ τὸ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἤγουν τοῦ Χριστοῦ ὀνομαζομένους, κατ' αὐτὸν πολιτεύεσθαι. Ὑμᾶς οὖν οὐκ ἂν ποτε εἴποιμι πάσχειν, ἀλλὰ καὶ εἴ τι ἂν πάσχοιτε σωματικὸν, κατὰ τοσοῦτον λέγω πάσχειν ὑμᾶς, καθόσον διακρίνετε καὶ αἰσθάνεσθε, ἵνα μὴ ἀστεφάνωτοι μείνητε. Μέμφομαι δὲ δικαίως τοὺς νομίζοντάς σε τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ἥλιον περιορίζειν. Εὔχομαι δὲ ὅμως ἀνανῆψαι καὶ προσδραμεῖν σοι, ἵνα φωτισθέντες σωθῶσιν· ὥσπερ γὰρ μέμηνεν ὁ οἰόμενος τὸν ἥλιον τοῦτον περικλείειν ἐν τόπῳ, C οὕτω καὶ οὗτοι μεμήνασι νομίζοντες τὸ φῶς τοῦ Εὐαγγελίου περιορίζειν σὺν σοὶ ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ. Ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τὸ ἐναντίον, τουτέστι τὸ καὶ πορρωτέρω ἀφεστάναι (49), στερήσει τοῦ σοῦ φωτός· ἀλλ' ἐν μὲν τῷ ἀπεῖναί σε, τὸ σὸν Εὐαγγέλιον ἀναγνωσόμεθα, ὅπερ μνήμην τῆς ἀληθοῦς αὐτοῦ θεολογίας εὐθυβόλως ὀνομάζει. Μετὰ βραχὺ δὲ, ὅτε ἀνακληθῇς, κατὰ πρόσωπον ἀλλήλοις ἐντευξόμεθα· ὃ καὶ ὡς ἀποκαλυφθεὶς ἐκ Θεοῦ προφητεύω, ὅτι εἴσω βραχυτάτου χρόνου ἀνακλήθησῃ τῆς ἐξορίας. Περὶ γὰρ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας ἐν Πάτμῳ ἐφυγαδεύθη, διωγμὸν κινήσαντος τοῦ Δομετιανοῦ. Εἶτα περὶ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ τοῦ βασιλέως, ὁρᾷ τὴν θείαν ἀποκάλυψιν. Καὶ μετὰ ταῦτα βασιλεύει Νερούας· καὶ D εὐθὺς ἀνακαλεῖται πάντας τοὺς ἐξορισθέντας, ὅτε καὶ ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ θεολόγος ἐπανῆλθεν εἰς Ἔφεσον. Δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι ἡ ἐπὶ τὴν νῆσον ἐξορία παρὰ Ῥωμαίοις κεφαλικὴν τιμωρίαν ἐμιμεῖτο· καὶ λέγεται *δεπορτατίων*. Καὶ οὐ δύναται ὁ ἄρχων τὴν νῆσον ὀνομάζειν, εἰ μὴ ὁ βασιλεὺς μόνος. Ὁ γοῦν ἁγιώτατος ἀπόστολος καὶ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ὁ θεολόγος *δεπορτάτος* ἐγένετο, ἤγουν εἰς νῆσον ἐξόριστος.

[d] Matth. xx

Digitized by Google

temporis, ubi fueris revocatus, in faciem mutuo fruemur alloquio : id quod, sicuti edoctus divina revelatione, præsagio futurum. Intra siquidem brevissimum tempus ab exsilio revocabere. Circa enim postremum imperii Domitiani annum in Patmon relegatus est, mota in Christianos per hunc Domitianum persecutione. At interim sub istius regis exitum, divinam illam promeretur videre Apocalypsin. Sub hæc Nerva ad imperium asciscitur : qui mox imperio inauguratus, ab exsilio revocat universos. Et hoc quidem tempore sanctus hic Joannes, qui et theologus, rediit Ephesum. Operæ autem pretium fuerit nosse, quia ejusmodi in insulam relegatio apud Romanos, imaginem quamdam repræsentabat capitalis supplicii, eaque dicebatur deportatio. Regis autem intererat, non alterius item cujusvis principum insulam nominatim præscribere damnato. Sanctissimus igitur Joannes apostolus, evangelista, theologorumque eximius deportatus fuit, sive in insulam relegatus.

PETRI LANSSELII

NOTÆ

AD PARAPHRASIM PACHYMERÆ IN EPISTOLAS S. DIONYSII,

In quibus sanctus Maximus et Pachymeres committuntur, interpretatioque Latina recensetur.

EPISTOLA I.

(1) **292** *Φησί τις τῶν παλαιῶν.* Intelligit S. Maximum, apud quem verbotenus ista invenies.

(2) *Συντάγματι.* Maxim. : *Κεφαλαίῳ ς'.*

(3) *Ἡ οἰκετῶν.* S. Maxim. bene *ἡ ἱκετῶν*, ita enim liber Philonis indigitatur. Quare ibi corriges Tilm., vertentem *familiaribus* pro *supplicibus*.

(4) S. Max. : *Πρὸ ὀλίγου τοῦ τέλους τοῦ βιβλίου τούτου ἀράγρωθι τὰ τοῦ αὐτοῦ Φίλωνος*, id est : *Paulo ante finem libri hujus legito verba Philonis.* Nota tamen nullibi in S. Maximo exstare illa Philonis verba. Quare dubito num Pachym. inde transcripserit : posterior vero S. Maxim. exscriptor brevitatis studio illa omiserit. Pachym. post verba Philonis præmittit verbis S. Max. aliquam paraphrasim : postea *αὐτολεξεί* illum affert : sed omisit καὶ ἐν τῷ *Περὶ τῆς μυστικῆς θεολογίας κεφαλαίῳ α'*, et in cap. 1 *De mystica theologia.*

(5) *Πλεονάζει δὲ... περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν.* Tilmannus : *Eorum enim qui a solitaria singularique mansione cognomentum sortiti sunt, monachi in Ægypto per unumquodque territorium numerus est celeberrimus, et omnium maxime circa Alexandriam.* Interpreti imposuit vocis *μονῶν παραγραφή;* scribendum enim fuerat *νομῶν :* de quibus vide Strabonem. Vertendum itaque est : *Abundat vero in Ægypto in singulis regionibus vocatis nomis, et maxime circa Alexandriam.* Error patet conferenti et connectenti *καθ' ἕκαστον* cum *μονῶν*, statim enim solœcismus apparebit, ut omittam familiare esse scriptoribus de Ægypti divisione, meminisse *νομῶν*, sicque hunc locum *αὐτολεξεί* habes apud Philonem, si excipias quod *μαρίας* pro *μαρείας*, et *εὐκαίρου* pro *εὐκαίρως* ponatur, et pro *ἐν ἑκάστῃ δὲ οἰκίᾳ ἐστὶν οἴκημα ἱερὸν ὃ καλεῖται σεμνεῖον, καὶ μοναστήριον*, apud Philonem scribatur *ἑκάστῳ δὲ οἰκίᾳ ἐστὶν οἴκημα*, quæ lectio admittenda videtur : per illam enim insinuatur, singulos monachos habuisse in ædibus suis locum orationibus et meditationibus destinatum, ne putentur sub dio vixisse, sed varias ædiculas in quarum una fabrilia tractarent, in altera dormirent, in tertia orarent, habuisse. Præterea præcessit *αἱ δὲ οἰκίαι*, et patet ex sequentibus *ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἐρμηνείας νομίζουσιν ἀποκεκρυμμένης φύσεως ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης.* Philo : *φύσεως ἀποκεκρυμμένης ἐν ὑπονοίαις δηλουμένης :* et post *νομίζουσιν* nullam interpunctionem posuit, quæ Tilmannus ita vertebat : *Quandoquidem symbola quæ alioqui interpretationis esse videntur omnibus confessæ atque conspicuæ, ea censent arcanæ cujusdam et reconditioris esse naturæ, ut quæ sola allegoriarum luce debeant illustrari.* Philonis interpres latinus Gelenius : *Quoniam sub apertis verbis latere credunt secreta naturæ explicanda probabilibus.* Interpres Gall. : *Parce qu'ils croient que la parole n'est que le signe de la nature qui y est cachée, la représentant et déclarant par conjectures probables.* Verto : *Quandoquidem litteras interpretationis conspicuæ censent esse symbola, seu signa arcanæ cujusdam et reconditioris naturæ conjecturis probabilibus explicandæ.* Quare sic clare ordino : *ἐπειδὴ τὰ*, scilicet *γράμματα* (de quibus jam actum) *τ. ρ. ἑ. ν. σύμβολα φ. ἀπ. ἐ. ὑπ. δηλ.* Lectio igitur Philonis est Attica, ideo concisa et integranda; probatur vero versio, quia dicitur illos uti sacris Scripturis eas allegorice explicando, eo quod putent illas litteras seu verba tantum esse symbola latentium mysteriorum. Explicationi meæ astipulatur ipse Pachym. dum dicit : *Αἱ δὲ ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων γίνονται αὐτοῖς δι' ὑπονοιῶν ἐν ἀλληγορίαις, κ. τ. λ.*, atque dum paulo ante dicebat *ἰδέας ἀπολειπόμενοι;* apud Philonem melius *ἰδέας ἀπέλειπον*, quia *οἳ* præcedens hoc vult. Tilm. integrum locum ita distinguebat et vertebat : *Οἱ πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλειπον οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι μιμοῦνται τῆς προαιρέσεως τρόπον. Multa siquidem monimenta ejusmodi formulæ in eruendis allegoriis observandæ, viri illi ad posteros transmittunt : quibus isti quasi archetypis usi proxime effingunt, imitanturque sui propositi modum.* Verto : *Qui multa monimenta formulæ in eruendis allegoriis observandæ reliquerunt, quibus quasi primariis exemplaribus utentes, imitantur propositi seu studii rationem.* Gelenius mutile reddidit; omisit enim *οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι.* Patet igitur Tilmannum membra orationis confudisse, quod *προαιρέσεως* referendum fuit ad majores, non ad posteros.

(6) *Καὶ μετ' ὀλίγα.* Nota in Philone nihil intercedere *προαιρέσεως τρόπον* et *ὥστε οὐ θεωρεῖσι,*

Digitized by Google

quare vel Pachymeres alio exemplari usus vel hæc defenda.

(7) *Καὶ παρ' ἑκάτερα... ἐπίτασιν.* Tilm. : *Utroris se acclinans quemadmodum remissionem malitiæ dicimus et intentionem.* Verto : *Et utrinque habet tanquam vitia remissionem et intentionem :* sequitur enim *ἔνθεν*, scilicet ex remissione nascitur peccatum cognitionis quod dicitur ignorantia; *ἐκεῖθεν*, scilicet ex intentione, oritur aliud peccatum cognitionis quod dicit *περίνοια*. Ex versione Tilm. ponendum esset ante *κακίας*, articulum *τῆς*, et addendum *λέγομεν*, vel potius scribendum *ἡ κακία*.

(8) *Τὴν περίνοιαν... λέγοιτ' ἄν.* Tilm. : *Vafritiem atque malitiam quæ multa utique*, etc. Verto : *Curiositatem sciendi quæ multa*, etc.

(9) *Καὶ αἱ πολλαὶ περίνοιαι τὴν πονηρίαν.* Tilm. : *Sed et multiplex excogitatio malitiæ unam conciliat improbitatem sive malitiam.* Verto : *Et multæ curiositates vafritiem;* quia ostenditur gradatio quæ in ista versione perit. Dicitur enim quod sicut multæ ignorantiæ pariunt stultitiam, sic multæ curiositates vafritiem. Quemadmodum igitur stultitia crassior est cognitionis privatio quam ignoratio, sic *πονηρία* gravior scientiæ intentio inordinata quam curiositas.

EPISTOLA II.

293 (10) *Ἐνδεκάτῳ κεφαλαίῳ.* S. Maxim. : *Κεφαλαίῳ ιε'*, cap. 15, sed corrige *ια'*, quia ibi habentur. In S. Maximo adde post *ἀγαθότης* (*ἀγαθότητος*) quia sensus et Pachymeres id exigunt.

(11) *Περὶ τὸ τέλος λέγων.* Tilm. : *Sub finem in hunc scribens modum.* Verto : *Sub finem dicens.* Nam in illa non sunt verba S. Dionysii, sed tantum mentem ejus complectuntur : et verborum argumentum.

(12) *Ἀρχὴ θεότητος.* Tilm. : *Principatum deitatis.* Verto : *Principium ;* ex sequentibus enim clarum Deum dici supra *θεαρχίαν*, quia *θεότης* divinitas nostra ab illo procedit, et principium sumit.

(13) *Οὐ μὴν αὐτὸς ὁ Θεός.* Tilm. : *Nec tamen id quod ipse Deus est, assequimur.* Verto : *Non vero ipse Deus.*

(14) *Ὅ τι ποτέ ἐστι λέγω.* Tilm. : *Etiam si alicubi visus sit id voluisse dicere.* Falsum est S. Dionysium alicubi illud dixisse. Verto itaque etiam quæ præcedunt : *Nec enim, inquit, secundum substantiam, divinitatem et bonitatem quid sit dico, verum gratiam bonos, et deos efficientem.*

(15) *Καὶ κατὰ τοῦτον... νοουμένην.* Tilm. : *Juxta hanc disserendi formam asserit dici Deum transcendere primariam illam atque eminentissimam originem deitatis et bonitatis, sicque debere intelligi significat.* Verto : *Et juxta hanc rationem ait dici supra principium divinitatis, et supra principium ista scilicet ratione conceptæ.* Quasi dicat : Si divinitatem in sua substantia concipias, non est supra divinitatem in sua substantia ; quamvis enim Filius a Patre gignatur, tamen divinitas Filii non est minor divinitate Patris, quia una est. Sed divinitas in substantia est supra divinitatem a creaturis per imitationem quodammodo acquisitam.

(16) *Ἀλλ' ἀσχέτως ἔχει.* Tilm. : *Sed indetente eam possidet.* Verto : *Sed sine habitudine seu qualitate habet,* quia scilicet Deus simplex et immutabilis.

(17) *Ἐπεὶ δὲ... λέγεται.* Tilm. : *Nam quando non vere dii ipsi efficimur, præterquam quod imitari utramque conceditur divini numinis perfectionem : hinc qualiscunque ejusmodi imitatio deificatio dicitur.* Verto : *Quandoquidem enim non bene deificemur, nisi numen divinum imitando, ideo imitatio dicitur.*

(18) *Τοίνυν καὶ μίμησιν μὲν... καὶ ἡ ἀγαθότης.* Tilm. : *Itaque et imitatio et habitus qualescunque res ejusmodi sunt, deitas talis et bonitas.* Verto : *Ipsæ igitur res deitas et bonitas* (scilicet nostræ) *sunt imitatio et habitus,* scilicet gratia.

(19) *Μετέχοντες δὲ καὶ μιμούμενοι οἱ ἄγγελοι, καὶ τῶν ἀνθρώπων.* Tilm. : *Proinde utrumque sortiti sunt angeli participatione simul et imitatione, et ii hominum,* etc. Verto : *Participantes vero et imitantes angeli et ii hominum.*

(20) *Τὸ δὲ θεῖον*, etc. Tilm. : *Manet interim divina illa majestas.* Verto : *Divina vero natura est inimitabilis.*

(21) *Καὶ ἄσχετον.* Tilm. : *Nullique pro dignitate comprehensibilis.* Verto : *Et habitibus seu qualitatibus carens;* sicut supra *ἀσχέτως* verti. Ratio est quia imitatio versatur circa accidentia, quare cum Deus accidentibus careat, perfecte exprimi in nobis nequit. Si dicas cum sancto Dionysio angelos carere accidentibus, tunc dicendum est hic agi de imitatione hominum. Quod ad angelos, illis etiam esse Deum inimitabilem, quia imitatio sequitur modum apprehensionis, quare cum illi pro gradu dignitatis, quæ tamen est finita, perfectius Deum apprehendant, etiam perfectius imitantur; sed quia non comprehendunt, ideo etiam est ipsis inimitabilis scilicet in omnibus.

(22) *Πρὸς σχέσιν Θεοῦ προκόπτει.* Tilm. : *Ad captum Dei promoverit.* Verto : *Ad qualitatem Dei scilicet efficiam promoverit.* Nam *σχέσις* refertur ad *ἀγαθότητα*, sequitur enim *ὑπερέχον τὸ Θεῖον, τῶν μιμήσεων καὶ τῶν σχέσεων δηλονότι, τῆς θεότητος καὶ ἀγαθότητος*; quare *σχέσις* est habitus quem Deum imitando assequimur, et per quem ei similes efficimur. Ideo dicitur quod quanto magis in ista qualitate proficimus, tanto magis divinitatis immensitatem advertimus. Gall. quoque sententiæ meæ subscripsit.

(23) *Εἰκότως.* Tilm. : *Jure igitur summæ illi divinitati summæque bonitati astruitur supereminere Deus.* Verto ut supra : *Jure igitur supra deitatis et bonitatis principium est.* Neque enim hic agitur de supremo gradu divinitatis imitatoribus Dei concessibilis ; sed tantum dicitur quod supereminet illi divinitatis principio, et bonitatis quod creatura ipsam imitando acquirit, quæ divinitas pro perfectione imitationis augescit.

EPISTOLA III.

(24) *Κρύφιος ἀντὶ τοῦ Θεοῦ ὡς ἀόρατος εἴρηται.* Tilm. : *Krύφιος pro Deo hic ponitur, quemadmodum idem ἀόρατος dictus est, invisibilis.* Verto partem postremam : *Quemadmodum ἀόρατος invisibilis dictus est*, id est sicut *ἀόρατος* significat Deum, sic *κρύφιος*, vel potius *κρύφιος* pro Deo hic dictum est sicut *ἀόρατος*.

EPISTOLA IV.

(25) *Ὅτι καὶ ἐκ πάντων.* Tilm. : *Quia ab omni re.* Verto : *Quod ab omni re*, et *adsit* pro *adest*, quia refertur ad *antevertit dicere.*

(26) *Καὶ πάλιν οὐ μὴ φήσομεν ἐπὶ τούτου.* Tilm. : *An e diverso homo ideo censetur.* Verto : *Et rursus nunquid de hoc, scilicet Jesu, dicemus.*

(27) *Ὅτι συνεῖναι... λέγεται.* Tilm. : *Quia illi cum hominibus convenit, quod sua providentia rebus prospiciat mortalium, sicut et illi convenit cum cæteris omnibus quæ sunt.* Verto : *Quod adesse hominibus dicitur, tanquam horum provisor sicut et aliis omnibus adesse dicitur.*

(28) *Ἐν ταῖς χρονογραφίαις.* Tilm. : *In suis cosmographiis.* Verto : *In chronographiis*, seu *in libris de temporum serie.*

(29) *Λέγεται γὰρ ὁμωνύμως πᾶσι τοῖς ἐξ αὐτοῦ.* Tilm. : *Dicitur enim æquivoce ipse Deus iis omnibus quæ ab ipso habent ut sint.* Verto clarius : *Deus enim eodem nomine quo res ab ipso conditæ appellatur.*

(30) *Ἐπειδὴ ἐν πᾶσίν ἐστιν. Quandoquidem in singulis exsistat :* hæc desunt in Latino.

(31) *Οὐχ ὡς αἴτιος... λέγεται.* Tilm. : *Non hoc modo auctor videtur esse hominum, quemadmodum*

Digitized by Google

secundum totam substantiam homo prædicatur humana circumdatus substantia, 1° omnia obscura; 2° falsa; quia vere Christus tota humana circumdatus est substantia; 3° ex S. Max. corrigendus est textus isto modo : *Οὐχ ὡς αἴτιος ἀνθρώπων, ἀλλ' ὡς κατὰ τὴν οὐσίαν ὅλην οὐσιωθεὶς ἄνθρωπος λέγεται.* Ergo hic, loco *δέ*, ponendum fuerat *ἀλλά*; 4° sic vertendum : *Non tunquam auctor seu creator hominum, verum tanquam secundum totam substantiam humana circumdatus carne homo dici videtur.*

(32) *Καὶ ἔχων μὲν εἰπεῖν... τὴν ἀλήθειαν.* Tilm.: *Ut qui poterat propriam huic quæstioni reddere rationem, quia sic prædicatur humana carne vestitus, ut veritatem ipsam carnis nulla ex parte imminuerit, aut corruperit.* Verto : *Et cum posset propriam hic rationem dixisse, quod tanquam vere humana carne vestitus homo dicatur, neque veritatem corruvisse*, scilicet sic respondendo. Verba Græca et sequentia nullum alium admittunt sensum, quia *λυμήνασθαι* non potest attribui Christo, sed scribendum fuisset *λυμηνάμενος*, quare refertur ad *ἔχων*, scilicet sanctus Dionysius.

(33) *Τέως δὲ καὶ τοῦτο θέλων... φησὶν· Ἡμεῖς.* Tilm.: *Et hoc sane cum prius instituisset, juxta proportionem mediumque aliorum nominum explicare, nimirum juxta causam (hoc enim unicus erat illi scopus) hinc ait nos.* Verto : *Prius vero volens etiam hic (scilicet nomen) juxta definitionem aliorum nominum (scilicet Christi) explicare, nimirum secundum causam et principia (hoc enim sibi proponit) ait: Nos.* Sensus est clarus, si cum immediate præcedenti periodo conferatur.

(34) *Ἀλλὰ ἄνθρωπος... τὸ φιλάνθρωπον.* Tilm.: *At profecto vero homo erat benignissimus ille hominum amator : hoc enim perspicue indicat dictio διαφερόντως*, id est *excellenter, quod videlicet cæteros anteiret sua præcellenti erga nos charitate.* Sensus est intricatus; dubium enim est num velit dictionem *διαφερόντως* afferre tanquam rationem præcedentium : quia periodum finit. Verto : *At profecto vere homo ille valde hominum amans; hoc enim est* excellenter, *nempe omnibus creaturis excellens benevolentia erga homines.* Quare hic solum dicitur *διαφερόντως* idem esse quod *Mar.*

294 (35) *Ἀμέλει... ἄνθρωπος.* Tilm.: *Denique in exuberantissima opulentia divinæ suæ naturæ vere factus homo.* Male separat hæc a præcedentibus : hic enim dicitur ratio præcedentium. Verto : *Videlicet in divinitatis opulentia, et vere factus homo.* Ratio enim eminentissimæ ipsius substantiæ, potestatis, virtutis, et divinæ naturæ quam habet, opulentia.

(36) *Οὔτε κατὰ ἄνθρωπον, τὰ ἀνθρώπινα.* Tilm.: *Non quatenus homo humana gessit*, falsum est. Verto igitur : *Non secundum humanam naturam*, id est humanas vires *humana gessit*, scilicet ambulare super aquam, etc.

(37) *Κιρναμένων ὥσπερ τῶν φύσεων..... τῆς συμφυΐας.* Tilm. : *Dominum constitisse naturis veluti contemperatis, sic nimirum vocabulis concordi naturarum fœdere in sese utrovis recurrentibus.* Verto : *Sicut naturis commistis, unitis, sic videlicet etiam appellationibus mutuo quoque recurrentibus ratione conjunctionis naturarum.* Quasi dicat : Sicut in Christo duæ naturæ in eadem subsistentia uniebantur, sic appellationes utriusque erant communes, et quæ homini tribuebantur, etiam Deo conveniebant : v. g. sicut dicebatur pati, esurire, sic Deus pati, esurire propter communionem idiomatum; et sicut Deus omnipotens, creator, sic Christus homo, omnipotens, creator.

(38) *Οὕτω καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου τὰ αὐτὰ, οὐ γὰρ κατὰ ἄνθρωπον.* Tilm. : *Ad eumdem modum, quæ cum his e regione pugnant.* Verto : *Ad eumdem modum, eadem scilicet opera, a contrario, non enim secundum humanæ naturæ vires.* Hoc igitur membrum est contrarium præcedenti in quo dicebatur Christus sua fecisse *οὐ κατὰ Θεόν* : hic dicitur *οὐ κατὰ ἄνθρωπον.*

(39) Hic pone sequentia quæ desunt in Pachymere : *μηδεὶς εἰς μωρολογίαν τραπεὶς λεγέτω, ὅτι θεαρδρίτην τὸν Κύριον Ἰησοῦν φησὶν· οὐ γὰρ θεαρδριτικὴν εἶπεν ἀπὸ τοῦ θεαρδρίτης σχηματίσας, ἀλλὰ θεαρδρικὴν ἐνέργειαν, οἷον Θεοῦ καὶ ἀνδρὸς συμπεπλεγμένην ἐνέργειαν.* Verto : *Nullus in stultiloquium conversus dicat quod θεαρδρίτην Dominum Jesum vocet; non enim θεαρδριτικὴν dixit a θεαρδρίτης formans, verum θεαρδρικὴν ἐνέργειαν, quasi Dei et hominis commistam operationem.*

(40) *Ἐνήργησε γὰρ... παῖδα ἴάσατο.* Tilm. : *Nam quando Centurionis filium absens restituit sanitati, hoc perfecit quasi Deus, non etiam homo.* Verto : *Operatus enim est, et quasi Deus solum, quando absens filium centurionis sanavit;* reliquum superfluum.

(41) *Τὴν θεαρχικὴν ἐλπὼν... τὰ θαύματα.* Tilm. : *Cum dixit primariam, scilicet illam Dei operationem per quam suspicienda signa edebat.* 1° Sanctus Dionysius tantum habet *θεαρδρικήν*, quare hic etiam scribendum fuit; 2° *θεαρχική*, aliter usurpatur ut supra in *θεαρχία* probatum est; 3° agitur de actione quæ procedit **295** a virtute divina et humana, quare *θεαρδρικὴν* est *divinam-humanam.*

(42) Οὐκ ἂν διαλυμανθείη καθόλου ἡ ἀλήθεια. Tilm.: Neque enim sugillari aut prorsus opprimi debuit veritas. 1. *Hinc probatur mea correctio in λυμήνασθαι τὴν ἀλήθειαν supra in hoc capite.* 2. *Verto :* Neque ullo modo corrupta fuisset veritas. *Quasi dicat : Etsi Deus diceretur homo, quia hominum creator, sicut dicitur sol, quia solis creator, nihil contra veritatem peccaretur.*

EPISTOLA V.

(43) Πρώτῳ βιβλίῳ. *Scribe κεφαλαίῳ, quia unicus est liber.*

(44) Εἰ γὰρ καὶ φῶς ἐστιν. Tilm. : Etiam si lux sit. *Verto :* Nam etiam si lux sit.

(45) Αὐτὸ τὸ γίνεσθαί τινα... μετὰ πάντα. *Tilm.* Nimirum hoc ut fiant quædam vim visivam cognitivamque excedentia, et neque ea perspicere possis neque nosse. Porro hoc solum contingit nosse, quia post omnia. *Verto :* Nimirum aliquem esse supra visionem et cognitionem, et neque videre, neque cognoscere quod post omnia, etc. *Quasi dicat : Sicut Moyses videns Deum, invisibilis aliis erat, et sciebat Deum a se non perfecte videri, sic ille dicitur Deum videre, qui sublimia in Deo contemplatur, et tamen scit necdum Deum a se videri. Ex versione alia sequeretur, considerationem rei miraculosæ esse visionem Dei, quia illa superat vim visivam cognitivamque.*

(46) Τὸ δὲ ὑπὲρ πάντα... ῥηθέντος τοῦ λόγου. *Tilm. :* Illud autem *supra omnia* dixit pro *post omnia*, declarans interim ipsam rerum omnium sensilium simulque intellectilium pervasionem viam esse compendiariam ad parandam nobis cognitionem rationis inductæ. *Verto :* Pro ὑπὲρ πάντα, *super omnia*, dixit μετὰ πάντα, *post omnia*, declarans sensilium simulque intellectilium omnium transcensionem sermone ad nostræ cognitionis captum accommodato prolato : *id est, sic loquitur ut nobis se accommodet.*

(47) Οὕτω γὰρ... ἀνάγεται. *Tilm.:* Sic enim cognitio ejusmodi simul atque universa transmisit ad Deum, sustollitur primum. *Verto :* Sic enim cognitio, scilicet nostra, simul atque universa transcendit ad Deum sustollitur. *Præcessit ἡμετέρα, quare commode* ἐξακουστέον *quandoquidem lumen ferat.*

(48) Ὅτε γοῦν τούτου τις ἀξιωθείη. *Tilm. :* Cum igitur quispiam se illo dignum præstiterit. *Verto :* Cum igitur quis dignus habitus fuerit.

(49) Ὡσανεὶ ταύτης..... εἰδέτω. *Tilm. :* Quasi vero

Digitized by Google

omnes norint absque prævia demonstratione, quia Deus ipse incomprehensibilis est. Cæterum scito. *Verto:* Tanquam hac cognitione communi existente, et omnibus nulla prævia demonstratione scientibus quod Deus est incomprehensibilis : verum sciat. *Debuit poni comma post* ἀνεξερεύνητος, *et* κρινῆς *cum reliquis genitivis, reddenda per ablativos absolutos.* Κοινῆς *opponitur præcedenti* ὑπὲρ νόησιν.

(50) Τῶν ἀξιωθέντων γνώσεως θείας. *Tilm.:* Qui se præstiterunt dignos divina hac cognitione. *Verto, ut supra:* Qui digni habiti sunt; *quia multi assumuntur nullis præviis meritis, et revelatio est sæpissime donum gratis datum.*

EPISTOLA VI.

(51) Καὶ πλάνην ἐμποιοῦν τῷ ὀρθῷ λογισμῷ ἄλλως τε καὶ τοὺς λόγους ἐν κρίσει ποιούμενος καὶ εἰδώς. *Tilm.:* Erroremque instillaret animis auditorum prætextu rectæ ratiocinationis : sermones texit severitatis admodum plenos ut qui perspicue nosset. *Verto:* Et errorem indere rectæ ratiocinationi, aliaque ratione sermones cum judicio instituens et sciens. *Ex contextu patet hæc referenda ad S. Dionysium, non ad Sopatrum, quia post periodum sequitur* διὰ τοῦτο τίθησι τὴν ἐπιστολήν.

(52) Καὶ ὅπερ ἐγκαλεῖ πρὸς ἐκείνους, αὐτὸς πέλσεται. *Tilm.:* Ipse pateretur quod aliis vitio vertit, et improbat. *Verto:* Et quod in aliis reprehendit, ipse credet. Πείσεται *est a* πείθομαι, *accipitur passive sicut apud Homerum. Probatur ex fine capitis.*

(53) Ἐξ ὧν ἐλέγχει ἐκείνους αὐτὸς περιπίπτων καὶ βλασφημῶν. *Tilm.:* Ut qui amarulentius cum illis expostulet ipse in pudendum prolapsus errorem, cum interim alios exsecraretur et incesseret maledictis. *S. Dionysius nullibi Sopatrum dicit lapsum. Verto igitur:* In ea de quibus illos arguit delapsus, et male de Deo sentiens; *quasi dicat: Cave ne tu aliquando a Deo propter arrogantiam derelictus in istos errores, de quibus alios carpis, incidas et impie de Deo sentias. Origo erroris est quod præcedentem sententiam male ceperit.*

(54) Τότε γοῦν προηγουμένως μὲν τὸν τῆς ἀληθείας ἐκτίθεσθαι χρὴ λόγον καὶ ἠκριβωμένως, (S. Max. διδασκαλικῶς τὸν τῆς ἀληθείας ἐκτίθεσθαι λόγον ἠκριβωμένως·) μετέπειτα δὲ καὶ τῇ ἀντιῤῥήσει κατὰ τῆς τῶν ἀσεβῶν ἐπαναστάσεως χρῆσθαι. *Tilm.:* Tunc sane vel in primis convenit verbum veritatis expromere omni cum diligentia. Ad hæc contradictione etiamnum adversus insolescentem impiorum rebellionem utendum fuerit. *Verto:* Tunc sane vel in primis, veritatis ratio expromenda omni cum diligentia, postea vero, vel secundario, refutatione etiam adversus impiorum oppugnationem utendum.

(55) Θέλει γοῦν ἀναλογίζεσθαι... καὶ νικᾷ. *Tilm.:* Vult itaque ut hic cum adversus eos texit sermones qui quadantenus nostræ fidei adversantur, si quando contingat victoria. *In Græcis sic construendum*, θέλει γοῦν ἀναλογίζεσθαι ὡς ὅτε δὴ καὶ νικᾷ. *Verto:* Vult itaque ut quando superior evadit qui adversus aliquo modo contrarios disputat, secum cogitet. *Vel servando verborum ordinem verto:* Debet itaque qui contra quadantenus adversarios disputat cogitare quod quando victoria contingit.

EPISTOLA VII.

(56) Ἐν τρίτῳ τῶν *Κατὰ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Tilm.:* In tertio asserit adversus falsi nominis scientiam. *Verto:* in tertio eorum quos adversus falsi nominis scientiam scripsit alteri.

(57) Καίτοι γε ἅμα... ἐκλείψει. *Tilm.:* Etiamsi cum D. Dionysio non pauca, sed et cum primis digna admiratione una perspexisset ea præsertim quæ Domino a cruce pendente **296** contigerunt per solare illud deliquium. *Verto:* Etiamsi cum B. Dionysio non pauca illa et admiratione digna conspexisset, quæ Domino a cruce pendente contigerunt per illud solare deliquium. *Videtur enim ex altera visione etiam alia miracula præter hæc quæ tempore passionis contigerunt, vidisse.*

(58) Εἰ ἄρα ἄξιοί εἰσι θαυμασμοῦ τῆς ὀρθῆς κρίσεως ἕνεκα. *Tilm.:* Si certe ad rectitudinis lineam dignos exhibeant ac suspiciendos morum ornamentis. *Verto:* Si nimirum digni sunt admiratione propter rectum judicium. *Non enim hic agitur de moribus, et multi sunt orthodoxi, moribus pessimis: sed de veritate secundum se examinanda, non vero ex comparatione cum erroribus æstimanda; quia multi bene sentiunt in aliorum erroribus refutandis, sed ipsi alios habent errores.*

(59) Οὐ μήν γε πάσης τῆς ἀληθείας ἀπατηλὸν εἴδωλον. *Tilm.:* At vero totius veritatis subdolam. *Verto clarius:* Nequaquam vero totius veritatis subdolam, scilicet imaginem tenet. *Hæc* οὐ μήν γε π. τ. ἀ. *parenthesi includo, quare illa* καὶ ἴσως κατέχει, etc. *vertantur:* et fortasse alicujus particulæ veritatis (nequaquam vero universæ veritatis) imaginem subdolam tenet.

(60) Θαυμάσιον δὲ καὶ τὸ εἴδωλον. *Tilm.:* Admirabilis prorsus ejusmodi idoli acceptio. *Verto:* Admirabile vero etiam εἴδωλον, seu imago, scilicet particulæ veritatis.

(61) Προσκροῦσαν μὲν τῷ ἀληθεῖ. *Tilm.:* Ubi enim primum veritati mendacium illiserit. *Verto:* Ubi enim in veritate impegerit.

(62) Πάντως αὐτὸ προσκρούσει, καὶ αὐτὸ πεσεῖται. *Tilm.:* Necesse prorsus mox allisam veritati præcipitem ruere. *Verto:* Prorsus ipsa corruet. *Continua enim est pugna, seu illam infert falsitas, sustinet vero veritas, et sustinendo vincit, quia falsitatis acies tanquam a chalybe obtunditur.*

(63) Ὅτι δῆθεν τοῖς πατρίοις θεοῖς ἐμνησικάκησα. *Tilm.:* Quod eorum refricem, et tanquam renovem memoriam quæ vernaculi isti et gentiles dii, scilicet per omne genus flagitiorum effusi designarunt. *Verto strictius:* Quia videlicet erga patrios deos ob antiquam injuriam malevolo fui animo.

(64) Καὶ ἡ φιλοσοφία γνῶσις τῶν ὄντων ἐστὶν ἢ ὄντα. *Tilm.:* Est enim philosophia rerum conditarum cognitio quæ res ipsæ nos. *Verto:* Et philosophia sic cognitio entium quatenus exsistunt. *Male igitur distinxit etiam sequentia, quare omnia verto:* Oportebat sane subrigi ipsum, siquidem verus sit philosophus, et philosophia sit cognitio entium quatenus exsistunt, ad entium auctorem Deum utentem entium cognitione, quam ipse quidem philosophiam vocat. *Sic igitur ab* oportebat *usque ad* at Paulus *omnia corriges.*

(65) Τουτέστι τῆς ἐμφαινομένης τῷ ἐναρμονίῳ καὶ τεταγμένῳ τῆς κτίσεως. *Tilm.:* Per creaturam videlicet tanquam in speculo Deum ipsum exprimentem concinna atque decenti sua compositione simul et ordine. *Verto: Hoc est per sapientiam concinna et decenti creaturæ compositione simul et ordine manifeste apparentem.*

(66) Φήσας γὰρ... ἐλέγχει τοῦτον, etc. *Tilm.:* Dixit enim Pater quia per hoc ad ejus cognitionem æquum fuerat ut pertingeret, qui nimirum Deus universitati rerum certos fixosque limites præscribit; cujus, inquam, imperio sol et luna in hoc dispositi sunt, ut diem finiant suo excursu, totumque permeent cœli ambitum. Arguit interim hunc. *Ex mala distinctione mala versio. Verto:* Dicens enim æquum esse ex hoc cognovisse Deum universo leges ponere, quia sol et luna terminis diei, scilicet naturalis constitutis currunt, et simul cum universo cœlorum orbe circumvolvuntur. Arguit hunc. *Dicit igitur solem et lunam præter proprium motum, etiam moveri motu primi mobilis, quod in philosophia notum.*

(67) S. Max.: Ταῦτα ἡρμηνεύσαμεν κατὰ Ἀπολλοφάνην τὸν λέγοντα μὴ σὺν τῷ ἡλίῳ καὶ τὸν οὐρανὸν ἑστάναι τότε, ἐπεὶ ἐν τῇ πρὸ ταύτης προγραφῇ, τὸ ἀκριβὲς προειρήκαμεν. *Desunt in Pachym. Posteriorem partem non capio, quia nullibi antea de hac re egit, nisi in c.* 4 De divinis nominibus. *Verto:* Hæc

Digitized by Google

explicui secundum Apollophanem dicentem cœlum minime tunc una cum cœlo constitisse, alioqui antea in præcedenti commentario veritatem accurate diximus.

(68) S. Max.: λβ' γὰρ ὡρῶν γέγονε τὸ ἀπὸ ἀνατολῆς. *Corrige ex Pach.* λβ' γὰρ ὡ. γ. δέκα ἀπὸ ἀνατ. *et* καὶ δώδεκα μέχρι, *clarius ex eodem erit* κἀκεῖθεν δώδεκα μέχρι.

(69) *S. Max. ex Pachym. sic corrige aut saltem explana:* Ἐπὶ τὸν ἰσημερινὸν τῷ μετοπώρῳ, *scribe,* μετοπωρινὸν, *vel potius* ἐν τῷ μετοπώρῳ κατάβασιν νοτίαν ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ *adde* τοιούτου, *sic:* ἀπὸ τοῦ τοιούτου ἰσημ. καὶ ἀπ' αὐτοῦ πάλιν ἀνάβασιν νοτίαν ἐπὶ τὸν ἰσημερινόν. *Scribe* καὶ ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ πάλιν ἀνάβασιν νοτίαν ἐπὶ τὸν ἐαρινόν.

(70) *Adde ex S. Max.* καὶ τοῦ προσθεῖναι *αὐτοῦ. Verto:* Et apponendo αὐτοῦ, *et post* μοῖρα τοῦ κριοῦ, *adde* πλήρει μὴ ἐχούσῃ λεπτά.

(71) Δι' ἡμερῶν τξε', καὶ τεταρτημόριον. *Tilm.:* Per dies videlicet 365, * *asteriscum hunc posuit quia in ipsius exemplari erat* καὶ δρ". *Ego puto per illud signum notari quartam partem, scilicet diei, hoc est 6 horas, quia* δ *significat* 4; *sic scribo* δμρ" *ut per* δ *significentur* 4, *et per* μρ" μέρη *i. quarta pars, scilicet diei.*

(72) Διὰ τῆς τελετῆς τῶν μνημοσύνων τοῦ τριπλασίου σημαίνουσι. *Tilm.:* Per mysticam cæremoniam triplicati solis suis etiamnum commentariis declarant. *Verto:* Per ritus quos propter memoriam triplicati solis observant significant. *S. Max. aliter capit, nam refert ad S. Dionysium; dicit enim illum extensionem istius diei per vocem* τριπλασίου *significasse.*

(73) Ἔδει δὲ πάλιν... συνέβη. *Scribendum est* ἀπολιποῦσαν *et* ὑπονοστῆσαι. *Tilm.:* Oportebat autem illam rursus inferiori sibique proprio loco restitui, ut ordo illi connaturalis asservaretur: hinc contigit ut sole rursus relicto abierit deorsum. *Verto:* Oportebat autem illam in proprium locum reverti, ut ordo illi connaturalis asservaretur; hinc contigit ut sole rursus relicto redierit, *scilicet ad suum locum.*

(74) Καὶ ἤδη ἀρξαμένης... φωτίζεσθαι. **297** *Tilm.:* Cum jam cœpisset inferiori sedi suæ restitui, conveniebat hanc ipsam occiduam partem disci primum deserente luna, ut qua esset parte orientem assecuta secundum illam in primis fraterno lumine perfunderetur. *Illa* ἵνα *usque ad* ἐκεῖνο *parenthesi includenda. Verto:* Cum jam cœpisset reverti, conveniebat ipsa occiduam partem disci primo deserente (ut orientalem partem occuparet) ut illa scilicet occidua pars etiam primo illuminaretur. *Nota agi hic de eclipsi solis, quando scilicet luna interposita inter nos et solem, illius lumen nobis aufert: ergo,* inquit, *illa pars quæ prius ab illa deseritur, prius lumen suum diffundit, quare cum prius occiduam partem reliquerit, illa etiam prius orientale lumen suum nobis communicavit. Clarius cognosces ex S. Max. Scholiis. — Post* φωτίζεσθαι, *adde ex S. Max.* μέμνηται μὲν καὶ Φλέγων ὁ Ἑλληνικὸς χρονογράφος ἐν τρισκαιδεκάτῳ *Χρονογραφιῶν* ἐν τῇ σγ' Ὀλυμπιάδι, τῆς ἐκλείψεως ταύτης, παρὰ τὸ εἰωθὸς αὐτὴν λέγων γενέσθαι· οὐ μὴν τὸν τρόπον ἀνέγραψε καὶ Ἀφρικανὸς ὁ ἡμέτερος ἐν πέμπτῳ *Χρονογραφιῶν*, καὶ Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν ταῖς αὐταῖς μέμνηται τῆς αὐτῆς ἐκλείψεως.

(75) Ταῦτα ἐγὼ πρὸς αὐτὸν κατ' ἐπιστολὴν μὴ μηκύνων τὸν λόγον. *Tilm.:* Hæc ergo ad ipsum usque perferri velim, ad epistolam ne verbum quidem adjiciens. *Verto:* Hæc ego ad ipsum secundum epistolæ rationem sermonem minime producens, id est breviter prout epistolæ convenit.

EPISTOLA VIII.

(76) Τὸ προῦχον καὶ ἐξαίρετον τῆς θεομιμησίας ἀνακηρύττουσιν τὴν πραότητα. *Tilm.:* In primis exsuperantem ejus atque eximiam celebrant mansuetudinem, divinæ clementiæ æmulam. *Verto:* A quod præeminet eximiumque est in Dei imitatione mansuetudinem, scilicet extollunt. *Quasi dicat: Nulla re melius Dei imitationem exprimi quam mansuetudine. Sic etiam S. Max. interpretatur.*

(77) Ἐπαῤῥησιάζετο λίαν πραέως. *Tilm.:* Magna licet usus libertate, clementer tamen ac placide respondit. *Verto:* Libertate utebatur valde placide, *Moyses enim hæc Deo, non adversariis dicebat.*

(78) Ἀγαθοειδεῖς ἀνακηρύττονται. *Tilm.:* Ejusmodi benignitatis conformes mire laudantur. *Periodum integram novam facit, sunt tamen ista verba epitheta præcedentium. Verto:* Benigni prædicantur, scilicet Jacob, Joseph, Abel. *Nam ista omnia* ὁ μὲν ὡς ἁπλαστος *usque* ἀγαθοειδεῖς *exclusive, sunt parenthesi includenda, sic in Latino, ab* ille quidem, *usque* profectus est, *inclusive.*

(79) Οὔτε προποιεῖν τὰ κατά. *Tilm.:* Vel admisisse aliquando. *Scribe,* προσποιεῖν, *sicut etiam* προσεπινοεῖν, *sic enim D. Dionysius. Verto:* Neque B mala simulate fingere.

(80) Τὰ μὴ ὄντα....., καὶ συνοχέα. *Tilm.:* Quæ prius non erant, fecit ut essent. Eo hoc dicitur Patri quod conserventur, et in vigore sibi indultæ essentiæ perdurent. Hunc reputate animis vestris esse eum qui condidit et continet. *Verto:* Quæ prius non erant fecit ut essent, hoc est ut perdurent conservat, sic ut idem sit et conditor et conservator. *Videtur referre* τουτέστι *ad sanctum Dionysium per* Patri, *id est a Patre: hoc tamen dici nequit, quia Pachym. seipsum explicat, non Patrem videtur legisse* οἴεσθαι *pro* ὥστε, *etiam. Ego vero arbitror aliam adhibendam dispunctionem, atque aliquid* ἔξωθεν *adducendum, nempe ante* τουτέστιν. Καὶ πάντα αὐτὰ πρὸς τὸ εἶναι παράγειν, τουτέστι διακρατεῖν πρὸς διαμονήν. *Nam* ποιεῖν *non est* διακρατεῖν πρὸς διαμονήν, *seu creare non est conservare: porro* παράγειν *significare* conservare, *antea probatum est; nam si res aliqua creata crescat in perfectione, censetur ejus esse conservari, non creari.*

(81) Παρακαλεῖ γὰρ μὴ ἀπαξιωθῆναι παρ' ἐκείνων τῶν θρυπτομένων καὶ ἁλαζονευομένων. *Tilm.:* C Hortatur enim oratque ne sic indigne ab eis deseratur, qui toti diffluunt deliciis, insuper insolescunt supra modum. *Henricus Stephanus in* θρύπτομαι, *vult* θρυπτομένων *non referri ad* ἤθος κατακεκλασμένον, *sed dici* θρύπτεσθαι *eum qui illud facit quasi voluptati suæ indulgentem, atque adeo voluptatem capientem ex aliorum ægritudine ob eam quam patiuntur repulsam, et in sequenti loco pro* σωματικῷ *reponit* τεθρυμμένῳ. *Quod ad primum attinet, certum est illum idem dicere cum S. Max. et Pachymere, qui alterum ad verbum descripsit; in quo enim differunt?* Λέγεται ἡ λέξις καὶ ἐπὶ τῶν ἐρωμένων, οἳ, τὴν πρὸς τοὺς ἐρῶντας ἀναβαλλόμενοι συντυχίαν, τοιούτῳ τῷ σωματικῷ, τουτέστι κατακεκλασμένῳ, κέχρηνται ἤθει. *Tilm. vertebat:* Proinde dictum hoc in eos pertendere videtur, qui cum impendio amentur, inopina qualibet nec sperata D rerum mutatione erga amicos cunctatiores facti, isto utuntur corporali, hoc est præfracto more amantium. *Verto:* Usurpatur hæc dictio θρυπτομένων, de iis qui impendio amantur, qui fruitionem deliciarum quas ab amatoribus sperant de die in diem differentes, isto utuntur corporeo, hoc est præfracto, et molli gestu corporis. *Quo scilicet simulant se alienos, cum interim maxime velint, quare cum hoc sit, faire de l'enchery, inique Henricus Stephanus reprehendit S. Max., ut omittam, non posse fieri, amatum* θρύπτεσθαι, *nisi* κεκλασμένῳ *utatur* ἤθει; *bene igitur* θρυπτομένων *explicuit S. Max.;* σωματικῷ *retinendum: sic enim etiam habet Pachym. et cinædorum mollities apparet in externo, id est corporali gestu.*

(82) *Καὶ θεραπεύσειν ἐπαγγέλλεται. Tilm.:* Seque pollicetur illorum votis obsecuturum. *Verto:* Etiam potius promittit curaturum (scilicet vulnera animæ). *Vide notas in textum.*

(83) *S. Max. post* Ἱππόλυτος *addit,* καὶ οἱ τὰ Ὠρι-

Digitized by Google

γένους δὲ δογματίζοντες τὰ αὐτὰ φρονοῦσι· περιφὺς δὲ ἀντὶ τοῦ περιπλακείς, *desunt in Pachym. Verto :* Et qui sententiam Origenis sectantur idem sentiunt, περιφύς, idem quod complexus.

(84) *Post* μετανοοῦντα, *S. Max. habet sequentia :* Δοκεῖ δέ μοι Δημόφιλος πρεσβύτερον ὑβρικέναι· τοὺς γὰρ ἱερέας πρεσβυτέρους εἰωθε καλεῖν, ὡς ἐν τῷ *Περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας* διετράνωσε. Καὶ ἐνταῦθα δὲ μετὰ βραχέα ὑποκατιὼν τὸ εἰρημένον μοι συνίστησι, καθ' ὑπέρβατον δὲ ἡ σύνταξις· ὕβριζες τὸν ἱερέα δικαιώσαντα, τὸ καὶ τὸν ἀσεβῆ ἐλεητὸν ὑπάρχειν, ἦγουν ἐλέους ἄξιον. *Verto :* Videtur mihi Demophilus presbyterum injuria affecisse. Sacerdotes enim presbyteros vocare solet, sicut **298** in libro *De ecclesiastica hierarchia* declaravit, et hic post pauca meum dictum confirmat. Constructio vero est secundum hyperbaton : injuria affecisti sacerdotem juste pronuntiantem impium esse ἐλεητόν, hoc est misericordia dignum.

(85) S. Max. : Συνέστειλας ἀντὶ τοῦ ἐταπείνωσας καὶ ἐσμίκρυνας, ἢ οὐ τοῦτο, ἀλλὰ συνέστειλας ἀντὶ τοῦ συνῆξας, ὡς εἴρηται, οἱονεὶ ἐπῆρας. *Verto :* Συνέστειλας, pro, viliora et contemptibilia effecisti; aut non hoc, sed (συνέστειλας) pro *contraxisti* sicut dictum est, videlicet sustulisti.

(86) Δι' αὐτῶν ἐκδιδάσκου παρὰ τῶν ἱερέων. *Tilm. :* Quare ab ipsis inservitur sacerdotibus. *Verto :* Per ipsos (scilicet diaconos) docebaris a sacerdotibus; *sic clare explicatur per illa S. Max. :* Σημείωσαι ὅτι οἱ τὰ θεῖα ζητοῦντες παρὰ πρεσβυτέρων μαθεῖν οὐ δι' ἑαυτῶν τοῦτο πράττειν ὀφείλουσι, κἂν ὑπάρχωσι μοναχοί, ἀλλὰ διὰ μέσων διακόνων, καὶ τοῦτο ὅταν ἁρμόδιος παρῇ καιρός. Nota quod divina a sacerdotibus doceri cupientes, non debeant per se ipsos (etsi sint monachi) procurare : sed opera diaconorum, et hoc tempore opportuno.

(87) Καθ' ὑπέρβατον γὰρ..... ἐκδιδάσκου. *Tilm. :* Ejusmodi coordinatio in suas quæque dispertiens classes inducitur sancto per transgressionem ab ipsis videlicet sacerdotibus erudire. *Verto :* Constructio enim verborum est καθ' ὑπέρβατον, seu secundum trajectionem, ab ipsis (scilicet sacerdotibus) erudire. *Vocat hyperbaton quia inter* αὐτῶν et ἐκδιδάσκου, *multa intercedunt ; quare illa transilienda ut hæc conjungantur.*

(88) Ἀλλὰ πρὸς τάξιν καὶ ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν. *Tilm. :* Hoc est, fit ut suum quisque agnoscat ordinem. *Verto :* Verum propter ordinem et cognitionem sui ipsorum, *est enim eadem periodus.*

(89) Μᾶλλον γὰρ τῷ λαῷ πλησιάζουσιν ἢ ταῖς ἱερατικαῖς τάξεσι. *Tilm. :* Propius autem quam populus sacratis ordinibus propinquat. *Verto :* Magis enim accedit ad populi ordinem, id est laicum, quam ad sacros ordines. *Clarum est ex ipso S. Dionysio quem videsis, et sequentia.*

(90) Καὶ τοῦτο οὐκ ἀπεικότως λέγει, ἀλλ' ὅτι οἱ μὲν ἱερωμένοι. *Tilm. :* Nec id abs re. Qui enim sacris initiati sunt. *Verto :* Atque hoc non abs re dicit, eo quod sacris quidem initiati, *quasi dicat, ratio quare monachus magis accedit ad populi ordinem quam ad sacrum, est quia eodem loco cum populo in templo collocatur.*

(91) Καὶ ἐπ' ἄλλῃ ἀταξίᾳ καὶ ἀναισχυντίᾳ. Notamque objiciens impudentiæ. *Verto :* Illum perstringens propter aliam quoque ordinis transgressionem, et impudentiam.

(92) Οὐκ ἐπὶ συστάσει. *Tilm. :* Non quidem ciendæ seditionis ullius gratia. *Verto :* Non ad confirmationem seu ad ædificationem, *scilicet audientium ; quia sequitur* ἀλλ' ἐπὶ καταστροφῇ.

(93) Τὸν ὑπὲρ τὴν ἀξίαν... πρέποντα. *Tilm. :* Adversus illum qui præter sui ordinis dignitatem talia sit molitus. At rectæ rationi haudquaquam dissentanea videri hæc poterunt nec indecora, *perperam distinctum est. Verto :* Adversus illum qui præter sui ordinis dignitatem aliqua quidem molitur, sed tamen haudquaquam rationi dissentanea nec indecora.

(94) Οἱ δαίμονες ἀληθῶς ἔλεγον θεολογοῦντες τὸν Ἰησοῦν. *Tilm. :* Dæmones illi consentanea veritati theologicæ prædicabant, nempe Jesum. *Verto :* Dæmones vere loquebantur, Jesum Deum esse dicentes.

(95) Ὅρα καὶ ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ νόμου. *Tilm. :* Demum vide ut testimonio antiquæ legis suam sententiam communicat. *Verto :* Vide etiam ex antiqua lege scilicet sententiam meam probari. *Sunt verba S. Dionysii ad Demophilum, non Pachymeræ ad lectorem, quare etiam sequentia male versa* καὶ τὰ ἑξῆς διοριζομένου. *Tilm. :* Quæ proxime sequuntur explanantis sunt, sive definientis. *Vertendum est :* Reliqua definiente, scilicet lege.

(96) Ὁ ἀσεβὴς μόσχον θύων, ὡς ὁ ἀποκτείνων κύνα λογίζεται. *Tilm. :* Qui impius cum sit immolat bovem, talem reputat hunc quasi qui occiderit canem. *Verto clarius :* Impius immolans vitulum, tanquam occidens canem reputatur.

(97) Σιρὰχ ὁ θαυμάσιος. *Tilm. :* Admirabilis filius Sirach. *Verto :* Admirabilis ille Sirach.

(98) *S. Max. addit* εἰκότως οὖν οὐδ' αἱ νοηταὶ δυνάμεις. *Verto :* Ergo etiam probabiliter neque spirituales virtutes, *scilicet sunt in loco, id est ex distantia aut vicinitate locali non debet dignitatum spiritualium gradus æstimari.*

(99) *S. Max. addit :* Ἔχεις δὲ τοῦτο καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς. Πλατέως δὲ διαγυμνάζει Ὠριγένης ἐν τῷ ι' τῶν εἰς τοὺς Ἱερεμίου Θρήνους. *Verto :* Hoc quoque in sequentibus habes : fuse vero explicat Origenes in lib. IX *Commentariorum in lamentationes Jeremiæ.*

(100) *S. Max. addit :* Ἐν δὲ τοῖς τῶν ἀποστόλων διαδόχοις παρὰ τῶν ὁμοταγῶν, ἡ ἐπιτίμησις. *Verto :* Successores vero apostolorum ab iis qui ejusdem cum illis sunt ordinis corripi possunt.

(1) Ἢ τελεσθῆς. *Tilm. :* Quam sacris initiere. *Verto :* Aut perficiaris, *sic enim omnes D. Dionysii interpretes. S. Max. addit :* Σημείωσαι δὲ ὅτι τάχα ἐν παροικίᾳ τοῦτο τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἡμαρτήθη, καὶ ὅτι τὸν Δημόφιλον αὐτὸς μοναχὸν τῆς Ἐκκλησίας ἔταξεν. *Verto :* Nota vero quod fortasse hoc peccatum commissum fuerit in ditione S. Dionysii Magni, et quod ipse Demophilum monachum, Ecclesiæ ordinarit.

(2) Καὶ δικαιοῖ.... καὶ τῆς τιμωρίας. *Tilm. :* Utque propria in alium sententia perfruatur, addixit videlicet tenebris, atque ultrici supplicio. *Verto*, et jure decernit ut propriis fruatur videlicet caligine, (carceris) et supplicio. *S. Max. contrario modo explicat :* Τουτέστι τῆς οἰκείας φιλανθρωπίας καὶ μὴ τοῦ σκότους καὶ τιμωρίας, hoc est, propria humanitate et non tenebris neque supplicio.

(3) Δηλονότι πολλὰ χάριτι διακονεῖσθαι. S. Max. : Ἀλλ' ἴσως τοῦτο εἶπε δεικνὺς πολλὰ χάριτι διακονεῖσθαι ἐξελέγησαν. *Verto :* Sed fortassis hoc dixit, ostendens quali gratiæ inservire electi fuerint. *Et post* ἐδοξάσθη *addit S. Max. :* Ἱεροθέτην δὲ καλεῖ τὸν ἅγιον ἀπόστολον Παῦλον, ὡς χειροτονήσαντα αὐτῷ τὴν ἀρχιερωσύνην τῆς Ἐκκλησίας τῶν Ἀθηνῶν, καθὼς ἐν ταῖς ἱεραῖς τῶν ἀποστόλων γέγραπται Διαταγαῖς. *Verto :* Sacrum institutorem vocat sanctum Paulum apostolum a quo episcopus Ecclesiæ **299** Atheniensium ordinatus est, sicut in sacris apostolorum Constitutionibus scriptum est, et in explicatione κόρρη, *addit* ἄλλοι δὲ μέρος τι τῆς κεφαλῆς, alii vero partem aliquam capitis. Βέλτιον δὲ κόρρην, ὡς ἔφην, τὸν χρόταφον λέγειν. Ὅμηρος μέντοι κόρσην αὐτὴν καλεῖ· παροξυτονεῖται δὲ ἡ κόρρη. Εἰς τὸν χρόταφον οὖν ἔτυψεν ὁ Δημόφιλος τὸν μετανοοῦντα. *Verto :* Melius vero κόρρην, sicut dixi, tempus capitis dicere. Homerus quidem ipsam κόρσην vocat. Notatur vero acuto in penultima ; Demophilus igitur percussit pœnitentem in tempore capitis.

(4) Παρὰ τὸ ἀδούλητον τῶν εὐεργετουμένων. *Tilm. :* Per incogitantiam eorum in quos collata est bene-

Digitized by Google

ficentia. *Verto :* Per incogitantiam eorum in quos confertur beneficentia : *quia si collata fuit, falsum est conferentem non fecisse quod volebat : ergo dicitur de illo qui parato beneficio sua negligentia privatur, et ideo sibi officit.*

(5) Μυστήριον γοῦν εἶχον καὶ τὸν γάμον. Tilm. : Quiddam enim in se mysterii occultioris continere credebantur ejusmodi preces nuptiarum præambulæ. *Verto :* Ergo etiam nuptias pro sacramento habebant, *et præpone ex* S. Max., καὶ τοῦτο ἐκ πολλῶν κωμῳδίας ποιητῶν δεικνύναι δυνατόν. *Verto :* Et hoc ex multis comicis probari posset.

(6) S. Max. *addit :* Ὡς Κρατῖνος δηλαδὴ ἐν *Πυλαίᾳ* δράματι· μάλιστα γὰρ τὰ μυστήριά τινος τῶν ψευδωνύμων αὐτῶν θεῶν τέλη καὶ τελετὰς ἐκάλουν, ὡς τελειούσας καὶ εἰς τὸ τέλειον ἀγούσας τοὺς τελουμένους. *Verto :* Sicut Cratinus in dramate Πυλαία. Maxime enim mysteria alicujus falsorum ipsorum deorum τέλη et τελετάς vocabant, tanquam perficientes, et ad perfectionem adducentes eos qui initiarentur.

(7) Τῆς μητρὸς τῶν θεῶν αὐτῶν. *Addit* S. Max.: μᾶλλον δὲ δαιμόνων, ὥς φησι Δημόφιλος ἐν τῷ *Περὶ τῶν παρ' ἀρχαίοις θυσιῶν καὶ ἑορτῶν. Verto :* Potius vero dæmonum, sicut dicit Demophilus in libro *De antiquorum victimis, et festis.*

(8) Διεγερθεὶς εἰς θείους ὕμνους. *Addit* S. Max.: Σημείωσαι ὅτι ἡ ἀποστολικὴ παράδοσις τοὺς νυκτερινοὺς τῶν ψαλμῳδιῶν κανόνας παρέδωκεν. Nota apostolorum traditionem nocturnas psalmodiarum regulas tradidisse.

(9) Ἀπὸ τοῦ πρήθω τὸ καίω. S. Max., Πρηστὴρ ἐστι ἑλικοειδὴς κίνησις ἄνωθεν κάτω ἀέρος διαπύρου. Καίει δὲ τοιοῦτον, ὅθεν καὶ παρὰ τὸ πιμπρᾷν λέγεται. *Verto : Prester* est tortilis motio aeris igniti ex loco sublimiori ad inferiorem. Talis vero res comburit; ideo a πιμπρᾷν, id est *incendere*, nomen habet.

(10) Περὶ τῶν ὑπογαργαλιζόντων καὶ διὰ παντὸς εἰς τὸ ἀχανὲς ἐμβάλλειν μηχανωμένων. Tilm. : De ejusmodi spectris pavorem incutientibus, ac omnibus modis miseros molientibus deturbare in hiulcam illam voraginem. *Verto :* De demulcentibus, omnique ratione in hiulcam illam voraginem miseros deturbare molientibus.

(11) S. Max., ἔξω ταραχῆς. Τὸ οὐ ἀρνητικὸν μόριον πρὸς τὸ ἔξω *ταραχῆς* συντακτέον, ἵναᾖ τὸ ὅλον τοιοῦτον· Διανίσταται, οὐδὲ τῶν ὕπνων πολλῶν ὄντων, διὰ τὸ ἐγκόπτεσθαι αὐτοὺς, ἀπολαύσας, οὐδὲ ἔξω ταραχῆς ὑπάρχων, διὰ τὸ καὶ τοὺς ὕπνους ἐγκόπτεσθαι. *Verto :* Particula οὐ negativa conjungenda est cum ἔξω ταραχῆς, ut integra sententia talis reddatur : surgit, neque diuturno somno propter ipsius interruptionem fruitus, neque liber a perturbatione exsistens propter somni interruptionem.

EPISTOLA IX.

(12) Φησὶ Γρηγόριος. *Addit* S. Max. : Ἐν τῷ πρώτῳ *Περὶ Υἱοῦ* λόγῳ, καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ *Εἰρηνικῷ*. In prima *De Filio* oratione, et in secunda *de Pace.*

(13) Τὰ γὰρ ἐκτὸς τῆς τοιαύτης ἱεροπλαστίας, ὁπόσης, etc. Tilm.: Hæc enim externa insignia, effigiationis alioqui sacrosanctæ quanta, quamque multa, etc. *Verto :* Quæ enim sine tali sacra fictione, quæ in symbolica theologia explicatur, capiuntur, quanta, quamque multa, etc. S. Max., ἤτοι τὰ προχείρως ἐκ τῆς λέξεως ὑπαγορευόμενα, *quibus verbis confirmat meam versionem.*

(14) Ἐκφάνσεων διὰ τὸ ἐν σχήματι ἀνθρώπου ὀφθῆναι. Tilm.: In enarrativis insinuationibus et hac gratia factum, ut se exhibuerit in forma hominis conspicuum, etc. *Verto :* De apparitionibus, propterea quod se exhibuerit in forma hominis conspicuum, etc. *Nota* ἐπὶ ἐκφάνσεων, *sicut antea* ἐπὶ ὡραίων προνοιῶν, *vertendum esse* (de) *quasi dicat, fit sermo de donis.*

(15) Φύλαρχος. S. Max. *addit :* Ὁμοίως δὲ καὶ βάναυσός ἐστι πᾶς τεχνίτης διὰ πυρὸς ἐργαζόμενος. *Verto :* Similiter βάναυσος dicitur omnis artifex qui in opere igne utitur.

(16) Τί δὲ περὶ τῶν πολυειδῶν καὶ λοξῶν τῆς ἁμαρτίας τῶν ἐπαγγελιῶν σοφισμάτων; Tilm.: Quid proinde commemorem multiformia obliqua, sive frustratoria promissionum peccati? *Verto :* Quid vero de multiformibus, et obliquis argutiis frustrationis promissionum.

(17) Ἁμαρτίας δὲ... ἐπαγγελθέντα. Tilm.: Peccati vero nomine calamitates intelligit frustratorie (ut apparet) intentatas peccantibus, quod in nonnullis prophetarum oraculis promptum sit agnoscere, nimirum non omnia promissa, aut prænuntiata videri sortita esse exitum promissioni respondentem. *Verto :* Ἁμαρτίας vero frustrationes promissionum dicit, quia promptum est videri, promissa exitum promissioni respondentem minime accepisse. *Ex sequentibus, ubi quod σοφίσματα sint explicabitur, patebit.*

(18) Καὶ τῆς εἰς Χριστὸν ἀναγωγῆς πεπλήρωται. Tilm.: Sed et ad Christum mystica atque arcana prælusione nos provehebat. *Verto :* Et per respectum ad Christum completa fuerunt; *quia scilicet Christus ex Jacob descendens omnium fuit Dominus.*

(19) Ἅμα δὲ καὶ ὅτι πόρρω τοῦ ἐνιαίου ὅσα ἄν τις καὶ εἴποι λέγει. Tilm.: Tam vero quia longius a singulari quæcunque unus aliquid dixerit: dicit nihilominus. *Verto :* Tum vero quia longius ab illo singulari sunt quæcunque aliquis symbola dixerit, *ideo multiplicata dicit. In Græcis est brevitas Attica, subauditur enim* πληθύνεσθαι; *in Latinis male distinxit, ut sequentia probant.*

(20) Καὶ πρὸς πολλὰ... καὶ ἀμέριστον. Tilm.: Et ad multiplices formas sermones etiam ipsi partialiter referuntur. Nam propterea hæc, quæ et fiunt et dicuntur, singulare quiddam sunt, et individuum. *Verto :* Et pro multitudine formarum (quæ Deo attribuuntur) sermones etiam ipsi dividuntur (et multiplicantur); illud vero propter quod hæc et dicuntur singulare est, et individuum. **300** *Clarissimum est ex connexione cum superioribus.*

(21) Μὴ γὰρ ὑπολαμβάνω μὲν τὰ φαινόμενα ταῦτα τῶν συνθημάτων, οἱονεὶ τῶν συμβολικῶς γινομένων, ἀναπεπλάσθαι ὑπὲρ ἑαυτῶν, τουτέστιν ὑπὲρ τοῦ ὄντως (γρ. οὕτως *cum* S. Max.) νοεῖσθαι αὐτὰ, etc. Tilm.: Non equidem existimo signa ejusmodi conspicua ut quæ figurative adinventa sunt, sui tantum gratia conflcta esse : hoc est ut ne ea sic contemplere, quasi in se habeant solum, quod oculis tuis subjicitur, et litteram ipsam nude ac simpliciter prædicem; quin potius integuntur quidem ipsa, et recta in omnium prospectum proferuntur : idque fit in gratiam arcanæ plurimis, ac prorsus divinæ scientiæ. *Verto :* Nec enim arbitremur hæc signa proposita rerum symbolice exsistentium pro seipsis ficta esse, hoc est ut sic ipsa concipiantur, quemadmodum signum propositum continet, et nuda littera insinuat, sed præmittuntur, prælucent sapientiæ vulgo indicibili et divinæ. *Vide sancti Dionysii textum et S. Max.; imo sequentia id exigunt.*

(22) Ταύτας γὰρ ἐπιστήμην φησὶ, δηλοῦντος τοῦ λόγου ὡς ἔστι. Tilm.: Et sane dixit esse scientiam verbi declarantis, quod, etc. *Verto :* Has enim scientiam dicit, sermone declarante quod, etc.

(23) Ἱερογραφήθησαν δὲ οὕτως διὰ τοὺς ἀναξίους. Tilm.: Porro hanc oportuit ad eum modum describi, ac sacris inumbrari typis ut ab ea submoverentur indigni. *Verto :* Porro hæc signa oportuit ad eum modum sacris, etc.; *agitur enim de ipsis signis quibus mysteria explicantur.*

(24) Καὶ ἵνα ἐκείνοις μόνοις .... ἀποσκευαζομένοις. Tilm.: Utque illis revelarentur et solis, qui jam aliquousque perfecti, omnem ab animo rerum sensibilium imaginationem ablegassent. *Verto :* Utque illis solis revelentur perfectis, et omnem indecoram super his imaginationem rejicientibus.

(25) Ἐν τῷ παραθεωρεῖν.... ἀλλ' ἐν ἁπλαῖς ἐπι-

Digitized by Google

θολαῖς τοῦ νοός. Tilm.: Id autem contigit dum multitudam signorum varietatem ne contemplatione quidem dignam ducunt; individuam autem apprehendunt mentis acie veritatem, non ulla evidenti demonstratione, non item ingenii viribus quæsita scientia, sed simplici solum ac nudo mentis conceptu. *Verto:* Vix observando, quidem leviter, signorum varietatem, unitatem vero comprehendendo, non demonstratione nec ratiocinatione; sed simplici mentis apprehensione. *Hic explicatur contemplationis natura, et discrimen inter meditationem et contemplationem, quare illa præcedentia* καὶ δυνατῶς ἔχουσι, *tantum commate interpungenda, et vertendum*, etc., valentibus.

(26) Πείθουσα καὶ καταδουμένη.... τὴν ἀλήθειαν. Tilm.: Quod persuadeat confirmetque, et quasi vinculum quoddam aut sigillum affigat jam dictis, ipsam nimirum veritatem. *Verto:* Quod persuadeat et devinciat, et quasi vinculum quoddam et sigillum dictis apponat veritatem. Sic supra καὶ δεδεμένην ἀλήθειαν τοῖς λεγομένοις, atque ex dictis collectam veritatem et assertam. *Verto:* Et colligatam dictis veritatem.

(27) Καὶ φωτίζει.... τὴν ἀλήθειαν. Tilm.: Hæc mentem sua irradiatione provehit ad multiplicem ineffabilium sacramentorum cognitionem. Hæ sunt operationes symbolicæ theologiæ in eorum gratiam, qui quadantenus promoverunt: idcirco τελεστικὴ dicitur. Qui Deo vicinius jungi vult, opus habet operosiore assuefactione, atque informatione; quod genus homines vocavit Pater ἀδιδάκτους μυσταγωγίας, id est *mysticæ disciplinæ indociles* adhuc. At talis quidem dicere liceat dum particeps efficitur immaculatorum donorum ruditer admodum, multoque labore mysticis ejusmodi cæremoniis edocetur, vitæ in primis sanctimoniam. Et hic quidem mysticæ theologiæ effectus est, sive operatio. Rursus hæc per fidei considerationem persuadet, inducit, promovetque ad complexum veritatis. *Verto:* Et mentem illustrat ad ineffabilia mysteria consideranda; nam per sacrificantes (hæc enim sunt hujus opera, ideo etiam τελεστικὴ dicitur) Deo familiares magis efficit activa qualitate et formatione (quod etiam ἀδιδάκτους μυσταγωγίας, id est sacrorum initiationes, a nemine edoctas vocavit); qui enim dicis causa particeps immaculatorum efficitur donorum, sine præceptore sacra docetur, et ipse actu sanctificatur, propterea et talis quidem mystica theologia operatur, altera vero consideratione fidei persuadet, et ad veritatem adducit. *Res adeo clara ut probationem non exquirat, ut omittam per alteram versionem occultari effectum præstantissimum Ven. Euch. nimirum internas illustrationes quibus ad perfecte vivendum efformatur.*

(28) Ἵνα τῶν πολλῶν τὰ ἅγια ἀποδιαστέλλωνται. Tilm.: Ut sancta hæc a quam plurimis supprimantur. *Verto:* Ut sancta a vulgaribus hominibus distinguantur, separentur.

(29) Μὴ ἐχόντων ἐφικνεῖσθαι τῶν νοουμένων, ὧν χάριν τὰ σύμβολα γίνονται. Tilm.: Neutiquam valentibus eorum assequi intelligentiam: quorum etiam gratia, signa ejusmodi figurativa sunt. *Verto:* Neutiquam valentibus pertingere ad ea quæ consideranda proponuntur, quorum, scilicet vulgarium, gratia, signa ejusmodi figurativa sunt.

(30) *Addit* S. Max.: Ὥσπερ ὅταν ἐκ δένδρων τὰς ὑποστάσεις τῆς προσκυνητῆς Τριάδος παρίστησιν ὁ θεῖος Ἀθανάσιος, καὶ ἐξ ἄλλων οἱ λοιποὶ ἅγιοι· τί καὶ αὕτη ἡ τοῦ κόσμου δημιουργία τῶν ἀοράτων τοῦ Θεοῦ προβέβληται τρόπον τινὰ συμβόλων τάξιν ἐπέχουσα. *Verto:* Sicut quando divinus Athanasius proponit per arbores personas adorandæ Trinitatis, et cæteri sancti per alia; quid et ipsa mundi creatio signorum locum sustinens.

(31) Καὶ αὐτὰ δὲ τὰ κτίσματα προβέβληται, οἱονεὶ πρόκειται, τῶν ἀοράτων καὶ νοητῶν. Tilm.: Ipsæ etiamnum creaturæ integumentis suis convestitæ cernuntur, ac veluti in medium expositæ invisibilium pariter et intelligibilium. *Verto:* Ipsæ etiamnum creaturæ præponuntur, quasi præjacent invisibilibus et intelligibilibus, *id est* **301** *instar vestium tegunt, quare detrahendæ sunt, ut in illis Creatorem contemplemur. Vide superiorem locum* S. Max.

(32) Ἐπισκοποῦσι. Tilm.: Sua recensent oracula. *Verto:* Contemplantur, *nisi legamus* ἐπισκώπτουσι, arguunt.

(33) S. Max. *addit:* Οἷον τὰς πεύσεις, ὡς τό· *Ποῦ Ἄβελ ὁ ἀδελφός σου;* καὶ τό· *Καταβὰς ὄψομαι·* καὶ τό· *Κύριος ἐξετάζει τὸν δίκαιον καὶ τὸν ἀσεβῆ·* ἅτινα καὶ μέσως ἔχουσι τῶν τε θεῷ πρεπόντων καὶ τῶν πάντη ἐπεμφαίνειν δοκούντων, τουτέστι ὁμοιώσεως θηρίων καὶ ὑλῶν ἀψύχων. Ὑπερκοσμίως δὲ καὶ τελεσιουργικῶς φησι τὰς λόγῳ καὶ μόνῳ βουλήματι παραδοξοποιίας. Νόμους δὲ φαινομένους, ὡς ὅταν ἀπολογίας ἀξιοῖ τὴν ἐν ἐρήμῳ βιασθεῖσαν παρθένον, καὶ ὅταν ὅμοια. Ἀφανεῖς δὲ θεσμοὺς, οἷον· *Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα*, καὶ ἕτερα τοιαῦτα. Πολυτρόπως δὲ ἔφη ὁ Πατὴρ, διότι τὰ μὲν συμβολικῶς, τὰ δὲ ἀχράντως καὶ ὑπερκοσμίως ἡ Γραφὴ παραδέδωκε. *Verto:* Sicut interrogationes, ut illud: *Ubi Abel frater tuus*, et illud: *Descendens videbo*, et illud: *Dominus examinat justum et impium*, quæ medio modo se habent inter ea quæ Deo conveniunt, et quæ omnino illi disconvenire videntur, hoc est similitudinem ferarum, et rerum inanimatarum, sublimius, et perfective dicit, miracula solo verbo aut voluntate perpetrata. Leges vero conspicuas, ut quando virginem in deserto violatam excusatione dignatur, et similia. Leges vero obscuras, sicut: *Jacob dilexi, Esau vero odio habui*, et alia istiusmodi. Variis modis vero dicit Pater, quia Scriptura hæc quidem per signa, illa vero pure, seu sine signis, et sublimius tradidit.

(34) S. Max.: Τὰ μὲν πολιτικῶς. Τῆς φιλοσοφίας τὸ μὲν ἔστι πρακτικὸν, τὸ δὲ θεωρητικόν· καὶ τοῦ μὲν πρακτικοῦ τὸ μὲν ἔστι κοινὸν, ὃ καὶ πολιτικὸν καλεῖται, οἷον τὸ νομοθετικόν· τὸ δὲ ἴδιον, οἷον τὸ ἠθικόν. Μέσον δὲ πρακτικοῦ, τὸ οἰκονομητικόν. Τοῦ δὲ θεωρητικοῦ τὸ μὲν ὠνόμασται φυσικὸν, τὸ ἐν αἰσθητοῖς καὶ μεταβλητοῖς, ὃ καὶ κοσμολογικόν ἐστι· τὸ δὲ ἐποπτικὸν καὶ θεολογικὸν, τὸ ἐν νοητοῖς καὶ ἀΐδιοις. Ταῦτα νῦν ἐξέθετο ἐν τούτοις. Μέσον δὲ τοῦ θεωρητικοῦ τὸ ἐν ἀϊδίοις καὶ αἰσθητοῖς, ὅπερ ἐστὶν ἀστρονομικὸν καὶ μαθηματικὸν, ὅπερ ἡ μὲν Γραφὴ οὐ λέγει, οἱ δὲ Ἑβραῖοι ἐν τῷ *Δευτερονομίῳ* ἔχουσι. *Verto:* Philosophiæ una pars est speculativa, altera practice; practices una pars est communis, quæ politica, seu civilis dicitur, sicut quæ leges præscribit, altera particularis sicut moralis. Medium vero practices est œconomitice, seu rei familiaris administratio, medium vero speculativæ, unum appellatur naturale, quod sensibilia, et mutabilia spectat, et vocatur etiam cosmologicum, *quasi dicat, mundi causas inquirens;* alterum inspectivum et theologicum, quod spiritualia et æterna spectat. Hæc nunc exposuit in his. Medium vero speculativæ illud est quod in æternis, et sensibilibus versatur, quod est astronomice, et mathematice, quod quidem Scriptura non dicit, Hebræi vero habent in Deuteronomio.

(35) S. Max. *addit:* Ταῦτα δέ φησι, δεικνὺς ἀναγκαίως τὴν ἀναγωγὴν καὶ ἀλληγορίαν παραλαμβάνεσθαι. *Verto:* Hæc vero ait, ostendens necessario admittendum anagogicum sensum, et allegoricum.

(36) Ἱεροπρεπῶς διαβαίνειν (*a*). S. Max.: *Διαβαίνειν γράφεται καὶ διαβάλλειν, ὅ ἐστιν εἰσβαλεῖν, καὶ εἰσελθεῖν εἴσω τε γενέσθαι τοῦ πράγματος· οὕτω φησὶ καὶ Διογενιανός.* *Verto:* διαβαίνειν *scribitur etiam* διαβάλλειν, *quod est circuisse et*

(*a*) Hæc ad Scholia S. Maximi spectant.

Digitized by Google

penetrasse, atque intra ipsam rem esse, sic loquitur etiam Diogenianus. — *Τὰ ὑπερούσια φῶτα καὶ νοητά.* Ὑπερούσια φῶτα. S. Max. : *Καὶ θεῖα τὴν παράχαρτον καὶ παναγίαν Τριάδα φησί. Νοητοὺς δὲ ἀγγέλους τοὺς ὑπεραναβεβηκότας. Τὴν δὲ διαφορὰν τούτων παρατεθείκαμεν ἐν τῷ* Περὶ θείων ὀνομάτων *τελείως.* Verto : *Intemeratam et sanctissimam Trinitatem intelligit per substantialia, et intelligibilia lumina, atque divina ; per intelligibiles vero angelos intelligit supremos, horum vero differentiam perfecte constituimus in libro* De divinis nominibus.

(37) Ἀλλ' ὅτι ἀπὸ Θεοῦ εἰσι, καὶ ὑπάρχουσιν, οὐχ ὡς, etc. Tilm.: Sed quia a Deo sunt, adsuntque ipsi, non quasi, etc. *Verto :* Sed quia a Deo sunt, et exsistunt non quasi, *id est actiones ad extra prout terminantur in creaturis, non sunt substantia divina, sed aliquid exsistens et agens a Deo productum, ut postea declaratur.*

(38) Τὸ δὲ καθ' ὕπαρξιν... λεχθέν. Tilm.: Illud quoque secundum substantiam, spiritus videlicet, sive eloquium divinum, hoc est ab ipso Deo profectus spiritus, atque dictum verbum. *Verto :* Illa vero, quæ est secundum exsistentiam inspiratio, et oraculum divinum, hoc est a Deo productum, et dictum. Πνεῦμα *esse inspirationem, patet ex sequentibus, sic etiam* Ὕπαρξιν *esse vertendum exsistentiam : quia mandata Dei dicuntur habere lumen* καθ' ὕπαρξιν.

(39) Φῶς αἱ ὑπερβεβηκυῖαι τῶν ἀγγέλων τάξεις. Tilm.:Et ii quidem angelorum ordines lucem istam eminenter excedere, ac penetrare dicuntur. *Verto :* Lumen etiam sunt supremi angelorum ordines.

(40) Καὶ ἀναγωγὸν τῶν ὑποδεεστέρων. Tilm.: Tum provehendi se inferior ad sublimiorum rerum contemplationem. *Verto:* Tum provehendi se inferiores ordines ad sublimiorum rerum contemplationem.

(41) Σοφία κρατῆρα ἵστᾳ, καὶ τὸ πῶμα προχέει· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ *προνοεῖ.* Tilm. : Sapientia inducitur manu appendens craterem, propinansque poculum; hoc enim indicat verbum προνάει. *Verto :* Sapientia craterem tenet, et potionem profundit; hoc enim indicat verbum προνάει. *Recte scribitur* προνάει *loco* προνοεῖ, *quia* S. Max. *in indice habet* προνάουσα, προχέουσα ; *nescio cur verterit* προχέεις propinas, *quandoquidem postea reddiderit* πρόχυσις, profusio.

(42) Τῶν δεομένων αὐτῆς. Tilm.: Qui se concupiscunt. *Verto :* Qui ipsius indigent.

(43) Post συνάρχων προνοεῖ, *vel ut* S. Max. προενόει, *addit* S. Max. : Κατὰ τοὺς ἀφραίνοντας καὶ λέγοντας· Ἅμα Θεὸς, ἅμα πάντα· ἀλλ' ὅτι καὶ πρὶν παραχθῆναι τὰ ὄντα ταῖς ἰδέαις, ἤτοι παραδείγμασι τοῦ Θεοῦ, τουτέστιν ἐν ταῖς ἀϊδίοις αὐτοῦ νοήσεσιν, ἃς προορισμοὺς ὀνομάζειν τὸν θεῖον Παῦλον ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων* ἔφημεν, καθ' ἃς ἰδέας, καὶ νοήσεις τοῦ Θεοῦ τὰ μέλλοντα παράγεσθαι προετετύπωτο, καὶ ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ ἀνάρχως προϋπῆρχε πάσης κτίσεως. *Verto :* Secundum stultescentes et dicentes : Simul Deus, simul omnia : verum quia et priusquam res productæ fuerunt in ideis, seu exemplaribus Dei, hoc est in æternis **302** ipsius cogitationibus, quas prædefinitiones nominare sanctum Paulum, in libro *De divinis nominibus* diximus, secundum quas ideas et cogitationes Dei, ea quæ producenda erant præfigurata fuerant, et providentia divina sine principio præexsistebat omni creaturæ.

(44) Οὐχ ὅτι τῶν ὄντων τυχὸν συνάρχων προνοεῖ· οὐδὲ γάρ ἐστι τῶν ὄντων συνάναρχον (*γρ.* συνάρχον, *quia præcessit* συνάρχων) τῇ ἀγίᾳ καὶ δημιουργικῇ, etc. Tilm. : Non quod ea quibus contigit ut essent, quæ forte sunt sapientia tanquam sibi coæterna, sua providentia moderetur (neque enim, etc.) *Verto :* Non quod forte simul cum rebus exsistere incipiens illis provideat (neque enim, etc.) *patet ex sequentibus.*

(45) Καὶ τὸ βούλεσθαι παραγαγεῖν τὴν κτίσιν, τὴν ἀπολαύουσαν τῆς προνοητικῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος. Tilm.: Velle sibi conciliare creaturam : quæ fruitura aliquando fuerat ipsius providentissima bonitate. *Verto :* Etiam velle producere creaturam, providenti ipsius bonitate fruituram, *patet ex superioribus.*

holo est adumbrata, nec vulgo propalanda, ut in paschate legali, verum pascha, sicut scriptum est: *Pascha nostrum immolatus est Christus* [t]. Illa vero altera theologiæ pars evidens est, et nota, non autem per symbola; hanc vocat philosophicam et demonstrantem, qualis est illa, quæ moralia et naturalia atque opera **325** creationis recenset. Hæc enim manifestiorem quamdam vim persuadendi habet, et veritatem conjunctam cum iis quæ narrantur; quare etiam est demonstrans. Symbolica vero nihil habet quo persuadeat, sed habet efficaciam quamdam divinam, quæ animas mysticarum rerum atque contemplationis studiosas, per mystica, id est symbolica ænigmata communit, et in Christo quasi fundat per mysteria, quæ nullo sermone docentur, sed silentio et divinarum illustrationum revelatione percipiuntur, nec non mentem ad ineffabilia mysteria percipienda collustrat. Observa autem quod duplex sit theologorum traditio, et quæ qualisque sit.

A συμβόλῳ τὸ ἀληθὲς καὶ ἀδημοσίευτον, ὡς ἐν τῷ νομικῷ πάσχα τὸ ἀληθὲς, ὅπερ εἴρηται· *Τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός.* Τὸ δὲ δεύτερον μόριον τῆς θεολογικῆς παραδόσεως ἐμφανές ἐστι καὶ γνώριμον, οὐ μὴν διὰ συμβόλων· ὅπερ καὶ φιλόσοφον καλεῖ, καὶ ἀποδεικτικὸν, οἷόν ἐστι τὸ τὰ ἠθικὰ καὶ φυσικὰ, καὶ πρακτικὰ τῆς δημιουργίας παραδιδόν. Τοῦτο δὲ τὸ ἐμφανέστερον ἔχει τινὰ πειθὼ, καὶ συνδεδεμένην τὴν ἀλήθειαν τοῖς λεγομένοις· κατὰ τοῦτο γάρ ἐστι καὶ ἀποδεικτικόν. Τὸ δὲ συμβολικὸν οὐκ ἔχει τὸ πείθειν, ἀλλ' ἐνέργειάν τινα θείαν ἀφανῆ καὶ δραστήριον, ἥτις μυστηριώδεις καὶ θεωρητικὰς ψυχὰς διὰ τῶν μυστικῶν, ἤτοι συμβολικῶν αἰνιγμάτων ἐνιδρύει, καὶ οἱονεὶ θεμελιοῖ εἰς Χριστὸν, διὰ τῶν μὴ λόγῳ διδασκομένων μυστηρίων, B ἀλλὰ σιγῇ καὶ ἀποκαλύψει ἐλλάμψεων Θεοῦ φωτίζει τὸν νοῦν εἰς τὰς τῶν ἀῤῥήτων μυστηρίων κατανοήσεις. Σημείωσαι δὲ, ὡς διπλῆ ἐστι τῶν θεολόγων ἡ παράδοσις, καὶ πῶς, καὶ ποία ἐστί.

Et symbolicam quidem. Symbolicam et ad mysteria pertinentem vocat illam, quæ ex symbolis conficitur, cujusmodi sunt mysteria cultus legalis, et mysteria nostri sacri cultus, tametsi altiora sunt, et magis spiritalia, nostra. Philosophicam autem ac demonstrantem vocat eam, quæ exsistit in perspicientia creaturarum, divinæque in quibusdam rebus providentiæ, et expositione speculatrice eorum quæ de Deo in Scripturis dicuntur.

Καὶ τὴν μὲν συμβολικήν. Συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν τὴν διὰ συμβόλων τελουμένην, οἷα τὰ τῆς νομικῆς λατρείας, καὶ τὰ τῆς μυστικῆς τῆς παρ' ἡμῖν ἱερουργίας μυστήρια, εἰ καὶ μᾶλλον ὑψηλά τε καὶ πνευματικὰ τὰ ἡμέτερα. Φιλόσοφον δὲ καὶ ἀποδεικτικὴν τὴν διὰ τῆς κατανοήσεως τῶν κτισμάτων, καὶ τινῶν θείων οἰκονομιῶν καὶ τῆς θεωρητικῆς ἐξηγήσεως τῶν περὶ Θεοῦ λεγομένων ἐν ταῖς Γραφαῖς συνισταμένην.

Persuadet et astringit. Persuadet et astringit, id C est eorum quæ dicuntur veritatem tanquam sigillo quodam obsignat, et efficit ut qui audiunt credant. Symbolica vero, per ea quæ fiunt adjungit ad Deum quodam ipsius rei habitu et informatione, quod etiam vocavit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας, id est sacrorum initiationes a nemine edoctas.

Πείθει καὶ καταδεῖται. Πείθει καὶ καταδεῖται, οἱονεὶ δεσμόν τινα καὶ σφραγῖδα ἐπιτίθησι τοῖς λεγομένοις τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὸ πιστὸν τοῖς ἀκούουσι δίδωσι. Τὸ δὲ συμβολικὸν διὰ τῶν τελουμένων προσοικειοῖ τῷ Θεῷ, πραγματικῇ ἕξει τε καὶ τυπώσει, ὅπερ καὶ *ἀδιδάκτους μυσταγωγίας* ἐκάλεσεν.

Aut legalis traditionis. Quoniam non solum traditio legalis, verum etiam nostrorum mysteriorum initiatio, sacris symbolis opus habuit. Et nihil id mirum est, cum etiam angeli per ænigmata divina mysteria promant. Quin et ipse Dominus res divinas in parabolis tradidisse cernitur.

Ἢ τῆς νομικῆς παραδόσεως. Ὅτι οὐ μόνον ἡ νομικὴ παράδοσις, ἀλλὰ καὶ ἡ τελετὴ τῶν καθ' ἡμᾶς μυστηρίων τῶν ἱερῶν ἐδεήθη συμβόλων. Καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν, ὅπου καὶ οἱ ἄγγελοι δι' αἰνιγμάτων τὰ θεῖα μυστήρια προάγουσι. Καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος ἐν παραβολαῖς φαίνεται θεολογῶν.

Theologica traditio	
alia quidem est arcana et mystica, quæ item symbolica, et initians et efficax;	alia vero perspicua et nota, quæ est philosophica, et demonstrans, et persuadens.

Τῆς τῶν θεολόγων παραδόσεως	
ἡ μὲν ἀπόῤῥητος καὶ μυστικὴ, ἥτις ἐστὶ καὶ συμβολικὴ, καὶ τελεστικὴ, καὶ δραστική·	ἡ δὲ ἐμφανὴς καὶ γνώριμος, ἥτις ἐστὶ φιλόσοφος καὶ ἀποδεικτικὴ καὶ πιθανή.

Symbolis. Naturæ conformis ratio, cur aliqua quidem Scripturæ loca symbolica sint, aliqua vero pura.

Συμβόλων. Φυσιολογία τὴν αἰτίαν ἔχουσα, διὰ τί τὰ μὲν συμβολικὰ, τὰ δὲ ἄχραντα τῆς Γραφῆς παραδέδοται.

Per ænigmata. Per ænigmata, ut apud Zachariam [u] angelus qui de **326** Jesu filio Josedec, et de stola ejus in ænigmate loquitur: et apud Danielem Gabriel, qui de Christo disserit, et simul ipsi mystica denuntiat, aliaque similia. Deifica autem vocat vel quod sui consortes deificent, vel quod Dei opera fiant.

Δι' αἰνιγμάτων. Δι' αἰνιγμάτων, ὡς ὁ παρὰ τῷ Ζαχαρίᾳ ἄγγελος τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ τοῦ Ἰωσεδὲκ, καὶ τῆς στολῆς αὐτοῦ τυπῶν καὶ λέγων· καὶ παρὰ τῷ Δανιὴλ ὁ Γαβριὴλ, τὰ περὶ Χριστοῦ διηγούμενος, καὶ τὰ σὺν αὐτῷ μυστικὰ ὑπαγορεύων, καὶ ἕτερα τοιαῦτα. Θεουργὰ δέ φησιν ἢ τὰ Θεὸν ἀποτελοῦντα τὸν μετέχοντα αὐτῶν, ἢ τὰ παρὰ Θεοῦ εἰργασμένα.

[t] I Cor. v, 7 [u] Cap. III.

Digitized by Google

Διὰ τυπικῆς τραπεζώσεως. Τραπέζωσίν φησι τὰ ἐν τῇ θείᾳ τραπέζῃ διὰ τοῦ ἁγίου ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας τελούμενα μυστήρια. Σημείωσαι δὲ ὅτι καὶ ἡ παλαιὰ καὶ ἡ νέα Γραφὴ πολλὰ διὰ συμβόλων παραδίδωσι, καὶ διὰ τί.

[α] *Τὴν ἀνθρωπίνην ζωήν.* Ἀμέριστον οἶμαι εἰρηκέναι αὐτὸν τὴν ἀνθρωπίνην ζωὴν καὶ μεριστὴν, τὸ μὲν διὰ τὸ τῆς ψυχῆς ἀμερὲς καὶ ἀσώματον, τὸ δὲ διὰ τὸ τοῦ σώματος ποικίλον τε καὶ πολυμερές. Ὅρα δὲ, πῶς θαυμασίως τὰ τῆς ψυχῆς παραδίδωσι. Τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἀμέριστόν φησιν, ὃ καὶ ἀπαθὲς καλεῖ· τοῦτο δέ ἐστι τὸ τῆς ψυχῆς ἀκραιφνέστατον, καὶ αὐτὸ, ὡς ἄν τις εἴποι, τὸ ἄνθος, ὅπερ ἐστὶν ὁ νοῦς, ὁ καὶ τὸ λογικὸν προχέων, καθ' ὃν νοῦν καὶ νοερὰ ἡ ψυχὴ, ἐν ᾧπερ νῷ τὰ ἁπλᾶ καὶ οἷον γυμνὰ συμβόλων χωρὶς μυστήρια ἐπιστητῶς ἐποπτεύεται. Τὸ δὲ αὐτῆς μεριστόν ἐστιν, ὃ καὶ παθητικόν φησι, τοῦτο δέ ἐστιν ἡ τῆς ψυχῆς δύναμις, ἡ πρὸς τὰς αἰσθήσεις ἐνουμένη διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ μέσου τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, ἐν ᾧ πνεύματι ἐναπεστηριγμέναι εἰσὶν αἱ τῆς αἰσθήσεως καὶ τῶν διανοήσεων τῶν διὰ τῆς σκέψεως γνωριζομένων δυνάμεις. Τοῦτο οὖν παθητικόν ἐστι τῆς ψυχῆς, ἅτε διὰ τῶν αἰσθήσεων εἰς προσπάθειαν ταύτης τῶν αἰσθητῶν καταφερομένης. Τοῦτο δὲ τὸ μέρος, φέρε εἰπεῖν, τῆς ψυχῆς, ὡς ὁ νοῦς, οὐκ ἔστι καθαρὸν, οὔτε ἐποπτεῦσαι δύναται τὰ θεῖα καὶ ἐπιστητὰ καὶ νοητὰ ἀμέσως, ἀλλὰ δεῖται μέσου τινὸς παχυτέρου, καθάπερ χειραγωγοῦντος αὐτὸ ἐπὶ τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀμέριστα, ὅπερ ποιεῖ τὰ σύμβολα διὰ τῶν μεριστῶν, τουτέστι τῶν αἰσθητῶν καὶ φαινομένων ἐπὶ τὰ ἄῤῥητα ξεναγοῦν.

[β] *Καὶ τὸ μὲν ἀπαθὲς τῆς ψυχῆς.* Ἀπαθὲς τῆς ψυχῆς τὸ νοερὸν, οὐχ ὡς πάντη ἀμέτοχον πάθους, ἀλλ' ὡς ἔξωθεν τοῦ πάσχειν οὐκ ἔχον τὰς ἀφορμὰς, ὥσπερ τὸ σῶμα πλείστοις ὑποπίπτον κακοῖς [68] συμπτώμασιν, ἅπερ ἡ ψυχὴ ἄνευ τῆς οἰκείας ἐκουσιότητος οὐχ ὑπομένει. Παθητικὸν δὲ αὐτῆς τὸ διὰ τῶν αἰσθήσεων ἀντιληπτικὸν τῶν ἔξωθεν, ᾧτινι συγγενὲς ἔφη τὸ διὰ συμβόλων σωματικῶς παραδίδοσθαι τὰ θεῖα, δι' ὧν πρὸς τὴν τῶν ὅλων ἀναγόμεθα θέαν.

[γ] *Θεολογίας σαφοῦς.* Ὅτι καὶ οἱ θεολογίας σαφοῦς καὶ γυμνῆς προκαλυμμάτων ἀκηκοότες, τύπους τινὰς ἐν ἑαυτοῖς ἀναπλάττουσι πρὸς νόησιν τοὺς ἀκροωμένους χειραγωγοῦντες. Ἄλλως· Θεολογίας σαφοῦς, οἷον· Ὤφθη Κύριος τῷ Ἀβραὰμ, ἢ τῷ Μωϋσεῖ, καὶ· Εἶπεν ὁ Κύριος· καὶ, Ἐγένετο ὁ λόγος Κυρίου πρὸς τὸν προφήτην, καὶ τὰ τοιαῦτα. Σαφοῦς δὲ, ὡς οὐ διὰ συμβόλων τυπωτικῶν. Τύπον οὖν φησιν ἀναπλαττόμενον, ἣν ἐπινοοῦμεν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ῥητοῖς εὐσεβῆ θεωρίαν, καὶ τῇ θείᾳ φύσει κατάλληλον.

§ II. [δ] *Τύπον τινὰ πρὸς τὴν νόησιν.* Ὥσπερ ὅταν ἐκ δένδρων τὰς ὑποστάσεις τῆς προσκυνητῆς Τριάδος

A *Per typicam mensam.* Τραπέζωσιν vocat ea sacramenta, quæ in divina mensa per sacrum panem et calicem benedictionis consecrata sunt. Nota vero, cum in antiqua tum in nova lege multa tradi per symbola, et cur.

Humanam vitam. Arbitror humanam vitam ipsum, individuam et dividuam dixisse. Illud quidem propter animæ individuitatem atque incorporeitatem, hoc vero propter corporis variam ac multimembrem proportionem. Observa autem, quam mirifice tradat ea quæ sunt animæ. Nam id quod ejus est, vocat individuum atque expers passionis; hoc autem est id quod in anima sublimissimum est atque, ut ita quis dicat, flos animi, quod est mens, a qua etiam profluit vis rationalis,
B secundum quam etiam anima intelligit. In hac mente simplicia et quasi nuda mysteria sine symbolicis scite conspiciuntur. Pars autem ejus divisibilis, quam et passibilem appellat, est ea vis animi, quæ cum sensibus unitur mediante spiritu animæ et corporis; in quo spiritu fundatæ sunt sentiendi et intelligendi, nec non intuitive contemplando cognoscendi, facultates. Hæc itaque pars animæ patibilis est, in quantum per sensus ad sensilium affectionem commovetur. Hæc autem pars, ut ita dicam, animæ, v. g. mens, non est omnino pura, nec res divinas et intellectiles ac spiritales immediate contueri potest, sed opus habet medio quodam crassiore ipsam quasi manuducente ad
C simplicia individuaque quod symbola præstant per res dividuas, id est sensiles atque apparentes, ad arcana promovendo.

Atque animæ quidem pars impatibilis. Animæ pars impatibilis est pars intelligens, non quod omnino expers sit passionis, sed quod æternarum passionum nullæ se causæ offerant, sicut hoc corpus nostrum plurimis expositum est incommodis, quæ anima sine propria sua voluntate non sustinet. Pars vero ejus patibilis est ea, quæ per sensus res externas **327** apprehendit, cui connaturaliter ait, per symbola corporea res divinas tradi, quibus ad immaterialium rerum contemplationem adducimur.

Aperta theologia. Quod etiam ii qui theologiam apertam et ab involucris nudatam audiunt, figuras
D aliquas in seipsis effingant, quibus auditores ad intelligentiam manuducunt. *Aliter:* Theologiæ apertæ sunt, ut cum Dominus Abrahamo vel Moysi apparuit, et: *Dixit Dominus* [y]; et: *Factum est verbum Domini ad prophetam* [z], et similia. Apertam vero vocat, utpote non per symbolicas figuras. Figuram denique fictam appellat piam contemplationem, quam in istiusmodi dictis concipimus, et divinæ naturæ non incongruam.

§ II. *Typum quemdam ad intelligentiam.* Ut quando D. Athanasius ex arboribus adorandæ Trinitatis

[y] Exod. VII. [z] Jer. XLVII, 1.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[68] κακωτικοῖς.

Digitized by Google

personas repræsentat, et alii sancti ex rebus aliis. Quin et ipsa mundi creatura symbolorum vicem obtinens, invisibilibus Dei obducta est.

Sicut Paulus ait. Sic enim Apostolus ait : Quoniam *invisibilia ipsius, sempiterna quoque virtus ejus, in creaturis conspiciuntur* [y]. Quin et Christus : (hunc enim, ut existimo, vocat Verbum verum) cum ait : *Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo, si dixero cœlestia, credetis* [z] ? et quæ sunt hujusmodi.

Quamobrem etiam theologi. Civiliter quidem et legaliter (considerant) correctorum susceptionem, atque felicitatem, et peccantium punitionem ac condemnationem. Quinetiam expiantes ac puras instructiones, ac præservantes admonitiones. Humano autem ac medio modo (accipiunt) v. g. interrogationes, juxta illud : *Ubi est Abel frater tuus* [a] ? et illud : *Descendens videbo* [b]. Item illud : *Dominus interrogat justum et impium* [c]. Quæ etiam medio modo se habent, inter ea quæ Deo conveniunt, et inter ea quæ omnino dissona videntur, ut sunt similitudines bestiarum et materiarum inanimatarum. Quædam item supermundiali et perfecta ratione intelligit, ut miracula, quæ Deus sola voluntate sua facit. Leges autem apparentes vocat ut quando quodammodo excusat virginem in eremo violatam, et similia. Occulta vero oracula sunt, v. g. illud : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* [d], aliaque similia. Dixit autem Pater *multiformiter ;* quoniam alia quidem symbolice, alia vero pure et supermundialiter Scriptura tradidit.

328 *Alia quidem civiliter.* Philosophia quidem partim est practica, partim speculativa. Ac practica item alia est publica seu communis, et politica seu civilis appellatur, ut legislatio ; alia vero privata seu particularis, ut ethica seu moralis. Media autem inter practicam est œconomica, speculativæ vero pars illa, quæ res sensiles ac mutabiles spectat, physica et cosmologica nuncupatur ; quæ vero intellectilia et æterna contemplatur, contemplativa et theologica dicitur ; atque hæc impræsentiarum exposuit. Media autem inter speculativam est astronomica, et mathematica, quæ sempiterna illa sensilia considerat. Hoc Scriptura quidem non dicit, sed Hebræi habent in Deuteronomio.

Non enim nudam historiam. Quoniam ea quæ symbolice, sive historice in Scriptura narrantur, haud nudam historiam continent, sed vivificam perfectionem. Vivificam autem perfectionem vocat, quod sanctis scopus sit, per Scripturas erudiri, et ad vitam æternam perfici. Hæc autem dicit, ostendens, necessario anagogen et allegoriam admittendam esse.

παρίστησιν ὁ θεῖος Ἀθανάσιος, καὶ ἐξ ἄλλων οἱ λοιποὶ ἅγιοι. Τί [68] καὶ ἡ τοῦ κόσμου δημιουργία τῶν ἀοράτων τοῦ Θεοῦ προβέβληται, τρόπον τινὰ συμβόλων τάξιν ἐπέχουσα.

[ε] *Καθάπερ φησὶ Παῦλος.* Ὁ μὲν Ἀπόστολος οὕτω φησί· *Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, ἐν τοῖς ποιήμασι καθορᾶται.* Ὁ δὲ Χριστὸς (τοῦτον γάρ, οἶμαι, καλεῖ τὸν ἀληθῆ Λόγον) ὅταν λέγῃ· *Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε· πῶς, ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε ;* καὶ ὅσα τοιαῦτα.

[ς] *Διὸ καὶ οἱ θεολόγοι.* Πολιτικῶς μὲν καὶ ἐνόμως τὴν τῶν κατορθούντων ἀποδοχὴν καὶ εὐπάθειαν καὶ τῶν πλημμελούντων τὴν κάκωσιν καὶ κατάκρισιν. Καθαρτικοὺς δὲ καὶ ἀχράντους τὰς νουθεσίας καὶ προφυλακτικὰς παραινέσεις. Ἀνθρωπικῶς δὲ καὶ μέσως, οἷον τὰς πεύσεις, ὡς τό· *Ποῦ Ἄβελ ὁ ἀδελφός σου ;* καὶ τό· *Καταβὰς ὄψομαι·* καὶ τό· *Κύριος ἐξετάζει τὸν δίκαιον καὶ τὸν ἀσεβῆ.* Ἄτινα καὶ μέσως ἔχουσι τῶν τε θεῷ πρεπόντων καὶ τῶν πάντῃ ἀπεμφαίνειν δοκούντων, τουτέστι ὁμοιώσεως θηρίων καὶ ὑλῶν ἀψύχων. Ὑπερκοσμίως δὲ καὶ τελεσιουργικῶς φησι τὰς λόγῳ καὶ μόνῳ βουλήματι παραδοξοποιίας. Νόμους δὲ φαινομένους, ὡς ὅταν ἀπολογίας ἀξιοῖ τὴν ἐν ἐρήμῳ βιασθεῖσαν παρθένον, καὶ τὰ ὅμοια. Ἀφανεῖς δὲ θεσμοὺς, οἷον· *Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα,* καὶ ἕτερα τοιαῦτα. [ζ] *Πολυτρόπως* δὲ ἔφη ὁ Πατὴρ, διότι τὰ μὲν συμβολικῶς, τὰ δὲ ἀχράντως καὶ ὑπερκοσμίως ἡ Γραφὴ παραδέδωκε.

Τὰ μὲν πολιτικῶς. Τῆς φιλοσοφίας τὸ μὲν ἔστι πρακτικὸν, τὸ δὲ θεωρητικόν. Καὶ τοῦ μὲν πρακτικοῦ τὸ μὲν ἔστι κοινὸν, ὃ καὶ πολιτικὸν καλεῖται, οἷον τὸ νομοθετικόν· τὸ δὲ ἴδιον, οἷον τὸ ἠθικόν. Μέσον δὲ πρακτικοῦ τὸ οἰκονομητικόν. Τοῦ δὲ θεωρητικοῦ τὸ μὲν ὠνόμασται φυσικὸν, τὸ ἐν αἰσθητοῖς καὶ μεταβλητοῖς, ὃ καὶ κοσμολογικόν ἐστι· τὸ δὲ ἐποπτικὸν καὶ θεολογικὸν, τὸ ἐν νοητοῖς καὶ ἀϊδίοις. Ταῦτα νῦν ἐξέθετο ἐν τούτοις. Μέσον δὲ τοῦ θεωρητικοῦ τὸ ἐν ἀϊδίοις καὶ αἰσθητοῖς, ὅπερ ἐστὶν ἀστρονομικὸν καὶ μαθηματικόν· ὅπερ ἡ μὲν Γραφὴ οὐ λέγει, οἱ δὲ Ἑβραῖοι ἐν τῷ Δευτερονομίῳ ἔχουσιν.

[η] *Οὐ γὰρ ἱστορίαν ψιλήν.* Ὅτι τὰ συμβολικῶς ἤτοι ἱστορικῶς τῇ Γραφῇ εἰρημένα οὐχ ἱστορίαν ἔχει ψιλὴν, ἀλλὰ ζωτικὴν τελείωσιν. Ζωτικὴν δὲ τελείωσιν λέγει τὸ σκοπὸν εἶναι τοῖς ἁγίοις διὰ τῶν Γραφῶν πρὸς τὴν αἰώνιον ζωὴν τελειοῦσθαι τοὺς διδασκομένους. Ταῦτα δέ φησι, δεικνὺς ἀναγκαίως τὴν ἀναγωγὴν καὶ ἀλληγορίαν παραλαμβάνεσθαι.

[y] Rom. I, 20. [z] Joan. III, 12. [a] Gen. IV, 9. [b] Gen. XVIII, 21. [c] Psal. X, 6. [d] Rom. IX, 13.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[68] ὅτι.

Digitized by Google

Ἱεροπρεπῶς διαβαίνειν. Διαβαίνειν γράφεται καὶ διαβάλλειν, ὅ ἐστιν εἰσβαλεῖν καὶ εἰσελθεῖν, εἴσω τε γενέσθαι τοῦ πράγματος· οὕτω φησὶ καὶ Διογενιανός. A

Sacro modo penetrare. Διαβαίνειν, alia lectio habet διαβάλλειν, id est ingredi et intrare, et intra rem ipsam esse; uti etiam Diogenianus ait.

Τὰ ὑπερούσια φῶτα. Ὑπερούσια φῶτα, καὶ νοητὰ, καὶ θεῖα, τὴν παναχραντον καὶ παναγίαν Τριάδα φησί· νοητοὺς δὲ ἀγγέλους τοὺς ὑπεραναβεβηκότας. Τὴν δὲ διαφορὰν τούτων παρατεθείκαμεν ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων* τελείως.

Supernaturalia lumina. Supersubstantialia et intellectilia ac divina lumina vocat purissimam et sanctissimam Trinitatem, superiores autem angelos vocat intellectiles. Horum autem differentiam perfecte assignavimus in libro *De divinis nominibus*.

Κατὰ τῶν νοητῶν αὐτοῦ προνοιῶν. Ἐπὶ μὲν προνοιῶν, ὡς τὸ ἐν Εὐαγγελίοις· *Πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν*· λόγων δὲ, ὡς παρὰ τῷ Ἱερεμίᾳ· *Οὐχ οὕτως οἱ λόγοι μου ὥσπερ πῦρ, λέγει Κύριος;* Τὴν τοῦ πυρὸς οὖν εἰκόνα δηλονότι ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ἄλλως δεῖ ἐκλαβεῖν, καὶ ἄλλως ἐπὶ τῶν νοητῶν, ἀγγέλων δηλονότι καὶ προνοιῶν Θεοῦ καὶ λόγων. B

De intellectilibus ejus providentiis. De providentiis quidem, ut in Evangeliis: *Ignem veni mittere in terram* [e]. De sermonibus vero, ut apud Jeremiam: *Nunquid non verba mea quasi ignis, dicit Dominus* [f]? Imaginem igitur ignis v. g. in Deo aliter accipere oportet, et aliter in intellectilibus sive angelis, ac Dei providentiis ac sermonibus.

Καὶ τὴν μὲν κατ' αἰτίαν. Τὴν τοῦ πυρὸς εἰκόνα κατ' αἰτίαν, δηλαδὴ ἐπὶ τῶν λογίων Κυρίου· τὴν δὲ καθ' ὕπαρξιν ἐπὶ Θεοῦ· τὴν δὲ κατὰ μέθεξιν ἐπὶ τῶν ἀγγέλων. Τὸ δὲ καθ' ὕπαρξιν τοῦ κατὰ μέθεξιν διαφέρει ἐν τούτοις· τὸ μὲν γὰρ δηλοῖ οὐσίαν καθ' ἑαυτὴν οὖσαν, καὶ ἐπείσακτον ἔχουσαν τὸ θεοειδὲς, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀγγέλων· τὸ δὲ καθ' ὕπαρξιν πρᾶγμα, ἢ Λόγιον θεῖον, τουτέστιν ἐκ Θεοῦ προαχθέν.

Atque illam quidem secundum causam. Illa igitur imaginem secundum causam nimirum, de eloquiis Domini; illam vero secundum exsistentiam de Deo; illam denique secundum participationem, de angelis (dictam esse). Illud autem, quod est secundum exsistentiam, differt ab eo quod est secundum participationem, in his, quod nimirum illud quidem designet substantiam per se exsistentem, sed ascitiam **329** habentem deformitatem, ut in angelis; hoc vero rem ipsam secundum substantiam, sive Verbum divinum, id est a Deo productum.

Ὡς ἡ κατ' αὐτὰ θεωρία. Ὅτι πρὸς τὰ ὑποκείμενα καὶ οἱ τύποι νοοῦνται, κἂν οἱ αὐτοὶ ὦσιν.

Ut secundum ipsa contemplatio. Quoniam secundum subjecta etiam figuræ intelliguntur, quamvis eadem sint.

Ὑφ' ὑμῶν ζήτησιν. Ἦλθεν εἰς ἐρώτησιν καὶ τὸ τῶν Παροιμιῶν πρόβλημα, καί φησι περὶ δυνάμεως τροφῆς. C

A nobis quæstionem. Venerat etiam in quæstionem propositio quædam e Proverbiis, ubi de cibi virtute agit.

Τὴν δὲ ὑγράν. Σημείωσαι ὅτι τὸ πίνειν ὑγρὰν τροφὴν ἐκάλεσε.

Liquidam vero. Nota, ipsum potum liquidum cibum appellasse.

Κρατὴρ περιφερής. Θεωρία τοῦ κρατῆρος καὶ τῆς αὐτοῦ περιφερείας.

Crater rotundus. Contemplatio crateris, et ejusdem circumferentiæ.

Ἀνάρχου καὶ ἀτελευτήτου. Ἀναρχόν φησι τοῦ Θεοῦ τὴν πρόνοιαν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων ὡς συνάρχων προενόει κατὰ τοὺς ἀφραίνοντας καὶ λέγοντας, Ἅμα Θεὸς, ἅμα πάντα· ἀλλ' ὅτι καὶ πρὶν ἢ πραχθῆναι τὰ ὄντα ἐν ταῖς ἰδέαις, ἤτοι παραδείγμασι τοῦ Θεοῦ, τουτέστιν ἐν ταῖς ἀϊδίοις αὐτοῦ νοήσεσιν (ἃς προορισμοὺς ὀνομάζειν τὸν θεῖον Παῦλον ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων* ἔφημεν), καθ' ἃς ἰδέας καὶ νοήσεις τοῦ Θεοῦ τὰ μέλλοντα παράγεσθαι προετετύπωτο, καὶ ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ ἀνάρχως προϋπῆρχε πάσης κτίσεως. Προνοίας γὰρ θείας ἦν, ἤτοι προεννοήσεως, τὸ βούλεσθαι παραγαγεῖν κτίσιν τὴν ἀπολαύσουσαν τῆς προνοητικῆς αὐτοῦ ἀγαθότητος. Κατὰ τοῦτο οὖν καὶ ἀτελεύτητος ἡ πρόνοια λέγεται εἰς τοὺς ἀθανάτους ἀγγέλους καὶ τοὺς ἀπαθανατισθησομένους ἡμᾶς, καὶ τὰ δι' ἡμᾶς ἀγαθὰ ἐσομένη. D

Ancipio et fine carentis. Principii expertem dicit Dei providentiam non quasi simul cum rebus exsistere incipiens, ipsis prospiciat, juxta illos insanos, qui dicunt: Simul Deus, simul omnia; sed quia priusquam res producerentur in ideis sive exemplaribus divinis, id est in æternis ejus notionibus (quas D. Paulum prædefinitiones appellare diximus in libro *De divinis nominibus*), secundum quas ideas et notiones Dei, res futuræ jam erant præformatæ, atque adeo providentia Dei absque principio fuit ante omnem creaturam. Providentiæ enim divinæ sive consilii prospicientis erat etiam velle producere creaturam, providenti ejus bonitate fruituram. Secundum hoc utique etiam fine caret. Vel dicitur providentia quoad immortales angelos, et nos ipsos immortalitate donandos, respectu bonorum quæ propter nos erunt.

Οἰκοδομοῦσα δὲ καὶ ἡ σοφία. Τί ἐστι τὸ οἰκοδομεῖν τὴν σοφίαν ἑαυτῇ οἶκον, καὶ ἐν αὐτῇ ἑτοιμάζειν ἃ ἔφη, καὶ ἔξω εἶναι αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ.

Sapientia autem ædificat sibi domum. Quid sit sapientiam sibi domum ædificare, et in ipsa apparere quæ narravit, eamque et extra ipsam et intra ipsam exsistere.

[e] Luc. xii, 49. [f] Jer. xxiii, 29.

Digitized by Google

Et in universo est. De hoc etiam dictum est in libro *De divinis nominibus*, quomodo stet et sedeat. Notandum autem ipsum hic providentiam vocare Deum.

In se excellenter. In his etiam illud *excellenter* accipiendum est pro, minime privanter, sive non secundum exsistentiæ carentiam, uti proposita sumuntur.

Et stans. Hic videtur mihi declarare, quid sit ἑστία, id est *quasi mansio*, ita ut nomen ἑστία derivetur a verbo ἐστί.

Et nusquam extra se. Cum illud *stans* acceperit de perseverantia secundum immutabilitatem, illud *se movens* de rerum providentia, in utroque horum nobis intelligendum est et subaudiendum *omnino*, ita ut sit sensus : Neque omnino stans, quasi non ad providendum moveatur; **330** neque omnino se movens, quasi a stabilitate sua deflectat. *Aliter :* Illud *semper stare et moveri* de Deo dictum, providam ejus in stabilitate operationem designat. Illud autem *neque stare neque moveri*, ejus in providendo perseverantiam repræsentat. Hæc autem omnia in libro *De divinis nominibus* sæpe exposuimus.

§ IV. *Solidum quidem cibum.* Quis sit solidus cibus, et quis liquidus : atque solidum cibum esse stabilem perfectionem.

Et potentem et singularem. Singularem et individuam scientiam dicit, cum nimirum in iis, qui de Deo sunt, sermonibus, nequaquam in materiales intelligentias mens dividitur ; sed uniformiter supernaturalem et inscrutabilem divinam naturam reputat ; quippe quæ sensoria organa hominis interioris habeat admodum exercitata.

Et per dividua seu multiplicia. Per subauditionem censeo hoc juxta constructionem referendum esse ad *fusam*, etc.

Manuducit. Neque enim uno ac simplici modo, sed multiformi varioque edoctos ad perfectam illam Dei scientiam promoveri scimus.

[Cur rori, aquæ, lacti, vino, et melli divina eloquia comparentur : et quid hæc omnia significent.]

Donat accedentibus. Quid symbola significent.

Veraciter epulari. Nota, quod nomen εὐωχίας hic Pater derivet ab εὖ, id est *bene*, et ἔχειν *habere*.

Vivificans simul, et parvulos nutriens. Educando scilicet juvenes probos. Hoc autem κουροτρόφος est Homero : nam κόρος est juvenis, et per redundantiam υ, κοῦρος, unde etiam κουροτρόφος.

§ V. *Deus inebriari dicitur.* Nota quomodo dicatur Deus inebriari, et unde, et quæ sit nostra ebrietas, et quomodo de Deo exstasis dicatur.

Supra intelligentiam exsistens. Quoniam Deus est tam supra id quod intelligit, quam supra id quod intelligitur, et supra id quod est.

Καὶ ἐν τῷ παντὶ γίγνεται. Περὶ τούτου εἴρηται καὶ ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων*, πῶς ἐστὶς καὶ κινούμενος. Σημειωτέον δὲ ὅτι πρόνοιαν τὸν Θεόν φησιν.

Ἐν τῷ αὐτῷ καθ' ὑπεροχήν. Καὶ ἐν τούτοις τὸ *καθ' ὑπεροχὴν* πρὸς τὸ μὴ κατὰ στέρησιν καὶ ἀνυπαρξίαν λαβεῖν ἡμᾶς τὰ προκείμενα, εἴληπται.

Καὶ ἑστηκώς. Ἐνταῦθα δοκεῖ μοι σαφηνίζειν, τί ἑστία, τουτέστιν ἡ ὡς ἔστι διαμονή, ἀπὸ τοῦ *ἑστὶ* παρηγμένου τοῦ ὀνόματος τῆς *ἑστίας*.

Καὶ οὐδαμῶς ἔξω αὐτοῦ. Ἐπειδὴ τὸ μὲν *ἑστὼς* ἐπὶ τῆς κατὰ τὸ ἀναλλοίωτον μονιμότητος ἔλαβε, τὸ δὲ *κινούμενος* ἐπὶ τῆς εἰς τὰ ὄντα προνοίας, ἑφ' ἑκατέρου τούτων νοεῖν ἡμᾶς χρὴ καὶ προσεπάγειν τὸ *καθόλου*, ἵνα ᾖ τοιοῦτον τὸ λεγόμενον· Οὔτε ἑστὼς καθόλου, ὡς μὴ κινεῖσθαι προνοητικῶς, οὔτε κινούμενος καθόλου, ὡς τῆς οἰκείας μεθίστασθαι μονιμότητος. Ἄλλως· Ὅτι τὸ *ἀεὶ ἑστάναι καὶ κινεῖσθαι* περὶ Θεοῦ λεγόμενον τὴν ἐν τῇ μονιμότητι προνοητικὴν αὐτοῦ ἐνέργειαν δηλοῖ. Τὸ δὲ *μηδὲ ἑστάναι μηδὲ κινεῖσθαι* τὴν ἐν τῷ προνοεῖν αὐτοῦ μονὴν παρίστησι. Πάντα δὲ τὰ ἐνταῦθα ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων* πολλάκις διεληλύθαμεν.

§ IV. *Τὴν μὲν οὖν στερεὰν τροφήν.* Τίς ἡ στερεὰ τροφή, καὶ τίς ἡ ὑγρά· καὶ ὅτι στερεὰ τροφή ἐστιν ἡ μόνιμος τελειότης.

Καὶ δυνατὴν καὶ ἑνιαίαν. Ἑνιαίαν καὶ ἀδιαίρετον γνῶσίν φησι τὸ ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ λόγοις μὴ πρὸς τὰς ὑλικὰς ἐννοίας καταμερίζεσθαι τὸν νοῦν, ἀλλὰ μονοτρόπως τὸ ὑπὲρ φύσιν καὶ ἀνεξιχνίαστον τῆς θείας φύσεως λογίζεσθαι τὸν τὰ αἰσθητήρια τοῦ ἐντὸς ἀνθρώπου γεγυμνασμένα ἔχοντα.

Καὶ μεριστῶν. Κατὰ κοινοῦ τὸ σύνθεμα φέρειν οἶομαι τῆς διαχυτικῆς, καὶ τὰ ἑξῆς.

Χειραγωγούσης. Οὐχ ἑνὶ γὰρ τρόπῳ, ἀλλὰ πολυειδεῖ καὶ ποικίλῳ τοὺς διδασκομένους ἐπὶ τὸ τέλειον τῆς θεογνωσίας ἄγεσθαι ἴσμεν.

[Διὰ τί δρόσῳ καὶ ὕδατι καὶ γάλακτι καὶ οἴνῳ καὶ μέλιτι τὰ θεῖα παρεικάζεται λόγια· καὶ τίς ἡ ἑκάστου τούτων δύναμις.]

Δωρεῖται τοῖς προσιοῦσι. Τί δηλοῖ τὰ σύμβολα.

Τὸ ἀληθῶς εὐωχεῖν. Σημείωσαι, ὅτι τὸ τῆς *εὐωχίας* ὄνομα ὁ Πατὴρ εἰς τὸ *εὖ ἔχειν* ἐτυμολογεῖ.

Ζωοποιὸς ἅμα καὶ κουροτρόφος. Τὸ τρέφειν νεανίας ἀγαθούς. Ἐξ Ὁμήρου δὲ τοῦτο· *κόρος* γὰρ ὁ νεανίας, καὶ κατὰ πλεονασμὸν τοῦ υ *κοῦρος*, ὅθεν καὶ *κουροτρόφος*.

§ V. *Θεὸς μεθύειν λέγεται.* Σημείωσαι πῶς μεθύειν λέγεται ὁ Θεὸς, καὶ ἐκ τίνος καὶ τίς ἡ ἐφ' ἡμῶν μέθη, καὶ πῶς λέγεται ἐπὶ Θεοῦ ἔκστασις.

Ὑπὲρ τὸ νοεῖν ὤν. Ὅτι ὁ Θεὸς καὶ ὑπὲρ τὸ νοεῖν ἐστι, καὶ ὑπὲρ τὸ νοεῖσθαι, καὶ ὑπὲρ τὸ εἶναι.

Digitized by Google

Μεμεθυσμένος ἅμα. Σημείωσαι ἐν συντόμῳ, πῶς μεμεθυσμένος καὶ ἐξεστηκὼς λέγεται ὁ Θεός. A

Κατὰ τὸν αὐτὸν ἐκληψόμεθα. Τίνα τὰ λεγόμενα δεῖπνα ἤτοι συμπόσια ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

Τὴν ἀνάκλισιν. Τίς ἡ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν ἀνάκλισις· ὅτι ἀνάπαυσις, καὶ ἀβλαβὴς ζωὴ, καὶ τὰ ἑξῆς.

Καθ' ἣν εὐφροσύνην. Τὴν εὐφροσύνην, ἤτοι τὸ εὐφρονεῖν [68] (τοῦτο γάρ ἐστιν εὐφροσύνη) τὸν Ἰησοῦν εἰκότως λέγει.

§ VI. *Καὶ τὸν εὐφημούμενον ὕπνον.* Πῶς ἔλαβεν ἐπὶ Θεοῦ ὕπνον καὶ ἐγρήγορσιν.

Τὴν συμβολικὴν θεολογίαν. Σημείωσαι τί περιέχει ἡ *Συμβολικὴ θεολογία.* Διεξοδικώτερον δὲ, τουτέστι πλατύτερον, διήρθρωται καὶ διατετύπωται. B

ΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ Ι'.

Ἡ μὲν ἐπιστολὴ ἀξία τῆς ἀρχαιότητος ἐκείνης τῆς ἱερᾶς, καὶ τοῦ μαθητοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, τὴν χάριν ἀπαγγέλλουσα. Ἔστι δὲ συμβαλεῖν ἐκ τῆς πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπον ζ' οὔσης, εἶναι τὸν μέγαν Διονύσιον, ὅτε ταῦτα ἔγραφεν, ἐτῶν περί που ἐννενήκοντα. Ἐν μὲν γὰρ τῇ πρὸς τὸν ἅγιον Πολύκαρπόν φησιν, ἐν τῇ κατ' Αἴγυπτον Ἡλιουπόλει διάγων, θεάσασθαι τὴν παρὰ φύσιν γενομένην ἔκλειψιν τοῦ ἡλίου ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ [69] τοῦ Χριστοῦ, ὅπερ γέγονε τῷ ιη' ἔτει τῆς Τιβερίου βασιλείας· τῷ γαρ ιε' ἔτει αὐτοῦ ἤρξατο τοῦ κηρύγματος ὁ Κύριος Ἰησοῦς, ὡς ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν δηλοῦται Εὐαγγελίῳ. Τρία δὲ [70] ἔτη μετ' ὀλίγων μηνῶν κηρύξας, ἑκὼν πάσχει ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν, ὡς εἶναι Τιβερίου ιη' ἔτος. Ἐβασίλευσε δὲ Τιβέριος ἀμφὶ τὰ κγ' ἔτη, ὡς εἶναι ἀπὸ τοῦ σωτηρίου πάθους ἕως τελευτῆς Τιβερίου σχεδὸν ἔτη ἕξ. Ἐξωρίσθη δὲ ὁ ἅγιος εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἥτις ἐστὶ μία τῶν Κυκλάδων, περὶ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας. Ἐβασίλευσε δὲ οὗτος ἔτη ιε' καὶ μῆνας ε'. Συνάγονται δὲ ἀπὸ τοῦ ιη' ἔτους Τιβερίου, ὅτε ἡ ἔκλειψις, ἕως τῆς τελευτῆς Δομετιανοῦ ἔτη ξδ' περί που καὶ μῆνας ζ'. Ὑποθώμεθα [71] δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι κε' ἐτῶν, ἅτε οἶμαι, καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα, ὡς εἶναι τὰ πάντα ἀμφὶ τὰ ἐννενήκοντα ἔτη. Μέμνηται δὲ τῆς ἐπὶ Δομετιανοῦ ἐξορίας τοῦ ἁγιωτάτου Ἰωάννου, καὶ Εἰρηναῖος ἐν τρίτῳ καὶ πέμπτῳ τῶν *Κατὰ αἱρέσεων*, ἔνθα καὶ τὸν χρόνον ἐσημειώσατο· καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς, ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ· *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*; C

Οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς αἰῶσι. Σημείωσαι ὅτι οὐχ ὁ Θεὸς αἴτιος τοῦ ἀφορισμοῦ τοῖς ἁμαρτωλοῖς τῆς ἐν ἀριστερᾷ στάσεως, ἀλλ' αὐτοὶ ἑαυτοῖς αἴτιοι τούτων οἱ ἁμαρτωλοὶ, παντελῶς ἑαυτοὺς ἀφορίσαντες τοῦ Θεοῦ.

Simul inebriatus. Nota breviter quomodo dicatur Deus inebriatus, et excessum patiens. A

Eodem modo accipiemus. Quænam sint dictæ cœnæ sive convivia in regno cœlorum.

331 *Discubitum.* Quis sit discubitus in regno cœlorum, eumque esse requiem et vitam noxæ expertem, etc.

Qua gaudio replentur. Per εὐφροσύνην, sive gaudium (id enim significat εὐφροσύνη) verosimiliter Jesum intelligit.

§ VI. *Et celebrem istum somnum.* Quomodo acceperit in Deo somnum et evigilationem.

Symbolicam theologiam. Nota quid *Symbolica theologia* contineat. Ubi fusius, id est latius, seu B planius et articulatius explicatum et descriptum est.

IN EPISTOLAM X.

Epistola hæc sancta illa antiquitate cumprimis digna, uti et discipulo quem diligebat Jesus, cui gratiam annuntiat. Licet autem colligere ex hac epistola et ex illa ad sanctum Polycarpum septima, magnum Dionysium, quando hæc scripsit, annorum circiter nonaginta fuisse. In illa siquidem ad S. Polycarpum ait se, cum Heliopoli Ægypti degeret, perspexisse solarem istam eclipsim, salutaris Christi crucis tempore, quæ incidit in annum regni Tiberii decimum octavum: hujus enim anno decimo quinto, exorsus erat prædicationem suam Dominus Jesus, ut in Evangelio secundum Lucam declaratur. Ubi C autem tribus annis et paucis mensibus prædicaverat, Dominus ac Deus noster sponte passus est circa annum Tiberii decimum octavum. Regnavit autem Tiberius annis circiter tribus et viginti, ut sic a salutari passione ad obitum usque Tiberii fere sex anni intercesserint. Porro sanctus evangelista Joannes ablegatus est in Patmum insulam, quæ Cycladum una est, sub extremum anni regni Domitiani. Hic autem regnavit annis quindecim et mensibus quinque. Ab anno vero Tiberii decimo octavo, quo eclipsis illa contigit, ad mortem usque Domitiani, colliguntur anni circiter quatuor et sexaginta, et menses septem. Supponamus item, D. Dionysium, quando ista sub crucifixionem Domini vidit, annorum fuisse viginti quinque, quemadmodum me adhuc legisse autumo, sic ut omnes anni fuerint circiter nonaginta. Meminit etiam hujus relegationis sanctissimi Joannis sub Domitiano factæ Irenæus in tertio et quinto libro suo *Adversus hæreses*, ubi et tempus indicavit; Clemens item Alexandrinus, in eo opere cui inscriptio: *Quis dives salvus?*

332 *Neque enim in sæculis.* Nota Deum non esse causam separationis peccatorum, qua ad sinistram collocantur, sed sibi ipsis peccatores hujus rei causæ sunt, dum ipsi se penitus a Deo segregant.

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[68] εὖ φρονεῖν. [69] ἐπὶ τῷ σταυρῷ. [70] γάρ. [71] ὑποθῶμεν.

Digitized by Google

Et Dei nomine. Dei nomen ait, sive quod omnes actiones suas in Dei semper nomine peragant, aut quia a Deo sive Christo nomen sortiti, ex eo quod secundum ipsum vitam suam instituunt, etiam ipsimet dii appellentur.

Καὶ θεωνυμίᾳ. Θεωνυμίαν φησὶν ἢ τὸ πάντοτε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ πάντα πράττειν αὐτοὺς, ἢ ὅταν τοὺς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, ἤγουν τοῦ Χριστοῦ, ὀνομαζομένους, κατ' αὐτὸν πολιτεύεσθαι ὑπάρχῃ, καὶ αὐτοὺς λεγομένους θεούς.

Evangelii solem. Merito divum Joannem Evangelii solem nuncupat. Jure igitur, inquit, illos reprehendo et increpo, qui se solem Evangelii exterminare posse putant. Attamen opto ut respiciant, et ad te accurrant, ut illustrati salventur. Quemadmodum enim insanit, qui se putat solem hunc concludere loco posse, sic et hi insaniunt qui lucem Evangelii arbitrantur se posse tecum intra Patmum insulam circumscribere.

Τοῦ Εὐαγγελίου τὸν ἥλιον. Τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ἥλιον τοῦτον τὸν θεῖον Ἰωάννην ὀνομάζει δικαίως. Φησὶν οὖν· Ὅτι ἐγὼ, εἰκότως αἰτιώμενος καὶ μεμφόμενος τοὺς νομίζοντάς σε τὸν τοῦ Εὐαγγελίου ἥλιον περιορίζειν ἐν τόπῳ, εὔχομαι ὅμως ἀνανῆψαι καὶ προσδραμεῖν σοι, ἵνα σωθῶσι φωτισθέντες. Ὥσπερ γὰρ μέμηνεν ὁ οἰόμενος τὸν ἥλιον τοῦτον περικλείειν τόπῳ, οὕτω καὶ οὗτοι μεμήνασι, νομίζοντες τὸ φῶς τοῦ Εὐαγγελίου σου περιορίζειν σὺν σοὶ ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ.

Nos autem e diverso neque. Pro, neque longius te abesse. Nota autem magnum Dionysium hic etiam prophetasse, cum clare dicat, sibi, uti et beato Joanni revelatum esse, ipsum intra breve tempus ab exsilio Patmi revocandum esse, quod et contigit. Nam, ut diximus, paulo post, sub ultimum annum regni Domitiani, in Patmum insulam fuerat relegatus, Domitiano persecutionem excitante; at interim sub istius regis exitum, maximus hic evangelista Joannes divinam illam Apocalypsim vidit.

Ἡμᾶς δὲ οὐδὲ τοὐναντίον. Ἀντὶ τοῦ, οὐδὲ τὸ πορρωτέρω σε γενέσθαι. Σημείωσαι δὲ ὅτι καὶ προεφήτευσεν ὁ μέγας Διονύσιος, σαφῶς εἰπὼν ἐκ Θεοῦ ἀποκαλυφθῆναι αὐτῷ, ὡς καὶ τῷ ἁγίῳ Ἰωάννῃ, ὅτι εἴσω βραχυτάτου χρόνου ἀνακληθήσεται τῆς ἐν Πάτμῳ ἐξορίας· ὃ δὴ καὶ γέγονεν. Ὡς γὰρ ἔφημεν, πρὸ βραχέος περὶ τὸ τελευταῖον ἔτος τῆς Δομετιανοῦ βασιλείας εἰς τὴν Πάτμον ἐφυγαδεύθη, διωγμὸν κινήσαντος τοῦ Δομετιανοῦ· εἶτα περὶ τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως ὁρᾷ τὴν θείαν Ἀποκάλυψιν ὁ μέγιστος οὗτος εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης [67].

VARIÆ LECTIONES ET CORRECTIONES.

[67] θεῖος εὐαγγελιστὴς Ἰωάν.

Digitized by Google

SCRIPTORES VARII.

VITÆ

SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ.

ΒΙΟΣ ΚΑΙ ΕΓΚΩΜΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΡΕΙΟΠΑΓΙΤΟΥ

Ἐκ τῶν Μηναίων τῆς ἐν Ἑλλάδι Ἐκκλησίας, μηνὸς Ὀκτωβρίου τῇ γ'.

VITA ET ENCOMIUM

SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ

Ex Menæis Græcis, mensis Oct. die 3,

Interprete Petro Lansselio, Gravelingano, Soc. Jesu presbytero.

Ἀγχίστρῳ τῆς χάριτος σοφῶς ὁ Παῦλος ὁ ἔνθεος δημηγορήσας ἐζώγρησεν ἱεροφάντορα, καὶ τῶν ἀπορρήτων θεωρὸν εἰργάσατο, σὲ σκεῦος ἐκλογῆς θεασάμενος, μεθ' οὗ δυσώπησον*, θεορρῆμον Διονύσιε, τοὺς πόθῳ ὑμνοῦντάς σε.

Ἀγγέλοις ὁμότιμον τὸν νοῦν, πάτερ Διονύσιε, δι' ἀρετῆς ἐργασάμενος, τὴν ὑπερκόσμιον τῆς ἱεραρχίας εὐταξίαν, πάνσοφε, τὴν τούτων ἱερῶς ἀνιστορήσας καθ' ἣν ἐρρύθμισας Ἐκκλησίας τὰ συστήματα, οὐρανίων τὰς τάξεις μιμούμενος.

Ἐμφιλοσοφώτατα, Θεῷ, μάκαρ Διονύσιε, ὁ δυνατὸν ὁμοιούμενος, τῶν ὀνομάτων σοῦ μυστικῶς τῶν θείων εὐσεβῶς ἐξήπλωσας τὴν ἔνθεον, θεόφρον, ἀνάπτυξιν, ἑνώσει κρείττονι μυηθεὶς τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν, καὶ μυήσας τοῦ κόσμου τὰ πέρατα.

Ἀνδρέου Ἱεροσολυμίτου, οἱ δὲ Βυζαντίου.

Τῆς οὐρανίου γνώσεως ἀθεώρητον βυθόν σε καλέσωμεν, λαμπρότατε μάρτυς τοῦ Χριστοῦ, ὡς καὶ ὁπλίτην καὶ στερρὸν ὑπέρμαχον τῆς Ἐκκλησίας. Ἀνυμνοῦμέν σε, σοφέ· πυρὶ γὰρ ἐλλαμφθεὶς τῷ ἀγνοτάτῳ ἠξιώθης ἅμα ταῖς ἄνω στρατολογίαις, τὸ φωτεινὸν περιβόλαιον ἐνδύσασθαι Χριστὸν, καὶ λαμπρυνθεὶς τῇ αἴγλῃ τοῦ πνεύματος τὸν νοῦν, Διονύσιε. Διὸ σοῦ τὴν παγκόσμιον μνήμην πανηγυρίζον-

A **333-335** Divino correptus numine Paulus, concione ad populum habita, sacrorum interpretem gratiæ hamo vitæ sapienter dedit, ineffabiliumque contemplatorem effecit, dum te vas electionis conspexit, cum quo, diviniloque Dionysi, pro laudum tuarum cupidis Deum exora.

Mentem angelis honore parem, Pater Dionysi, virtute præstitisti, mundo superiorem horum hierarchiæ bonum ordinem sancte indagasti, cujus norma cœtus Ecclesiæ composuisti, cœlestium ordines imitatus.

Maxima cum sapientia, beate Dionysi, qui Deo, quantum licet, es similis, tuam divinorum nominum Deo plenam expositionem arcano sensu religiose, tu qui divina sapis, explicuisti, excellentissima unitione quæ mentem vincunt edoctus mundique erudiens fines.

B

Andreæ Hierosolymitani aut Byzantii.

Invisibilem divinæ cognitionis profunditatem te, illustrissime Christi martyr, appellabimus, sicut etiam gravis armaturæ militem, ac validum Ecclesiæ propugnatorem. Te, o sapiens, prædicamus: purissimo enim illuminatus igne, fulgoreque spiritus mente, Dionysi, resplendens, dignus es habitus cum cœlestibus exercitibus splendidam vestem Christum induere, ideo ornatissimam tui memoriam celebran-

Digitized by Google

tes, si de laudamus, qui te gloriosum voluit Dominum.

336 *Canon sancti cujus acrostichis: « Mentem honoro sapientium doctrinarum, » Theophanis.*

A divino Paulo cœlestium contemplatore institutus, Dionysi, mox cœlestis magister et divinus concionator evasisti.

Divina illustratus gratia, illustra, o beate, eorum qui te laudant animas, ut tuas Deo afflatas intelligant doctrinas, Dionysi.

Mentis atque animæ puritate cœlestium ordinum fulgores addiscere meruisti, eorumque videre per choros dispositiones, Dionysi.

Ad B. V.

Lucifer thalamus incarnationis omnium Conditoris pro nobis factæ, judicata es; ex te enim, Dei genitrix nostram induit carnem.

Supra cœlestes elevatus fornices, sancte, mundo superiorum ordines et exercitus et splendores, omnium sublimi sermone sapientissimisque expositionibus manifestasti.

Altæ immersus contemplationi, gloriose, divinorum nominum explicationem divine protulisti, Trinitatis theologus effectus Dei gratia, in Deo beatissime.

Amore divino mortuus præsentibus, philosophiæque intentus studio, vivificarum supra mentem gratiarum Deiferum fuisti, Pater, instrumentum.

Ad B. V.

Virgo agricultura cuncta facientis spiritus omnium Domino corpus pro fructu protulisti, in quo mundi peccatum condemnavit, vitamque perennem instar fontis emisit.

Bonum Ecclesiarum ordinem composuisti; in ipsis enim, Pater, formando depinxisti imagines sacræ fictionis virtutum formæ expertium similes, per quas instituitur ac illustratur universa fidelium religiosa congregatio.

Tuæ fluenta theologiæ, a Deo correpte, prata rationalia et semper virentia atque in fidei rectitudine consita valde irrigant; unitatem enim essentiæ in personarum Trinitate venerandam monarchiam prædicasti.

Vehemens hierarchiæ cœlestis desiderium atque erga Deum amorem, et firmam erga divinam necnon incomprehensibilem altitudinem propensionem prudenter docuisti eos qui in fide clamant, gloria potestati tuæ, o amans hominum.

337 *Ad B. V.*

Sacer salutis operator fuit Filius tuus omnibus te laudantibus et viæ et lucis ductor et justitia, Virgo, et redemptio : propterea te Deiparam, vere ac proprie unanimiter prædicamus.

Sonus verborum tuorum, tanquam cœlestis quædam vox delatus mentes Dei expertes attonitas reddidit gratiæ sermone, ac divinarum lucidissimis doctrinarum radiis corda fidelium illuminavit.

A τες πιστῶς δοξάζομεν τὸν δοξάζοντά σε Κύριον.

Ὁ κανὼν τοῦ ἁγίου, οὗ ἡ ἀκροστιχίς· « Τὸν νοῦν γεραίρω τῶν σοφῶν διδαγμάτων, » Θεοφάνους.

Τῷ Παύλῳ τῷ θείῳ μαθητευθεὶς τῷ τῶν οὐρανίων, Διονύσιε, θεατῇ, οὐράνιος μύστης παραυτίκα καὶ θεηγόρος ἐχρημάτισας.

Ὁ χάριτι θείᾳ καταυγασθείς, καταύγασον, μάκαρ, τῶν ὑμνούντων σε τὰς ψυχὰς τὰς σὰς συνιέναι θεοπνεύστους διδασκαλίας, Διονύσιε.

Νοὸς καθαρότητι καὶ ψυχῆς τῶν ἐπουρανίων διακόσμων τὰς ἀστραπὰς μαθεῖν ἠξιώθης, καὶ τὰς τούτων χοροστασίας ἰδεῖν, Διονύσιε.

θ̄ο̄χ *.

Νύμφιον φωτοφόρος τῆς ὑπὲρ νοῦν σαρκώσεως ὤφθης τοῦ τῶν ὅλων δημιουργοῦ· ἐκ σοῦ γὰρ τὴν B σάρκα, Θεομῆτορ, τὴν ἡμετέραν ἡμφιάσατο.

Οὐρανίων ἀψίδων ὑπεραρθεὶς ὅσιε, τῶν ὑπερκοσμίων τὰς τάξεις καὶ τὰ στρατεύματα, καὶ τὰς λαμπρότητας ὑψηγορίαις τῶν λόγων καὶ πανσόφοις φράσεσι πᾶσι ἐτράνωσας.

Ὑψηλῆς θεωρίας ἐμφορηθείς, ἔνδοξε, τὴν τῶν ὀνομάτων τῶν θείων ἀνάπτυξιν ἐθεολόγησας, τριαδικὸς θεολόγος γεγονὼς τῇ χάριτι, θεομακάριστε.

Νεκρωθεὶς τοῖς παροῦσι τῷ πρὸς Θεὸν ἔρωτι, καὶ φιλοσοφίᾳ συντόνως ἐγγυμνασάμενος, τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν ζωοποιῶν χαρισμάτων θεοφόρον ὄργανον, Πάτερ, γεγένησαι.

θ̄ο̄χ.

Γεωργία Παρθένε τοῦ παντουργοῦ Πνεύματος, σῶμα τῷ Δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐκαρποφόρησας, ἐν ᾧ C κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, καὶ ζωὴν ἐπήγασε τὴν αἰωνίζουσαν.

Ἐκκλησιῶν τὴν εὐκοσμίαν ἐρρύθμισας· ἐν αὐταῖς γὰρ, Πάτερ, ἐζωγράφησας μορφωτικῶς τύπους ἐμφερεῖς ἱεροπλαστίας τῶν ἀμορφώτων δυνάμεων, δι' ὧν μυσταγωγεῖται καὶ φωτίζεται πᾶσα τῶν πιστῶν ἡ θεόφρων ὁμήγυρις.

Ῥεῖθρα τῆς σῆς θεολογίας, θεόληπτε, τοὺς λειμῶνας ἄγαν καταρδεύουσι τοὺς λογικοὺς καὶ ἀειθαλεῖς καὶ πεφυτευμένους ἐπὶ δογμάτων ὀρθότητι· μονάδα γὰρ οὐσίας ἐν Τριάδι προσώπων τὴν σεπτὴν μοναρχίαν ἐκήρυξας.

Ἀγγελικῆς ἱεραρχίας τὸν σύντονον, ἱεράρχα, πόθον, D καὶ τὸν ἔρωτα πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ τὴν ἀκλινῆ νεῦσιν πρὸς τὸ ὕψος τὸ θεῖον καὶ ἀκατάληπτον ἐδίδαξας ἐμφρόνως τοὺς ἐν πίστει βοῶντας, τῇ δυνάμει σου δόξα, φιλάνθρωπε.

θ̄ο̄χ.

Ἱερουργὸς τῆς σωτηρίας ἐγένετο ὁ Υἱός σου πᾶσι τοῖς ὑμνοῦσί σε καὶ ποδηγὸς καὶ φωταγωγὸς καὶ δικαιοσύνη, Παρθένε, καὶ ἀπολύτρωσις· διὸ σὲ Θεοτόκον ἀληθῶς καὶ κυρίως οἱ πιστοὶ ὁμοφρόνως δοξάζομεν.

Ῥημάτων σου ὁ φθόγγος, ὥσπερ τις οὐράνιος ἦχος φερόμενος, τὰς ἀθέους φρένας κατεβρόντησε λόγῳ τῆς χάριτος, καὶ δογμάτων θείων μαρμαρυγαῖς ταῖς φανοτάταις τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἐλάμπρυνεν.

* Abbreviatio vocis Θεοτόκῳ, h. e. *Deiparæ*. EDIT. PATR.

Digitized by Google

Ὡμοιώθης ἐμπόρῳ τῷ τοὺς μαργαρίτας ζητοῦντι, πανόλβιε, καὶ εὑρὼν τὸν ἕνα μαργαρίτην τὸν ὄντως πολύτιμον, καὶ θαυμάσας τούτου τὰς θεουργοὺς φωτοβολίας, Ἱεράρχα, Θεὸν ὡμολόγησας. A

Τὴν πηγὴν τῆς σοφίας ἐμφιλοσοφώτατα, Πάτερ, ἠγάπησας, καὶ τῷ ταύτης φίλτρῳ καὶ ἀγάπῃ συμπεριφερόμενος, πολλοστὸς ἐγένου, καὶ ποταμοὺς θείων ναμάτων ἀεννάως πηγάζεις, θεόπνευστε.

θ̄ο̄χ.

Ὡς κεχαριτωμένη τὴν καλλοποιὸν ὑπερεδέξω εὐπρέπειαν τὴν τὰ πάντα μόνῳ τῷ βουλήματι κατασκευάσασαν, καὶ τῷ θείῳ κάλλει καὶ φωτισμῷ τῆς εὐσεβείας, Θεομῆτορ, ἡμᾶς καλλωπίσασαν.

Νομίμως φιλοσόφων σοφίας δῶρῳ ἐπέτυχες· ἐνθέως ἐνθεολογῶν ὀρθόδοξα δόγματα, παμμάκαρ, κατέλιπες, ὧν κατετρύχθης· οἱ πιστοί σε μακαρίζομεν. B

Συνέσει θεοπρεπεῖ, θεόφρον, καλλωπιζόμενος, τῷ θείῳ μυσταγωγῷ τὸ οὖς σου ὑπερέκλινας, καὶ τὴν ὑπερκόσμιον ὑπ' αὐτοῦ σοφίαν ἐμυήθης, Διονύσιε.

Ὁ βίος σου θαυμαστός, ὁ λόγος θαυμασιώτερος, ἡ γλῶσσά σου φωταυγής, τὸ στόμα πυρίπνοον, μάκαρ Διονύσιε· ὁ δὲ νοῦς σου, Πάτερ, ἀκριβῶς θεοειδέστατος.

θ̄ο̄χ.

Φωνήν σε τοῦ Γαβριὴλ, τὸ *Χαῖρε*, πίστει κραυγάζομεν, ἐξ ἧς ἀφράστως ἡμῖν ὁ ζωαρχικώτατος ἀνὴρ ἐχρημάτισε καὶ συνανεστράφη τοῖς ἀνθρώποις ὁ φιλάνθρωπος. C

Ὡς ὄμβρος οὐράνιος ἐν γῇ διψώσῃ τὰ σὰ διδάγματα τῶν πιστῶν τὰς καρδίας ἀεὶ ποθούσας καταπαίνουσι, καὶ ἀκορέστως βοᾷν ἐκδιδάσκουσιν· Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ τῶν πατέρων ἡμῶν.

Ἀοχεῖον Πνεύματος τοῦ παναγίου ὤφθης ἐνάρμοστον, καὶ τῇ τούτου ἐμπνεύσει καὶ φανερώσει προφητικώτατα προαγορεύων, σοφὲ Διονύσιε, Εὐλογητὸς, ἐκβοᾷς, ὁ τῶν πατέρων Θεός.

θ̄ο̄χ.

Ἰδοὺ νῦν πεπλήρωται τοῦ Ἡσαΐου ἡ προαγόρευσις· ἐν γαστρί σου, Παρθένε, τὸν Λόγον ἔσχες καὶ ἀπεκύησας τὸν ζωοδότην, ᾧ πάντες κραυγάζομεν· Εὐλογητὸς ὁ Θεός. D

Διαφανὲς ὡς ἔσοπτρον γεγονὼς, Διονύσιε, καὶ χωρητικὸν τῶν καθαρῶν ἐμφάσεων τὸν νοῦν ἐργασάμενος δι' ἀρετῆς, πανόλβιε, τὰς μαρμαρυγὰς τῶν ὑπὲρ νοῦν λαμπηδόνων δεχόμενος, ἐβόας· Ἱερεῖς, εὐλογεῖτε.

Ἀφθονωτέρα χάρις σου ἐξεχύθη τοῖς χείλεσιν· ὅθεν τὰς ἐνθέους διδαχὰς παρέθηκας, τὴν τούτων διάνοιαν ὑπερφυῶς ἡμῖν ἐξαπλῶν, καὶ διατρανῶν, καὶ τηλαυγῶς ἀναπτύσσων τοῖς πίστει μελῳδοῦσιν· Ἱερεῖς, εὐλογεῖτε.

Γνωριμωτέρα γέγονε διὰ σοῦ, Διονύσιε, ἡ τῶν Ἀθηναίων εὐκλεὴς μητρόπολις, Χριστῷ προσενέγκασα καὶ ἄπαρχον πανίερον τῷ παμβασιλεῖ διηνεκῶς μελῳδοῦσα· Οἱ παῖδες, εὐλογεῖτε.

Similis fuisti mercatori margaritas quærenti, beatissime; unaque revera pretiosissima margarita inventa, ac ejus deificas miratus lucis emissiones, hierarcha, Deum es confessus.

Sapientiæ fontem sapientissime, Pater, amasti, ejusque philtro et amore circumactus unus e multis fuisti, fluminaque divinorum laticum, afflate Deo, perenniter facis.

Ad B. V.

Velut gratia plena pulchrificum supra omnes accepisti decorem, qui voluntate sola condidit universa, divinaque pulchritudine, atque pietatis illustratione, Dei genitrix, nos venustavit.

Legis præscripto philosophorum sapientiæ donum consecutus, divine Deo plenus de rectæ fidei dogmatibus disserens, deseruisti, beatissime, quibus absumebaris : fideles te beamus.

Tu qui divina sapis, Deum decente ornatus intellectu, ad divinum præceptorem aures tuas inclinasti, ac supermundanam ab eo sapientiam edoctus es, Dionysi.

Vita tua admirabilis, sermo admirabilior, lingua tua splendida, os tuum ignem spirans, beate Dionysi, tua vero mens, Pater, summe Deo quam simillima.

Ad B. V.

Ad te Gabrielis vocem, *Ave*, fide clamamus, ex qua nobis ineffabiliter qui excellentissime auctor est vitæ, vir natus est, ac cum hominibus conversatus ille hominum amans.

Sicut cœlestis imber in sitienti terra doctrinæ tuæ fidelium corda semper avida impinguant, et docent insatiabiliter clamare : Benedictus Deus patrum nostrorum.

Concinnum Spiritus sancti habitaculum visus es, atque hujus inspiratione ac declaratione ea quæ prophetis propria sunt, quam maxime prædicens, sapiens Dionysi, exclamans : Benedictus Deus patrum.

Ad B. V.

Ecce nunc impletum est Isaiæ vaticinium : in utero tuo, Virgo, Verbum habuisti datoremque vitæ genuisti, cui clamamus omnes : Benedictus Deus.

Ut transparens speculum fuisti, Dionysi, pararumque capacem illustrationum mentem virtute effecisti, o felicissime; scintillarum mentem excedentium splendores suscipiens clamabas : Sacerdotes, benedicite.

Abundantissima diffusa est in labiis tuis gratia; unde doctrinas Deo plenas proposuisti, harum sensum modo naturam vincente explicans et declarans, ac clarissime aperiens nobis qui fide canimus : Sacerdotes, benedicite.

Notissima fuit per te, Dionysi, celebris Atheniensium metropolis, dum Christo sacratissimum etiam præsulem obtulit, omnium regi concinens perpetuo : Pueri, benedicite.

Digitized by Google

Ad B. V.

Mater Dei irreprehensibilis, animæ meæ vulnera, et peccati cicatrices dele; Filium enim genuisti, qui potestatem habet catenis lapsuum vinctos ex indissolubilibus vinculis facile relaxandi, qui solus est Deus benefactor in sæcula.

Dignus fuisti esse sanctorum apostolorum contemplator, ac collaborator fuisti particeps gloriæ, atque cum ipsis festinasti ad conspectum corporis reipsa vitæ principii solius Deiparæ et augustissimæ, quam pro meritis magnam prædicamus.

Hæres divini in cœlis regni factus es, ut legitimus episcopus, Pater, ut invictus pugil sacerdotii unguento sanguinem martyris commiscuisti; ideo duplices coronas merito accepisti, sacre initiator Dionysi.

Ut habens loquendi cum Deo libertatem, sapiens episcope Dionysi, semper intercede, ut qui pie te laudant ex tentationibus eripiantur : ineffabilium initiator contemplationum, sicut arcanæ ac divinissimæ bonitatis sacer es interpres.

Ad B. V.

Venerandam Ecclesiam hæreses generose vincentem ostende, quam Christus, o gratia plena, Filius tuus pretioso sanguine suo ut bonus comparavit, et periculis eripe, atque ab ea quæ nos occupat tyrannide redime.

Dionysi beatissime celebris coryphei Pauli discipule, occultorum cognitionem ab eo edoctus fuisti, unde fulgentem in Ecclesia facem ponit, **339** religiosæ Athenarum civitatis ordinans episcopum, quam recta præditam fide tuis precibus, sapientissime Dei præco, custodi.

Ad B. V.

In honoranda dormitione tua, Virgo sanctissima, Dionysius aderat cum Hierotheo et divino Timotheo, quisque una cum apostolis hymnum gloriæ tuæ convenientem decantans, cum quibus etiam nunc mortalis lingua omnis te Dei parentem mundique patronam laudat.

Inter sacerdotes et martyres excellis, sancte, fidus ostensus es pastor, et calicem Christi bibisti; quare in utroque ipsi Christo bene placuisti, ora pro nobis omnibus, qui cum cœlestibus ministris in lumine habitas.

Contacium.

Cœlestes penetrans in spiritu portas, Apostoli qui supra tres cœlos ascendit, factus, Dionysi, discipulus, omnem ineffabilium cognitionem ubertim accepisti; eosque qui in tenebris ignorantiæ dormiebant, illuminasti; ideo clamamus : Ave, universi pater mundi.

Œcus.

Dionysius magnus qui ex hominibus ob virtutes angelus vocatus est, universam tanquam aliger cœlestem edoctus est cognitionem : quare canticis ut angelum honoremus, ad illum talia clamantes : Ave, qui Christum per Paulum agnovisti; Ave, qui mul-

θῶχ.

Μῆτερ Θεοῦ πανάμωμε, τῆς ψυχῆς μου τὰ τραύματα καὶ τῆς ἁμαρτίας τὰς οὐλὰς ἐξάλειψον· Υἱὸν γὰρ ἐγέννησας τὸν ἐξουσίαν ἔχοντα τοὺς πεπεδημένους ταῖς σειραῖς τῶν πταισμάτων εὐκόλως ἀνιέναι τῶν δεσμῶν τῶν ἀλύτων, τὸν μόνον εὐεργέτην Θεὸν εἰς τοὺς αἰῶνας.

Ἁγίων ἀποστόλων ἀξιωθεὶς θεατὴς χρηματίσας, καὶ σύμπονος συγκοινωνὸς γέγονας τῆς δόξης, καὶ σὺν αὐτοῖς ἐπὶ τὴν θέαν ἔσπευσας σώματος τοῦ ὄντως ζωαρχικοῦ τῆς μόνης Θεοτόκου καὶ σεβασμωτάτης, ἣν ἐπαξίως μεγαλύνομεν.

Τῆς θείας βασιλείας ἐν οὐρανοῖς κληρονόμος ἐγένου, ὡς ἔννομος ἀρχιερεύς, Πάτερ, ὡς ἀήττητος ἀθλητὴς ἱερωσύνης χρίσματι αἷμα συγκεράσας μαρτυρικόν· διὸ διπλοῦς στεφάνους ἀπείληφας ἀξίως, ἱερομύστα Διονύσιε.

Ὡς ἔχων παῤῥησίαν πρὸς τὸν Θεὸν, ἱεράρχα σοφὲ Διονύσιε, διὰ παντὸς πρέσβευε ῥυσθῆναι ἐκ πειρασμῶν τοὺς εὐσεβῶς ὑμνοῦντάς σε, μύστα τῶν ἀῤῥήτων θεωριῶν, ὡς τῆς κρυφιομύστου καὶ θεαρχικωτάτης ἱεροφάντης ἀγαθότητος.

θῶχ.

Νικῶσαν τὰς αἱρέσεις νεανικῶς τὴν σεπτὴν Ἐκκλησίαν ἀνάδειξον, ἣν ὁ Χριστὸς αἵματι τιμίῳ τῷ ἑαυτοῦ ὡς ἀγαθὸς ἐκτήσατο, κεχαριτωμένη, ὁ σὸς Υἱὸς, καὶ σῶσον ἐκ κινδύνων, καὶ τῆς ἐπικρατείας τῆς κατεχούσης ἡμᾶς λύτρωσαι.

Τῷ Παύλῳ, Διονύσιε, τῷ κλεινῷ κορυφαίῳ μαθητευθεὶς, πανόλβιε, ὑπ' αὐτοῦ ἐμυήθης τῶν ἀποκρύφων τὴν γνῶσιν· ὅθεν καὶ λαμπτῆρα τῇ Ἐκκλησίᾳ τίθησιν Ἀθηνῶν, προχειρίσας τῆς εὐσεβοῦς ἱεράρχην πόλεως, ἣν φυλάττοις ὀρθοδοξοῦσαν, πάνσοφε, σαῖς εὐχαῖς, θεοκῆρυξ!

θῶχ.

Ἐν τῇ σεπτῇ κοιμήσει σου, παναγία Παρθένε, παρῆν ὁ Διονύσιος σὺν τῷ Ἱεροθέῳ καὶ Τιμοθέῳ τῷ θείῳ ἅμα τοῖς ἀποστόλοις, ὕμνον ἐξᾴδων ἕκαστος πρόσφορον τῇ σῇ δόξῃ, μεθ' ὧν καὶ νῦν πᾶσα γλῶσσα βρότειος ἀνυμνεῖ σε τὴν τοῦ Θεοῦ λοχεύτριαν καὶ τοῦ κόσμου προστάτιν.

Ἐν ἱερεῦσι καὶ μάρτυσι διαπρέψας, ὅσιε, πιστὸς ἀνεδείχθης ποιμὴν καὶ Χριστοῦ πιὼν τὸ ποτήριον· διὸ, ἐν ἑκατέροις εὐαρεστήσας αὐτῷ τῷ Χριστῷ, πρέσβευε ὑπὲρ πάντων ἡμῶν, σὺν τοῖς ἄνω λειτουργοῖς ἐν φωτὶ αὐλιζόμενος.

Κοντάκιον.

Τὰς οὐρανίους διαβὰς πύλας ἐν πνεύματι, μαθητευθεὶς τῷ ὑπὲρ τρεῖς οὐρανοὺς φθάσαντι Ἀποστόλῳ, Διονύσιε, τῶν ἀῤῥήτων ἐπλουτίσθης πᾶσαν γνῶσιν καὶ κατηύγασας τοὺς ἐν σκότει ἀγνωσίας καθεύδοντας· διὸ κράζομεν· Χαίροις, πάτερ παγκόσμιε.

Ὁ οἶκος.

Ἄγγελος ἐξ ἀνθρώπων ἀρεταῖς χρηματίσας ὁ μέγας Διονύσιος, πᾶσαν ὡς ὑπόπτερος ἐμυήθη τὸν νοῦν τὴν οὐράνιον γνῶσιν· διὸ ᾄσμασι ὡς ἄγγελον τιμήσωμεν, βοῶντες πρὸς αὐτὸν τοιαῦτα· Χαῖρε, ὁ γνοὺς τὸν Χριστὸν διὰ Παύλου· χαῖρε, πολλοὺς πρὸς Χριστὸν

Digitized by Google

ἐπιστρέψας· χαῖρε, πολυθέου σκηνῆς ὀλετήριον· χαῖρε, θεογνώστου βουλῆς σκοπευτήριον· χαῖρε, βίβλος θεοχάρακτος, μυστηρίων θησαυρέ· χαῖρε, πίναξ θεομόρφωτε καὶ διόπτρα οὐρανοῦ· χαῖρε, ὅτι τὸ πάθος τοῦ Κυρίου κατεῖδες· χαῖρε, ῥανὶς κοιλαίνουσα ἄνοιαν· χαῖρε, φραγμὸς ἀσεβῶν παροδείας· χαῖρε, φωστὴρ τοὺς πιστοὺς καταυγάζων· χαῖρε, πάτερ παγκόσμιε.

A leonibus imperio Trajani regis cibus projiciendus, circa nonum regni ipsius annum, desævientis contra Christianos pietatis amantissimos, Romanis per epistolam scripsit. Ut hinc liqueat, sub finem tyrannicæ sævitiæ (ut pridem diximus) Dionysium sacrorum interpretem mortem occubuisse. Verum cum ad beatissimum Joannem scriberet tonitrui filium, ac omnibus cum terrenis, tum cœlestibus sublimiorem, qui de rebus divinis instar tonitrui locutus est, quique in Patmo, edicto Domitiani post Titum fratrem ejus regnum adepti (ambo enim Vespasiani filii fuere), exsulavit, cum circa ultimum regni ejus annum contra fideles desæviret, prophetice hoc (cum futurorum prædicendorum gratia insignitus esset) prænuntiando dixit : **384** « Nos B certe nullum infortunium privabit Joannis radio omnia collustrante, nunc quidem memoriam et innovationem tuæ veræ theologiæ consecuturos : paulo vero post (dicam enim, etsi hoc temerarium videatur) vobis ipsis conjungendos. Sum autem omnino fide dignior, si ea quæ a Deo didici, quæque tibi prænota sunt, etiam dixero, quod ex Patmi carcere liber dimitteris, et in Asiæ regionem reverteris, ibi imitanda rectitudinis exempla peracturus, et ea posteris traditurus. » Domitiano igitur non multo post vita functo, juxta oraculum summi Patris apostolicis et propheticis donis insigniti; Nerva, regnum adeptus, eos qui in exsilio erant revocavit. Tum vero Evangelista quoque maximus in C Ephesiorum metropolim civitatem reversus est, et oraculum rei eventus comprobavit.

Τοῦ Νερούα τὸν βίον μετηλλαχότος, ἐπὶ χρόνον ἕνα τὰς τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς ἡνίας κεκρατηκότος, εἰς Τραϊανὸν τὸν τύραννον τὸ κράτος μεταπέπτωκεν, ὃς λίαν τῇ κατὰ Σκυθῶν τε καὶ Θρᾳκῶν, καὶ διαφόρων ὅτι πλείστων ἐθνῶν ἐπαρθεὶς νίκῃ, καὶ δόξας μηδενὸς ἄρχειν, εἰ μὴ καὶ τὸ πανευσεβὲς τῶν Χριστιανῶν σύστημα τῇ τῶν δαιμόνων καὶ βδελυκτῶν ξοάνων λατρείᾳ καὶ προσκυνήσει καθυποτάξειεν, ὠμότατον ἀνερρίπισε διωγμὸν, καὶ πᾶσαν τὴν ὑπ' αὐτῷ τελοῦσαν τῶν μαρτυρικῶν αἱμάτων ἐμέθυσε, πάντοσε διαπεμψάμενος ἀπηνεστάτους διώκτας αὐτοὺς ἰταμῶς πάντας Χριστιανοὺς καταναγκάζειν D θύειν τοῖς εἰδώλοις, ἢ μὴ πειθομένους παντοδαποῖς ἀποκτείνειν βασάνοις εἶδεσιν. Ὁ μακάριος τοίνυν, καὶ τρὶς τοῦτο καὶ πολλάκις Διονύσιος ἐπὶ ἑβδομηκονταετῆ χρόνον διὰ μυρίων ὀνειδισμῶν, καὶ πολέμων, καὶ κινδύνων ὑπό τε τῶν ὁμογενῶν, καὶ ποτὲ ὁμοθρήσκων καὶ τῶν συντρόφων, μᾶλλον δὲ ἀσόφων διεληλυθὼς, καὶ πρὸς τοσαῦτα πλήθη βαρβάρων τε καὶ Ἑλλήνων εἰδωλομανῶν, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἀνόμων καὶ δυσμενῶν Ἑβραίων ἀγριωτάτην διασπορὰν ἀντιπαραταξάμενος, καὶ δραμὼν δρόμον διπλασίονα τοῦ ὃν Παῦλος ὁ πολύαθλος καὶ οὐρανοδρόμος δεδράμηκεν, ὅσον γε κατὰ τὴν χρονικὴν παράτασιν, καὶ λαοὺς ἀπείρους, διὰ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τῇ τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐνεργείᾳ τελουμένων σημείων καὶ τε-

Porro cum jam Nerva ipse quoque decessisset, qui uno anno habenas Romani principatus moderatus est, imperium ad Trajanum regem devolutum est, qui contra Scythas Thracesque ac quamplurimas alias gentes parta victoria elatus, existimavit nemini imperare posse, nisi etiam venerandam ac piam Christianorum congregationem cultui et adorationi dæmonum, qui sunt detestanda simulacra, subderet. Proinde atrox illis bellum indixit, et universam ejus ditionem cruore martyrum, quoquoversum sævissimis quæsitoribus dimissis inebriavit, mandans, ut ipsi omnes Christianos simulacris sacrificia facere improbe cogerent, non obtemperantes autem omni suppliciorum genere interimerent. Beatus igitur terque sæpiusque beatus Dionysius, ad septuagesimum annum per mille opprobria, tormenta, bella et pericula mortis, cum a suæ gentis hominibus, tum interdum a fide et religione conjunctis, domesticisque philosophis, præsertim insipientibus progressus, et tam ingenti barbarorum, ac gentilium in colendis simulacris insanientium multitudini, nec non ferocissimæ impiorum ac crudelium Hebræorum dispersioni expositus, cursum duplum peregit, ejus quem Paulus qui multum decertavit, quique cœlis illatus est, fecerat, quatenus præsertim ad temporis longitudi-

Digitized by Google

nem spectat, et varios populos, quos signis et prodigiis ab ipso virtute sancti Spiritus editis, fidei, quæ in Christum est, conciliavit; dum primæ persecutionis longissimos ac molestissimos cursus perageret, quos persecutorum primus, et omnium quotquot **385** unquam regnaverunt, pessimus atque impurissimus Nero contra Christianum populum excitavit, qui et summos Christi discipulos de medio sustulit. Reliquas vero tempestates quæ subsecutæ sunt, quas insania Domitiani contra fideles adduxit, cum fortiter pertulisset, in omnibusque probatus apparuisset, celeberrimam gloriam retulit. Quare fama velox quocunque permeans clarissimum ejus nomen asperrimis Trajani auribus insonuit, apostolicum ejus cursum quem ubique velocem ambierat, instar tonitrui annuntians multum item sudorem, laborem, potestatem, cum in verbis, tum in factis quibus divinissima et salutaris fides prædicata signis atque miraculis ab ipso admirabiliter editis confirmaretur, atque dilataretur; gentilium vero superstitio et cultus simulacrorum vehementer infirmaretur ac dissolveretur. Quas ob res tyrannus turbatus ac furens quosdam animo plane ferino, qui Phalarim Echetumque sævitia, immanitate ac crudelitate superare dicerentur, ad partes Occidentis destinavit, injuncto illis onere investigandi ac persequendi divini præconis; et sicubi illum decretis regiis cedere, dæmonibus inservire ac sacrificare reperissent, honoribus decorarent, ipsumque hominum corona stipatum ad se deducerent; sin minus pareret, ibidem capitis obtruncatione puniretur.

Igitur ministri, diaboli sævissima tyranni præcepta implentes, tanquam equi quidam stimulis agitati, vel famelicæ feræ ad venationem excitatæ, in Gallicam regionem cucurrerunt, ibique gregarios quosdam simulque plebeios sollicitabant, ut celeberrimum divinum præconem inquirerent. Qui sane cum Parisiis parvo oppidulo, quod sic appellatur, cum inquirentibus esset ostensus, eo celeriter properarunt; ipsumque caliginem ac in colendis simulacris errorem et insaniam, tum veritatis præconio, tum divinæ doctrinæ splendore, ac miraculorum prodigiis propellentem offenderunt. Oculis enim cæcorum lux restituebatur, surdorum aures aperiebantur, linguæ mutorum solvebantur, incessus claudorum constringebantur, variis morbis obstricti, implorato Servatoris omnipotentis auxilio, per admirandæ sanctitatis ejus ministrum mira facientem, ac in tenebris ignorantiæ positos ad cognitionis et salutis lucem adducentem, liberabantur. Interim enim fidelium multitudo augebatur, Deoque per Galliam, ac Germaniam provinciam maximam templa excitabantur; numerus vero superstitiosorum decrescebat, et simulacrorum **386** templa diruebantur, Belialque hostis potestas et fraus conculcabantur, isque in triumphum ducebatur. Quamobrem miser non ferens cernere suam ipsius potentiam dissolvi, obedientes et mi-

A ραστείων σαγηνεύσας πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τούς τε μακροτάτους καὶ χαλεπωτάτους τοῦ τε πρώτου διωγμοῦ διαύλους διαπεράσας, οὗς ὁ πρῶτος τῶν διωκτῶν, καὶ πάντων κάκιστος τῶν πώποτε βεβασιλευκότων, καὶ βεβηλότατος Νέρων κατὰ τοῦ Χριστωνύμου πληρώματος διήγειρε, καὶ τοὺς κορυφαίους τῶν Χριστοῦ μαθητῶν ἀνεῖλε. Τοὺς δ' αὖ μετέπειτα χειμῶνας, οὓς ἡ Δομετιανοῦ μανία κατὰ τῶν πιστῶν ἐπήγαγεν, ἀνδρείως ὑπομείνας, καὶ δόκιμος ἐν πᾶσι φανείς, διαβόητον ἀπηνέγκατο κλέος· ὅθεν ἡ ὑπόπτερος φήμη, πανταχόσε θέουσα, τὴν πανεύφημον αὐτοῦ προσηγορίαν ταῖς τοῦ Τραϊανοῦ τραχυτάταις ἀκοαῖς ἐνήχησε, βροντηδὸν ἀναγγέλλουσα τὸν ἀποστολικὸν ὃν ἁπανταχῇ μετῄει πτερόεντα δρόμον, καὶ τὸν πολὺν ἱδρῶτα, καὶ μόχθον, καὶ τὴν ἐν ἔργῳ τε
B καὶ λόγῳ δύναμιν, δι' ὧν ἡ κηρυττομένη θειοτάτη καὶ σωτήριος πίστις σημείοις καὶ τέρασιν ὑπ' αὐτοῦ παραδόξως ἐνεργουμένοις ἐβεβαιοῦτο καὶ ἐπλατύνετο, καὶ ὡς ἡ τῶν Ἑλλήνων δεισιδαιμονία, καὶ εἰδωλικὴ θρησκεία κατὰ κράτος ἐστηλιτεύετο καὶ κατελύετο. Ἐφ' οἷς ἄγαν ταραχθεὶς ὁ λυσσώδης τύραννος, θηριώδεις τινὰς τὴν γνώμην, Φάλαρίν τε καὶ Ἔχετον τοὺς ἐπὶ θηριωδίᾳ καὶ ἀσπλαγχνίᾳ καὶ ὠμότητι βοωμένους ὑπεραίροντας, ἐξέπεμψεν ἐν τοῖς πρὸς ἥλιον δύνοντα μέρεσιν ἰχνηλατεῖν καὶ καταδιώκειν τὸν θεοκήρυκα, καὶ εἴ που τοῦτον εὕροιεν, εἴκοντα μὲν τοῖς βασιλικοῖς δόγμασι, καὶ λατρεύειν τοῖς δαίμοσι, καὶ θύειν ἀνεχόμενον, τιμαῖς καταγεραίρειν, καὶ ὡς αὐτὸν δορυφορούμενον ἀνάγειν, ἢ
C μὴ πειθόμενον αὐτόθι τῇ τοῦ ξίφους τιμωρεῖσθαι τομῇ.

Τοῖς οὖν τυραννικοῖς οἱ τοῦ διαβόλου θεράποντες ἀθεωτάτοις παροτρυνθέντες προστάγμασιν, οἷον ἵπποι τινὲς οἰστρηλατούμενοι, ἢ πειναλέοι θῆρες ἐπὶ θήραν ἐπειγόμενοι, κατὰ τὴν Γαλλικὴν ἔθεον χώραν, κἀκεῖθεν ὀχλαγωγήσαντες ἀγελαίους τινὰς καὶ δημίους ἅμα, κατεζήτουν τὸν παναοιδιμώτατον θεοφάντορα. Καὶ δὴ καταμηνυθέντος αὐτοῦ τοῖς διώκταις ὑπάρχειν ἐν Παρισίοις (πολίχνῃ οὕτω καλουμένῃ), δρομαίως εἰσελάσαντες, ἐκεῖσε κατέλαβον αὐτὸν ἀπελαύνοντα τόν τε τῆς εἰδωλομανίας πλάνον καὶ ζόφον τῷ τε τῆς ἀληθείας κηρύγματι, καὶ τῷ τῆς θείας διδασκαλίας διαυγάσματι, καὶ τοῖς τῶν θαυμάτων τερατουργήD μασιν. Ὀφθαλμοὶ γὰρ τυφλῶν ἀνέβλεπον, καὶ ὦτα κωφῶν ἠνοίγοντο, καὶ γλῶσσαι μογιλάλων ἐτρανοῦντο, καὶ βάσεις χωλῶν συνεσφίγγοντο, καὶ ποικίλων νοσημάτων ἀσθενοῦντες ἠλευθεροῦντο, τῇ τοῦ παντοδυνάμου Σωτῆρος ἐπικλήσει, διὰ τοῦ θαυμασιωτάτου θεράποντος αὐτοῦ παραδοξοποιοῦντος, καὶ τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας καθημένους προσκαλουμένου πρὸς τὸ φῶς τῆς γνώσεως καὶ σωτηρίας· ἐπὶ τούτοις γὰρ τῶν πιστῶν ἡ πληθὺς ηὐξάνετο, καὶ ναοὶ τῷ Θεῷ κατὰ Γαλλίαν, καὶ Γερμανίαν, τὴν μεγίστην ἐπαρχίαν, ἠγείροντο· ὁ δὲ τῶν δεισιδαιμόνων ἀριθμὸς ἠλαττοῦτο, καὶ τῶν εἰδώλων οἱ σηκοὶ κατερρίπτοῦντο, καὶ ἡ τοῦ Βελίαρ τοῦ δυσμενοῦς δυναστεία καὶ ἀπάτη κατεπατεῖτο καὶ ἐθριαμβεύετο. Δι' ὃ μὴ φέρων καταλυομένην ὁρᾷν τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ὁ δεῖλαιος, τοὺς ὑπηκόους καὶ ὑπουργοὺς

Digitized by Google

κατὰ τοῦ ἁγίου τοῦ καθαιροῦντος αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, καὶ τὴν αἰσχύνην παραδειγματίζοντος ἐξέμηνεν· οἵτινες, αὐτὸν ἐμμανῶς συλλαβόντες σὺν Ῥουστίκῳ καὶ Ἐλευθερίῳ, τοῖς εὐαγεστάτοις αὐτοῦ φοιτηταῖς καὶ πνευματικοῖς υἱέσιν (ὧν τὸν μὲν ἱερουργὸν, τὸν δὲ λειτουργὸν καθιέρωσεν· ἄμφω γὰρ συνηγωνιζέσθην καὶ συνετρεχέτην τῷ οἰκείῳ καθηγεμόνι καὶ φωταγωγῷ, καθάπερ Παύλῳ τῷ τῆς οἰκουμένης φωστῆρι Συλουανὸς καὶ Τιμόθεος), καὶ καθεσθέντες ἐπὶ τυραννικῷ βήματι, ἐμβλέψαντες δρακοντείῳ βλέμματι, καὶ λεοντείῳ βρυχήματι κεκραγότες, ἤροντο λέγοντες· « Ὦ δύστηνε γεραιὲ, σὺ τυγχάνεις ὢν ὁ τῶν θεῶν ἡμῶν τὸ σέβας ἀπαγορεύων, καὶ τοὺς λαοὺς μαγικῇ τέχνῃ, καὶ εὐγλωττίᾳ, γοητεύμασί τε πείθων μὴ λατρεύειν αὐτοῖς, καὶ τοῖς ἀνικήτοις ἀντιπίπτων βασιλεῦσι, καὶ τὴν τῶν δογμάτων αὐτῶν ἰσχὺν ἀποβαλλόμενος; Τίνι σεαυτὸν ἐπιγράφῃ καὶ ποίας θρησκείας εἶ, καὶ τίνα κηρύττεις θεόν; » Ὁ δὲ, κατ' οὐδὲν δείσας τὴν αὐτῶν θρασυτάτην ἀπόνοιαν, εὐθαρσῶς λίαν ἀντέφησεν· « Ἐγώ εἰμι ὁ τῆς ὑμῶν ἀθεΐας καθαιρέτης, καὶ τῆς εἰδωλικῆς μυσαρότητος καταλυτὴς, καὶ πάσης Ἑλληνικῆς πλάνης στηλιτευτὴς, τῇ τοῦ Χριστοῦ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ δυνάμει καθεστηκὼς, ᾧ καὶ ἐμαυτὸν ἀνέθηκα δοῦλον, ᾧ καὶ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου, τῷ πρὸ πάντων μὲν τῶν αἰώνων ἐκ Πατρὸς γεννηθέντι ἀπαθῶς καὶ ἀχρόνως, ἐπὶ τέλει δὲ τῶν αἰώνων ἐκ Παρθένου Μαρίας ἄνευ σπορᾶς τε καὶ φθορᾶς σαρκωθέντι καὶ τεχθέντι, κατὰ πάντα, πλὴν τῆς ἁμαρτίας, βροτῷ καθ' ἡμᾶς χρηματίσαντι, καὶ δι' οἰκείου σταυροῦ καὶ θανάτου τὸ κράτος τοῦ διαβόλου καταργήσαντι, καὶ τὸν θάνατον νεκρώσαντι, καὶ μέχρις ᾅδου τοῦ δυσείμονος κατελθόντι, καὶ τὸ ἐκεῖσε σκότος λύσαντι, καὶ τῇ τριημέρῳ αὐτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀναστάσει φῶς τῷ κόσμῳ λάμψαντι, καὶ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν βλύσαντι· ὃς ἐξεδίδαξε σέβειν ἕνα Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσι διαιρουμέναις ἀσυγχύτως, ἡγουν ἐν Πατρὶ, καὶ Υἱῷ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, αὐτὸς ὑπάρχων εἷς τῆς ἀκτίστου Τριάδος, συναΐδιος, καὶ συνάναρχος, καὶ ὁμοούσιος τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Τοῦτον τὸν ἀληθινὸν Θεὸν κηρύττομεν· ταύτην τὴν καθαρὰν καὶ ἀμώμητον τῶν Χριστιανῶν πίστιν καταγγέλλομεν· ὑπὲρ ταύτης πάντα παθεῖν ἑτοίμως ἔχομεν, οὐ πῦρ, οὐ ξίφος, οὐ θυμὸν ἀγρίων θηρῶν, οὔθ' οἱανοῦν πρὸς ὑμῶν ἐπινοουμένην βασάνων ἰδέαν δειμαίνοντες. »

Τὴν εὐτολμίαν οὖν τοῦ ἀνδρειοτάτου καὶ πολυειδήμονος γέροντος καταπλαγέντες οἱ τύραννοι, πάλιν πρὸς αὐτὸν καὶ τοὺς αὐτοῦ συνάθλους μαθητὰς εἶπον, ἀπειλήν τε πνέοντες καὶ μαργαίνοντες· « Πρὸς ὑμῶν ἄρα τὰ τῶν βασιλέων ἡμῶν καὶ ἀρχόντων καταφρονεῖται δόγματά τε καὶ προστάγματα, καὶ ἡ τῶν ἀηττήτων ἡμῶν θεῶν τιμὴ καὶ ἐξουσία παροράται; » Ὁ δὲ θεῖος ἱεράρχης, καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ τῆς μαρτυρικῆς παρατάξεως προηγούμενος, θαρσαλεώτερον αὖθις ἀντεφθέγξατο· « Ὅλοιτο βασιλέων καὶ ἀρχόντων ἅπαν ἀσεβές τε καὶ ἀντίθεον πρόσταγμα, καὶ θεοὶ οἳ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἐποίησαν· ἀπο-

A nistros contra virum sanctum potentiæ illius invasorem, et dedecoris indicem impulit; qui furibundi cum ipsum comprehendissent cum Rustico et Eleutherio sanctissimis ejus discipulis, filiisque spiritu sibi conjunctis, quorum illum quidem sacrificum, hunc vero sacrorum ministrum consecrarat, ad tyranni tribunal sistunt. Simul etiam ambo decertabant, ac ductoris et præceptoris sui, quemadmodum etiam Pauli orbis terræ luminis Sylvanus et Timotheus, certaminis et cursus socii erant. Et tyrannico tribunali insidentes, hos torvo ac draconis aspectu intuentes leonis rugitu interrogabant, dicentes: « O despicate senex, tune es ille, qui cultum deorum nostrorum vetas, populosque arte magica, et dicendi artificio, ac præstigiis con-
B fisus, illos venerari, et invictis parere regibus resistis, vimque mandatorum illorum rejicis? Cuinam temet addixisti? Aut qua religione obstrictus es, et quem deum prædicas? » Ille vero, audacissimam illorum contumaciam nihil veritus, animose valde respondit: « Vestræ ego impietatis vastator sum, impuritatis simulacrorum eversor, ac omnis gentilium erroris diffamator; potentiæ Christi unigeniti Dei Filii addictus, cui meipsum servum constitui, cui etiam servio in spiritu meo, qui ante quidem omnia sæcula sine affectione, et extra tempus a Patre genitus fuit, in fine autem sæculorum ex Maria virgine, sine semine ac corruptione carnem assumpsit, et in lucem editus, in omnibus, præter
C peccatum, mortali homini (ut nos sumus) similis factus, et cruce sua ac morte diaboli imperium, perempta morte, irritum fecit, ad inferosque incultos et horridos descendit, et ibi tenebras dissolvit, ac ejus resurrectione, quæ tertio die a mortuis facta est, lux mundo illuxit, vitamque et incorruptionem attulit; qui unum Deum in tribus personis inconfuse divisis, nempe in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, docuit venerari, cum ipse alioqui unus increatæ Trinitatis exsistens, simul cum Patre, sanctoque Spiritu sempiternus, sine principio, ejusdemque substantiæ sit. Hunc verum Deum prædicamus, hanc puram et irreprehensibilem fidem annuntiamus, pro hac omnia pati parati sumus, non ignem, non gladium, non immanem fera-
D rum agrestium feritatem, neque qualemcunque a vobis tormentorum faciem excogitatam pertimescimus. »

387 Hanc igitur fortissimi ac sapientissimi senis animi fortitudinem tyranni admirati, eidem rursus ejusque certaminis sociis discipulis minas spirantes et insanientes dixerunt: « Itaque regum nostrorum principum jussa decretaque a vobis contemnuntur, et honor deorum nostrorum insuperabilium et potestas despicitur? » At divinus pontifex martyrum aciei, cum ob verborum, tum operum excellentiam, antesignanus, audentius rursus respondit: « Facessat regis ac principum omnis impietas, et edictum Deo contrarium, et vestri dii qui nec cœlum nec terram fecerunt, ut imbecilles,

Digitized by Google

ut vani, ut vere abominabiles pereant, indigni de quibus verba fiant; dæmonia autem sunt, et figuræ cacodæmonis consilio effictæ, et artificiosa manuum hominum opera. Similes igitur illis fiant surdi, cæci, sensus expertes, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Nos enim Christum, verum rerum omnium Deum opificem, curatorem, et vitæ principem agnoscimus, et ipsum solum veneramur ac prædicamus, spemque in ipsum ponimus, et pro ipso mori libenter parati sumus, nosque tanquam sacras victimas et hostias reputamus, et properantes ad hanc jugulationem, valde gloriamur, ut qui nos denuo resurrecturos, melioremque ac beatiorem, perpetuoque duraturam hæreditatem consecuturos certo credimus, atque adeo incorruptis coronis decoratum iri. Vos vero rursus, quotquot in ipsum non creditis, sed dignitatem ejus, regnumque verum, sempiternum, et fine carens repellentes, ministros ejus interficitis, sempiterno igni, et immedicabilibus perpetuisque suppliciis traditos intuebimur. » Ad hæc flagitiosissimi, et ab omni pietate alienissimi persecutores perturbati, ira pleni ac indignatione, frendentes que dentibus, ensibus eductis, sanctissimo Dei præconi jugulum prompte præbenti divinum sacratissimumque caput, ac deinde capita duorum viæ, cursus, ac certaminum, non minus quam prædicationis sociorum, amputaverunt : dum ipsi ad cursum martyrii ac postremi finis certamen cervices prompte projicientes, ensisque ictui alacriter protendentes antevertere alter alteri festinarent, ut non a doctore et sacro institutore suo in hac mortali et spinas producente vita omnino relinquerentur, sed, ut dux ac præceptor eorum, ad muneratorem Deum breviter cum eo simul commigrarent : ut, quemadmodum una in certaminibus laborabant, easdem etiam coronas **388** et præmia laboris participes simul acciperent. Quo enim pacto qui probe a pueris instructi, multisque ac variis exercitati laboriosis certaminibus, divino Christi ipsius amore flagrabant, quibus omnibus nec corpori nec animo parcere didicerant, ut ipso solo vere ligno vitæ fruerentur, non doctoris et præceptoris sui promptitudinem ad martyrii certamen imitarentur? Sicut enim fortissimus exercitus imperator, qui sese prælio primus exponat, commilitonibus animos addit, dum bellicum canere præcipit, et hostium exercitibus obvius primus efficitur : sic divinorum certaminum peritissimus senex, longa et annorum plena exacta senectute, ad beatissimam pro Christo cædem primus exsiliens, coronas victoriæ pertulit, et dulcissimos filios ad subsequendum, ac eamdem beatissimam mortem libenter eligendam præparavit.

λέσθωσαν ὡς ἀθρανεῖς, ὡς μέλεοι, ὡς βδελυροὶ ὄντως ὑμῶν οἱ θεοὶ, καὶ οὐδενὸς λόγου ἄξιοι· δαιμόνια γὰρ τυγχάνουσιν ὄντες, καὶ διανοίας κακοδαίμονος ἀναπλάσματα, καὶ χειρῶν ἀνθρωπίνων τεχνάσματα. Ὅμοιοι τοίνυν αὐτοῖς οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς γένοιντο, κωφοὶ, καὶ τυφλοὶ, καὶ ἀναίσθητοι. Ἡμεῖς γὰρ Χριστὸν τὸν ὄντως ὄντα τῶν ὅλων Θεόν τε καὶ δημιουργὸν, καὶ κηδεμόνα, καὶ τῆς ζωῆς χορηγὸν γινώσκομεν, καὶ αὐτὸν μόνον σέβομεν, καὶ κηρύττομεν, καὶ τὰς ἐλπίδας εἰς αὐτὸν ἀνατιθέμεθα, καὶ θανεῖν ὑπὲρ αὐτοῦ προθυμούμεθα, θυμάτων ἱερῶν καὶ σφαγίων δίκην ἑαυτοὺς λογιζόμενοι, καὶ σπεύδοντες ἐπὶ τὴν τοιαύτην σφαγὴν, ἄγαν ἀγαλλόμεθα, ὡς ἀσφαλῶς πιστεύοντες αὖθις ἀναστήσεσθαι, τῆς κρείττονος, καὶ μακαριωτέρας, καὶ διαιωνιζούσης τευξόμενοι λήξεως, καὶ τοῖς ἀκηράτοις στεφθησόμενοι στέμμασι. Τοὺς δ' αὖ καθ' ὑμᾶς εἰς αὐτὸν μὴ πιστεύοντας, ἀλλὰ τὴν αὐτοῦ θεότητα, καὶ τὴν ἀληθῆ καὶ ἄϊδιον, καὶ πέρας οὐκ ἔχουσαν βασιλείαν ἀθετοῦντας, καὶ τοὺς αὐτοῦ θεράποντας ἀναιροῦντας, αἰωνίῳ πυρὶ καὶ βασάνοις ἀνηκέστοις καὶ ἀλήκτοις παραδιδομένους ὀψόμενοι. » Πρὸς ταῦτα ταραχθέντες οἱ παμπόνηροι καὶ ἀσεβέστατοι διῳκται, καὶ πλησθέντες ὀργῆς καὶ θυμοῦ, καὶ τοὺς ὀδόντας βρύξαντες, τὰ ξίφη σπασάμενοι, τοῦ τρισμακαρίου θεοκήρυκος τὸν αὐχένα προθύμως ἐκτείναντος, τὴν θείαν καὶ πανίερον κεφαλὴν ἀπέτεμον· μεθ' ἣν καὶ τὰς τῆς ξυνωρίδος τῶν συνοπαδῶν, καὶ συνδρόμων, καὶ συνηθληκότων οὐχ ἧττον ἢ συγκηρυχότων, ἀπέκοψαν, θατέρου θάτερον, εἰς τὸ τῆς μαρτυρικῆς ἀγωνίας, καὶ κεφαλικῆς τελειώσεως προλαβεῖν σπευδόντων στάδιον, τοὺς τραχήλους εὐθύμως προβαλλόντων, καὶ τῇ τοῦ φασγάνου πληγῇ προτιθέντων εὐπρεπεῖς, ὡς ἂν μὴ τοῦ παιδαγωγοῦ καὶ ἱεροτελεστοῦ πάμπαν ἀφυστεροῖεν ἐν ταύτῃ τῇ ἐπικήρῳ καὶ ἀκανθοφόρῳ βιοτῇ, ἀλλὰ συντόμως τὸν αὐτὸν τῷ διδασκάλῳ καὶ προσαγωγῷ τρόπον πρὸς τὸν ἀθλοθέτην συνεκδημοῖεν, ὃν τρόπον καὶ τοὺς ἄθλους συνδιήλθοσαν, ὅπως καὶ τῶν αὐτῶν στεφάνων καὶ ἐπάθλων ἅμα συμμέτοχοι πέλοιεν. Πῶς γὰρ οἱ καλῶς παιδαγωγηθέντες, καὶ πολλοῖς ἤδη πολυειδῶς ἐγγυμνασθέντες ἀθλητικοῖς γυμνάσμασι, καὶ Χριστὸν αὐτὸν θεῖον ἔχοντες ἔρωτα, δι' ὧν πάντων καὶ σώματος καὶ ψυχῆς ἀφειδεῖν ἐδιδάσκοντο, ὅπως αὐτοῦ μόνου τοῦ σαφῶς ὄντος ξύλου τῆς ζωῆς κατατρυφῷεν, οὐκ ἂν τοῦ γυμναστοῦ καὶ παιδευτοῦ τὴν ἐπὶ τὴν μαρτυρικὴν ἀριστείαν ἐζήλωσαν προθυμίαν; Καθάπερ γὰρ στρατηλάτης κράτιστος, τῆς στρατιᾶς προαγωνιζόμενος, τοὺς συμμαχητὰς προθυμαίνων καὶ προκελευόμενος ᾄδειν ἐνυάλιον, πρῶτος ὁμιλεῖ τοῖς τῶν πολεμίων στρατεύμασιν· οὕτως ὁ τῶν θείων ἀγώνων ἐμπειρότατος πρεσβύτης, καὶ βαθὺ καὶ πίον εἰσεληλακὼς γῆρας, πρὸς τὴν ὑπὲρ Χριστοῦ μακαριωτάτην προπηδήσας σφαγὴν, τούς τε τῆς νίκης προεκομίσατο στεφάνους, καὶ τοὺς γλυκυτάτους υἱεῖς ἐφέπεσθαι, καὶ τὸν ὅμοιον ἀσπασίως ἐλέσθαι παμμακάριστον προπαρεσκεύασε θάνατον.

Quis igitur, eum qui septuaginta annos apostolicum cursum percurrerit, servatorem Christum prædicaverit, verbi salutaris nobilem et incorruptam sementem in terris rationis participibus seminarit,

Τίς οὖν τὸν ἐν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα τὴν ἀποστολικὴν ὁδεύσαντα τρίβον, καὶ Σωτῆρα Χριστὸν κηρύξαντα, καὶ τοῦ σωτηρίου λόγου τὸν εὐγενῆ καὶ ἀκίβδηλον σπόρον ἐν πολλαῖς λογικαῖς ἀρούραις κατα-

Digitized by Google

σπειραντα, καὶ πολύχουν ἀμησάμενον ἄσταχυν, καὶ γνησίους μάλα καὶ τιμίους ἐναποθέμενον ταῖς ἱεραῖς ἀποθήκαις καρποὺς, ἀξίως θαυμάσειεν; Τίς τὸν ἐπὶ τοσοῦτον χρόνου μῆκος εὐαγγελικῶς ἀριστεύσαντα, καὶ νικηφόρον ἀναδεδειγμένον ἐν μέσῳ χριστομάχων τυράννων, καὶ δήμου θηριωδεστέρου λεόντων καὶ λύκων ἀντικειμένων ἐπαινέσειεν ὅσον ἐπαινεῖν ἐποφείλεται; Ποία γλῶττα πρὸς διήγησιν τῶν ἀρετῶν αὐτοῦ, κατορθωμάτων, καὶ ἀθλημάτων ἀρκέσειεν; ἃ γῆς μὲν αἱ φυλαὶ κατεπλάγησαν, αἱ δὲ τῶν οὐρανῶν τάξεις ἐξεθείασαν, καὶ Χριστὸς ὁ παμβασιλεὺς καὶ τῶν βραβείων διανομεὺς ἀπεδέξατο, καὶ ἀναῤῥήσεσιν ἐπινικίοις, καὶ στεφάνων ὑπερλάμπρων ἀμοιβαῖς τὸν κατωρθωκότα καὶ διηθληκότα διέστεψεν. Ὦ τῆς ἁγίας καὶ θεσπεσίας κεφαλῆς, τῆς ὑπὲρ Χριστοῦ τῆς ὄντως ἀγάπης τμηθείσης! Ὦ τῆς πλεῖστα καὶ μέγιστα θεῖα καὶ ἀπόῤῥητα χωρησάσης, ἃ μὴ κεχώρηκε κόσμος, πανιερωτάτης κορυφῆς, τῆς μυρίους καὶ μακροὺς διαθλησάσης ὑπὲρ τοῦ θείου κηρύγματος ἀγῶνας! Ὦ τῆς ἐμβατευσάσης τοῖς ὑπερουρανίοις διακόσμοις, καὶ τὰ λόγου τε παντὸς πέρατα καὶ νοὸς νοησάσης· καὶ φθεγξαμένης! Ὦ τῆς θειοτάτης ψυχῆς ἐκείνης, τῆς δὲ δι' ἀγγελικῆς δορυφορίας εἰς τὰς οὐρανίους ἀναπτάσης ἀψῖδας! ἣν, ἐνδόξως πρὸς τὸν τῆς δόξης Κύριον καὶ στεφανοδότην Ἰησοῦν ἀνιοῦσαν τῶν εὐκλεῶν πόνων τἀπίχειρα κομιουμένην, ὕμνησεν ἑκάστη τῶν ὑπερκοσμίων δυνάμεων, τὴν αὐτῆς ἄθλησιν γεραίρουσα, καὶ ἀμειβομένη τῆς ἀγγελοπρεποῦς ὑμνήσεως, ἣν ὁ κοινὸς αὐτῶν ὑμνήτωρ ἐνθεαστικῶς τε καὶ παναρμονίως συνήρμοσεν· ἣν ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ, τὰς ἑαυτῆς ἀνοίξασα πύλας, ἐνεκολπώσατο· ἣν ἡ Ἐκκλησία πρωτοτόκων ἀπογεγραμμένων ἐν οὐρανοῖς προσεπτύξατο· ἣν πνεύματα καὶ ψυχαὶ δικαίων ὁσίων καὶ ταπεινῶν τῇ καρδίᾳ, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι, καὶ μετρίῳ, καὶ θείῳ φιλοφρονήματι πολιτευσαμένην, καὶ μέχρις αἵματος τὴν πίστιν παῤῥησιασαμένην, καὶ ὑπὲρ αὐτῆς πυκτεύσασαν ἐνηγκαλίσατο· ᾗ τῶν ἀποστόλων ἡ χοροστασία πρεπωδῶς ἐνεκαυχήσατο· ἐφ' ᾗ τῶν προφητῶν ὁ χορὸς ἠγαλλιάσατο, μεθ' ἧς ἑορτάζει καὶ εὐφραίνεται, τὴν ἐξ οἰκείων ἀγώνων καὶ αἱμάτων ὑφανθεῖσαν καὶ βαφεῖσαν βασιλικὴν πορφύραν περιβεβλημένη καὶ πεποικιλμένη τῶν ἀθλοφόρων μαρτύρων ἡ πανήγυρις.

Μακαριστέον τοίνυν τὴν πόλιν τὴν ταμιευσαμένην, τήν τε θεοστεφῆ καὶ πανσεβασμίαν σου κεφαλὴν καὶ τὸ τίμιον λείψανον, καὶ τῶν, οὓς ὡς ἱερεῖα πανάμωμα καὶ πανευῶδες θυμίαμα τῷ Θεῷ προσενήνοχας, συμφοιτητῶν, ὦ θεοκηρύκων καὶ ἱεραρχῶν καὶ μαρτύρων πανάριστε· καὶ τοῖς ἁγίοις ὑμῶν φοινιχθεῖσαν αἵμασιν, ἐξ ὧν ἰαμά τι καὶ κρῆναι νάουσιν ἀεὶ τοῖς πίστει προσφεύγουσι, καὶ τὴν τῶν ἀλγυνόντων νοσημάτων ἐξαιτοῦσιν ἴασιν. Ὡς ἀληθῶς μεμακάρισται Παρισία, ἡ τῇ μὲν πηλικότητι τῶν κατὰ Γαλλίαν μικροτέρα πόλεων, τῷ κεκληρῶσθαι δέ σε, τῶν διδασκάλων ὦ πρόκριτε, θησαύρισμα παντὸς αἰσθητοῦ πλούτου τιμαλφέστερον καὶ πολιοῦχον κεκτῆσθαι, καὶ φρούραρχον λαμπροτέρα χρηματίσασα· ἁγιασμὸς γὰρ αὐτῇ θεόθεν ἐδόθης, τὴν τῶν πολιτῶν καὶ ἐπηλύδων καθαγιάζων φιλόχριστον ἄθρησιν· καὶ

copiosam spicam messuerit, et fructus apprime nobiles et honoratos in horreis sacris reposuerit, digne admirari posset? Quis eum qui huc usque temporis evangelico ritu strenue se gesserit, ac inter tyrannos Christum, ac populum leonibus ac lupis oppositis ferociorem, victoriam retulerit, satis pro dignitate laudaret? Quæ lingua ad ejus virtutes, recte facta, et certamina celebranda sufficeret? Quæ quidem tribus terræ admiratæ sunt, cœlorum ordines beata prædicaverunt, Christus rex omnium, et præmiorum distributor approbavit, et præconiis quibus victores ornari solent, coronisque illustribus, tam recte munus Christianum exsecutum ac decertantem coronavit? O sanctum, et divinum caput, pro vero Christi amore præcisum! O plenum plurimis ac maximis rebus divinis et ineffabilibus caput sacratissimum, quarum mundus non fuit capax, innumeros longosque pro divino præconio labores perpessum! O virum cum cœlestibus ordinibus incedentem, et ea locutum quæ quemlibet sermonem et sensum excellunt! O divinissimam animam illam, quæ corona stipata angelorum ad cœlestia culmina evolavit, quam dum magnifice ad gloriæ Dominum et coronatorem Jesum ascenderet, pro gloriosis laboribus præmiis auctam singuli angelorum ordines laudarunt, ac certamen ipsius præmiis 389 ac laudatione, quæ angelos decet, munerati sunt; quam communis ipsorum laudator divine ac aptissime concinnavit; quam cœlestis Hierusalem, suas ipsius portas aperiens, sinu suscepit suo, quam Ecclesia primogenitorum, quæ in cœlis ascripti sunt, amplexata est; quam spiritus et animæ justorum, piorum et humilium corde in justitia et sanctitate, moderata ac divina animi æqualitate in mundo versatam, et fidem ad sanguinem usque animose professam, et pro ipsa martyrio functam, in sinum suscepit! Ob quam apostolorum chorus decenter gloriatus est. In qua vatum sacrorum cœtus gestiens exsultavit, et celebres conventus agit, atque lætatur: et eam effuso propriis in certaminibus sanguine florescentem, ac quasi regia purpura tinctam læti martyres præmiis cumulati ambiunt et exornant.

Beata igitur prædicanda civitas est, quæ tuum maxime venerandum caput a Deo coronatum, et pretiosas reliquias asservavit, atque duorum etiam condiscipulorum, quos tanquam victimas immaculatas et suavissimi odoris incensum, Deo obtulisti. O divinorum præconum ac summorum præsulum et martyrum amplissime! Et sacro vestro cruore tinctam, ex quo medicina quædam ac fontes ad fidem confugientibus, et curationem contra molestas ægritudines exposcentibus perenniter profluunt. Quam vere beata Parisina civitas, quæ magnitudine quidem Galliæ civitatibus cedit, dum vero te, o doctorum præstantissime, thesaurum omnibus mundi divitiis pretiosiorem, in hæreditatem accepit, patronumque et excubatorem acquisivit, splendidior cunctis et beatior appellata est! Ei enim ut sancti-

Digitized by Google

tudo cœlestis datus es, qui cœtum civium et advenarum Christi colentem sanctum efficeres. Datus es ei etiam ut cœlestes divitiæ, quæ delicias præberent, non eas quæ supercilium corporis attollunt, dulcemque ad breve tempus gustum exhibent, et celeriter labuntur atque deficiunt, quas terra et mare producunt, et sinus sacer ac fluvius piscosus profundusque circumdans et circumsonans altum tenentibus Niliacis æmulus fluentis. Murus munitissimus oppositus, non labentibus et politis electis lapidibus compositus, propugnaculis, turribus et murorum fastigiis ut ferreum septum innixus, sed tua tuorumque commilitonum consecratione fundatus, vestrisque erga Deum benignis precibus ignem e cœlo deducentibus fundatus, quæ quinquagenarios, **390** et centuriones, ac millenarios cum barbaricis illorum exercitibus absumant. Salutaris portus propositus es, suscipiens eos qui ex vitæ hujus tempestate ad portum tendunt, et pratum rationale quod omnigenam circumjacentem temeritatem, tanquam hortus ille qui erat in Eden, arceat. In hac tuum sanctissimum templum erectum est, quod omne singulari benignitate fidelibus refrigerium præstat, ac quibuslibet spiritus alimentis oppositam mensam implet, quæ animas satiat, florere compellit, atque incorruptam vitam elargitur. Ergo sicut Parisiis divino et cœlesti atque spirituali altari insistens, inter eos qui tecum coronati sunt medius benignum Jesum, universo mundo propitium reddens, quem dilexisti, quem prædicasti, per quem capite truncatus coronam digne retulisti, nunc eos qui in sacram ac venerandam hanc tuam celebritatem et optatissimam memoriam celebres conventus agunt, laudantes, ac martyrium præmio dignissimum honorantes, aspicere, amplexari, atque iis bene precari, ac benignum Deum propitium reddere, et precibus compellare velis, te maxime ac divinissime præsul, martyrum illustrissime, obsecramus ut a molestia vitæ, quæ nos circumstat, liberare; tyrannidem quæ nos ingrassatur tollere; mœrorem quo obsiti sumus repellere; tranquillitatem ac profundam requietem, et statum perturbatione vacuum Ecclesiis impertiri dignetur, ut pace constituta, et una divinæ religionis concordia, et paritate consilii dominante, verus et summus ille pastor, et princeps pacis Christus ab omnibus unanimiter glorificetur. Quem decet omnis gloria et honor, imperium cum ejus Patre, qui principio caret, ejusdem substantiæ, et Spiritu sancto benigno, vitæque datore, nunc et semper, et in perpetuas sæculorum æternitates. Amen.

A πνευματικὸς ὅλβος, τρυφὴν πορίζων, οὐ τὴν τὸν σωματικὸν ὄγκον αὐξάνουσαν, καὶ πρὸς βραχὺ τὸν φάρυγγα γλυκαίνουσαν, καὶ θᾶττον ἀπολλυμένην, καὶ φθίνουσαν, ἣν γῆ καὶ θάλασσα φέρει, καὶ κόλπος ἱέρειος, καὶ ποταμὸς ἰχθυοφόρος καὶ βαθύῤῥους, ὁ περικυκλῶν καὶ περιηχῶν τοῖς πελαγίζουσι νειλάῤῥοις ἀμιλλώμενος χεύμασι. Τεῖχος ὀχυρώτατον προβέβλησαι, οὐ ῥυτοῖς τε καὶ ξεστοῖς ἐξειλεγμένοις λίθοις ἠρμολογημένον τε καὶ δεδομημένον, καὶ προμαχῶσι, καὶ πύργοις, καὶ ἐπάλξεσιν ἐρηρεισμένον, οἷον ἕρκος σιδήρεον, ἀλλὰ τῇ σῇ τε καὶ τῶν σῶν συναθλητῶν τεθεμελιωμένον ἁγιστείᾳ, καὶ ταῖς ὑμετέραις πρὸς Θεὸν εὐπροσώποις πεπυργωμένον ἐντεύξεσι, πῦρ οὐρανόθεν καταγούσαις, πεντηκοντάρχους τε καὶ ἑκατοντάρχους καὶ χιλιάρχους ἀντιθέους σὺν τοῖς αὐτῶν βαρβαριB κοῖς καταναλίσκον στρατεύμασι. Λιμὴν πρόκεισαι σωτήριος, τοὺς ἐκ βιωτικῆς προσορμιζομένους ζάλης ὑποδεχόμενος, καὶ παντοίαν περιστατικὴν ἀπείργων περιπέτειαν· λειμὼν νοητὸς, ὡς ὁ ἐν Ἐδὲμ παράδεισος, καὶ τὸ σὸν ἱερώτατον ἐπ' αὐτῇ πεφύτευται τέμενος πᾶσαν διὰ τῆς ἐνοίκου χάριτος τοῖς πιστοῖς ψυχαγωγίαν παρεχόμενον, καὶ παντοδαπαῖς πνευματικαῖς ἐδωδαῖς πλήθουσαν παρατιθέμενον τράπεζαν, ψυχὰς ἐστιῶσαν, καὶ θάλλειν ποιοῦσαν, καὶ ζωὴν προξενοῦσαν τὴν ἄφθαρτον. Ὡς οὖν ἐν Παρισίᾳ τῷ θείῳ καὶ ἐπουρανίῳ, καὶ νοερῷ θυσιαστηρίῳ παριστάμενος τῶν σῶν συστεφανιτῶν μεσούμενος, τὸν εὐμείλικτον ὑπὲρ τοῦ κόσμου παντὸς ἐκμειλισσόμενος Ἰησοῦν, τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ἱεράρχην, καὶ στεφανοδότην, καὶ πάσης αἰτίον τε καὶ πάροχον ἀγαθωσύνης, ὃν ἠγάπησας, C ὃν κεκήρυχας, δι' ὃν αὐχένα τμηθεὶς ἀξίως τὸ στέφος ἀπείληφας, τοὺς νῦν συναγηγερμένους εἰς ταύτην σου τὴν ἱερὰν καὶ σεπτὴν πανήγυριν, καὶ τὴν πανεράσμιόν σου μνήμην ἑορταστικῶς ἐκτελοῦντας, καὶ τὴν ἀξιογέραστον ὑμνοῦντάς τε καὶ τιμῶντας ἆθλησιν, ἐποπτεύοις, καὶ περιέποις, καὶ εὐλογοίης, τὸν οἰκτίρμονα Θεὸν ἐξιλεούμενος καὶ πρεσβεύων, ἀρχιερεῦ θειότατε καὶ μαρτύρων περιφανέστατε, τὴν μὲν τῆς περιστοιχιζούσης βίας ἐπάχθειαν ἀποστῆσαι, καὶ τὴν καθ' ἡμῶν τυραννίδα καταπαῦσαι, καὶ τὴν ἐπαχλύζουσαν ἐπαμῦναι κατήφειαν· γαλήνην δὲ καὶ βαθεῖαν ἀταραξίαν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιβραβεῦσαι, εἰρηναίαν κατάστασιν, ὅπως, εἰρήνης βραβευομένης, καὶ μιᾶς θείου δόγματος συμφωνίας καὶ ὁμονοίας κραD τούσης, ὁ ὄντως ἀρχιποιμὴν καὶ εἰρηνάρχης Χριστὸς παρὰ πάντων ὁμοφρόνως δοξάζοιτο, ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, καὶ τιμὴ, καὶ κράτος σὺν τῷ ἀνάρχῳ αὐτοῦ καὶ ὁμοουσίῳ Γεννήτορι, καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ αὐτοῦ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς ἀπεράντους αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Digitized by Google

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΑΡΕΙΟΠΑΓΙΤΟΥ

Κατὰ Μεθόδιον, ἢ ὡς ἄλλοι, Μητρόδωρον.

—

MARTYRIUM

BEATI DIONYSII AREOPAGITÆ

Auctore Methodio, vel, ut alii, Metrodoro.

Petrus Lansselius, Gravelinganus, Societatis Jesu presbyter, interpretationem Græco sermoni adaptavit notisque illustravit.

—

Μετὰ τὴν μακαρίαν καὶ ἐνδοξοτάτην ἀνάστασιν A τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἀνδρικοῦ αὐτοῦ ναοῦ ὑπὸ Ἰουδαϊκῆς παρανομίας, ὡς αὐτὸς εἶπε, διάλυσιν, καθὼς τῇ ἑαυτοῦ θείᾳ ἐξουσίᾳ τριήμερος ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται· ἔτι δὲ καὶ μετὰ τὴν ἐκ τῆς ἡμετέρας ταπεινώσεως ἑαυτῷ κατὰ σάρκα ὑπεράνω πάσης οὐρανίου στρατιᾶς, καὶ ἐπάνω πάσης ἀγγελικῆς τάξεως ὕψωσιν καὶ ἀνάβασιν, καθ' ἣν τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ ἑαυτὸν ἰδίῳ θελήματι προσήνεγκε· μετὰ τὴν μεθ' ἡμέρας ν' διὰ τῆς ἁγίας αὐτοῦ ἀναλήψεως ἐν τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις τοῦ ἁγίου αὐτοῦ Πνεύματος ἔκχυσιν, καθ' ἣν ἐξουσίαν εἰλήφασι δῆσαι καὶ λῦσαι (54), καὶ ταῖς ἁγίαις αὐτοῦ ἐκκλησίαις ἄρχοντας προέδρους προστήσασθαι, καθὼς προώρισε πρὸ τοῦ τὸν κόσμον γενέσθαι· μετὰ καιροὺς τῆς γενέσεως πόλεως B Ῥώμης ἐν ἔτει ὀγδοηκοστῷ ὀγδόῳ (55), ἐπιλαβομένου τὴν ἀρχὴν Νέρωνος Καίσαρος, πέμπτου αὐτοῦ ὄντος ἀπὸ Αὐγούστου, ὁ μακάριος Πέτρος ὁ ἀπόστολος μετὰ καὶ τῶν ἑτέρων ἀποστόλων ἀποσταλέντες κηρύξαι (56) τὸ Εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ, αὐτὸς μεθ' ἱκανὰ ἔτη τοῦ αὐτοῦ κηρύγματος τὴν ὑψηλοτάτην Ῥωμαίων βασιλεύουσαν Ῥώμην καταλαβών, κἀκεῖσε κηρύξαι οὐρανόθεν ἐνεπιστεύθη, ἵνα, ὡς κορυφαῖος τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἐν τῇ τάξει τῆς ἀποστολῆς γεγονὼς, πρῶτος ἐν Ῥώμῃ γένηται ἐν τοῖς ἀγῶσι συμμέτοχος τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων· καὶ γὰρ ἡ πόλις, ὡς μεγάλοις συνεχομένη σφάλμασι, μείζοσιν ἔχρηζε τρόποις διορθωθῆναι, ἵνα, οὗ ἦν ἡ πλάνη βαρυτάτη, ἐκεῖ γένηται καὶ ἡ χάρις μεγάλη. Εἶτα, καθὼς εἴρηται, ὁ τύραννος καὶ ἀσεβὴς C Νέρων τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν οἰόμενος καθυποτάξαι τῇ ἑαυτοῦ τυραννίδι, ὀργῇ ἀπιστίας ἑαυτοῦ καὶ ἐκμανίᾳ μανίας λυσσήσας, κατὰ τῶν δούλων τοῦ Χριστοῦ ἐξήφθη, καὶ ἐν τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς αὐτοῦ τυραννικῆς αὐτοκρατορίας τοὺς μακαρίους Πέτρον καὶ Παῦλον ἀδίκῳ θανάτῳ κατεδίκασε, δι'

391-394 Post beatam gloriosissimamque Domini ac Dei nostri Jesu Christi resurrectionem, verique ipsius templi, Judæorum scelere, ut ipse prædixerat, procuratam dissolutionem, quemadmodum divina sua potestate tertio die a mortuis excitatus est: post elationem ex nostra humilitate quam sibi carne assumpserat, et ascensum super omnem cœlestem exercitum, omnesque angelorum ordines, quo Deo et Patri se ipsum sua voluntate obtulit: post sancti ejus Spiritus in sanctos apostolos effusionem (quæ post quinquaginta dies per sanctam ejus assumptionem collata fuit) qua ligandi atque solvendi acceperunt potestatem, sanctisque ejus ecclesiis principes præficiendi, sicuti ante orbem conditum constituerat; anno octavo et octingentesimo post natam Romam, cum imperium adeptus esset Nero Cæsar, quintus ab Augusto, beatus **395** Petrus apostolus cum aliis etiam apostolis missus, qui Evangelium universo orbi prædicaret. Is post multos annos prædicationis suæ, suprema urbe Roma occupata et delecta, ibi divinitus prædicandi munus accepit, ut quasi vertex et princeps sanctorum apostolorum in ordine muneris apostolici factus, primus Romæ in certaminibus eorum quæ Christus perpessus erat, socius ac particeps fieret. Urbs enim illa, quemadmodum in magnis erroribus versabatur, sic majoribus remediis egebat ut corrigeretur; ut ubi gravissimus erat error, ibi etiam maxima gratia abundaret. Deinde quemadmodum dictum est, tyrannus et impius Nero, qui se tyrannidi suæ terram et mare subacturum speraret, furore crudelitatis suæ, vique amentiæ in rabiem adactus in Christi servos exarsit, ac quarto decimo tyrannici imperii sui anno, beatos Petrum et Paulum iniqua morte condemnavit, per beatorum sanguinis effusionem, et per martyrii victoriam pro meritis, etsi invitus, eos ad regnum co-

Digitized by Google

lorum præmittens. Verumtamen antequam beatus Petrus victoria martyrii vitam quæ in regno cœlorum degitur, meritus esset, beato Clementi Ecclesiæ potestatem tribuit his verbis : « Ut a Domino meo Jesu Christo ligandi atque solvendi mihi concessa est potestas, sic eamdem quoque potestatem in perpetuum tibi do et tribuo, ut quemcunque in terra ligaveris, in cœlis ligatus sit. » Hanc potestatem plenam et perfectam posteris qui perfecti et digni essent in Ecclesiis præire, sortem vel hæreditatem reliquit. Ac de his quidem, quoniam ex connexione consecutioneque illius apostolicæ Ecclesiæ temporis pauca diximus, ad beati Dionysii certamina convertimus orationem, ut, sicut dictum est, ex temporum consequentia de eo pauca narremus.

A ἐκχύσεως (57) τοῦ μακαρίου αὐτῶν αἵματος, καὶ διὰ νίκης μαρτυρίου ἀξίως, καὶ ὡς ἄκων προπέμψας αὐτοὺς εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν. Ὅμως πρὸ τοῦ τὸν μακάριον Πέτρον διὰ τῆς νίκης τοῦ μαρτυρίου καταξιωθῆναι τῆς ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ συνδιαγωγῆς, τῷ μακαρίῳ Κλήμεντι τὴν ἐξουσίαν τῆς Ἐκκλησίας παρέθετο λέγων· « Ὥσπερ παρὰ τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ λῦσαι καὶ δῆσαι ἐμοὶ δεδώρηται ἐξουσία, οὕτω καὶ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν αἰωνίως δωροῦμαί σοι καὶ δίδωμι (58), ἵνα ὃν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς. » Ταύτην τὴν ἐξουσίαν πεπληρωμένην τοῖς μετέπειτα τελείοις καὶ ἀξίοις ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προελθεῖν καταλέλοιπε κλῆρον. Περὶ μὲν τούτων ἐκ τῆς ἀκολουθίας τοῦ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῆς τε ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐν ὀλίγῳ διηγησάμενοι, ἐπὶ τοὺς τοῦ μακαρίου Διονυσίου ἀγῶνας μετενέγκω τὸν λόγον, ἵνα, καθὼς λέλεκται, ἐκ τῆς τῶν χρόνων ἀκολουθίας περὶ αὐτοῦ ὀλίγα διεξέλθωμεν.

Post clarissimum Domini et Dei nostri Jesu Christi in cœlos ascensum, beatus Paulus, Spiritus sancti concessu et munere, ab errore perfidiæ in viam salutis rediit, ita ut fidem et religionem, quam paulo ante oppugnavisset, tandem expletam, cum laude et gloria prædicaverit, Dominique instituto in gentibus factus sit vas electionis. Tum enim tum Domini nostri Jesu Christi nomen ignaris gentibus prædicans, Athenas venit, atque ibi sanctum etiam virum hunc Dionysium, gentium moribus et institutis paulo ante implicatum, ad viam salutis ductu suo **396** convertit, eumque sacrosancto baptismo, ut ita dicam, regeneratum et renatum divina sanctitate rursus confirmavit. Tum scilicet, cum spinas et carduos erroris ex profundo cordis C ejus, Spiritus sancti beneficio et gratia evellit ac præcidit, fructumque et novam gemmam sive germen, ut in bona terra irrigatum divino verbo atque hinc contemplatione edidit. Cum vero etiam Christi milites quotidie divino amore inflammati, in omnes partes divina gratia superne una cum ipsis præeunte currerent ; tum beatus quoque hic Dionysius, crucis aratro mare diffindens, Athenis Romam a cœlesti divinaque voluntate, ut a Deo dilectus, per viam deductus venit. Ingressus, cum beatum Clementem invenisset, qui, ut supra dictum est, apostolicæ sedis potestatem habebat, ab eo cum digno honore statim, ut vires suppetebant, receptus est. Eoque tempore cum beatus vir Dionysius, ad beati Clementis vestigia et pedes accessit, apostolicæque sanctitati se insinuavit, tum ipse etiam magister declaratus, et more magistro dignissimo a sancto Clemente honoratus, dignitatemque ab eo et aptissimum honorem, ut a Deo gratiam adeptus reportavit, et interim Deus rerum omnium præpotens beato Dionysio præterea tribuit vitæ seminandæ idoneam facultatem, qui ad nos usque religionis causa omnibus apparuit. Tum etiam sanctus Clemens Philippum quemdam Hispaniæ episcopum præfecit, potestatem quoque, quam ipse divinus Clemens a beato Petro acceperat, ei dedit

B Μετὰ τὴν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐνδοξοτάτην ἀνάληψιν, ὅτε ὁ μακάριος ἀπόστολος Παῦλος διὰ τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀπὸ τῆς πλάνης τῆς ἀπιστίας εἰς ὁδὸν σωτηρίας ἐπέστρεψεν, ὥστε πίστιν, ἣν πρώην ἐπολέμησεν, ἐν ἐσχάτοις πεπληρωμένην ἐν δόξῃ κηρύξαι, καὶ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν σκεῦος ἐκλογῆς γεγένηται ἐν τοῖς ἔθνεσι· τότε γὰρ τότε κηρύττων τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῖς ἀγνοοῦσιν ἔθνεσι, παρεγένετο ἐν Ἀθήναις· κἀκεῖσε τὸν ἅγιον ἄνδρα τουτονὶ Διονύσιον, ἐθνικοῖς ἔθεσι πρώην ἐμπεριεχόμενον, εἰς ὁδὸν σωτηρίας ὁδηγήσας ἐπέστρεψε, καὶ τῷ ἱερῷ βαπτίσματι ἀναγεννήσας, θείᾳ ἁγιωσύνῃ αὖθις ἐστερέωσε· τότε δὴ ὅτε τὰς ἀκάνθας (59) καὶ τριβόλους τῆς πλάνης ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ διὰ τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἀπέτεμε, καὶ καρπὸν καὶ νέον βλάστημα ὡς ἐν τῇ ἀγαθῇ γῇ ἀρδευόμενον θείῳ λόγῳ καὶ τῇ ἐντεῦθεν θεωρίᾳ ἀνέδειξεν· ὅτε δὲ καὶ οἱ Χριστοῦ στρατιῶται, ὁσημέραι, τῷ θείῳ ἔρωτι φλεγόμενοι, πανταχόσε ἔθεον, τῆς θείας χάριτος ἄνωθεν αὐτοῖς συμπροπορευομένης (60)· τότε καὶ ὁ μακάριος οὐτοσὶ Διονύσιος, τῷ τοῦ σταυροῦ ἀρότρῳ τὴν θάλασσαν διατεμών, ἀπὸ Ἀθηνῶν τὴν Ῥώμην κατέλαβεν οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ Θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος (61). Εἰσελθὼν δὲ καὶ εὑρὼν τὸν μακάριον Κλήμεντα, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, τὴν τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ἔχοντα ἐξουσίαν, μετὰ τῆς καθηκούσης τιμῆς εὐθέως, ὡς οἷόν τε ἦν, ὑποδέδεκται. Καὶ ἐν αὐτῷ τῷ καιρῷ ὅτε ὁ D μακάριος ἀνὴρ Διονύσιος τοῦ μακαρίου Κλήμεντος τοῖς ἴχνεσι προσήγγισε, καὶ τῇ ἀποστολικῇ ἁγιωσύνῃ ἑαυτὸν ἐμπαρέθετο διδάσκαλος, καὶ αὐτὸς ἀποφανθείς, καὶ τρόπῳ τῷ πρέποντι διδασκάλῳ ὑπὸ τοῦ ἁγίου Κλήμεντος τιμηθείς, καὶ ἀξίαν παρ' αὐτοῦ καὶ οἰκειοτάτην τιμήν, ὡς παρὰ Θεοῦ εἰληφὼς χάριν, ἐκομίσατο, καὶ ἐν ὅσῳ Θεὸς ὁ παντοδύναμος τῷ μακαρίῳ Διονυσίῳ ζωαρκεῖν ἐδωρήσατο, ἕως ἡμῶν αὐτῶν πᾶσιν ἐπ' εὐσεβείᾳ φανερώσας· καὶ ὁ ἅγιος Κλήμης τότε Φίλιππόν τινα Ἱσπανίας ἐπίσκοπον προεστήσατο, καὶ τὴν ἐξουσίαν ἣν αὐτὸς ὁ θεῖος Κλήμης ἀπὸ τοῦ μακαρίου Πέτρου ἔλαβε, δέδωκεν αὐτῷ, λέγων·

Digitized by Google

«Πορευθεὶς ἐν τοῖς μέρεσι τῆς δύσεως, κήρυξον τὸ Εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ δῆσαι καὶ λῦσαι ἔστω σοι ἐξουσία, ἵνα τοῦ Χριστοῦ τὸ Εὐαγγέλιον καὶ διὰ σοῦ εἰς μῆκος καὶ πλάτος ἐκχυθῇ, ὅπως παρὰ τοῦ Κυρίου ὡς πιστὸς δοῦλος ἀξιωθῇς ἀκοῦσαι, *Εὖ, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ, ἐπὶ ὀλίγων ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω. Εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ Κυρίου σου.* » Κοινωνοὶ δὲ τοῦ ἁγίου Διονυσίου ἦσαν Σατουρνῖνος, Μάρκελλος, καὶ Λουκιανὸς, σὺν αὐτῷ ὄντες, ἵνα ἐκ στόματος δύο καὶ τριῶν μαρτύρων ἡ τῶν Χριστιανῶν πίστις τοῖς ἀγνοοῦσι μέρεσι παραδοθῇ. Τούτων δὲ ὁμοῦ συνελθόντων καὶ πορευομένων, ἦλθον εἰς λιμένα Ἀριλαδιτῆς πόλεως. Τότε ὁ ἅγιος Διονύσιος, Μάρκελλον εἰς Ἱσπανίαν ἀπέστειλεν, ἵνα τὸν λόγον τῆς ζωῆς ταῖς ἐκκλησίαις τοῦ Χριστοῦ παραθήσῃ· αὐτὸς δὲ ὁ ἅγιος Διονύσιος τῇ τοῦ ἁγίου Πνεύματος θέρμῃ ἀναφθεὶς, καὶ ἀποστολικῇ πληρωθεὶς ἐξουσίᾳ, ἅπερ παρὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος σὺν τῷ ἁγίῳ Κλήμεντι θεῖα λόγια κατασπείρει τοῖς ἔθνεσιν ἐδέξατο, πίστει διένειμε πᾶσι τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι. Τὴν σκληρότητα δὲ τῶν ἀπείρων ἐκεῖσε ἐθνῶν μὴ δεδοικὼς, μηδὲ τὰς ἀσεβείας τοῦ λαοῦ φοβηθείς, προῆλθεν ἐπὶ τὸ κήρυγμα, τῷ τοῦ μακαρίου ἀρχηγοῦ τῶν ἀποστόλων στερεωθεὶς πνεύματι, τοῦ ἐν Ῥώμῃ γενομένου, καὶ δοθέντος τοῖς ἀπίστοις πρὸς τιμωρίαν. Καὶ ὅτε ἀπὸ τῆς Γαλλίας ὑποστρέψας ἐπὶ πλεῖω τοῖς ἐθνικοῖς ἔθεσιν ἀναφθεῖσαν ἔγνω τὴν πλάνην τῆς χώρας ἐκείνης, τότε, θείᾳ σκέπῃ χρηματισθεὶς, δυνατὸς καὶ ἀληθινὸς ἀθλητὴς ἀπεδείχθη, ἐπιρρίψας ἑαυτὸν τοῖς ἀγῶσιν, ἵνα, ὡς ἄξιος ὑπάρχων ὁμολογίας καὶ πληρώσεως, γενέσθαι μὴ φοβηθῇ καὶ μάρτυς. Ἀκοιτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Ἀντώνιον (62) ἀποστείλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Λουκιανῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Ῥουστίκῳ καὶ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίοις τῇ πόλει ἐπορεύθη (63). Ὁ ἅγιος δὲ Λουκιανὸς, πρεσβυτερικῇ τιμῇ τετιμημένος, εἰς τὴν Βελουακένσιν ἀπεστάλη πόλιν, ἵνα καὶ αὐτὸς ὁμοίως τοῖς ἀπίστοις λαοῖς τὸ Εὐαγγέλιον τῆς ἀληθείας παραθήσῃ. Αὐτὸς δὲ ὁ ἅγιος Διονύσιος ἐν τῇ Παρισίᾳ διέμεινεν· ἦτις πόλις, κἂν μικρὰ ἦν, ἀλλ' οὖν ἐθνικῆς πλάνης πεπληρωμένη καὶ μεμιασμένη· ἀλλὰ καρποφόρος ἦν καὶ δένδροις κεκοσμημένη· ἀμπέλοις δὲ καὶ βότρυσιν ὡς ἐκ πηγῶν ῥέουσα (64), καὶ προσφέρουσα τοῖς οἰκείοις διέλαμπεν· ἐν οἷς καὶ πραγματείαις τραπεζιτῶν ἅπασαι γοναὶ τῆς πόλεως, καὶ τῶν πέριξ περιτετειχισμένη γύρου (65), καὶ περισσείαν ἰχθύων πρὸς τούτοις ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, ὡς ἀπὸ προσώπου τῆς θαλάττης κυμάτων δίκην, προσφέρουσα, παρεῖχεν. Οὐκ ὀλίγην δὲ καὶ ὁ ποταμὸς τοῦ τείχους ἐγινώσκετο παρέχων βοήθειαν· καὶ αὐτὸς γὰρ τῷ πλάτει τῆς πόλεως, τῷ ἰδίῳ πλάτει, ὥσπερ νῆσον, τῷ ὕδατι αὐτὴν περιεκύκλου.

Τοῦτον οὖν τὸν τόπον ὁ Θεοῦ δοῦλος περιοδεύσας, καὶ τῷ στερεῷ τῆς πίστεως ὁπλισάμενος, Θεῷ τῷ παντοδυνάμῳ πανταχοῦ βοηθοῦντι καὶ συνοδεύοντι αὐτῷ, ἐκκλησίαν ἐκεῖσε κατὰ τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καθότι νέος ἀκμὴν προσήλυτος ὑπῆρχε, τῷ Κυρίῳ

his verbis: « Proficiscere ad partes Occidentis, illicque prædica Evangelium regni cœlorum, tibique esto ligandi ac solvendi potestas, ut Christi Evangelium a te etiam longe lateque diffundatur, ut a Domino tanquam fidelis servus audire mereare. *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui* [n]. » Socii autem beati Dionysii fuerunt Saturninus, Marcellus et Lucianus, qui cum eo erant, ut ex ore duorum vel trium testium, fides Christianorum partibus quæ eam ignorabant, traderetur. Hi cum convenissent, et una iter facerent, pervenerunt ad portum Arelatensis urbis. Tum sanctus Dionysius, Marcello misso in Hispaniam, ut Christi Ecclesiis verbum vitæ proponeret, ipse Spiritus sancti calore incensus, et apostolicæ potestatis plenus, quæ a Spiritu sancto cum sancto Clemente divini verbi semina spargenda et serenda **397** gentibus accepisset, omnibus partibus quæ ad occidentem pertinent, distribuit. Duritiam autem et ferocitatem imperitarum barbararumque gentium, quæ illic erant, non veritus, nec impiis sceleribus deterritus, beati principis apostolorum qui Romæ fuerat, et perfidis ad supplicium datus erat, spiritu fretus, ad præconium se contulit. Cumque a Gallia sensim subducens plus gentilibus institutis errorem regionis illius fervere comperisset, tum divino scuto protectus, potens ac verus pugil probatus est, seque certaminibus objecit, ut qui professione et perfectione dignus esset, martyr etiam fieri minime dubitaret. Aquitaniæ vero partibus misso sancto Saturnino, ipse cum sancto Luciano, et sancto Rustico, et sancto Eleutherio, Lutetiam Parisiorum venit. Sanctus autem Lucianus, presbyterii honore ornatus, ad Bellovacum urbem missus est, qui etiam infidelibus populis veritatis Evangelium prædicaret. Ipse porro sanctus Dionysius Lutetiæ Parisiorum mansit: quod oppidum, etsi parvum et exiguum, tamen gentilis erroris et inquinationis plenum erat. Sed erat fertile consitumque et ornatum arboribus. Vitibus autem et uvis, tanquam ex fontibus vinum profundens, et suis suppeditans erat nobile; in quibus et mensariorum negotiis universæ civitatis familiæ et eorum qui circumcirca vallatæ ambitum incolebant, studium et operam collocabant. Piscium præterea copiam ex amne quasi ex maris ore undarum instar proferens, præbebat. Nec vero exiguum præsidium amnis ipse mœnibus ferre intelligebatur. Is enim latitudinem urbis latitudine sua insulæ specie aqua circumdabat.

Hunc igitur Dei servus cum peragrasset locum, fidei robore armatus, Deo rerum omnium præpotenti, qui ubique ipsi auxilium opemque tulisset, et comes itineris fuisset, illic templum pro virili sua, quod novus admodum advena esset, Domini-

[n] Matth. xxv, 21.

Digitized by Google

que nostri Jesu Christi honoris causa excitavit, novumque populum in Evangelii veritate eruditum sancto baptismo postea illic illuminavit. Diu autem beatus vir interdiu noctuque disciplinæ religionis ac pietatis multitudinem instituit, Christique populus ex veteris hostis faucibus ereptus est; et quos prius dæmon distrahebat et avocabat, eos ipse digne per fidem in cœlos studebat mittere. Ejus vero sanctitatis fama **398** postea longe lateque pervagata est. Itaque non exigua populi qui fidelis erat multitudo dignum eum, quem episcopum haberet, putabat. Sic ergo deinceps ecclesiastici gradus divinis obsequiis ac muneribus distribuendis intentus, et consecrans probatos homines, ut dignos et idoneos ad gradum promovebat. Sed Dominus noster Jesus Christus, qui Dionysii viri beatissimi, ut positæ in candelabro lucernæ, famam latere etiam non patiebatur, in eorum qui a religione nostra abhorrebant mentibus, ejus lumen radii specie adhibuit, tantasque per eum virtutes fieri voluit, ut infestarum rebelliumque gentium corda, non minus quam earum, quibus nuntiatum erat Evangelium, instituerit. Itaque ejus virtutibus ac miraculis quotidie corroborabantur et addebantur, ut eo tempore, cum hæc ab initio facta sunt. Tum autem sancti viri, ut vox clamantis, longe lateque pervagata nominis ejus fama, ita celebrata est, ut etiam Domitianus, qui secundus post Neronem Christianos exagitavit, eum ad se in palatium suum venire jusserit. Idemque tanta iracundiæ atrocitatisque rabie exarsit, ut imperaret, ut ubicunque Christianum aliquem aut ipse aut sui invenirent, vel ut immolaret inquinatis dæmonibus, persuaderent, vel variis tormentis objectum morti gladiis traderent. His vero legibus cum sibi genera inclinata subegisset, magna Christi servis coorta est persecutio, quæ ad eos qui illic erant, pertinebat: quippe cum nulla prorsus præsentis vitæ usura, iis qui pro Christo certarent, concederetur. Neque enim aliqua sanctis martyribus suppetebat libertatis sive defensio, sive deprecatio. Quinetiam omnes qui edicti scelus et impietatem observabant, quod ipsis a Cæsare præscriptum erat, nulla ex parte violare audebant. Misit præterea delectorum multitudinem, cum magna voce et crudelitate ad omnes Occidentis regiones, qui hunc sanctum virum Dionysium quærerent, et, si possent, invenirent, ut vel edicto imperatoris verbis et minis adductus pareret, vel, si nollet, suppliciis immensis discerperetur, vel morti capitis præcisione occumberet.

Hoc principis edicto promulgato, plebs Gallica concessit suscipere tyrannos, ut per fines suos sive vicinias penetrare possent. Et mox beati illius viri celebre nomen ipsis declaratum est. Sic ergo ut eis præscriptum fuerat, celerrimo cursu, parato animo, **399** vultu varie mutato, Lutetiam Parisiorum ingressi, illic sanctum virum hunc Dionysium invenerunt cum alienis a religione nostra

Agnoscit hic Dionysius potentiam
Adesse, quam speraverat :
Tanti laboris præmium stant angeli
Visu nitentes undique.
Huic poculum vitæ Deus sic porrigit,
Ut pœna fiat lenior.
Perhibent tyrannum blandiendo antistitem
B Vario irritasse munere.
Et nobilem laudat generis prosapiam
Partim senilem gratiam.
400 Encomiis martyr retro claudit suas
Aures ut anguis, ne malum
Serpat medullis altius, fibras quoque
Contagione polluat.
Seu flos odorus albicat, suffimine
Spargens tyranni regiam.
Perstringit orbes luminum miraculis :
Non nemo miratur virum.
Stupuit tyrannus : terve dictis aruit.
Clarere nescit scrupulis,
Incertus illum puniat, vel liberet,
C Usumque reddat liberum.
Quid plura ? vincit anxium socordia
Alumna cædis et crucis.
Fomenta vulnus putridum novantia
Crudelitatem procreant.
Quid ? si soluta inæstuet præcordiis
Bilis, faciatque incendium.
Simul calentes inverecundus minas
Torvo cievit lumine
Figit sagittas pectori, nec impetum
Valet tenere amentiæ.
Incerta qualis Entheos pedem tulit,
Ut Mænas insanit Deo.
Certare lassus hostis in prætorio,
Agitur procellis interim.
D Cædi flagellis præcipit lictoribus,
Corpusque pungi spiculis.
Strictum retortis brachiis posti ligant
Nudare costas gestiunt.
Ut per lacunas vulnerum crepet jecur :
Paulomque sanguis palpitet.
Ridebat hæc martyr Dei ludibria,
Tortoris increpans manus.
O vos alumni, carceris sævitiam
Armate, quæso, plenius.
Stillante tabo, corporis cutem mei
Multicolorem reddite.

(98) Ubi hodie ædes D. Dionysii a Carcere, in cujus ædis cavea nobilis ille carcer adhuc visitur.

Digitized by Google

Exin, peractis principis furoribus,
Ardentibus prunis datur.
Locus est propinquus Sequanæ sinuamini (99)
Tormenta cernens sontium.
Quem sepsit agmen militum forinsecus
Fulgere cassidis micans.
Prunas tepentes carnifex sternit cito,
Ut os beati langueat
Decumbit ipse lectulo lætus rogi.
Animat sodales sedulo.
Illi os decore splenduit magis aureo.
Talem revertens legifer
De monte vultum detulit: Non sunt, ait,
Tormenta quæ vos cernitis
Citata cursim transeunt, instar noti
Pulvim moventis in aere.
Trahi e castata fervidus jubet virum,
Aliud genus parat crucis.
Ad montis altum verticem contermini
Lutetiæ deducitur.
Velut agna templi destinanda altaribus,
Nil immolata clamitans
Intrare fanum cogitur Cyllenii.
Ibique thus adurere.
Has intuens ineptias, imagines
Irridet atque conspuit.
Senile martyr maluit collum dare
Mortis lavacris inclytum.
Id maluerunt voce clara Rusticus
Et contubernalis pati.
Percussor ense dum ferit guttur senis,
Spectant frequentes eminus
Pavidi greges doctorem in alto vertice.
Res mira posteris, caput
Quod amputatum viderant cadaveris

A Hi conspicantur præsulis
Manibus coitis vectitatum, nobilem
Ad villulam miraculis.
O ter quaterque et amplius felix jugum
Hoc purpuratum sanguine!
Felix amœni littoris pomœrium,
Felixque collis vinea.
Mulier Catulla floruit credens Deo,
Purgata sancto Spiritu:
Quæ tacta miris martyrum donis, ducem
Mollivit, ut cadavera
Humaret uncta balsamo, rosis, mero:
Domi reservans posteris.
Hinc vicus ille feminæ nomen trahit.
(Catulliacus dici potest)
B Jam sex peractis sæculis aut circiter:
Manes sepulti martyrum
Oblivione prorsus obruti · nisi
Regis Clothæi filius
Dagobertus iras horridi vitans patris
Tristis cavernas quæritans (100),
Se contulisset in sepulcrum tutius.
Statim sopitus somnio.
At dormienti fulgidis clari stolis
Apparuere martyres.
Ac pollicentur principi minas patris
Sedare posse cœlitus,
Modo favillas hic sitas præconiis
Insigniat semper lubens.
Triforme culmen Gallicum, triplex honor
Quo præstat urbis dignitas.
C Non obsolescet ullus in terris apex:
Nec pulvis obducet situ
Tuæ, patrone, lauream laudis, Deo
Inscripta perpes pagina est.
Amen.

(99) Ille locus visitur in templo B. Dionysii vulgo a Passu, prope ædem Beatæ Mariæ, non longe a ripa Sequanæ.

(100) Aimonius monachus, *Hist.* lib. IV, c. 17.

VITA S. DIONYSII

AREOPAGITÆ

ATHENARUM EPISCOPI, FRANCORUM APOSTOLI ET MARTYRIS

PER R. P.

PETRUM HALLOIX

SOC. JESU PRESB.

Concinnata ejusdemque notationibus illustrata.

410-411 PRÆFATIO.

Si e claris sanctorum Patrum Vitis eæ primum punctum ferunt, quæ una cum antiquitatis auctoritate, majores in litteris, in laboribus, in peregrinationibus, in signis denique ac salutaribus prodigiis, admirabilitates habent; nemini sane in dubio relinquitur, quo loco, quove numero ea censeri debeat, quæ

Digitized by Google

sanctum Dionysium Areopagitam oculis spectandum, penitusque cognoscendum exhibet; virum sacris prohaisque disciplinis apprime eruditum, virum e Græcia in Ægyptum, ex Ægypto in Græciam, et hinc cum magno Paulo, vase electionis, in varias orbis plagas profectum, postremoque in Asiam, in Italiam, in Galliam, in Hispaniam gravibus de causis peregrinatum; virum, inquam, post Areopagi supremos apices mitissimum legis Christianæ discipulum, sed e discipulo eximium orbis doctorem, insignem Galliarum apostolum, fortem ac generosum Christi martyrem, in vita æque et post vitam perillustribus factis atque miraculis gloriosum. Hujus ego vitæ seriem, iis omnibus perdiligenter et quam accurate perquisitis, quæ ad illam plenius ac rotundius concinnandam facere visa sunt, et invocato (quod ipsemet ante omnium rerum initia faciendum edocuit (1) Dei optimi maximi auxilio, in præsenti aggrediar.

CAPUT PRIMUM.

Genus, patria, ætas, studia.

Natus est Dionysius (2) Athenis, urbe totius Græciæ multo clarissima ac nobilissima: idque anno circiter Christi nono (3-4), Augusti imperatoris quinquagesimo, parentibus quidem vitæ instituto gentilibus, sed genere et virtute claris. Puer artes liberales domi sive in urbe sua talium artium parente ac domina perdidicit. Quibus egregie imbutus foras adolescens prodiit, atque in Ægyptum quasi ad unicam et singularem sacratioris et reconditioris disciplinæ magistram, imperante Tiberio Nerone (5), se contulit, tam ut ejus regionis nobiles philosophos conveniret, quam ut si quid novæ rerum abditarum cognitionis haurire posset, id patriis institutionibus velut sacrum complementum adjiceret. Nam illo fere præstantissima quæque ingenia, post cæteras disciplinas alibi perceptas, pro mathesi rerumque cœlestium cognitione adipiscenda, et sacris mysteriis ritibusque addiscendis, quasi pro supremo omnigenæ eruditionis coronamento migrare solitos accepimus. Quod de Pythagora (6), de Thalete Milesio, de Platone, de Eudoxo, deque aliis compluribus eximiis philosophis multi auctores tradiderunt. Quin etiam ipso hujus Dionysii tempore (7) domicilia sacerdotum, hoc est Ægypti sapientum, et loca ubi Plato, ubi Eudoxus, ubi alii viri illustres habitaverant, Heliopoli ostendebantur. Istos porro Ægypti sacerdotes, sive prophetas, (sic enim illi suæ gentis sapientissimos appellitabant, non secus quam Persæ magos, Assyrii Chaldæos, Galli druidas, et Indi gymnosophistas) ab ipso Abrahamo patriarcha, qui ibidem Heliopoli jam olim vixerat, hausisse primitus astrologiæ disciplinam, scripsere viri multo doctissimi (8). Istuc ergo Dionysius in flore ætatis ejusmodi studiorum causa profectus est, quandiu autem ibidem constiterit, nullæ, quod quidem sciam, produnt litteræ; sed ibi fuisse, cum Christus Salvator Hierosolymis pro totius generis humani salute cruci suffixus penderet, atque terrifica illa solis defectio terram terreret universam, testes citantur ipsiusmet Dionysii ad sanctum Polycarpum Smyrnæ pontificem litteræ, quæ hodieque exstant, et in doctorum versantur manibus. Quo quidem tempore annum ætatis agebat Dionysius circiter vigesimum quintum, et Heliopoli (quæ urbium Ægypti, ut modo insinuatum est, **412** præcipua sacerdotum habitatione clarissima antiquitus habebatur) una cum Apollophane sophista (9), æquali suo, degebat. Exsurgente igitur illa eclipsi (10), cum ambos magna teneret admiratio, quid sibi lux de repente, et alieno tempore, et præter naturæ legem se condens, quidve cœlo obductæ, novo prorsus et insolito more, tenebræ, et quidem tantæ tamque diuturnæ vellent ac portenderent (tres enim ipsas horas, nimirum a sexta usque ad nonam tenuisse, sacra produnt Oracula P) tum ipsis ad exactius explorandos distinguendosque amborum luminarium congressus digressusque, Philippi Aridæi regula astronomica uti visum, et impensus insuitatam illam solis ac lunæ concursionem contemplari atque attendere. Cumque observando deprehendissent (quod alias quoque erat notissimum) fieri ordinario naturæ cursu haud posse, ut sol id temporis suorum defectionem radiorum pateretur, et nunc lunam quoque ipsam adverterent (quæ solita esset alioqui a parte occidua solem subire) jam e contrario ab orientali tractu subingredi, ac velut pullum nigrantemque amictum soli obtendere, et sua caligine auctorem parentemque lucis, ad ultimam usque ejusdem lineam offuscare, ac demum resilire; tum Dionysius ingenti cum admiratione ad cognatum et consodalem suum conversus: *Quid hoc*, inquit, *rei est, o Apollophanes? quid ista sibi ostenta volunt?* Ille autem divino quodam afflatu, *Hæ sunt*, inquit, *o bone Dionysi, rerum divinarum mutationes* (11). Tum vero ipsum rursus Dionysium cœlestiori quodam instinctu percitum (idque traditione, ut Michael Syngelus loquitur, a parentibus ad filios derivata) dixisse ferunt: *Ignotus in carne patitur Deus* (12-13), *cujus causa universum hoc obscuratum atque concussum est.* Aut certe, quod eum tam breviter quam eleganter intulisse alii memorant: Ἢ τὸ Θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *Aut Deus patitur, aut patienti compatitur.* Denique idem Dionysius admirandæ hujus defectionis et obscuritatis tempus, annum, diem, horam perdiligenter adnotavit, atque sicunde fortassis inauditæ mutationis vel causa quæpiam, vel occasio, seu prodita litteris, seu vulgata sermonibus postea temporis inaudiretur, serio animadvertere statuit. Quod tandem Athenis, ut mox dicetur, e Pauli apostoli congressu, et fida relatione non sine magno fidei lucro est assecutus.

Liceat vero hic nobis in isto tam admirabili principis luminaris defectu et contemplatu pulchra æternæ sapientiæ consilia pauxillulum demirari; liceat etiam una summam illius rerum omnium Conditoris et moderatoris potentiam juxta et bonitatem fixius attendendo et amare et complecti: ejus, inquam, moderatoris, qui, ut recte observavit et dixit Sapiens: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* q. Quam enim fortiter tam Judæorum quam gentilium corda tum attigit, et quam suaviter communem salutis utrorumque rationem disposuit, cum et Judæis semper signa de cœlo petentibus, tam illustre de cœlo et in cœlo signum dedit, et clarissimo, quamvis atrarum tenebrarum, prodigio, memor suæ charitatis, suæ injuriæ immemor, in ipsa sua morte subvenit? et cum gentilibus atque alienigenis, tam iis qui longe quam qui prope, nominatim autem Dionysio et Apollophani, earum rerum quibus maxime capiebantur atque vacabant studiis, tanquam aptissimis ad eos alliciendos et sibi conjungendos lenociniis, sese quodammodo manifestans succurrit, nempe astrologiæ deditis extraordinaria in astris prodigia exhibendo. Quippe ambo, dum cœlos suspiciunt, dum rimantur sidera, dum solis defectionem insuitatam vident et examinant, Deo corda permovente, prima novæ legis et Christianæ fidei semina suis postmodo temporibus in fruges eruptura, ut post videbimur, susceperunt. Sic olim tres illos magos inspiciendis et observandis stellis intentos, una eis objecta prorsus mira et insolenti ad perquirendum novum Regem (cujus illa ferebat indicium) et ad congrua ei munera, dignosque tantis natalibus honores deferendos, incertum

P Luc. XXIII, 44. q Sap. VIII, 1.

Digitized by Google

fortius an suavius, pertraxerat. Sic deinde homines piscatores ad piscatum deducturus animarum, atque a mari et a retibus ad Ecclesiæ gubernacula provecturus, non alio quam piscationis vocabulo usus ad se pellexit. Quin et pellectos nullo neque gratiore neque suaviore modo delinuit, atque in suæ potentiæ ac divinitatis fide atque notitia confirmavit, quam objectis inter piscandum prodigiosis jactibus et capturis. Sed ad Dionysium ejusque capturam redeamus. Jam ergo reversus ex Ægypto in patriam, eo magis in ore atque oculis suorum civium esse cœpit, quod ad insitam naturæ ingeniique nobilitatem, atque ad patrias artes ac disciplinas, etiam a cæteris gentibus novam quasi scientiarum supellectilem deportaret. Ita haud difficile nobili ac generoso juveni fuit, præclaris præsertim imbuto artibus et moribus viam sibi ad quamvis amplos honores et magistratus aperire. Quare cum genere suo et nomine condignas esset complexus nuptias (nam ad illas stimulabat cum ætas illis idonea, tum cupido summæ dignitatis ad quam aspirabat, et quam citra conjugium, uti mores tunc erant, vix sperabat) cumque perillustrem sibi feminam nomine Damarim copulasset (14), ita studuit cunctas matrimonii leges examussim custodire, ita se in suscepto vitæ statu et gradu gerere, ut nullo mali facinoris obstaculo, cursum ad ea quæ petebat, **413** sibi præpediret. Igitur inter archontas (15) (novemvirum is est magistratus) prænonstrata ex instituto patrio totius vitæ anteactæ integritate, Athenis est cooptatus. E quo magistratu reddita rursum, uti moris erat, officii sui, quo bene perfunctus esset, ratione, cum scilicet insontem se atque ab omni avaritiæ et iniquitatis suspicione immunem in eo judicio, quod illi δοκιμασίαν (16), id est *probationem* sive *censuram* appellant, rite comprobasset, in sanctissimum Areopagi consilium (17), qui summus illic erat urbanæ dignitatis gradus, inoffenso pede conscendit. Atque inibi quidem haud postremo eum fuisse loco, tunc cum sanctus Paulus doctrinæ suæ rationem redditurus, injecta manu in Areopagum pertractus est, sed unum potius e primis judicibus, imo etiam judicum principem Græci scriptores diserte asseverant (18). Et Michael quidem Syngelus post eximiam Athenarum laudem, quas (uti vere erat) Græciæ decus, philosophorum domicilium, oratorum gymnasium atque ludum appellat, ita subdit de Dionysio: « Ex ea, inquit, urbe hic ortus est Dionysius, ejusque dux fuit illustrissimus, et Areopagi judicum princeps : quorum judicum splendorem generis atque magnificentiam, rerum Atticarum scriptores Androtion et Philochorus fuse denarrarunt. Ex quibus profecto majorum Dionysii primatum, et honorem, et gloriam conjectura assequi licet. Nec enim apud superbos Athenienses facilis cuiquam ad ejusmodi principatum aperta erat via, nisi quem et sapientia (19), et prudentia, et justitia, et fortitudo, et temperantia, et cum his simul eximia generis claritudo commendaret. » Ita ille. Fuit denique Dionysius ex eo consilio et senatu, qui jam olim a Solone legislator et morum censor, et custos legum, et religionis ac cæremoniarum præses, et capitalium ac gravissimarum causarum judex atque arbiter fuerat constitutus. Ad quem senatum non tantum e reliqua Græcia, sed e remotis quoque nationibus, atque adeo ab ipsis Romanis (20), licet præcipuam sapientiæ atque gravitatis laudem assectantibus, difficiliores lites, et intricatiora judicia subinde referebantur. In quo quantus fuerit Dionysius, sive doctrinarum varietatem, sive juris æquitatem, sive morum denique spectes innocentiam, clare idem Syngelus docet, qui non modo facundissimum in oratoribus, acutissimum in philosophis, perspicacissimum in astronomis, in cæteris artibus ac disciplinis spectatissimum, sed etiam (quod multo majus est atque gloriosius) inter bonos optimum, et inter judices longe justissimum exstitisse scribit. Atque talis quidem erat, cum gentilis atque deorum cultor; qualis autem postea, hinc ordiemur.

NOTATIONES.

(1) S. Dion., l. *De div. nom.*, c. 3.

(2) *Natus est Dionysius.* Dionysii inter scriptores sacros doctrina et sanctimonia clarissimi tres fuerunt (nam de Patribus Græcis tantum sermo est in præsentia), Dionysius Areopagita, Dionysius Corinthiorum episcopus, et Dionysius Alexandrinus; qui omnes scripta utilissima posteris reliquere. Areopagita primo sæculo floruit, Corinthius secundo, Alexandrinus tertio. Ac proinde hi duo posteriores mentionem Areopagitæ facere potuerunt: et Corinthius quidem, testibus Eusebio Cæsareæ Palæstinæ episcopo et Maximo martyre, fuit; sed an Alexandrinus etiam fuerit, haud perinde constat. Multi quidem id asserunt, et ejusdem Maximi Scholiastæ auctoritatem ad hoc confirmandum proferunt; ubi scilicet scribit, sanctum Dionysium Alexandrinum composuisse Scholia in beatum Dionysium sibi cognominem. Verum per Dionysium sibi cognominem non intelligi Areopagitam, infra fuse docui, quæst. 2, in solutione argumentorum adversæ partis. Verba autem Eusebii lib. IV *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 22, de Dionysio Corinthio sunt hæc: Δηλοῖ δὲ ἐπὶ τούτοις, ὡς καὶ Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης ὑπὸ τοῦ Ἀποστόλου Παύλου προτραπεὶς ἐπὶ τὴν πίστιν, κατὰ τὰ ἐν ταῖς Πράξεσι δεδηλωμένα πρῶτος τῆς Ἀθηναίων παροικίας τὴν ἐπισκοπὴν ἐγχειρίστο. *Significat præterea* (Dionysius Corinthius) *Dionysium Areopagitam ab apostolo Paulo ad fidem conversum, ut produnt Acta, primum Athenarum antistitem creatum esse.*

De eodem Dionysio, Corinthiorum episcopo, ita Maximus in præfatione Scholiorum suorum ad libros Areopagitæ: Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Mentionem facit Areopagitæ etiam Dionysius, antiquus Corinthiorum episcopus, et Polycarpus in sua ad Athenienses epistola.* Ita ille. Hæc autem propter eos, qui eumdem Areopagitam existimarunt etiam Athenarum et Corinthiorum fuisse episcopum, dicta sint. Nam ex his patet, esse diversos; cum alter alterius mentionem faciat.

De his duobus Dionysiis, Corinthio, inquam, et Alexandrino, amplius σὺν Θεῷ in ipsorum *Vitis* et sæculis dicetur : nunc solum de Areopagita, qui secundum apostolos primus mihi ponitur in suo sæculo, idque suasu antiquitatis, cum ætate vix novem annis minor Christo fuerit, ut jam nunc ostendam.

(3-4) *Anno circiter Christi nono.* Hic annus ex ipsius Dionysii ad Apollophanem epistola colligitur, ubi tempore passionis Christi Domini, sive eclipseos quæ tum accidit, se viginti quinque annorum fuisse scribit. Quæ epistola, licet nunc Græce non exstet, tamen exstabat tempore Caroli Calvi imperatoris, sub annum Christi 876, quo tempore una cum aliis S. Dionysii operibus eam Latine vertit Erigena Scotus. Nam hodieque ea versio superest, et eodem plane stylo quo cæteræ epistolæ, ut dubia nullus relictus sit locus. Accedit de viginti quinque annis auctoritas S. Maximi ad Epistolam decimam S. Dionysii quæ est ad S. Joannem Evangelistam, his verbis : Ὑποθώμεθα δὲ καὶ τὸν θεῖον Διονύσιον, ὅτε τὰ ἐπὶ τῷ σταυρῷ τοῦ Κυρίου εἶδεν, εἶναι ἐτῶν κε', **414** ἅτε οἶμαι καὶ ἔτι ἀναγινώσκοντα. *Supponamus vero et divinum Dionysium, cum ejusmodi*

Digitized by Google

prodigia Christo cruci affixo vidit, annorum fuisse viginti quinque; quod et me adhuc legisse puto. Itaque existimaverim, Maximum aliquando incidisse in illam B. Dionysii Græcam epistolam, sed ab aliis, ut sæpe fit, avulsam. Si igitur Dionysius fuit viginti quinque annorum in ultimo Christi anno, hoc est ætatis Christi trigesimo tertio, ut plurimi tenent, vel trigesimo quarto inchoato, ut alii volunt, sequitur, eum natum anno Christi nono circiter. Addo *circiter*, ob variantes sententias. Jam nonus Christi, et quinquagesimus Augusti, juxta Eusebium (quo in ecclesiastica chronologia nemo certior) inter se concurrunt, et sequitur approbatque Baronius.

(5) *Imperante Tiberio.* Suidas in Dionysio ita de eo, in editione Morellii : Κατὰ γοῦν τὴν ἀρχὴν Τιβερίου Καίσαρος, ὅτε δὲ καὶ τὴν ἡλικίαν ἤκμαζεν, ἀπῆρεν εἰς Αἴγυπτον τοῖς ἐκεῖσε σοφοῖς ὁμιλῆσαι γλιχόμενος. *Imperante Tiberio Cæsare, cum jam ætate floreret, solvit in Ægyptum, cum philosophis qui inibi agebant versari desiderans.* Pachymeras in Paraphrasi Epistolæ septimæ : Ἔθος γὰρ ἦν τότε τοῖς ὀπουδήτοτε Ἕλλησιν ἀποδημεῖν εἰς Αἴγυπτον μαθήσεως ἕνεκα. *Erat enim tum Græcis consuetudo, undique in Ægyptum studio matheseos peregrinandi.*

(6) *Quod de Pythagora*, etc. De his multa sunt veterum testimonia. Breve est illud M. Tullii libro quinto, *De finibus bonorum et malorum*, extremo : « Cur Plato, inquit, Ægyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et cœlestia acciperet? » Et paulo post : « Cur Pythagoras et Ægyptum lustravit, et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria transivit? cur hæc eadem Democritus? etc. » Vide Diogenem Laertium in eorumdem *Vitis*, et Strabonem in libris *Geographiæ* XIV et XVII, et Valerium Maximum lib. VIII, cap. 7, et de aliis Philostratum in *Vitis sophistarum*, præsertim in Aristide, et S. Justinum martyrem in cohortatione *ad Græcos*, ante medium, ubi dicit, constare ex Theodoro et ex aliis historicis, Orpheum, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem et alios Ægyptum adiisse, et libris Moysis adjutos, melius de Deo sapuisse. Vide et Clementem Alexandrinum lib. I *Stromatum*, ante medium, ubi sic inter alia : Θάλης δὲ Φοίνιξ ὢν τὸ γένος, καὶ τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκέναι εἴρηται, καθάπερ καὶ ὁ Πυθαγόρας αὐτοῖς τε τούτοις δι' οὓς καὶ περιετέμετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσόφων, Χαλδαίων τε καὶ μάγων τοῖς ἀρίστοις συνεγένετο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν τὴν νῦν οὕτω καλουμένην ὁμακοεῖον αἰνίττεται. *Thales autem, cum esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum prophetis congressus esse dicitur, sicut et Pythagoras cum iisdem versatus est; propter quos etiam fuit circumcisus, ut adyta ingrediens Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam, et cum Chaldæorum, et magorum præstantissimis egit familiariter, et quæ nunc Ecclesia appellatur, ab illo ὁμακοεῖον dicta est.* Vox ὁμακοεῖων *coauditorium* (si fas ita loqui) significat, nempe locum, quo multi ad audiendum una conveniunt : ex ὁμοῦ et ἀκούω, *simul audio.*

(7) *Quin etiam ipso Dionysii tempore.* Strabo enim, qui eodem quo Dionysius tempore floruit, hoc est imperante Tiberio, ita de se libro XVII *Geographiæ* scribit : Ἐν δὲ τῇ Ἡλίου πόλει καὶ οἴκους εἴδομεν μεγάλους, ἐν οἷς διέτριβον ἱερεῖς. Μάλιστα γὰρ δὴ ταύτην κατοικίαν ἱερέων γεγονέναι φασὶ τὸ παλαιὸν φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ ἀστρονομικῶν. *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus sacerdotes degebant. Imo dicunt hanc olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ et astronomiæ deditorum.* Et paucis interjectis : Ἐκεῖ οὖν διέτριψαν οἵτε τῶν ἱερέων οἶκοι, καὶ Πλάτωνος, ... καὶ Εὔδοξος δεῦρο, καὶ συνδιέτριψαν ἱερεῦσιν ἐκεῖνοι ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη, ὡς εἴρηταί τισι. *Ibi ergo ostendebantur sacerdotum domicilia, et Platonis atque Eudoxi scholæ. Isto enim ascendit cum Platone Eudoxus, ibique cum sacerdotibus tredecim annos versati sunt, ut dictum ab aliquibus est.* Vide ibidem plura huc spectantia. De Platone ita S. Augustinus, lib. VIII *De civitate Dei*, c. 4 : « Quam longe lateque potuit, peregrinatus est. Quaquaversum enim alicujus nobilitate scientiæ percipiendæ fama rapiebat. Itaque et in Ægypto didicit, quæcunque illic magna habebantur atque docebantur. » Ægyptios autem accepisse ab Abrahamo patriarcha scientiam astrorum, aliasque complures artes, testatur Alexander Polyhistor, « vir magni ingenii multæque eruditionis » (ut appellat Eusebius, lib. IX *De præparat. Evangel.*, cap. 17) scriptor perantiquus, de quo sic ibidem : Συζήσαντα δὲ τὸν Ἀβραὰμ Ἡλιουπόλει τοῖς Αἰγυπτίων ἱερεῦσι πολλὰ μεταδιδάξαι αὐτοὺς, καὶ τὴν ἀστρολογίαν, καὶ τὰ λοιπὰ τοῦτον αὐτοῖς εἰσηγήσασθαι, etc. *Cæterum cum apud Heliopolim Abraham sacerdotum consuetudine plurimum uteretur, multa ipsos, nec non astrologiam, et reliqua eo pertinentia edocuisse tradit.* Ejus sententiæ accedit Josephus lib. I *Antiquitatum*, cap. 9, his verbis : Τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι. Πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον, οἱ Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς. *Arithmeticam quoque et astrologiam eum illis communicavit. Nam ante Abrahami adventum in Ægyptum, Ægyptii horum rudes erant.*

(8) Alexander Polyhistor in *Historia Judæorum;* Josephus l. I *Antiq.*, cap. 9; Eusebius lib. IX *De præparat. Evangel.*, cap. 17; Suidas in *Dionysio.*

(9) *Una cum Apollophane sophista.* Hic Apollophanes præceptor fuit Polemonis Laodicensis; Polemon autem Aristidis philosophi eloquentissimi, qui Apologeticum pro Christianis obtulit Adriano imperatori : de quo Aristide vide Eusebium, libro IV *Historiæ*, cap. 3, et Hieronymum in Catalogo. De Apollophane ita Suidas in Dionysio : Συνῆν δὲ αὐτῷ Ἀπολλοφάνης ἐκεῖνος ὁ σοφιστὴς, οὗ Πολέμων ὁ Λαοδικεὺς ἐν Σμύρνῃ διήκουσεν, ὁ διδάσκαλος Ἀριστείδου. *Una cum Dionysio erat Apollophanes orator ille, quem Polemon Laodicenus, magister Aristidis, Smyrnæ audivit.* Hunc ergo Apollophanem S. Polycarpus Smyrnæ episcopus ad manum habuit, et ad Christi fidem convertit. Super qua conversione duæ exstant Dionysii epistolæ; una ad S. Polycarpum hortatoria, ut eum ad fidem convertat; altera ad ipsum Apollophanem jam conversum gratulatoria. Fuisse Apollophanem sancto Dionysio non solum veterem sodalem, sed et cognatum, videntur ista Syngeli verba in ejus *Encomio* indicare : Ἑταίρῳ δῆθεν ὄντι φιλτάτῳ καὶ ὁμογενεῖ. *Veteri sodali amicissimo et cognato.*

(10) *Exsurgente illa eclipsi.* Tota hujus eclipseos ab iis animadversæ historia partim ex duabus S. Dionysii epistolis, **415** una ad S. Polycarpum, altera ad Apollophanem, collecta est; partim ex Maximo, Syngelo et Metaphraste. Quibus adde Suidam, Nicephorum, Pachymeram, et alios. Eclipsco quidem, sive tenebrarum toti orbi obtensarum, quod ad substantiam spectat, evangelistæ tres, Matthæus, Lucas et Marcus meminerunt; sed quod ad modum attinet, præter hunc Dionysium, nemo. Utrobique autem multa admodum mira exstiterunt. Ad prius enim quod attinet, primo facta est in plenilunio, quod alias nunquam. Cum enim solis defectio fiat ex conjunctione solis cum luna (id quod accidit in novilunio) tum facta est in ejus maxima disjunctione, sive in plenilunio. Nec enim Judæi alio tempore Pascha celebrabant, quam in plenilunio. Deinde obumbravit hæc eclipsis totam terram; quod naturaliter fieri non potest, cum luna

Digitized by Google

minor sit sole, nec eum proinde totum possit toti terræ, nisi maximo miraculo, occultare. Tertio, duravit tres ipsas horas, cum alioqui ob contrarium solis et lunæ concursum brevissima esse debeat et soleat; præsertim, quod corpus solare ingentis sit magnitudinis; lunare autem, ejus respectu, perexiguum. Sic enim videmus, re quapiam minima ob oculos posita, etiam prægrandem montem nobis abscondi, sed ita, ut si rem illam minimam vel minimum removeris, extemplo illum eumdem montem conspicias. Ita de sole accidisset, si luna inter oculos nostros et illum opposita vel tantillum promovisset, neque prodigium intervenisset.

Hæc tria miracula e tribus evangelistis constant; e quibus sic Matthæus cap. XXVII, vers. 45: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.* Et Lucas cap. XXIII, vers. 44: *Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol.* Et Marcus cap. XV, vers. 33: *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.* Agunt autem ibi de tempore Paschatis, in plenilunio Martii. Ex quibus verbis licet colligi necessario non possit, ullam fuisse eclipsim proprie dictam (cum potuerit Deus optimus maximus istas tenebras inducere sole et luna ordinarium cursum tenentibus, ut in Ægypto factum legitur antiquitus) tamen cum veram fuisse eclipsim gravissimi auctores, etiam ethnici, tradant, et ipse S. Dionysius non modo illam, sed ejus quoque modum una cum æquali suo Apollophane, maximo philosopho, adhibita regula astronomica, curiose observarit, litterisque mandarit, par est idem cum iisdem sentire homines non præfractos. Ex auctoribus ethnicis, qui eclipseos tempore passionis Domini nostri Jesu Christi animadversæ meminerunt, citantur nominatim, Phlegon libertus Adriani imperatoris, egregius historicus, cujus verba Græca e Chronico Eusebii, itemque ex Alexandrino, sive, ut alii vocant, e *Fastis Siculis*, hic propono. Ita igitur Phlegon lib. XIII: Τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει τῆς σϐ' Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρας ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. Σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο, id est ex interpretatione sancti Hieronymi: *Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna et excellens inter omnes, quæ ante acciderant, defectio solis est facta: dies hora sexta ita in tenebras versus, ut stellæ in cœlo visæ sint; terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subvertit.* Ita Phlegon apud Eusebium ad annum Domini 33. Idem quoque Eusebius, eodem loco, in aliis ethnicorum commentariis se hæc ad verbum reperisse scribit: Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν· Βιθυνία ἐσείσθη· Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν. *Sol defecit: Bithynia concussa est: Nicææ ædificia multa corruerunt.* Thallus quoque historicus, teste Julio Africano secundi sæculi scriptore, idem ipsum in suam Historiam retulit. Ita enim de illo: Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν Ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. *Hasce tenebras defectum solis appellat Thallus lib.* III Historiarum, *ut mihi quidem videtur, inconsiderate.* In quibus quidem verbis indicat Africanus, in altera se esse sententia, nimirum ut tenebræ tantum fuerint miraculo quodam Ægyptiarum tenebrarum simili per universam terram abductæ. In qua opinione fuit A etiam Origenes et Tertullianus, et quidam alii; inter quos et Sedulius presbyter Rb. v *Paschalis operis*, dum ita cecinit:

Interea horrendæ subito venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœstisque nigrantem
Exsequiis texere diem. Sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, tristemque infecit luctibus orbem.
Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum
Auxiliis orbata patris, lætata per ortum,
Mœsta per occasum. Nam lux, ut tempore fulsit
Nascentis Domini, sic hac morientis recessit,
Non absens mansura diu, sed mystica signans
Per spatium secreta suum: quippe ut tribus horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cœli,
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulcri.

Quibus in versibus nulla fit mentio eclipseos, sed tantum solis, occursu nubium, obscurati. Nunc B tamen communior videtur sententia, veram, sed prodigiis plenam fuisse eclipsim, de qua sic S. Augustinus epist. 80 *ad Hesychium*, tom. II: « Quando nos vidimus solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cum lumen mundi penderet in ligno? Nisi forte defectus solis et lunæ, quas consueverunt computatores siderum adnotare atque prædicere, inter cœlestia prodigia numerabimus, quia lunam sæpius in sua plenitudine, solem vero rarius, sed tamen vidimus in fine lunæ secundum eorum computum defecisse. Non erat talis solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, et ideo vere mirabilis erat et prodigiosus. Pascha quippe fuerat Judæorum, quod non nisi in plenitudine lunæ celebratur. Secundum astrologorum autem numeros certum est, solem, quando luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est lunæ, non quidem semper, sed aliter nunquam, cum secundum illos numeros deficit. Quid ergo tale unquam quisquam C meminit apparuisse de cœlo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando passus est? » Ita S. Augustinus.

Sed quæret nunc aliquis, quonam pacto tantum miraculum patratum sit, nempe ut luna tam exigua solem tam immensum orbi toti absconderit.

Respondeo, inter plures sententias hanc 416 videri probabilissimam, quæ dicit, angeli ministerio vel subtractos orbi radios illos, qui a luna comprehendi non potuerunt, atque occultatos; vel certe (quod nostro Salmeroni magis placet) compressos coactosque, ut in lunam cuncti inciderent. Equidem magis credo, verum hujus prodigii modum non latere.

Jam autem circa ejusdem eclipseos, aut duorum potius luminarium processiones, ista exstiterunt haud minora prioribus miracula.


Primo, quod luna ab orientali tractu solem subiverit, res prorsus insolens et inaudita. D

Secundo, quod ita progressa sit usque ad partem solis occiduam, ut tres horas partim progrediendo, partim regrediendo sub sole fuerit.

Tertio, quod licet ad extremam usque solis partem occiduam processerit, ita ut ejusdem solis pars orientalis primo apparere detecta et detersa deberet; tamen luna retro versus orientem resiliente, contrarium acciderit, nempe ut pars occidenti obversa primo apparuerit, lumenque, ut ante, refuderit.

Digitized by Google

Ecce hic descriptam claritatis gratia conspicuam imaginem.



Sit ergo in figura præsenti, A terra, B luna, C sol, D oriens, E occidens, F G diameter ab ipso sole ad solis oppositum; H pars solis orientem respiciens, I pars solis occidentem spectans; linea vero ab H ad I, diameter disci seu corporis solaris. Jam tempore passionis luna erat in G, sive ex diametro soli opposita, propterea que plena, et radiis solaribus tota collucens, ut in plenilunio assolet. Hora igitur sexta, qua Christus in cruce pendebat, subito transiit luna ab G, sive a loco soli ex diametro opposito, ad H, sive ad partem solis orientalem, ibique solem subiens ex ea parte inchoavit eclipsim, indeque ad I progressa, totum solem caligine sua, velut pulla veste, obduxit: deinde ab I sive parte solis occidua ad H resiliit, ita ut para A solis ultimo obtenebrata primo inclaruerit, mundoque radios suos diffuderit, contra quam alias semper factum fuerit, aut fieri solitum sit. Progressio **417** itaque ab H ad I, et regressio ab I ad H, tres ipsas horas tenuit, a sexta scilicet usque ad nonam, hoc est in plagis orientalibus a meridie ad tertiam pomeridianam. Deinde ab H ad G, hoc est ad locum suum naturalem citissime rediit, ita ut vesperi in sua essent statione, sol in occasu, luna ex opposito; et hæc quidem plena ac lucida, perinde quasi loco mota non fuisset. Quarum rerum tam admirabili spectaculo percussi Dionysius et Apollophanes philosophi, quid sibi ista vellent, inter se quæritarunt, ut in Vita exposuimus. Denique de ambobus illis philosophis, S. Dionysio, inquam,

Digitized by Google

et Apollophane, deque tota hujus eclipseos ratione, mihi patrocinantem habeo clarissimum Godefridum Wendelinum, virum (ut scribit in Athenis suis Belgicis eruditissimus Franciscus Sweertius) « in omni litteratura, et præsertim in mathematicis disciplinis ad miraculum usque versatum. » Cujus ego epistolium quoddam διδακτικόν ad nostrum Andream Schottum piæ memoriæ super Dionysio Areopagita, ejusque scriptis (quæ fortiter tuetur), felici sorte nactus sum. Utinam citius! Sed, ut spero et opto, videbunt aliquando lucem tanti viri tractatus perutiles.

(11) *Rerum divinarum mutationes.* Sic Græce in Epistola S. Dionysii ad Polycarpum : Ταῦτα, ὦ καλὲ Διονύσιε, θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων. *Hæc sunt, o bone Dionysi, divinarum mutationes rerum.* Quidam istud ἀμοιβαὶ πραγμάτων verterunt *vices rerum ;* aliqui *vicissitudines*, nonnulli *retributiones*, alii *vicarias mutationes :* quia scilicet vox ἀμοιβαί seorsum accepta has omnes admittat significationes. Verum non satis est interpreti attendere quid vox aliqua significet, sed quid hoc vel illo loco **significet ; hoc** autem loco nec *vices*, **nec *vicissitudines*, nec *vicarias mutationes***, nec *retributiones* significat, sed simpliciter *mutationes.* Nam ista alia vocabula capiuntur pro iis quæ sæpe et vicissim fiunt; hic autem agitur de mutationibus plane insolitis, et quales nunquam alias fuerunt, nec erunt. Quæ porro illæ? nempe Dei mors, divinarum antiquæ legis cæremoniarum interitus, Novi Testamenti novæque legis introductio, hisque similia vere divina. Dionysius Rickelius in expositione **Epistolæ ad Apollophanem**, *divinarum retributiones sunt rerum*, sic exponebat : « Id est quidam justi effectus contingentes ob injuriam et irreverentiam illatam Deo, seu divinis substantiis. » Et optime quidem, si bona fuisset Græcæ vocis ab interprete (quisquis ille fuerit) versio, verum, ut dixi, et ut doctioribus placuit interpretibus, nihil aliud hic Latine reddendum fuit, quam *divinarum mutationes rerum.* Unde Pachymeras in Paraphrasi ejusdem ad Polycarpum Epistolæ, pro ἀμοιβαί usurpat μεταβολαί, quod vocabulum *mutationes* præcipue significat. Vide etiam hac ipsa de re Michaelem Glycam, parte III *Annalium*, ubi eamdem sancti Dionysii Areopagitæ ad Polycarpum Epistolam citat, simulque et totidem fere verbis ea, quæ ex eadem Epistola in contextu Vitæ produximus. Ipse tamen, et laudatus ab eo Chrysostomus, existimant, non fuisse proprie dictam eclipsin, sed tenebras tantum ex divina adversus Christicidas indignatione mundo inductas. Sed alia sententia melior et communior.

(12-13) *Ignotus in carne patitur Deus.* Ille scilicet Deus, cui erat ara hoc titulo, *Ignoto Deo;* de quo titulo inferius. Ista porro verba, *Ignotus in carne*, etc., attribuuntur Dionysio a Michaele Syngelo, qui sic habet : Ἐπὶ τῷ παραδόξῳ σφόδρα τεθηπὼς, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπερβεβηκὼς γνῶσιν, κατανοήσας τὸ γεγονός· Ὁ ἄγνωστος, ἔφη, ἐν σαρκὶ πάσχει Θεός, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωταί τε καὶ σεσάλευται. *Præ re inopinata admodum stupefactus* (Dionysius) *et humanam cognitionem supergressus, eo quod factum fuerat perpenso : Ignotus, inquit, in carne patitur Deus, propter quem universum hoc concussum et obtenebratum est.* In Romano autem Breviario est, exclamasse illum : *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur.* Apud Suidam quoque, ut in Vita notavi, aliter est verbis, sed sensu conformiter. Dici ergo potest, sanctum Dionysium variis in occursibus, repetita istius eclipseos memoria, aliter atque aliter, ut sæpe fit, dixisse. Nam et in ipsis Evangeliis aliter atque aliter a diversis evangelistis Christi dicta referuntur, ut patet cum alibi sæpius, tum in muliere sanguinis profluvio laborante, Matthæi IX, Marci V et Lucæ VIII.

(14) *Cumque perillustrem sibi feminam nomine Damarim copulasset.* Damarim S. Dionysii Areopagitæ uxorem fuisse, probatur his sequentibus argumentis.

Primo, quod ipsa sancti Lucæ verba Actorum XVII versu ultimo id innuant. Ea sic habent : Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ ἐπίστευσαν· ἐν οἷς καὶ Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, καὶ γυνὴ ὀνόματι Δάμαρις, καὶ ἕτεροι σὺν αὐτοῖς. *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.* Ita versio usitata. Ubi vox Græca γυνή, et Latina *mulier;* cum alias æque quamvis mulierem significent, quam uxorem : inde factum, ut nonnulli dubitarint, an hic pro uxore caperentur. Verum, si evangelistæ verba diligenter attendantur, satis et mens ejus et verborum significatio inclarescet. Nam mihi quidem satis evidens est, voluisse evangelistam primo aperire generatim nonnullos Paulo adhæsisse, atque (ut vis Græcæ vocis κολληθέντες retineatur) conglutinatos fuisse, et in Christum credidisse : deinde speciatim designare Dionysii Areopagitæ domum, hoc est ipsum et uxorem et **domesticos, cum dixit** : ἐν οἷς καὶ Διονύσιος, etc., **quæ clarius sic versa essent : *Inter quos et Dionysius Areopagita, et uxor nomine Damaris, et cæteri cum eis;*** hoc est domestici, exemplum patris et matrisfamilias secuti. Nam vox ἕτεροι proprie est cæteri : cum hæc ex illa facta sit. Quare illæ voces, *et alii cum eis*, non significant alios omnes præter Dionysium et Damarim (sic enim bis ibidem diceretur, quandoquidem de aliis supra dictum sit : *Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt*), sed **tantum significant eos** qui conjunctim cum **Dionysio et Damari crediderunt, atque eorum** exemplo et incitamento, sive **totam familiam.**

Verum quidem est, quod sensus **clarior exstitisset**, si vox αὐτοῦ *ejus* addita fuisset, et dictum καὶ γυνὴ αὐτοῦ, *et mulier ejus :* verum id non solet, aut certe non est necessarium. Quod multis exemplis firmari potest. Neque enim ipse sanctus Chrysostomus (quem a nobis esse, qui contraria sentiunt, confitentur) cum γυναῖκα pro uxore usurpavit, neque ipse, inquam, addidit vocem αὐτοῦ *ejus;* quo clariorem suam sententiam **418** redderet, sed simpliciter ita dixit libro IV *De sacerdotio* : Ὁ δὲ Ἀρεοπαγίτης ἐκεῖνος, ὁ τῆς δεισιδαιμονεστάτης πόλεως ἐκείνης, οὐκ ἀπὸ δημηγορίας μόνης ἠκολούθησεν αὐτῷ μετὰ τῆς γυναικός; quæ interpretes sic verterunt, et bene : *Areopagita vero, ille urbis istius superstitiosissimæ civis, nonne ad solam orationem* (Pauli scilicet) *una cum uxore illum secutus est?* Ubi tamen non dixit μετὰ τῆς αὐτοῦ γυναικός *cum uxore sua*, sed solum μετὰ τῆς γυναικός, *cum uxore*, satis enim intelligitur. Ita et in sacris Litteris illud αὐτοῦ frequenter omittitur, ut in I ad Corinthios cap. VII, vers. 3 : *Uxori vir debitum reddat*, Græce est : Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὐνοιαν ἀποδιδότω, ubi non est dictum τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, *uxori suæ.* Sic in eodem ipso capite sæpius. Neque favet contrariæ sententiæ, quod in Latino apud Lucam sit *mulier :* idem enim ibi est atque uxor. Sicut et in isto Pauli eodem capite VII, vers. 4 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ubi vox *mulier* bis ponitur pro *uxor*, et Græce utrobique est γυνή. Nec aliter fere in Scriptura uxor effertur, quam per vocem γυνή. Quo in significato reperies usurpatam vocem γυνή apud Paulum in unico capite jam citato, saltem decies sexies, et frequenter quidem sine pronominis additione. Sic vers. 27 : Δέδεσαι γυναικί; μὴ ζήτει λύσιν. Λέλυσαι ἀπὸ γυναικός; μὴ ζήτει γυναῖκα. *Alligatus es uxori : noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Sic versu 11 dixerat : Καὶ ἄνδρα γυναῖκα μὴ ἀφιέναι. *Et vir uxorem non dimittat.*

Secundo, si sanctus Lucas voluisset significare quampiam aliam feminam, et non uxorem Dionysii,

Digitized by Google

addidisset, ut fieri solet, particulam τις, *quædam*, dixisseque : Καὶ γυνή τις ὀνόματι Δάμαρις, *et mulier quædam nomine Damaris*. Sed neque in Græco est τίς, neque in Latino *quædam*. Putavit tamen esse in Græco Joannes Lorinus noster, ideoque in alteram magis inclinavit sententiam, cum dixit : *Si uxor Dionysii erat, non vocasset* γυναῖκά τινα, *mulierem quamdam, sed brevissime dixisset* : Καὶ γυνὴ αὐτοῦ. Sic Lorinus. Atqui non dixit S. Lucas γυναῖκά τινα, *mulierem quamdam*, sed brevissime dixit, καὶ γυνή, *et uxor*, omisso αὐτοῦ, *ejus* : sicut solutum esse omitti, jam e sancto Paulo ostendimus. Itaque Lorinus a nobis est, aut certe esse debet. Neque si textus Syriacus habeat *quædam*, prævalere Græco debet, cum Acta primitus scripta Græce fuerint, non Syriace : neque item præferri potest Latino, cum Latina versio e Græco fonte derivata sit, et eodem pronomine *quædam* careat, et magis suo fonti respondeat.

Tertio, cum alterius sententiæ auctores fateantur, pro nobis facere antiquissimos et doctissimos et sanctissimos Patres, Chrysostomum et Ambrosium, et nonnulli etiam sanctum Augustinum (sed hujus locum nondum reperi) ipsi autem ne unum quidem e sanctis Patribus, quo se tueantur, habeant ; et argumentis (ut ea, quæ jam diximus, monstrant) nitantur imbecillibus, certe non obscure ostenditur, utra sit præferenda sententia. Nam sane Ambrosii verba non inclinantis tantum in nostram sententiam, sed etiam prorsus incumbentis, et eam omnino amplexantis, exstant in epistola ejus 82 ad Vercellensem Ecclesiam, ante medium : ubi, postquam de philosophis cum Paulo disputantibus verba S. Lucæ protulit, ita subdit : « Ex hoc tamen numero (philosophorum scilicet) non immunis gratiæ abiit Apostolus. Siquidem etiam Dionysius Areopagites cum Damari uxore sua, aliisque multis credidit. Itaque illi doctissimorum atque eloquentium cœtus simplici disputatione victos se esse, credentium exemplo manifestarunt. » Hæc sanctus Ambrosius.

Quarto, scriptores Vitæ sancti Dionysii Areopagitæ, idem de uxore ejus Damari tenent et scribunt. Testes Hilduinus, Vincentius Bellovacensis, Petrus Equilinus episcopus, et alii. « Qui protinus surgens, inquit Hilduinus, cum omni domo et uxore sua Damari quam ut sumeret, more terrenæ nobilitatis, propter amorem suscipiendæ charæ sobolis, eum sui coegere parentes, ad mandata properat sancti Pauli. »

Vide et Baptistam Mantuanum libro I *De conversione, vita et passione sancti martyris Dionysii*.

Et vero est simillimum, antiquissimos Vitæ sancti Dionysii scriptores, vel ex ipsis Athenarum archivis, vel ex majorum traditione de sancti Dionysii conjugio cognovisse. Item sanctum Joannem Chrysostomum, diu Athenis versatum, non potuisse de primo urbis ejus episcopo id ignorare. Accedit auctoritas S. Maximi, cujus exstant in Dionysium Græca σχόλια brevia illa quidem, sed docta. Hic igitur in præfatione sua non obscure indicat, in Actis apostolorum non modo Dionysii Areopagitæ factam esse mentionem, sed et domus ipsius, sive familiæ.

Atqui non potest dici alibi facta esse mentio familiæ, quam in nomine *Damaris*, et eorum qui crediderunt cum eis, id est cum heris suis Dionysio et Damari. Verba autem sancti Maximi, postquam dixit dignitatem Dionysii, a sancto Luca significatam voce illa *Areopagita*, sunt hæc : Ἐπιδάλλω δὲ μᾶλλον, ὅτι διά τε τὸ κατὰ σοφίαν περιττὸν, καὶ διὰ τὸ ἐν Ἀθηναίοις ἀνεπιλήπτου πολιτείας ἐκκριτον, μνημονευθῆναι μετὰ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. *Adjicio autem amplius*, inquit, *propter eximiam ejus sapientiam, et inter Athenienses inculpatæ vitæ præstantiam, mentionem ipsius factam esse domus ipsius, sive familiæ*. Quæ scilicet tum vera et plena est laus et gloria alicujus patrisfamilias, cum non ipse tantum, sed ejus domus tota, frugi est et bene morata, uxor scilicet, liberi, famuli, ancillæ, et si qua alia necessitudo cohabitat.

(15) *Igitur inter archontas*. Hi fuerunt magistratus novem virorum. Nomina erant *rex*, *archon*, *polemarchius* et *thesmothetæ* sex. Quorum qui recte fuissent functi magistratu, in Areopagum ascendebant, non qui secus. De his ita Maximus in præfatione ad sanctum Dionysium : Ἐκ γὰρ τῶν ἐννέα καθισταμένων ἀρχόντων Ἀθήνησιν τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἔδει συνεστάναι δικαστὰς, ὡς φησὶν Ἀνδροτίων ἐν δευτέρᾳ τῶν Ἀτθίδων. Ὕστερον δὲ πλειόνων γέγονεν ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, τουτέστιν, ἡ ἐξ ἀνδρῶν περιφανεστέρων πεντήκοντα καὶ ἑνὸς, πλὴν ἐξ εὐπατριδῶν, ὡς ἔφημεν, καὶ πλούτῳ καὶ βίῳ σώφρονι διαφερόντων, ὡς ἱστορεῖ Φιλόχορος διὰ τῆς τρίτης τῶν αὐτῶν Ἀτθίδων. *E novem viris enim, qui Athenis archontes constituti erant, judices Areopagitas (ut inquit Androtion in secunda Atticarum) constare oportebat : postea vero e pluribus constitit Areopagi senatus, id est e viris illustrioribus quinquaginta uno*, **419** *sed nobilibus tamen, uti diximus, et divitiarum copia vitæque modestia excellentibus, quemadmodum Philochorus in tertia earumdem Atticarum memorat*. Vide etiam Plutarchum in *Solone*. Tractat autem fuse de archontibus et areopagitis Carolus Sigonius libro secundo *De republica Atheniensium*, sub finem. De archontibus meminit et Demosthenes in Oratione *adversus Leptinem*, ubi sub initium hanc citat legem : Ἀτελῆ δὴ μηδένα εἶναι τριηραρχίας, πλὴν τῶν ἐννέα ἀρχόντων. *Triremis instruendæ nemo sit immunis præter novem archontas*. Meminit et Plutarchus in *Pericle*, ubi de eo sic scribit : Καὶ ταχὺ θεωρητικοῖς καὶ δικαστικοῖς λήμμασιν ἄλλαις τε μισθοφοραῖς καὶ χορηγίαις συνδεκάσας τὸ πλῆθος, ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε διὰ τὸ μήτ' ἄρχων, μήτε θεσμοθέτης, μήτε πολέμαρχος λαχεῖν, αὗται γὰρ αἱ ἀρχαὶ κληρωταί τε ἦσαν ἐκ παλαιοῦ, καὶ δι' αὐτῶν οἱ δοκιμασθέντες ἀνέβαινον εἰς Ἄρειον πάγον. *Et brevi theatralibus et judicialibus sportulis atque aliis mercenariis donis ac largitionibus corrupta plebe usus est adversus Areopagi curiam, cujus ipse pars non erat, quod nec archon, nec thesmothetes, nec rex, nec polemarchus sortito coaptatus esset. Hi enim magistratus sortito antiquitus creabantur, et per hos postquam probati fuissent, in Areopagum ascendebant*. Ita Plutarchus.

Omnium archontum munia atque officia tam in communi quam in particulari scribit accurate et distincte Pollux in Onomastico, libro VIII. Ubi nota, in Græcis vertendis non prorsus felicem fuisse isto loco interpretem ; ut cum statim initio ista : καὶ ὅσα κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πράττεται ἕκαστος αὐτῶν, sic vertit : *Et quæcunque tam publice quam privatim singuli faciunt*, cum vertendum fuerit, *et quæcunque tam communiter quam speciatim eorum unusquisque facit*. Nam differunt *communiter* et *publice*, sicuti etiam *privatim* et *speciatim*, ut omnibus notum : siquidem multa possunt fieri *communiter*, a tribus verbi gratia, in secreto et occulto, quæ non possunt dici fieri *publice* : et contra quod *publice* fit ab unico e magistratu, non potest dici fieri *communiter*. Ita quoque de vocibus *privatim* et *speciatim* ratiocinandum. Adde, ex ipso Polluce hæc dilucescere : quippe qui primo exponit ea quæ omnibus archontibus sunt communia, deinde descendit ad ea quæ singulis sunt propria et specialia, videlicet quæ thesmothetis, quæ archonti, quæ regi, quæ polemarcho. Nam vocabulum *archon* semel generatim accipitur, semel speciatim. Sicut in angelorum nominibus nomen *angeli* nunc commune est omnibus sanctorum spirituum hierarchiis, nunc speciale infimæ hierarchiæ extremis spiritibus.

Digitized by Google

(16) *In judicio, quod illi δοκιμασίαν*, etc. Exstat Lysiæ oratoris antiquissimi oratio sic inscripta : *Περὶ τῆς Εὐάνδρου δοκιμασίας, De Evandri probatione. In qua oratione* (inquit Carolus Sigonius lib. II *De repub. Atheniensium*) *Evandrum defendit.*

Verum, salva Sigonii pace, non defendit Lysias Evandrum, sed accusat, ut patet legenti orationem, adeoque ex his ibidem ipsius Lysiæ verbis : Καὶ μηδεὶς ὑμῶν ἡγείσθω με Λαοδάμαντι χαριζόμενον κατηγορεῖν Εὐάνδρου, ὅτι φίλος ὢν τυγχάνει, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν καὶ τῆς πόλεως προνοούμενον. *Ac nemo vestrum arbitretur me in gratiam Laodamantis, quod mihi amicus sit, accusare Evandrum, sed ut vobis atque urbi prospiciam.* Falsus est Sigonius in significatis utriusque vocis δοκιμασίας et *probationis*, quæ hic non significant *approbationem*, sed *judicium* sic appellatum, in quo scilicet probabatur quispiam rectene suo functus magistratu esset, an secus. Eadem voce δοκιμασίας tali in significatu utitur et Socrates in sua *Areopagitica*, ut paulo inferius citatur. Non licuisse autem omnibus archontibus in Areopagitarum ordinem ascendere, liquet ex secunda oratione Demosthenis *contra Aristogitonem*, sub initium ; ubi innuit, non semper omnes thesmothetas (idem vero est judicium de cæteris archontibus) admitti in Areopagum, his verbis : Τοῦτο ὅσοις τῶν θεσμοθετῶν εἰς Ἀρειόπαγον οὐχ οἷόν τ' ἐστὶν ἀνελθεῖν, παρέντες τὸ βιάζεσθαι, στέργουσιν ἐμμένοντες ταῖς ὑμετέραις γνώσεσι. *Hoc autem quotquot e thesmothetis in Areopagum non datur ascendere, omissa violentia, boni consulunt, vestris cognitionibus acquiescentes.* Quibus verbis insinuatur, Athenienses de moribus thesmothetarum cognoscere solitos, antequam in Areopagum ascendere permitterent ; et aliquos nonnunquam, qui non satis se probassent, fuisse ab iis præclusos, nec vi adversus judicia usos. Tulit enim Solon legem, ut non prius ascenderent in Areopagum, quam bis probati essent, semel in populi judicio, ut auctor est Demosthenes *adversus Leptinem*, ubi dicit eos δὶς δοκιμασθέντας ἄρχειν, ἔν τε τῇ βουλῇ, καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ.

Ad quem locum ita Ulpianus : Οἱ θεσμοθέται οὖν τὸν ἐνιαυτόν· δεύτερον δὲ ἐδοκιμάζοντο, διὰ τὸ ἐκεῖθεν εἰς τὸν Ἄρειον πάγον ἔρχεσθαι, εἰ μή τις μεταξὺ διαβέβλητο, ἕως δὲ θανάτου ἔμενον οἱ Ἀρεοπαγῖται. « Thesmothetæ annuum gerebant magistratum ; secundo autem probabantur eo quod inde ad Areopagum tenderent, nisi quis interea crimen aliquod intendisset : manebant vero Areopagitæ usque ad obitum. » Libanius vero, clarissime in argumento ad orationem Demosthenis *contra Androtionem* : Οἱ θεσμοθέται ἐνιαυτὸν μόνον ἦρχον, πρὸ τῆς ἀρχῆς κρινόμενοι περὶ τοῦ προλαβόντος παντὸς βίου, καὶ εἰ μὲν εὑρέθησαν ἐν πᾶσι δίκαιοι, ἦρχον τὸν ἐνιαυτόν· εἶτα πάλιν μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκρίνοντο, εἰ καλῶς ἐν αὐτῷ ἦρξαν, καὶ εἰ δικαίως ὥρθησαν ἄρξαντες, προσετίθεντο τῇ βουλῇ τῶν Ἀρεοπαγιτῶν. « Thesmothetæ annuum duntaxat magistratum fungebantur, ante quem in totam anteactam vitam inquirebatur : quod si in omnibus justi comperiebantur, eum annum imperabant ; quo finito rursus fiebat de illis judicium, rectene imperassent ; atque si juste imperasse constaret, ascribebantur senatui Areopagitarum. »

(17) *In sanctissimum Areopagi consilium.* Sic vocat Valerius Maximus lib. II, cap. 6, ubi de Atheniis scribens : « Est et ejusdem urbis, inquit, sanctissimum consilium Areopagus, ubi quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissime inquiri solebat : ut homines honestatem (vitæ rationem memores reddendam esse) sequerentur. » Idem lib. V, cap. 5. vocat Areopagum « divini atque humani certaminis venerabile domicilium : » divini quidem, eo quod Mars ibi judicatus sit, cum homicidium admisisset, unde et nomen sumptum. Nam Ἄρεως πάγος, id est *Martis curia*, uti et Juvenalis appellat satyra XI, ubi de occultandis Areopagitarum exemplo arcanis atque consiliis hunc dedit versum :

Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.

420 Qui versus proverbii loco usurpatur, dum amico commendatur consilii cujuspiam aut rei tacendæ occultatio. Optime enim reticebant Areopagitæ sui arcana consilii. Unde et illud adagium, *Areopagita taciturnior*. De quo nomine videri etiam potest sanctus Isidorus Pelusiota libro secundo epistol. 91 et 92 Nullum unquam consilium Areopago creditur fuisse justius, severius, constantius, de quo inter alia Demosthenes adversus Aristocratem, *Hoc autem*, inquit, *ad Areopagi laudem accedit, quod nemo hic unquam vel reus damnatus, vel actor superatus, ostendere potuerit sententiam perperam fuisse latam.* Græca sic habent : Πρὸς δὲ τούτοις τοιούτους οὔτ' ἐνταυθοῖ μόνον οὐδεὶς πώποτε, οὔτε φεύγων ἄλλους, οὔτε διώκων ἡττηθεὶς ἐξήλεγξεν, ὡς ἀδίκως ἐδικάσθη τὰ κριθέντα. Marcus Tullius libro I ad Atticum, epistola 13, senatum Romanum pro testimonio maximæ laudis cum Areopago comparat his verbis : « Romanæ autem res sic se habent : Senatus Ἄρειος πάγος, nihil constantius, nihil severius, nihil fortius. » De Areopagitis vide plura apud Isocratem in *Oratione Areopagitica*, et apud Lucianum in *Anacharside*, sive *De gymnasiis*.

Ne autem fallaris, memento apud Baronium ad annum Christi 52, nonnulla de Areopagitis et Budæo in *Panaectas*, ut apparet, sumpta reperiri, sed quædam male et aliter quam a Budæo citata, et quædam item male intellecta : e quorum numero est illud, quod ibi habet his verbis : « Accedebat et illud, quod qui talis visus in eum ordinem obrepsisset, nec qualem præ se ferebat aspectus, inventus esset, nullis meritis, sed tantum genio (ut aiunt) impellente, ab Areopagitarum numero sponte discedere cogeretur. » Primo igitur, quod illa attribuit Luciano in Hermotimo, nihil sane illic apud Lucianum est ejusmodi. Secundo, cum accepisset ista Budæus ex Isocratis *Oratione Areopagitica*, et paulo ante citatum Isocratem citasset alia in re Lucianum in Hermotimo, eorum excerptor, non animadversa posteriore citatione, existimavit omnia ad Lucianum in Hermotimo referri. Tertio, Budæi verba male sunt intellecta. Nec enim dicit Budæus (uti nec Isocrates, cujus ipsissima verba mox proferam) : aliquem nullis meritis, sed tantum genio impellente ab Areopagitarum numero sponte cogi discedere ; sed dicit sic : « Observatum esse, eos, qui moribus alioquin intolerandis antea fuisse videbantur, si quovis modo forte ad Areopagiticum consilium irrepsissent, tum demum temperare sibi solitos esse ; et tanquam loci genio afflatos ex ingenio suo migrare (ut Plauti verbis utar) malleque institutis tanti consilii, quam insitis sibi vitiis, aut etiam ingeniis insistere. » Sic Budæus. Quod ergo dixit Budæus, « ex ingenio suo migrare, » interpretatus videtur Baronius, « ab Areopagitarum numero sponte discedere. » Atqui alius plane sensus Budæi verborum est, nempe hic, « pristinos pravos mores deserere, et vivere cum Areopagitis, moribus Areopagitarum, » sive (ut Carolus Sigonius lib. II *De republica Atheniensium*, sub finem, eumdem Isocratis locum interpretans ait) « ex instituto potius senatus, quam ex suo vitam egisse. » Jam verba Isocratis, tam a Budæo, quam a Sigonio citatis locis Latine reddita, sic Græce habent : Σημείοις δ' ἂν τις χρήσαιτο περὶ τῶν τότε καθεστώτων, καὶ τοῖς ἐν τῷ παρόντι γιγνομένοις. Ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἁπάντων τῶν περὶ τὴν αἵρεσιν καὶ τὴν δοκιμασίαν ταύτην καθημένων, ἴδοιμεν ἂν τοὺς ἐν τοῖς ἄλλοις πράγμασιν οὐκ ἀνεκτοὺς ὄντας, ἐπειδὰν εἰς Ἄρειον πάγον ἀναβῶσιν, ὀκνοῦντας τῇ φύσει χρῆσθαι, καὶ μᾶλλον τοῖς ἐκεῖ νομίμοις ἢ ταῖς αὐτῶν κακίαις ἐμμένοντας. Τοσοῦτον ἐκεῖνοι φθόνον τοῖς πονηροῖς ἐναπειργάσαντο, καὶ τοσοῦτον ἐν τῇ ἑαυτῶν ἀρετῇ καὶ σωφροσύνῃ ἐγκατέλιπον τὴν θέ

Digitized by Google

τοιαύτην, ὥσπερ εἶπον, κυρίαν ἐποίησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐταξίας. Quæ sic reddo : « Qualia tum fuerint Areopagi instituta, potest ex iis, quæ hodieque fiunt, capi conjectura. Nam et nunc quoque cunctis, quæ ad electionem et probationem spectant, relaxatis, nonnullos intuemur, tametsi aliis in rebus sint intolerabiles, tamen posteaquam in Areopagum ascenderint, vereri naturæ suæ ductum sequi, potiusque illius loci institutis, quam vitiis suis acquiescere. Tantum illi metum improbis incusserunt, tantumque in eo loco virtutis suæ ac temperantiæ monumentum reliquerunt. Hanc igitur curiam, ut dixi, censuræ morum præfecerunt. » Ita Isocrates. Ex quo patet, quam diversus sit ejus sensus ab eo qui exstat apud Baronium. Quod vero ibidem additur : « Lucianus etiam in Hermotimo sua quoque ætate Areopagitarum judicio causas definiri consuevisse tradit, » nusquam hoc tradit in Hermotimo Lucianus, qui in toto dialogo nihil habet aliud, nisi hæc per transennam : nimirum, in eligendo philosophiæ magistro, « neque ætatem dicentis spectandam esse, neque habitum, neque in philosophia æstimationem, sed Areopagitas imitandos, qui noctu et in tenebris judicant, ut non ad dicentes, sed ad dicta ipsa respiciant, » quæ ita Græce : Μήτε ἡλικίαν τοῦ λέγοντος ἑκάστου, μήτε σχῆμα, ἢ δόξαν ἐπὶ σοφίᾳ αἰδούμενον, ἀλλὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας αὐτὸ ποιοῦντα, οἳ ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ ἐς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν. Ita Lucianus. Idem vero in Anacharside sub medium describit Areopagitarum morem in audiendis aut cohibendis in judicio oratoribus. « Ingressi, inquit, in Areopagum, confidunt cædis aut vulneris ex destinato inflicti, aut incendii causam cognituri : deinde utrique de jure contendentium dicendi copia permittitur : dicunt vero alternis vicibus, et qui litem intendit, et qui reus est, aut ipsi per se, aut rhetorum sibi conducunt operam, quibus causa oranda est. Illi ergo, quandiu ea quæ ad rem sunt, dixerint, perferuntur a senatu auscultante cum silentio : cæterum, si quis meditato proœmio orationem exorsus fuerit, ut judicum animos aliqua benevolentia sibi propensiores faciat, aut miserationem, aut præcipuam aliquam orationis vim atque potentiam causæ adduxerit (qualia per multa rhetorum filii machinantur, ut hisce verborum præstigiis judicum perstringant oculos) progressus actutum præco illi indicit silentium, non permittens rhetori ad senatum nugandi libertatem ac verbis causæ involvendæ potestatem, quo minus Areopagitæ ea, quæ facta sunt, unde queant perspicere. » Ita ibi ex versione interpretis. Nam Græca, prolixitatis vitandæ studio, præterii.

Sed de Areopagitis nemo melius et exactius scripsit, quam Isocrates in sua *Areopagitica* : ubi præter ea, quæ ex eo laudavimus, scribit Areopagitas cum aliarum ætatum, tum potissime adolescentiæ rationem habuisse, his verbis, et his de causis : Ἁπάντων μὲν οὖν ἐφρόντιζον τῶν πολιτῶν, μάλιστα δὲ τῶν νεωτέρων. Ἑώρων γὰρ τοὺς τηλικούτους ταραχωδέστατα διακειμένους, καὶ πλείστων γέμοντας ἐπιθυμιῶν, καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν παιδευθῆναι δεομένους ἐν ἐπιθυμίαις καλῶν ἐπιτηδευμάτων **421** καὶ πόνοις ἡδονὰς ἔχουσιν, ἐν μόνοις γὰρ ἂν τούτοις ἐμμένειν αὐτοὺς ἐλευθέρως τεθραμμένους καὶ μεγαλοφρονεῖν εἰθισμένους. « Curam igitur gerebant, cum omnium, tum vero adolescentium in primis : videbant enim eam ætatem turbulentissimis fluctibus agitari, et plurimis redundare cupiditatibus, maximeque necessarium esse sic institui, ut honestis studiis et laboribus voluptate temperatis delectari assuesceret. Eos enim, qui liberaliter edocti, et magnitudini animorum assuefacti essent, in solis illis rebus perseveraturos. » Vide ibidem plura.

(18) Simeon Metaphrastes in *Vita*. Michael Syngelus in *Encomio*, et alii.

(19) *Nisi quem sapientia.* Græca Syngeli sic habent : Οὐ γὰρ ἂν παρ' Ἀθηναίοις ἀγερώχοις εἰς ἀρχὴν προῆκτο τοσαύτην, εἰ μὴ πρὸς τῇ σοφίᾳ καὶ τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ, σωφροσύνῃ τε καὶ δικαιοσύνῃ, καὶ ἀνδρίᾳ, καὶ τῇ περιβλέπτῳ τοῦ γένους ὑπεροχῇ κατηγλάϊστο. Ubi procul dubio per illud τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ intelligit *prudentiam*. Quod liquet ex eo, quod reliquas tres virtutes morales subjungat, nempe temperantiam, justitiam, fortitudinem : præmittat autem prudentiam, et conjungat cum sapientia ; quod uti sapientia res divinas, sic prudentia res humanas respiciat cognoscatque. Quare Basilius Millanius, Syngeli interpres, haud ita commode videtur hoc loco reddidisse τῇ τῶν φρενῶν εὐκοσμίᾳ *animi ornamenta* (tametsi etiam id alias significet), nec σωφροσύνῃ *prudentiam*, cum potius *temperantiam* hic reddere debuisset. Tum enim omnes virtutes viro Areopagitæ necessariæ indicatæ fuissent : nempe sapientia, justitia, fortitudo, temperantia. Et sane temperantia Platoni, Aristoteli et aliis σωφροσύνη semper appellatur. Videtur porro Syngelus ad locum Isocratis in *Oratione Areopagitica* respexisse, ubi sic scribit : Οὕτω γὰρ οἱ πρόγονοι ἡμῶν περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε, τὴν ἐξ Ἀρειουπάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας, ἧς οὐχ οἷόν τε ἦν μετασχεῖν, πλὴν τοῖς καλῶν γεγονόσι, καὶ πολλὴν ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην ἐν τῷ βίῳ ἐνδεδειγμένοις· ὥστε πάντων αὐτὴν εἰκότως διενεγκεῖν τῶν ἐν τοῖς Ἕλλησι συνεδρίων. Quæ Budæus in *Pandectas* sic reddidit : ***Majores autem nostri usque eo studiosi temperantiæ fuerunt, ut consilium illud Areopagiticum moribus hominum componendis publice præfecerint. In cujus numerum cooptari solis illis sperare licuit, qui claris natalibus orti, virtutis ac modestiæ documenta permulta honestate vitæ dederant. Ex quo tandem factum, ut consessus ille totius Græciæ haud immerito longe sit præstantissimus.***

(20) *Atque adeo ab ipsis Romanis.* Valerius Maximus rei hujus testis est, qui lib. VIII, cap. 1, sic scribit : « Materfamilias Smyrnæa virum et filium interemit, cum ab ipsis juvenem optimæ indolis, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset. Quam rem Dolabella ad se delatam, Athenas ad Areopagi cognitionem relegavit ; quia ipse neque liberare cædibus duabus contaminatam, neque punire eam justo dolore impulsam sustinebat. Consideranter et mansuete populi Romani magistratus, sed Areopagitæ quoque non minus sapienter, qui inspecta causa, et accusatorem et ream post centum annos adesse jusserunt, eodem affectu moti quo Dolabella. » Idem aliis verbis refert Gellius lib. XII *Noctium Atticarum*, cap. 7, vide ibi.

CAPUT II.

Dionysii ab erroribus ad fidem conversio.

(21) Multis demum post annis, quam ista solis defectio, de qua superius memoratum est, apparuerat, S. Paulus orbem terrarum fulguris ac tonitrui instar peragrans, et modo cunctas Græciæ oras sua sanctioris vitæ atque doctrinæ luce collustrans, Athenas quoque pervenit : urbem, si quam aliam, omni pravæ superstitionis genere, et deorum non notorum modo, sed etiam ignotorum insano cultu longe famosissimam ; urbem, quam omnes artes et scientiæ, ac præsertim universæ philosophorum sectæ, velut unicum totius sapientiæ umbilicum, densis agminibus obsidebant ; urbem denique, ubi et cives et advenæ (quod ipse S. Lucas non frustra adnotavit [r]) *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire.*

[r] Act. XVII, 21.

Digitized by Google

aliquid novi, hoc est rumorum colligendorum aut spargendorum, sive quarumcunque demum novarum rerum curiosissimam : ut proinde Apostolo seminandi verbi (unde et *seminiverbius* illis est appellatus) cupido nunquam frequens deesse posset voluntariorum ad nova et inaudita mysteria confluentium multitudo. Hic igitur cum haud secus quam alibi fecerat, firmo fidentique animo sanctum Christi Evangelium palam annuntiaret, felici prorsus sorte, nec sine Deo evenit, ut tum Dionysius de stupenda illa solis obscuritate, tam ex ejusdem Pauli verbis quam ex aliorum scriptis atque sermonibus, in Christiana schola, quod tantopere olim desideraverat, certius cognosceret. Paulum enim id temporis (22) Christi Domini vitam, mortem, resurrectionem, coram Judæis, Epicureis, Stoicis aliisque quibuslibet, jam in foro, jam in synagogis, jam ubi sors dederat, publice privatimque, magna cum libertate atque constantia quotidie prædicantem, quidam apprehensum tanquam inauditæ auctorem superstitionis, et novorum dæmoniorum annuntiatorem, ad Areopagum (cujus erat de religionibus ac cæremoniis judicare) prôtinus adduxerunt. Nam licet Romanis omnia tum subessent (23), Atheniensibus tamen et Lacedæmoniis sua jura et magistratus in integro, ut antiquitus, relicta erant. Hinc et Pauli causa non ad Romanum prætorium, sed ad præcipuum illud Athenarum tribunal spectat. Stans igitur Paulus in medio Areopagi (24), cœlestem plane et divinitus inspiratum sermonem, temporique et auditoribus quam maxime convenientem, ducto ab eorum aris et delubris exordio, ingenti cum fiducia habuit, nempe sibi per urbem Atheniensem, et loca ipsis religiosa pertranseunti, et antiquas **422** deorum statuas et simulacra diligentius attendenti, aram unam inter alias occurrisse, in qua inscriptum esset : *Ignoto Deo* (25). Cum enim Athenienses, tam ex antiquissimorum philosophorum (26) ac poetarum libris, quam e Sibyllinis oraculis (27) unum aliquem esse Deum percepissent, inaspectabilem, innominatum, ineffabilem, ne illum ipsi fortasse, aut alium quempiam magnorum deorum ac numinum debitis honoribus defraudarent, aram eo titulo erexerant. Quare quod ipsi ignorantes colerent, hoc se illis annuntiare Paulus proclamabat : ipsorumque adeo poetarum (28), quos illis permagni facerent, testimoniis, et quibusdam receptæ philosophiæ doctrinis usus, ita sensim ad sapientiorum animos pervasit, ut eum alii, tum ipse Dionysius aliorum apex, et instar multorum, ejus adhærere fidei, doctrinæque decreverit. Nec opus miraculis atque prodigiis viro docto (29) atque sapienti fuit (quæ tamen haud defuisse, nonnulli auctores scribunt) sed doctis tantum et sapientibus dictis : quæ ubi ex ore Pauli audivit, confestim illi se submisit. Sic enim Paulus loquebatur [s] : *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni et aram in qua scriptum erat :* Ignoto Deo. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia. Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum ; quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus, sicut et quidam vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, et cogitationis hominis divinum esse simile. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant : eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis* (30). Hæc summa orationis, quam beatus Paulus pro fidei suæ defensione, et Christi honore, in Areopago habuit : quæ quibusdam quidem (ut sæpenumero in rebus quoque optimis accidit) risui atque ludibrio, nonnullis stupori atque admirationi, aliquibus vero honori ac venerationi fuit. Nam in judicis Dionysii animam, velut in terram optimam, profunde illapsa, in eximiæ pietatis ac sanctimoniæ arborem se extulit, in qua et cœli aves, hoc est Atheniensium primo, deinde et Francorum, aliorumque deinceps populorum conversæ ad Deum mentes nidificarent. Illo enim ipso tempore, anno scilicet ætatis suæ (31) circiter quadragesimo tertio, istis aliisque efficacibus Pauli verbis, cum illius præsertim admirandæ eclipseos memoria adhuc animum stimulante collatis, ad Christi fidem perductus est (32). Magnum sane opus divinæ gratiæ, negari non potest; tamen ut trahenti Deo minus repugnaret, ipsa suæ philosophiæ secta (erat enim Platonicus) (33) non parum adjuvabat. Nam Epicurei quidem et Cynici (34), toti in voluptatibus, toti in sordibus, atque ad nihil aliud fere, quam ad facessendum generosis animis negotium, nati, longissime a moderatis Christianæ fidei institutis aberant. Platonici autem, præsertim eruditiores, (e quibus se esse suo jure gloriari poterat Dionysius) non pauca divinæ legi docebant consimilia (35). Nam animæ immortalitatem, et judicium, et præmia et pœnas, quæ maximi inter alia sunt momenti, inter sua primæ auctoritatis scita habuerunt. His igitur frequentissime cum apostoli, tum alii doctores, et nunc etiam Paulus, ad salubrem incutiendum timorem, qui initium est sapientiæ [t], utebantur. Dionysii porro eadem ipsa via deductionem ad Christum ipsa Apostolorum acta diserte testantur : ubi post recitatam beati Pauli in Areopago orationem (cujus extrema verba judicii et resurrectionis mentionem induxerant) ita subditur : *Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt : Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt : in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis* [u] ; nimirum ii præcipue, qui ex Dionysii domo familiaque erant, et qui invitatum in ædes Paulum, super nova Christi doctrina, et unius veri Dei cultu, sapientissime disputantem, et propositis quæstionibus sine mora et hæsitatione respondentem, satisque facientem audiverant atque suspexerant. Ita vir tanti nominis et gloriæ (quippe cum omni eruditus politica liberalique doctrina, tum genere, opibus, dignitate, cunctis denique quæ vehementius demiratur genus mortalium, multo florentissimus) homini extraneo, pauperi, despecto, multisque etiam irriso, sese post tanta profanarum instantiumque scientiarum decora, rudem discipulum, ac novæ humilisque doctrinæ tyronem atque auditorem tradidit. Neque tam grandi natu virum in aquæ expiatoriæ lavacrum descendere, et modo geniti infantis ritu, in Christo renasci ac repuerascere, novaque Christianæ disciplinæ elementa, tam Areopago dissentanea, puduit, piguitve condiscere. Nimirum ea vis est divini verbi, ea **423** Patris universorum ad se attrahentis efficacia, ea denique Spiritus sancti voluntatem humanam interuosque affectus commoventis operatio, ut una cum fide subeat confestim, depulsis vitiis, integer amicarum virtutum chorus; et qui paulo ante sui amans, superbus, arrogans, litigiosus, intemperans, aut aliter vitiosus cernebatur, idem nunc accepta novæ religionis forma, et salutari ablutus lavacro, velut alter homo, et antiquis exutus vitiis, sui contemptor, modestus, demissus, pacificus, castus, aliisque virtutum ornamentis clarus, et cunctis charus agnoscatur. Quod non solum in Dionysio,

[s] Act. xvii, 22-31. [t] Psal. cx, 10. [u] Act. xvii, 32-34.

Digitized by Google

sed in plurimis quoque aliis et olim cernere licuit, et nunc in barbararum gentium conversione licet liquido animadvertere. Tantum scilicet prima fidei eruditio et Ecclesiæ baptismus in animos possunt. Quæ sane tam magna et tam sancta morum commutatio haud minus hodie in admirabili venerandæ eucharistiæ sacramento, quam in salutifero baptismate haberet locum (est enim eucharistia illo sanctior et gratiis fecundior) si quo modo ad hoc, ita ad illam ab æque sollicitis et bene comparatis animis adiretur. Et fieret id fortasse, si, ut Dionysio et Hierotheo (quibus ea *sacramentum sacramentorum* appellata [est]) ejus nobis dignitas magis perspecta foret, et cordi amplius inhæreret. Verum hæc alias. Est enim propius quiddam aliud, quod circa Dionysii accessum ad fidem tractandum est. Nam quærere possit quispiam : nullusne in urbe Atheniensi, aut etiam in ipso Areopago motus, ex talis tantique viri abscessu, factus sit, nullane in eum accusatio, tanquam in deorum desertorem adornata, nihilne denique impietatis nomine (sic ipsis nova religio denotabatur) seu damni illatum, seu insidiarum structum, seu calumniarum intentatum. His enim si appetitus est Dionysius, et cunctis superior fuit; nec sane illaudatus præteriri debet, et pro exemplo est proponendus. Id igitur modo agendum.

—

NOTATIONES.

(21) *Multis demum post annis.* Anno nimirum Christi 52, aut circiter; quandoquidem a pluribus recipiatur illa sententia, quæ S. Dionysii ad Christum conversionem ad annum a Christi passione undecimum refert.

(22) *Paulum id temporis.* Patent hæc e capite XVII, 17 Actuum apostolorum, ubi de eo his verbis : *Disputabat igitur in Synagoga cum Judæis, et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero : Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse; quia Jesum et resurrectionem annuntiabat eis. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris. Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.* Ita ibi.

(23) *Nam licet Romanis omnia tum subessent.* Auctor est Maximus, in Prologo ad Opera S. Dionysii, his verbis : Κἂν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τότε ἐκράτουν, ἀλλ' οὖν αὐτονόμους ἀφῆκαν Ἀθήνας, καὶ Λακεδαιμονίαν. Ὅθεν ἔτι παρὰ Ἀθηναίοις καὶ τὰ κατὰ τοὺς Ἀρεοπαγίτας ἐπολιτεύετο. *Tametsi enim Romani tum dominarentur, tamen Athenas et Lacedæmonem suis uti legibus permiserant. Unde etiam tum apud Athenienses Areopagitæ suo munere fungebantur.* Eadem refert Simeon Metaphrastes in Vita ejusdem S. Dionysii : Εἰ γὰρ καὶ Ῥωμαῖοι πάντων τότε ἐκράτουν, ἀλλ' Ἀθηναίους καὶ Λακεδαιμονίους αὐτονόμους ἀφῆκαν. Idem plane sensus, qui verborum Maximi. Afferunt autem hæc per occupationem rhetoricam; quia nimirum objici potuisset, S. Paulum non Areopago, sed potestati Romanæ omnia tunc regenti fuisse sistendum, sicut in Bithynia Plinio prætori sistebantur Christiani.

(24) *Stans igitur Paulus in medio Areopagi.* In Actis apostolorum cap. XVII, 19. *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes : Possumus scire, quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina?* Ductus similiter ad Areopagum fuerat olim Socrates, et quidem (quod sanctus Justinus testatur) ejusdem, cujus Paulus, criminis accusatus. Sic enim de eo in *Apologia ad senatum*, post medium : Σωκράτης τὰ αὐτὰ ἡμῖν ἐνεκλήθη. Καὶ γὰρ ἔφασαν αὐτὸν καινὰ δαιμόνια εἰσφέρειν, καὶ οὓς ἡ πόλις νομίζει Θεοὺς, μὴ ἡγεῖσθαι αὐτόν. *Socrates eorumdem criminum est insimulatus, quorum nos. Etenim illum dixerunt nova introducere dæmonia : et quos urbs deos esse censet, eum non putare.* Et paulo post dicit eumdem Socratem cohortatum fuisse populares ad cognitionem Dei ignoti, sic scribens : Πρὸς Θεοῦ τοῦ ἀγνώστου αὐτοῖς διὰ λόγου ζητήσεως ἐπίγνωσιν προυτρέπετο εἰπών· Τὸν δὲ Πατέρα καὶ δημιουργὸν πάντων οὐθ' εὑρεῖν ῥᾴδιον, οὔθ' εὑρόντα εἰς πάντας εἰπεῖν ἀσφαλές. *Ad Dei autem ipsis ignoti cognitionem, per rationis investigationem cohortatus est, dicens : Patrem vero et omnium opificem, nec invenire facile, nec inventum ad omnes divulgare securum est.* Et mox subjicit Christum ex parte cognitum a Socrate, in illis verbis : Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι. Quod ideo forte dicit, quod saltem confuse videatur Socrates Deum unum agnovisse, et ita Christum qua Deus est.

Et in Apologia ad Antonium Pium imp. sub initium, dicit, mortem ejusdem Socratis a dæmonibus per homines improbos fuisse procuratam. Καὶ αὐτοὶ οἱ δαίμονες τῶν χαιρόντων τῇ κακίᾳ ἀνθρώπων ἐνήργησαν, ὡς ἄθεον καὶ ἀσεβῆ ἀποκτεῖναι, λέγοντες καινὰ εἰσφέρειν αὐτὸν δαιμόνια. *Et ipsi dæmones effecerunt per homines malitia gaudentes, ut tanquam atheus et impius occideretur, dicentes nova illum inducere dæmonia.* Quæ autem Socratis ad mortem proficiscentis ultima fuerint in Areopago verba, recitat idem Justinus in *Parænesi ad Græcos* sub finem : Ἔφη γὰρ οὕτως· Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι· ἐμοὶ μὲν τεθνηξομένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις. Ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἄμεινον πρᾶγμα ἔρχονται, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ Θεῷ. Hæc e Platone 424 desumpta in *Apologia* Socratis, prorsus in fine, ita Latine vertit Cicero lib. I *Tuscul. quæst.*, sub finem : *Sed tempus est,* inquit, *ut moriar, vos ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, dii immortales sciunt, hominum quidem scire arbitror neminem.* Justinus quidem ipsa verba Platonis usurpavit, excepta voce una τεθνηξομένῳ, pro qua in Platone est ἀποθανουμένῳ, ejusdem significati. Sed Cicero, in sua Latina versione, multum in una voce aberravit, cum pro *Deus scit*, uti habet Plato, reddidit, *dii immortales sciunt.* Negabat enim Socrates deos immortales, et unum solum Deum asserebat, pro quo et moriebatur. Itaque non conveniebat ut diceret, *dii immortales sciunt*, quod neque dixit; sed, *Deus scit.* Proptereaque imprudenter a Tullio est Latine redditum, *dii immortales sciunt.* Subjecit Justinus post Socratis verba jam laudata : Ἀλλὰ Σωκράτης μὲν ταύτην ὑστάτην ἐν τῷ Ἀρείῳ πάγῳ φωνὴν ἀφεὶς, ἐπὶ τὸ δεσμωτήριον ὥρμησε, τῷ Θεῷ μόνῳ τὴν τῶν παρ' ὑμῖν ἀδήλων πραγμάτων ἀναφέρων γνῶσιν. *Verum Socrates hac extrema in Areopago edita voce, in carcerem properavit, soli Deo incertarum nobis rerum notitiam tribuens.* In *Cohortatione* porro *ad Græcos*, sub medium, ait Platonem non ausum fateri veram de Deo doctrinam, ne idem sibi acciderit quod Socrati. « Plato autem, inquit, accepta, ut videtur, Moysis et aliorum prophetarum de uno et solo Deo doctrina, quam in Ægypto didicerat, propter ea quæ Socrati acciderant, veritus ne ipse quoque Anytum quempiam aut Melitum contra se apud Athenienses suscitaret, accusantem et dicentem : Plato injuste agit, et curiosa tractat, deos, quos civitas recipit, non recipiens; cicutæ metu variam quamdam et fucatam de diis instituit orationem. » Et paulo post in eadem *Apologia* : « Hæc ergo cum Plato in Ægypto didicisset, et iis quæ de uno Deo dicta erant admodum delectatus esset, nominis quidem Moysis, (quod unum et solum Deum esse

Digitized by Google

doceret) mentionem apud Athenienses inferre non tutum putabat, Areopagum veritus. » Euripides quoque, eodem quo Plato perculsus metu, unum Deum aperta fronte profiteri non est ausus, de quo vide Plutarchum l. v *De placitis philosophorum*, cap. 7. Quod igitur non est ausus Plato, non ausus Euripides, hoc ausus est Paulus, et multo amplius; et contemptu mortis non modo evasit ipse mortem, sed alios quoque a morte ad vitam traduxit.

(25) *Ignoto Deo.* Hieronymus in cap. I Epistolæ ad Titum, ita scribit : *Inscriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus asseruit*, Ignoto Deo ; *sed ita* : Diis Asiæ, Europæ, et Libyæ, diis ignotis et peregrinis. *Verum quia Paulus, non pluribus diis indigebat ignotis, sed uno tantum*, Ignoto Deo, *singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotavissent, et eum recte scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, et nescire non poterant.* Ita ille.

Cui consentit Joannes Hessels doctor Lovaniensis in sua *Censura historiarum*, cap. 10.

Verum hæc sententia nullo modo recipienda est, cum adversetur verbis Pauli, et modo loquendi, cum de inscriptionibus agitur, usitato. Tum enim semper ipsissima verba citari solent, et ita citasse Paulum, ex ejus loquendi forma manifesto liquet. *Inveni et aram*, inquit, *in qua scriptum erat*, Ignoto Deo. Nam si non fuisset scriptum, *Ignoto Deo*, sed *Ignotis diis*, refelli Paulus potuisset, nec vim ullam ejus argumentum, aut certe haud magnam habuisset. Quare standum potius sententiæ S. Chrysostomi et aliorum antiquorum Patrum, uno fere excepto Hieronymo, et tenendum est, plures fuisse aras similibus fere notis inscriptas, nempe alias *Ignotis diis*, alias *Ignoto Deo*. De prioribus meminit etiam Tertull. lib. I *Contra Marcionem*, c. 9. « Invenio, inquit, Ignotis diis aras prostitutas, sed Attica idololatria est. Item Incertis diis, sed superstitio Romana est. » Jam vero aram Athenis *Ignoto Deo* constitutam fuisse ob eclipsim tempore passionis, tenet Petrus Comestor in *Historia scholastica* super Actis apostolorum, nec improbabilem credunt Salmeron et Gaspar Sancius in eadem *Acta apostolorum* cap. 17. Motos enim fuisse illos arbitrantur ad id faciendum ex inspecta miraculosa eclipsi in morte Christi. Quod quamvis sit probabile, tamen probabilius est, jam olim ab aliis id factum fuisse ex obscura cognitione Dei Judæorum, cujus nomen dicebatur ineffabile, ac proinde ipse ignotus et incertus. De quo et Pompeius, domitis Judæis, apud Lucanum libro II *De bello civili*, sic ait :

Cappadoces mea signa timent, et dedita sacris
Incerti Judæa Dei.

Causa porro erectæ talis aræ *Ignotis diis*, aut *Ignoto Deo*, hæc a nonnullis affertur, quod pestilitatis tempore, cum facta cæteris diis, quos norant, sacrificia nihil profuissent, veriti ne quem Deum inhonoratum reliquissent, qui proinde tanti mali causa esset, aram erexerunt, *Ignoto Deo*, reque divina ei facta, mox sanati sunt. Exinde remanserunt ara et aræ inscriptio, quæ occasionem Paulo præbuerunt *Ignoti Dei*, vere Dei, ipsis annuntiandi. Hujus *Ignoti Dei* mentionem inducit et Lucianus in Dialogo qui inscribitur, Φιλόπατρις ἢ Διδασκόμενος, *Philopatris*, seu, *Qui docetur*, ubi ita Critias : Καὶ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις, παρθένος διέμεινε μέχρι τῆς ἀποτομῆς. *Per* Ignotum *Athenis, virgo permansit usque ad decollationem.* Loquitur autem de Gorgone, cui Perseus caput amputavit. Et in fine ejusdem Dialogi : Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos autem, cum* Ignotum *Athenis inveneri-*

A *mus, et adoraverimus, sublatis in cælum manibus ei gratias agemus.* Ita ibi Lucianus.

(26) *Ex antiquissimorum philosophorum.* Acmonis scilicet, Mercurii, Philemonis, Sophoclis, Orphei, Pythagoræ, et aliorum, teste S. Justino martyre tam in *Cohortatione ad gentes*, quam in libro *De monarchia*. Nam in illa quidem extrema sic scribit : Εἰ δέ τις οἴοιτο παρὰ τῶν πρεσβυτάτων παρ' αὐτοῖς ὀνομασθέντων φιλοσόφων τὸν περὶ Θεοῦ μεμαθηκέναι λόγον, Ἄκμωνός τε καὶ Ἑρμοῦ ἀκουέτω· Ἄκμωνος μὲν ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ λόγοις πάγκρυφον τὸν Θεὸν ὀνομάζοντος· Ἑρμοῦ δὲ σαφῶς καὶ φανερῶς λέγοντος, Θεὸν νοῆσαι μὲν ἐστὶ χαλεπὸν, φράσαι δὲ ἀδύνατον, ᾧ καὶ νοῆσαι δυνατόν. *Sin quis opinetur, ab antiquissimis apud eos nominatis philosophis de Deo addiscendam esse doctrinam, is Acmonem et Mercurium audiat. Illum quidem, in suis de eo libris Deum* πάγκρυφον, id est prorsus occultum, *appellantem ; Mercurium vero, clare* 425 *ac manifeste dicentem : Deum intelligentia assequi* B *difficile est ; eloqui autem haud possibile, ne illi quidem, cui possibile sit mente assequi.* In libro autem *De monarchia Dei* hos citat versus (*a*) inter alios :

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστιν Θεός.
Unum profecto Numen, unus est Deus.

Citat eumdem versum (*b*) Athenagoras in *Legatione pro Christianis*, sub initium.

Θεὸν δὲ ποῖον, εἰπέ μοι, νομιστέον ;
Τὸν πάνθ' ὁρῶντα, καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον.
Dic, quæso, qualis æstimandus est Deus?
Qui cuncta spectat, nemini aspectabilis.

(27) *E Sibyllinis oraculis.* De his vide lib. II S. Theophili patriarchæ Antiocheni, sub initium, ubi hæc inter alia :

Εἷς Θεὸς, ὃς μόνος ἄρχει ὑπερμεγέθης, ἀγέ-
[νητος,
Παντοκράτωρ, ἀόρατος, ὁρῶν μόνος αὐτὸς ἅ-
[παντα.
Unus, qui solus regnat, Deus, atque supremus,
Ingenitus, cunctis dominans, qui cernere cuncta
Evaleat, quamvis non aspectabilis ulli.

Hieronymus quoque *in cap.* XVI *Exechielis*, ad illud : *Et coronam decoris in capite suo*, docet Dei majestatem, cujus nomen est ineffabile, non penitus ignotam fuisse gentilibus. « Cujus, inquit, majestatem etiam gentilitas non ignorat, et Atheniensium testatur ara : *Ignoto Deo.* »

(28) *Ipsorumque adeo poetarum.* Nam illa quæ in Pauli oratione afferuntur : *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus ;* et rursus illa : *Ipsius enim et genus sumus*, cum in Arato poeta antiquissimo ac laudatissimo, partim sensu, partim verbis reperiantur, tum etiam in aliis, quibus Apostolus citandis supersedit. Aratus quidem sua sic orsus est *Phenomena* :

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον. Μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες. Πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. . . .
Ab Jove ducamus primordia, neve sinamus
Hunc indictum homines. Joris omnia compita
[*plena,*
Plenaque sunt hominum fora, plena Jove æquor
[*et ipsi*
Portus. Nam fruimur cuncti Jove : et illius
[*omnes*
Audimus genus. . . .

Ubi dum omnia Jove plena, et omnes Jove frui ejusque genus esse dicit, hoc sane indicat, quod in Deo vivamus, moveamur, et simus. Postremum vero hemistichium verbotenus significat, quod dixit Paulus : *Ipsius enim et genus sumus.* Omnia deorum plena, dixit etiam Thales, unus e septem

(*a*) Sophoclis.
(*b*) Philemonis.

Digitized by Google

Græciæ sapientibus, teste Cicerone, lib. II *De legibus*, ante medium : « Siquidem, inquit, et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, cum rebus divinis operam daremus : et quod Thales, qui sapientissimus inter septem fuit, homines existimare oportere deos omnia cernere, eorum omnia esse plena : fore enim omnes castiores, et velut in fanis essent, maxime religiosos. » Vide etiam Aristidem Oratione I, sive *Hymno in Jovem*, sub finem. Καὶ πάντα δὲ πανταχοῦ Διὸς μεστά. *Et omnia ubique Jovis plena*, etc.

(29) *Nec opus miraculis atque prodigiis viro docto.* Auctor est S. Chrysostomus, credidisse Dionysium dictis Apostoli absque ope miraculorum. Cujus verba e lib. IV *De sacerdotio*, sub finem, posui supra ad cap. 1, littera K. Quæ idem confirmat Homilia VII *De laudibus Pauli*, sub finem, his verbis : Ἐκάλεσαν αὐτὸν ὡς μέλλοντες κρίνειν, ποτὲ μὲν Ἰουδαῖοι, ποτὲ δὲ Ἀθηναῖοι· οἱ δικασταὶ μαθηταί, οἱ ἀντίδικοι ὑπήκοοι. *Citarant illum tanquam judicaturi, modo Judæi, modo Athenienses : et judices facti sunt discipuli, et adversarii facti sunt obedientes.* Quasi dicat : Audito Paulo, tantum abfuerunt judices ut eum condemnarent, ut potius quidam ei statim adhæserint atque crediderint.

Deinde Pauli linguam igni comparat, quod ut hic admotam materiam, ita illa suos auditores statim in se transferret. Quo sane significatur vis verborum Pauli, non autem miraculorum. Auctor est et S. Ambrosius l. X, epistola 82, quem vide citatum supra, uti et Chrysostomum.

Sententiæ porro sanctorum Ambrosii et Chrysostomi accedit Syngelus in *Encomio Dionysii*, ubi in ejus ad credendum facilitatem ac promptitudinem sic exclamat : Βαβαὶ τῆς καρδίας τῆς εὐπετῶς καὶ ἀνεπιστρόφως πάσης σαρκικῆς προσπαθείας ἀπεράγειστης παντοίαν ὑλικὴν ἔμφασιν ἀποσεισαμένης, καὶ τῷ σωτηριώδει θάττον πιστευσάσης κηρύγματι. *Papæ*, inquit, *cor facile et constanter cunctam affectionem carnalem abrumpens, atque omnimodam corpoream demonstrationem excutiens, et salutari præconio actutum credens!*

(30) Vide S. Chrysost. hom. 10 *ad Populum Antiochenum, sub finem.*

(31) *Anno scilicet ætatis suæ*, etc. Conversum esse Dionysium ad fidem anno ætatis suæ quadragesimo tertio, sic colligi potest : Dionysius novem annis, ut supra ostensum est, natu minor erat Christo : quando autem conversus est, erat Christi quinquagesimus secundus, et Claudii imperatoris decimus (hi enim apud Eusebium in Chronico concurrunt); si ergo tollas de Christi quinquaginta duobus annis novenos, remanebunt quadraginta tres Dionysii.

Restat ergo nunc duntaxat probandum, Dionysii conversionem incidisse in annum Claudii decimum. Nam idem est Christi quinquagesimus secundus. Sic autem probatur ex Actis apostolorum, cap. XVII et XVIII : Paulus, post Dionysii conversionem, Athenis recta petiit Corinthum, ibique offendit Aquilam Ponticum Judæum, et Priscillam uxorem ejus, qui nuper ab Italia, ob edictum Claudii (qui præceperat omnes Judæos Roma discedere) Corinthum appulerant. Atqui edictum illud evulgatum est anno ejusdem Claudii nono, cum Paulus Orosius, sancti Augustini æqualis, libro VII *Historiarum*, cap. 6, ita scribat, allegetque auctorem Josephum : *Anno*, inquit, *ejusdem nono expulsos per Claudium urbe Judæos Josephus refert*. Quare si anno Claudii nono egressi sunt ex Italia, et Corinthum venerunt Aquila Ponticus et Priscilla, ad eosque paulo post Athenis venit Paulus recenter conversi a se Dionysio, quid probabilius, quam uno anno post edictum, aut circiter saltem (ne quis prærigide agere velit) eam accidisse conversionem? Nam certo quidem ac necessario id ex dictis effici non assero, cum potuerint hæc omnia eodem anno nono Claudii accidere, Dionysii conversio, edictum Claudii, Pauli Athenis emigratio, et Aquilæ Pontici Roma discessus, et occursus amborum Corinthi; sed quia hoc difficilius sit (siquidem initio anni assignandum esset edictum, vel certe vix ulla mora ab edicto prolato 426 permittenda emigrantibus) ideo melius ad sequentem annum eorum in urbe Corintho occursus, et Dionysii conversio transferuntur. Accedit, quod pro nobis ii faciunt, qui conversum esse Dionysium anno a Christi passione undevicesimo (qui ipse noster annus est) astruunt : quod et doctissimus Baronius ad Christi quinquagesimum secundum adnotavit.

(32) *Ad Christi fidem perductus est.* Testis Menæum 4 Octobris in Vitæ compendio, ubi sic de S. Dionysio : Καὶ ἀγρευθεὶς ὑπὸ τοῦ μεγάλου Παύλου καὶ βαπτισθεὶς, χειροτονεῖται ἐπίσκοπος. *Captus a magno Paulo, et baptizatus, creatur episcopus.* Quæ non sic intelligenda sunt, quasi statim a Baptismo creatus sit episcopus, sed convenienti tempore, postquam scilicet ab Hierotheo Atheniensi pontifice instructus, ad tanti muneris functionem a S. Paulo judicatus est idoneus. Methodius, in Martyrio S. Dionysii, ita de S. Paulo : Διονύσιον ἐθνικοῖς ἔθεσι πρώην ἐμπεριεχόμενον εἰς ὁδὸν σωτηρίας ἐπέστρεψε καὶ τῷ ἱερῷ βαπτίσματι ἀναγεννήσας θείᾳ ἁγιωσύνῃ αὖθις ἐστερέωσε. *Dionysium moribus gentilitiis nuper implicatum in viam salutis perducens convertit, et sacro baptismate a se regeneratum divina rursus sanctitate confirmavit.*

(33) *Erat enim Platonicus.* Solebant viri docti, examinatis variis philosophorum sectis, unam deligere, quam potissime sequerentur. Gravissimi autem quique Platonem philosophis omnibus, etiam Aristoteli, anteponebant; ac modo *divinum* appellabant, modo *sapientissimum*, modo *sanctissimum*, modo *Homerum philosophorum*, modo *deum*. Alia ex his Panætius, postremum Cicero ipse detulit. Nam de Panætio, qui cæteras Platonis sententias, excepta una, approbabat, ita libro I *Tusculanarum quæstionum*, post medium : « Quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, hujus hanc unam sententiam de immortalitate animorum non probat. » Ita Cicero. Atqui nihil verius, nihil certius, quam animorum immortalitas. Unde si alia omnia probabat, certe et hoc postremum maxime probare debuerat. Idem *ad Atticum* lib. IV, epist. 15 : « Quod in iis libris, quos laudas, personam desiderat Scævolæ, non eam temere demovi, sed feci idem quod in πολιτείᾳ Deus ille noster Plato, » etc. Et lib. II *De natura deorum* : « Audiamus Platonem, quasi quemdam deum philosophorum. » Alibi quoque semper Aristoteli præfert Platonem, quod profitetur lib. I *Tusculanarum*, ante medium : « Aristoteles, inquit, longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans ingenio et diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, e qua sit mens. » Eumdem Platonem omnibus philosophis prætulerunt omnes SS. Patres. Arnobius I, I *Adversus gentes* : « Plato, inquit, ille sublimis apex philosophorum et columen, sæva illa diluvia, et conflagrationes mundi, purgationem terrarum suis esse in commentariis prodidit. » Et lib. II : « Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia sentiens multitudini, » etc.

Notavi plura ad Vitam S. Justini philosophi. Denique Platonici fuerunt S. Hierotheus, Dionysius, Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Augustinus et cæteri fere omnes Patres, Græci et Latini, ante-

Digitized by Google

quam fidei illustrarentur lumine. Nec mirum : adeo enim Plato Moysen secutus est, ut de illo dixerit Numenius, philosophus Pythagoricus : Τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς Ἀττικίζων; *Quid est enim Plato nisi Moyses Attice loquens?* Quare si Nicolaus Cusanus cardinalis, vir longe doctissimus, si Marsilius Ficinus, si alii, post illos, si nosmetipsi Dionysium dicamus fuisse Platonicum, non est quod nobis Jacobus Faber Stapulensis (quem ego ab eruditione et pietate, et Dionysii defendendi studio, maximi facio) nobis succenseat. A Dionysio enim magis stamus, quam contra Dionysium, quando omnium optimo philosophorum choro eum inserimus, imo et ipsi Platoni præferimus. Nam Marsilius quidem, cui ego adstipulor, in argumento ad librum *De divinis nominibus*, ita de illo : « Etsi Dionysium Platonis tanquam pii philosophi sectatorem alicubi declaramus, ipsum tamen non solum cæteris Platonicis propter doctrinæ Platonicæ culmen, verum etiam Platoni propter novum veritatis Christianæ lumen anteponendum censemus. » Fatetur alioqui etiam D. Thomas ad cap. 5 *De divinis nominibus*, lect. 1, Dionysium imitari multum Platonicos.

At enim non desunt, qui putent ac doceant fuisse potius secta Stoicum, quam Academicum. Quibus ego respondeo, minime aptos fuisse judiciis Areopagiticis homines Stoicos. Quid enim juste judicare possint, qui peccata omnia censent paria? De quibus Stoicis quid existimet M. Tullius, vide in ejus *Oratione pro L. Muræna :* ibi enim adversus Catonem disputans, docet eos qui a Platone sunt et Aristotele, judiciis et tribunalibus esse aptiores, quam qui a Zenone, Stoicorum principe. Fateor tamen Dionysium morum gravitate, virtutum constantia, judiciorum severitate appellari potuisse Stoicum : sic nimirum, ut nemini parceret nocenti, neminem condemnaret innocentem; nullius adversus æquitatem gratia moveretur, nullius miseria ad veniendum contra statuta a legibus supplicia molliretur.

(34) *Nam Epicurei quidem et Cynici.* Abfuisse hos longissime ab institutis Christianæ legis, arguit morum circa castitatem atque modestiam dissimilitudo. Nam Epicurei summum bonum in voluptate ponebant, a qua Evangelium dehortatur. Cynici autem, canina pleni impudentia (unde et inditum ipsi nomen) honesti et inhonesti, decori et indecori discrimen nullum faciebant. At vero Christiani vel sola modestia, cultuque honestatis tam ab utrisque, quam ab omni diverso genere dignoscebantur.

De utrisque, et Epicureis et Cynicis, vide Diogenem Laertium, *De Vitis philosophorum*, in Epicuro, et in Diogene Cynico.

(35) *Non pauca divinæ legi docebant consimilia.* Hæc sunt videlicet quæ Judæis et Christianis eadem sensit Plato :

Primo, Deum esse, qui semper esset, et ortum non haberet. 2. Esse ineffabilem. 3. Esse unum. 4. Esse principium, medium, et finem. 5. Esse semper justum, ut præmia bonis, supplicia malis statuat. 6. Trinitatis mysterium quadantenus attigisse visus est. **427** 7. Esse bonos genios, esse et malos. 8. Animam esse immortalem. 9. Mundum non esse ab æterno, sed creatum. 10. Mundum esse corruptibilem. 11. Mortuorum resurrectionem. 12. Terram cœlestem, quam nos vocamus terram viventium. 13. Judicium extremum, et cunctorum meritis dignam retributionem. De quibus et de pluribus vide Eusebium *De præparatione evangelica* lib. XI.

CAPUT III.

Dionysii contra fidei suæ et vitæ novæ calumniatores, virtus et constantia.

Quemadmodum (36) in rebus mundanis usu venit, ut quo sublimius sitæ fuerint, hoc plurium pateant oculis atque sermonibus : ita fere in hominum vita contingit, ut cum humiles et plebeii, seu bene seu male egerint, in silentio et ignoratione versentur : eorum contra qui in eminentiori aliquo honoris atque dignitatis gradu constituti fuerint, vita omnis, et facta dictaque omnia cunctorum exposita sunt non solum oculis atque sermonibus, sed etiam opinionibus et judiciis, in utramque partem variis, frequentius vero invidorum quoque ac malevolorum cavillationibus atque calumniis. Erat ergo Dionysius, antequam Christianæ militiæ nomen daret, in Areopago, velut in sublimi quodam theatro, primarum partium actor, et omnium undequaque spectantium oculis conspicuus : observabatur ab omnibus, colebatur ab omnibus, ita ut non posset ullum ejus dictum factumve in tanta dignitatis luce esse obscurum. Quare cum, Paulo in augustissimum illud Areopagi consilium adducto, et novæ superstitionis reo, jussisset pro se volenti dicere, fieri audientiam, interque dicendum tota concio jam aures ad Paulum, jam ad Dionysium oculos converteret, huncque interdum illius nimis intentum dictis observaret, tum nonnihil primo mirari, deinde aliquid suspicere, postea vero quam finita oratione non modo liberum dimitti Paulum animadverterunt, sed etiam (quod nonnulli curiosius perscrutantes adnotarunt) domum nonnunquam invitari benigne haberi et audiri, denique coli et honorari cognoverunt; tum ejus rei rumor per urbem spargi, atque a populo, ut talium avidissimo, cupidissime audiri et referri, principem scilicet Areopagi ab uno extraneo captum et delusum, spretis magnis diis deabusque, uni illi *Ignoto Deo*, quem iste hospes et advena attulisset, totum adhærescere. Qui rumor cum non esset vanus, eaque propter magis in dies magisque confirmaretur, nec jam dissimulare Dionysius aut vellet aut posset, Deus bone! quæ passim admirationes, qui cavilli, quæ sermonum contentiones, quæ calumniæ, a notis, ab ignotis, a propinquis, a familiaribus, ab omni denique hominum genere, ordine, sexu? cum nullus fere in Areopago, in foro, in circulis sermo alius, quam de Dionysio per eos dies passim resonaret (37). Nam exceptis qui ejus supremum locum et honorem ambiebant, dolebant ferme cuncti talis ac tam præstantis viri tam miserum et miserandum (ut ipsi quidem opinabantur et vocabant) casum : et illum a Jove et Marte, et Minerva et Cerere, aliisque suis cœlitibus, pro uno ignoto defectionem, tanquam certissimam de cœlo prolapsionem complorabant. Consanguinei vero et affines, cum prorsus statuisse eum viderent, nuntium honoribus remittere, acquisitum nomen negligere, Areopagum et partam in eo dignitatem relinquere, quid non egerunt? quid non tentarunt? quam in partem sese non verterunt? quas ad ejus expugnandum animum fabricas non admoverunt? cum ita et illum et conjugem subinde lacesserent : Heu vos miseri! quid vobis evenit? quid hoc rei actum est? quid istud monstri?

Quo vobis mentes rectæ, quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

Enimvero tu, Dionysi, qui hæc agas, sat insanus es? an te aliquæ exagitant intemperiæ? Num subitarium hoc negotium in viro alias tam maturo, tam prudente, tam considerato, quis queat dubitare, quin aliquid præstigiarum et malæ artis ab aliquo nefario et conscelerato procuratum habeat? Tune deos, quos

Digitized by Google

omnis retro antiquitas coluit, quos tu ipse adhuc tam sancte veneratus es, et venerandos esse docuisti, mutata de subito voluntate, nunc abjicis? tu illos, velut Circæo quodam poculo in alium versus, nunc despiciendos et despuendos doces? Ecqua de causa vero? nempe ut unum seditiosum, et sceleratum, et impium, quem sui populares ob horrenda flagitia morte infamissima mactarunt, tanquam Deum colas et venereris? Papæ! insolentem, invisam, inauditam amentiam! Talia illi et multa alia. Quibus cum sapientissme vir Dei novus responderet, et hinc deorum vanitatem ex antiquissimis ipsorum gentilium libris, et inde unius veri Dei veritatem, solidissimis rationibus commonstraret, surdis, quod aiunt, auribus accinebat. Et de Christo quidem, cum ex Pauli doctrina ejus summam innocentiam et voluntariam pro hominibus mortem, et data in morte prodigia, replicando etiam nondum inveteratam defecti solis memoriam, satis clare ostenderet; tamen ipsi et **428** illa temere inficiabantur et hanc aliorsum trahebant. Quasi nimirum et talis innocentia si fuisset, nunquam fuisset publico judicio condemnata; et illa solis defectio si totum orbem inumbrasset, non tam ea de causa, quam occultis quibusdam rationibus accidisset. Plurima enim deorum fatis in mundo evenire, quorum explorare causas velle, quandoquidem ipsi dii ignotas velint, extremæ sit dementiæ. Proinde orare se illum atque obtestari, ut etiam atque etiam secum cogitet atque consideret quid agit; totam hic ejus existimationem atque famam periclitari: nec ipsi tantum eam religionis mutationem, sed universæ quoque Dionysiorum genti atque familiæ fraudi fore. Quasi misereretur sui, suorumque, neve per imprudentiam suam, aut temeritatem, aut stultitiam, aut etiam impietatem committeret, ut domus sua modo tam florens, tam opulenta, tam honore et gloria circumfluens, et semper hactenus in omnium ore et laude versata, nunc unius superstitionis (quæ passim exsibiletur) gratia, istis omnibus nudata, in squalore et sordibus, humilis et deformata jaceat, nihilque pristini decoris atque ornamenti retineat; sed infamiæ atque ignominiæ, cujus tam vixerit hactenus insolens, fiat obnoxia. Nec defuerunt fortasse, qui exsilium et tormenta, aut mortem, et Socratis exitium ei denuntiarent. Si enim Socrati, tam philosopho, Deum unum et novum, sed illum tamen summum, et ab hisce miseriis remotissimum, inducenti nex allata sit; quid de eo futurum, qui unum furciferum (nulla enim erat apud efferatos talium verborum parcimonia) et inter latrones patibulatum (38), esse Deum edoceat, et pro magno Numine venditet? Denique simile prorsus somnio videri, tam stupidum esse aliquem et bardum, qui hæc tam incredibilia vel suspicetur, non modo credat; quid virum doctum? quid Areopagitam? quid primi illius consilii principem? Ita fere isti. Quibus quam sapienter et quam fortiter novus Christi athleta responderit, haud paulo facilius est cogitatu, quam dictu: summa tamen responsi hæc fuit: Valde scilicet in Christi persona ab ignaris hominibus aut nimis credulis aberrari. Nam qualis fuerit magister, non aliunde certius quam ex discipulis posse disci. Quorum discipulorum ea sit vita, ii mores, ut nihil vitiosum, nihil fallax, nihil fucatum deprehendi in iis possit; doctrina vero tam rectæ rationi et veræ philosophiæ consentanea, ut nihil magis. Cujus scilicet minime dubiam veritatem ingens prodigiorum eam ob rem patratorum copia evidenter comprobarit (39): et eorum quidem prodigiorum, quibus non vana hominum fama gloriave collecta sit, sed infirmorum, et debilium, et mancorum, imo et mortuorum, sanitas, vita, salus procurata. Ad minas autem vel auxilii vel mortis quod attineat, se vel Socrate ipso libentius promptiusque (quippe et pro meliori causa) moriturum. Vitam enim esse, non mortem, pro Christo mori. Hanc mortem, vel vitam potius, certatim a Christianis peti, et avidius quam thesaurum quæri. Nec vero Epicureos tam inhiare atque adhinnire voluptatibus, quam veros ac germanos Christi sectatores eos refugere atque aspernari. Nam præ cunctis et voluptatibus et deliciis maximo ipsis in pretio esse labores, sudores, vigilias, et quæcunque vulgo hominum dura et aspera et intolerabilia reputantur. Quod profecto dum faciunt, non vitiatæ infractæque naturæ, et ad mollia semper inclinantis instinctu, sed eximiæ cujusdam virtutis et altioris potestatis adminiculo, id se præstare manifeste produnt. His igitur et talibus dictis, qualia ex Pauli ore identidem novus tyro audiebat (nam ad divinum ejus spiritum animam suam agglutinaverat) non modo ab importunis eorum aggressionibus belle se expediebat, sed etiam nonnullos qua vi rationum, qua auctoritatis pondere in suas partes, non secus ac ferrum magnes, pertrahebat: quosdam vero, quos evincere obstinatos omnino non poterat, saltem labefactatis eorum arietibus ac machinis ita quatefaciebat, ut suis inciperent munitionibus atque momentis diffidere: alios denique sua præfractius obstinatiusque defendentes, quam aliena patientius faciliusque sufferentes, ita absolvebat, ut intelligerent, nisi suas accommodare aures sapientibus dictis mallent, quam alienas, arreptis e trivio maledictis, obtundere, nihil esse cur domum suam venditarent, aut congressum peterent: quidquid enim agerent, acturos frustra, frustra laboraturos. Cum autem essent non pauci, qui toto, quod aiunt, pectore adversus eum obniterentur, nullus tamen fuit ex omnibus, qui plus lacessiverit negotii, quam qui alias unus erat ex omnibus longe charissimus et familiarissimus, nempe a prima ætate sodalis, et in juventute peregrinationum socius, et uno verbo, alter ipse, Apollophanes: idem inquam ille, qui ut moribus simul et studiis artium conjunctissimus, et in Ægypto contubernalis, celeberrimam illam solis defectionem, cum Heliopoli una essent, simul notaverat, simul exploraverat, sed non perinde in cor animumque demiserat. Is igitur nullum non movit lapidem, quo intimum suum amicum de suscepta nova religione deturbaret. Hic autem e contrario dies noctesque de illo in suam sententiam attrahendo cogitare. Adibat et audiebat alter alterum eo libentius ac patientius, quo utrique avidior animus erat et socii evincendi sibique adjungendi, et veteris amicitiæ retinendæ. Sed cum **429** mutuæ accessiones semper plenæ amoris essent, tamen mœroris luctusque erant quam confertissimæ. Nam ob spes utrimque frustratas, quo major in ingressu amor se explicuerat, hoc tristior in digressu amator succedebat. Levius tamen et patientius, quodcunque istud erat molestiæ, ferebat Dionysius: quippe Pauli et Hierothei consolationibus sustentatus, imo et cœlesti intus gratia, præsertim a suscepto initiationis sacramento, roboratus: at vero Apollophanes (quem et ista deficiebant e cœlo præsidia, et quem sua insuper conturbabat, intusque agitabat, sicut prava et perversa, sic perantiqua et nimis inveterata de diis suis opinio) continere se interdum non poterat, quin graves in iras atque injurias vehementius exardesceret, atque eo nonnunquam usque progrederetur, ut multis indignisque tam Christum, quam Paulum, velut tanti mali auctores, conviciis et exsecrationibus oneraret; imo utrumque, ut mille crucibus, mille cruciatibus dignissimum, diris omnibus devoveret. Nempe, uti acerbe infremens aiebat nihil unquam visum tetrius, nihil auditum exsecrabilius, quam ob nescio quam novitiam legem, nec legem, et ob unius vilissimi et facinorosissimi Judæi (quæ effrenis erat ipsius et multorum maledicentia) simulatam et arrogatam divinitatem (ob quam tamen dignissima pœna in sublimi pependisset) deos optimos maximos, atque ab omni vetustate cultos, contemni, sanctissima et augustissima templa deseri, antiquissimas cæremonias ritusque negligi, omnem denique sacrorum religionem ac pietatem in sannas ludibriaque converti. Quæ

Digitized by Google

quidem verba tam acerbe iracundeque projecta, tametsi generosum Dionysii pectus satis graviter vulnerarent, hac tamen jenus duntaxat penetrabant, ut ne impos sui maledicta maledictis regereret, sed tantisper iræ dans locum, veterisque memor amicitiæ, cuncta in præsens sustineret. Hunc enim, quem modo diaboli livor et superstitionis malignitas incendisset, exulcerati animi æstum, non desperabat tempore ipso, quod omnia domat, lenitum iri; atque etiam (si Dei optimi maximi voluntas foret, et gratia juvaret) sperare se aliquando eum, mutata voluntate, in ipsis Christi castris meriturum. Nec vero falsus animi fuit. Nam cum negotiis alium alio vocantibus, disjuncti locis fuissent, et Apollophanes in Polycarpi (40) (erat hic vir in consuetudine familiari sane quam admirabilis) congressum, seu Smyrnæ seu alibi incidisset, interque mutuos sermones eo forte ventum esset, ut de Dionysio verba miscerentur, ecce rursum ille in hunc commoveri, et maledicta jacere, et parricidam appellare, idcirco nimirum potissime, quod dixisse aliqua aut scripsisse Dionysium adversus Græcos sive gentiles, suisque ipsos armis oppugnasse inaudisset. Polycarpus igitur pro solita animi lenitate et mansuetudine bonum hic esse ratus hominem mollibus verbis delinire potius, quam iratum magis exasperare, et ignem, ut vulgo dicitur, fodere, ita rem temperavit, ita motus omnes composuit, ita denique progressu temporis eum sibi devinxit, ut ipsius tam Christo quam Dionysio conciliandi reconciliandique spes non minima emicaret. Misit ergo litteras ad Dionysium, docuitque de eodem Apollophane, quo nunc in loco res essent : nempe illum non mediocriter in ipsum fuisse commotum, propterea quod illum intellexisset tam libris quam disciplinis Græcorum inique adversus Græcos uti, ideoque temperare nequaquam sibi potuisse, quin et maledicta in eum jaceret, et parricidam appellaret. Desideratur quidem hac ætate illa sancti Polycarpi epistola, sed Dionysii ad eam responsum, unde hæc colliguntur, benevolentiæ mansuetudinisque plenum hodieque exstat. Cujus fere hæc est summa : Nescire se unquam adversus Græcos aut adversus quoscunque alios dixisse. Nam arbitratum se esse, viris bonis sufficere, si veritatem in se ipsa agnoscerent, atque ita ut se habet annuntiarent. Hoc enim si debite fieret, tum per sese omnia quæ a veritate sunt aliena, ut alia re nulla esset opus, posse redargui. Quare supervacaneum esse, veritatis interpretem aut cum his aut cum illis depugnare. Nam ita prorsus rem hic esse, atque in possessione regii numismatis. Ait enim unusquisque, illud se habere : et habet fortassis particulæ illius adulterinam quamdam imaginem, sed verum numisma non habet. Igitur illum si quis redarguerit, accedet similiter et alius, qui et hoc verum numisma penes se esse dicet, eodemque modo alius et alius, licet adulterina singuli afferant numismata, sed verum nullus. At cum ipsum verum et regale numisma prolatum fuerit, quod facile sua sponte se prodit, probatque legitimum, ita ut a nullo redargui possit; tum cætera omnia, quæ non sunt illi in omnibus similia, per se et nullo negotio apertæ convincentur falsitatis. Sic in vera et Christiana religione usu venit. Hæc enim mundo ostensa, et aliis comparata, se solam veram ac sinceram religionem præstat : alias vero non religiones, sed superstitiones, et imagines tantum atque umbras quasdam religionis adulterinas clare commonstrat. *Itaque minime festinus*, inquit, *aut præceps fui, ut vel adversus Græcos vel adversus alios quoscunque dicerem. Mihi enim satis est, et hoc det Deus, primo veritatem agnoscere, deinde agnitam, quemadmodum oportet, annuntiare.* Sic ille. Atque hoc fuit primum illius epistolæ membrum : in quo prudenter ad conciliandam sibi Apollophanis benevolentiam **430** de objecta Græcorum impugnatione se purgavit. In secundo autem membro, jactum Apollophanis telum acute quidem, sed benigne et citra contumeliam, in ipsum retorsit. Sic enim de illo ad eumdem Polycarpum : *Quod autem ais*, inquit, *me ab Apollophane sophista* (41) *probro affici, et parricidam appellari, propterea quod Græcorum scriptis abutar adversus Græcos, verius sane illi possem objicere, ipsos Græcos divinis contra divina non sancte uti : quippe qui per Dei sapientiam attentent divinum cultum et religionem e medio tollere* [v]. *Neque hic de vulgo duntaxat hominum loquor, qui poetarum fabulis, earum sectando spurcitias, adhærescunt, et res creatas adversus Creatorem adorant, verum ipse, ipsemet Apollophanes divinis adversum divina non sancte utitur. Rerum enim exsistentium scientia (quæ recte ab ipso philosophia dicitur, et quæ a S. Paulo Dei sapientia appellatur) tam ad earumdem rerum quam ad ipsius scientiæ auctorem veros philosophos subvehi oportebat.* Ita ille. Post hæc autem memor se cum amatore et studioso astrologiæ loqui, ad eum iisdem artibus capiendum, quibus ipse captus sit, accingitur. Memorat enim mirabilia quæ in cœlo et in sole supra communem naturæ ordinem olim facta sint : disputatque ea fieri tantum ab eo potuisse, qui et cœlos et solem ab initio condiderit, et nunc in statu suo contineat. *Ac ne aliorum, aut etiam ejus sententiam*, inquit, *contra institutum meum refellam, intelligere debebat Apollophanes, utpote sapiens, nihil unquam in ordine motuque corporum cœlestium mutari potuisse, nisi mutante ipsorum conditore et conservatore, qui, ut docent sacræ Litteræ* [x], *fecit mutatque omnia* (42). *Quin igitur eum colit, quem vel ex eo vere omnium esse Deum cognovimus? Quis eum admiratur, cujus potentia et rerum omnium causa est, et omni sermone superior? Quis enim fecit, ut olim sol et luna* (43) *simul cum reliquis cœlis hærerent prorsus immoti, et ut diem totum iisdem in punctis cuncta consisterent? Aut certe, quod etiam mirabilius, quis efficere potuit, ut cœlis majoribus solito motu currentibus, illi qui intra ipsos continentur, et cum ipsis ad sua spatia rapi solent, præter morem tum resisterent, nec una in orbem circumque deferrentur* [y]? *Certe sola vis divina præpotenti suo cunctisque dominante imperio id potuit. Cedo rursus, quis auctor alias fuit, ut dies unus fere tribus æquaretur* (44), *et in totis viginti horis cuncti cœlorum orbes motionibus contrariis retro cursum flecterent, et circuitionibus naturæ ordinem exsuperantibus eo unde venerant reverterentur? Aut, si hoc magis placet, quis uni soli dedit, ut in cursu proprio, quincuplici sua motione* (45) *in horas decem contracta, eumdem rursus totam aliis decem horis remensus, novam terendo viam remaneret? Nam et hoc Babylonios merito obstupefecit* (46), *et regi Ezechiæ tanquam humanum transgresso fastigium, et Dei potentiam exæquanti, ultro et citra pugnam submisit. Quid dicat magnifica illa in Ægypto, vel etiam alibi patrata miracula? Nam quæ attuli, ut cunctis communia et in cœlo facta, ubique terrarum et omnibus gentibus sunt celebrata.* Hæc Dionysius pro asserenda unius Dei veritate ex cœlo et astris in astrologi gratiam cum disseruisset, veritus ne illa apud Apollophanem, propter sacrarum Litterarum, unde desumpta sunt, ignorationem, aut propter ipsorum prodigiorum inexperientiam, fidem non obtinerent (tametsi quod de triplici die dictum est, e Persarum quoque sacris ritibus cognosci possit, quandoquidem diei illius protensionem magi ipsi, ut æternæ traderent memoriæ, triplicis Mithræ (47), ita solem appellant, diem solemnem fecerint) petit tamen a Polycarpo, ut præter illa, et præ illis, memoriam ei refricet illius admirabilissimæ defectionis solis, quam Heliopoli una viderint, cum et ipse Apollophanes, velut divinans, proclamavit : *Hæ sunt rerum divinarum mutationes. Et ecce hæc ipsa mutatio*, adjungit Dionysius, *transtulit*

[v] I Cor. I, 21. [x] Amos V, 8, secundum Septuag. *Ὁ ποιῶν πάντα, καὶ μεταστρέφων.* [y] Josu. X.

Digitized by Google

nos ab errore ad veritatem, a tenebris ad lucem, a morte ad vitam, a simulacris ad verum Deum. Deinde concludens epistolam : *Tu vero,* inquit, *o divine Polycarpe, reliqua, quæ desiderantur, adjice, ut virum talem et tam sapientem ad longe sapientissimam traducas religionis Christianæ veritatem.* Et vero adjecit, remque totam feliciter confecit Polycarpus. Nam cum aliis, tum maxime ipsius Dionysii argumentis hominem aggressus, tandem eo deduxit, ut, relicta mundi sapientia, lubens, volens ad divinam (quæ sola veræ sapientiæ meretur nomen) se transferret. Quæ tum porro fuerint utriusque et Dionysii et Polycarpi gaudia, qui plausus, quæ mutuæ congratulationes, de tanto viro sociatis laboribus ad suave Christi jugum adducto, quis dicat? Solet præda multo tempore et magnis sudoribus acquisita esse lætior, et plus multo afferre voluptatis, quam cito et brevi labore parta. Enimvero hæc ejusmodi fuit, ut alia similis fortasse nulla reperiri possit, pro qua et tam diu et tam constanter fuerit unquam ab ullo laboratum. Valde enim sero et multis post annis quam de religione inter illos agi cœptum fuerat, imo post multas quoque et calumnias et convicia, inde quidem acriter et superbe jacta, hinc autem leniter et modeste tolerata, fructus hic longanimitatis multo suavissimus, tanquam dignum operæ pretium, perceptus est. Adeo juvat in procuranda fratrum salute, et in peccatoribus, quamvis obstinatis et pertinacibus, in viam reducendis, nec cito nec tarde despondere animum, sed menses et annos et multiplicata lustra sustinere, adeoque totam vitam, et quandiu vel tibi vel illis spiritus et sanguis supersit, monendo, **431** arguendo, vota denique et preces ad Deum fundendo, et si etiam opus sit, labores, dolores, molestias, et omnis generis convicia et maledicta sufferendo, dum anima cœlo et terra charior lucrifiat, laborare. Quanta porro fuerit Dionysio ex unius animæ lucro vis gaudii, quantus exsultantis animi fervor, testes sunt ipsius ad Apollophanem datæ post susceptum fidei sacramentum litteræ, quarum exemplum hic subjicio.

« Dionysius Apollophani philosopho.

« Jamjam ad te, cordis mei amor, sermonem dirigo, » etc. *Hanc epistolam, tomo præcedenti, aliis S. Dionysii epistolis subjecimus, sed omnino spuria habenda est. Vide Prolegomena, t. I, col.* 56. EDIT.

432 Non tantum fortis et constans Areopagita noster in sustinendis calumniis, et in quibuscunque adversus fidem nostram machinationibus eluctandis fuit, sed etiam felix et fortunatus. Jam ad accusationem intentatam, aut irrogatam pœnam, nomine respectuque novæ religionis quod attinet, horum nihil fuit. Athenienses enim a Socratis morte (cujus ita eos puduit (48) ac pœnituit, ut mox in publici luctus signum, palæstras et gymnasia omnia clauserint, ejusque accusatores alios exsiliis, alios morte mulctarint, ipsum autem ærea statua donarint) minime præcipites fuere, nec ad suscipiendam de nova religione adversus quempiam accusationem, nec ad ferendum de deorum cultu aut neglectu judicium. Hinc etiam paucæ cum sint e claris urbibus, ubi non multa exstiterint Christianorum martyria : tamen Athenis, urbe tam ampla et celebri, ne unus quidem fidei Christianæ causa (de quo quidem firmiter constet) vel exsilii, vel mortis pœna, præsertim publico judicio multatus esse facile reperiatur. Nam de Publio et Quadrato Athenarum episcopis, et Dionysii nostri successoribus (de quibus fere solis ambigi posset) vero est quam simillimum, quorumdam privatorum injuriis, vel tumultu populi subitaneo (uti ex ipsorum et martyrum actis quadamtenus licet intelligi) vel lapidibus appetitos vel aliis modis exagitatos, quo pax Christianis esset, sponte sua urbe cessisse, alibique oppetiisse. Qua de re dicendi locus commodior in Quadrato. Jam enim post evicta, quæ in principiis occurrere solent, variorum impedimentorum luctamina, ad considerandos ejus cum in sacra Theologia, tum in omnimoda virtute profectus provehimur.

—

NOTATIONES.

(36) Agitur in hoc capite de variis adversus Dionysium tentamentis. Quæ in Vitis sanctorum adnotare apprime utile est, quod virtus in iis maxime elucescat, et imitationi stimulos indat. Solet autem summus inter suos magistratus et princeps dignitatis gradus vel fortiter detinere possidentem, vel vehementer invitare aspirantem. Rupit hos laqueos Dionysius; neque etiam magis aut amicorum blanditias, aut obtrectatorum verba, aut territantium minas curæ habuit. Vide Syngelum extremo fere Dionysii encomio. Apollophanem quoque, veterem et intimum sodalem, non tam Christi causa deseruit, quam patientia et longanimitate devicit.

Viderant simul stupuerantque insolitam solis defectionem, sed aliter atque aliter interpretati erant. Dionysius altiori quodam modo et plane divinitus de Deo in corpore gravia patiente intellexerat; Apollophanes autem de sole ipso, quem pro Deo habebat, aliquid naturæ contrarium sufferente acceperat. Quod indicare videtur Dionysius in ea, quam ad eum dedit, epistola, ubi de illa loquens defectione solis, hanc adjecit, quasi per occupationem, parenthesim (*non quod Deus, sed quod Dei opus in veræ ipsius lucis occubitu lucere non quiverit*) tanquam si diceret : Non quod sol Deus sit, ubi arbitraris, atque ita Deus lucere non quiverit, sed quod sol Dei opus in Christi, qui vera lux est, occubitu obscuratus sit. Simili occupatione usus est idem Dionysius lib. *De divinis nominibus* cap. 4, ubi post relatam solis multiplicem efficientiam ita subjunxit : Καὶ οὐ δήπου φημὶ κατὰ τὸν τῆς παλαιότητος λόγον, ὅτι Θεὸς ὢν ὁ ἥλιος, καὶ δημιουργὸς τοῦδε τοῦ παντὸς ἰδίως ἐπιτροπεύει τὸν ἐμφανῆ κόσμον, ἀλλ' ὅτι τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἤτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θεότης. *Nec hoc dico,* inquit, *antiquitatis fabulam secutus, quod sol Deus sit et universi effector, sicque proprie mundum hunc aspectabilem gubernet; sed quod invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Ita scilicet Apollophanes in Ægypto jam versans, Ægyptiorum imbutus erat antiquo errore, quo solem et lunam deos esse arbitrabantur, et venerabantur. De quibus ita Eusebius lib. 1 *De præparatione Evangelica,* cap. 9 : « Priscos Ægyptios ferunt, cum oculos in mundi hujus contemplatione defixissent, cumque rerum omnium naturam vehementi admiratione obstupescerent, solem ac lunam sempiternos esse deos, omniumque principes censuisse. » Quibus ista Arnobii consonant, libro 1 *Adversus Gentes :* « Solem Deum cum credatis esse, conditorem ejus, opificemque non quæritis, luna cum apud vos dea sit, non similiter scire curatis, genitor ejus et fabricator quis sit. » Licet etiam multas intueri veteres inscriptiones solem Deum testantes, quarum plures sunt apud Janum Gruterum, et hæc inter alias :

DEO. SOLI. INVICTO.
ARAM.
C. JULIUS. CÆSAR.
D. D.

(37) Michael Syngelus in Dionysii Encomio.

(38) *Inter latrones patibulatum.* Frequentissima

Digitized by Google

hæc erat gentilium in Christianos objectio, quod ipsi hominem patibulatum et cruci affixum, et servili morte damnatum colerent. Sic ex illis unum inducit loquentem Arnobius lib. I *Adversus gentes* : « Sed non, *inquit*, idcirco dii vobis infesti sunt, quod omnipotentem colatis Deum, sed quod hominem natum, et (quod personis infame est vilibus) crucis supplicio interemptum, et Deum fuisse creditis, et superesse adhuc creditis, et quotidianis supplicationibus adoratis. » Sic et alium inducit Minutius Felix in Octavio : « Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum cæremonias fabulantur, congruentia perditis sceleratisque tribuunt altaria : ut id colant, **433** quod merentur. » Neque tacuit Lactantius Firmianus, qui lib. IV *De vera sapientia*, cap. 16 : « Venio nunc, *inquit*, ad passionem, quæ velut opprobrium nobis objectari solet, quod et hominem et ab hominibus insigni supplicio affectum et excruciatum colamus. » Et cap. 16, ibidem : « Dicat enim fortassis aliquis : Cur si Deus fuit, et mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicii? quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum. » Vide ibi insignem responsionem. Neque siluit Augustinus, qui sermone 8, *De Verbis Apostoli* : « De Cruce Christi, *inquit*, nobis insultant sapientes hujus mundi, et dicunt : Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum! » Vide etiam S. Isidorum Pelusiotam lib. IV, epist. 31, ubi gentilem quemdam sophistam, irridentem Christi crucem et passionem, egregie et cum applausu audientium convicit. Nam cum ille de Deo crucifixo in effusum risum solveretur, quæsivit Isidorus : « Sed unde potes demonstrare Christum crucifixum? » Mirantibus autem cunctis, quorsum talis interrogatio tenderet, gentilis velut certus de victoria respondit : « In vestris Evangeliis id scriptum est; » tum Isidorus : « Atqui et in iisdem, *inquit*, scriptum est, quod resurrexerit et in cœlos redierit. Si ergo unum credis Evangelio, crede et alterum. » Post quæ tantus est exortus astantium risus et applausus, ut uterque erubesceret, Isidorus de gloria, gentilis de ignominia.

(39) *Ingens prodigiorum eam ob rem patratorum copia evidenter comprobarit.* Via probandi divinitatem Christi per prodigia, ab ipsomet Christo ostensa est, Matth. V, ubi missis a Joanne ad interrogandum, num ipse Messias et Salvator esset, respondit : *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Hanc viam et apostoli tenuerunt, et eorum sectatores ac posteri : nec unquam ad fidem probandam defuit in Ecclesia Dei potestas miraculorum. Hanc fidei et Ecclesiæ notam bene pertractavit S. Justinus martyr, ad cujus Vitam, ubi nos de illa fusius, remitto lectorem.

(40) *In Polycarpi.* Is est S. Polycarpus, Joannis apostoli discipulus.

(41) *Ab Apollophane sophista.* Nomen *sophista* est unum ex ancipitibus, et quæ utramque in partem capi possunt, bonam et malam. Hic autem in bonam capitur, pro multarum rerum et artium perito. Alibi appellat eum Dionysius *doctrinæ speculum*, alibi *virum sapientem*. De primis significationibus vocis hujus σοφιστής *sophista* videndus est Plutarchus in *Themistocle*, sub initium.

(42) *Qui, ut docent sacræ litteræ, facit mutatque omnia.* Locus hic est in LXX Interp. Amos, cap. V, 8, his verbis : Ὁ ποιῶν πάντα καὶ μετασκευάζων. *Faciens omnia et mutans.* Alioqui vulgata editio Latina habet : *Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem.* Loquitur autem de Deo, cujus solius est talis actio, conversio, mutatio.

(43) *Quis enim fecit, ut olim sol et luna*, etc. Desumpsit S. Dionysius e lib. Josue cap. X, vers. 12, et seqq. ubi sic loquitur : *Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis : Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.* Ecclesiastici autem cap. XLVI, 3, ita de Josue : *An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo?*

Assignat porro Dionysius duos modos, quibus fieri potuit, ut sol et luna starent immoti. Unus quidem, quo omnes cœli una cum illis consisterent, nullamque in partem moverentur. Alter, quo cœli omnes, etiam illi in quibus sol et luna fixi sunt, solito motu volverentur, solique sol et luna quieti eodem in loco starent, nec cum suis cœlis moverentur. Quod posterius prodigium merito Dionysius priori admirabilius futurum fuisse censet. Turbam enim ingentium contineret miraculorum, quæ astrologis relinquo expendenda.

Super hac duorum luminarium insolita et prodigiosa statione atque mora nonnullas pertractat quæstiunculas Serrarius noster *in cap.* X *Josue*, quas operum vacuis non sit inutile contueri. Vide et Gasparem Sancium *in* XXXVIII *caput Isaiæ*.

(44) *Quis auctor alias fuit, ut dies unus fere tribus æquaretur?* Aliud hoc loco proponit S. Dionysius Apollophani prodigium, de solis regressu tempore Ezechiæ regis Juda. Cui signum futuræ curationis suæ postulanti ait Isaias lib. IV Regum, cap. XX, 9 : *Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est : Vis ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias : Facile est, umbram crescere decem lineis; nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Sic ibi. Quod miraculum ponitur Isaiæ cap. XXXVIII, 7 his verbis : *Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est : Ecce ego reverti faciam umbram linearum, et per quas descenderat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.*

Sensus historiæ hujus est talis : Ezechias rex Juda ex gravi infirmitate lecto affixus, Deum pro valetudine recuperanda exoravit : Deus per Isaiam prophetam ei non modo se valetudinem redditurum, sed etiam quindecim annos vitæ additurum promisit. Ezechias signum petiit in ejus rei testimonium. Indulsit Deus, et facturum se dixit, ut sol, qui jam decem diei horas confecerat, totidem retro reflecteret, atque in orientem regrederetur. Quod et factum est. Ac propterea ille unus dies, quo ista fiebant, recte dicitur a Dionysio fuisse fere par tribus. Nam si quatuor adderentur horæ, essent triginta octo, ac consequenter tres dies. Nam cum dies sit horarum duodecim, sol jam decem confecerat, atque ita fere unum diem absolverat, exceptis scilicet duabus **434** horis, antequam regrederetur : in regressu autem cum totidem horas impenderit, nempe decem, secundi diei spatium fuit, exceptis rursum duabus horis, quo decem horarum spatio pervenit sol ad locum ortus sui : ex quo deinde loco ad occidentem usque confecit duodecim horas integras; ita ut ultimus cursus solis fuerit dies integer horarum duodecim, duo autem priores fuerint singuli horarum decem. Atque ita dies ille supra Judææ horizontem fuit triginta duarum horarum.

Digitized by Google

Ex his facile est verborum S. Dionysii sensum colligere. *Quis*, inquit, *ubi soli dedit, ut in cursu proprio* (qui est scilicet horarum duodecim ab oriente in occidentem) *quincuplici sua motione in decem horas contracta* (cur nimirum, nisi contraheretur cursus ad occidentem, motio illa deberet esse horarum duodecim) *eamdem rursus totam aliis duodecim horis remensus* (quando videlicet pro eo, quod debuisset reliquas duas diei horas ad occidentem usque perficere, iis relictis, eadem qua venerat via retro flexit per meridiem, ad locum unde exortus erat) *novam terendo viam remearet*. Est enim plane nova via, cum sol sit prope occasum, retro ad meridiem reverti, et per eum ad meridiem regredi. De quincuplici autem solis motione vide Maximum et Pachymeram ad hanc Dionysii epistolam. Porro scopus sancti viri in his exemplis fuit, peritum astrologiæ Apollophanem docere, illas in cœlis atque astris mutationes a solo Deo unico et vero factas esse; uti et illas quoque quas tempore passionis Christi, cum ipsi una essent in Ægypto, viderint; ac proinde illum unicum Deum sequendum et colendum, qui solem et lunam et omnes cœlos condiderit; non vero existimandum soli aut lunæ aliquid inesse divinitatis; quemadmodum nec illis omnibus, quos gentiles ut deos colunt, Jovi, Marti, Minervæ, Neptuno, cæteris.

(45) Vide S. Maximum et Pachymeram, de quincuplici motione.

(46) *Nam et hoc Babylonios merito obstupefecit.* Dicit Dionysius, Babylonios tanti conspectu miraculi obstupefactos, citra pugnam se subdidisse Ezechiæ. Quæ in hoc sensu capienda sunt, misisse scilicet regem Babyloniorum (is tum erat Berodach Baladan, filius Baladan), legatos cum muneribus ad Ezechiam regem, et societatem atque amicitiam ab eo petiisse. Quod et Josephus, libro x *Antiquitatum Judaicarum* cap. 3, testatur his verbis : Ὁ δὲ τῶν Βαβυλωνίων βασιλεὺς, Βαλάδας ὄνομα, πέμψας πρὸς τὸν Ἐζεκίαν πρέσβεις, δῶρα κομίσαντας, σύμμαχόν τε αὐτὸν εἶναι παρεκάλει καὶ φίλον. *Rex autem Babyloniorum Baladas nomine, missis ad Ezechiam legatis cum muneribus, rogavit eum, uti socius et amicus esse vellet.* Non habetur quidem in sacris Litteris, venisse legatos petitum societatem et amicitiam, neque lib. IV Regum, cap. xx, neque lib. II Paralipomenon cap. xxxii, neque Isaiæ cap. xxxix (in illis enim omnibus locis, et solis, hujus historiæ est memoria), sed tantum venisse gratulatum de recuperata valetudine (ut in IV Regum et in Isaia indicatur) vel interrogatum *de portento, quod acciderat super terram* (ut II Paralipomenon), nihilominus tanta est apud me Josephi et Dionysii Areopagitæ auctoritas, ut facile illis assentiar. Neque ulla ratione eos probo, qui hunc vel illum aliquid, quod in Scripturis non sit, proferentem, audacter, ne dicam temere et impudenter suggillant. Quasi vero non perinde Judæis præter Scripturam suæ traditiones fuerint (quas ipsas non semel citat S. Hieronymus) sicut modo sunt Christianis : aut quasi aliæ historiæ sacræ non illis peræque ac nobis in usu et auctoritate illis exstiterunt temporibus. Quare ea sola, quæ ita rationi aut Scripturæ adversantur, ut cum ea conciliari non possint, prorsus improbanda sunt. Est enim Scriptura sacra domina veritatis. Sed si quis aliqua vera non putet, propterea quod in illa desint, næ illi mens et sensus magis deest. Est tamen discrimen inter fidem quam Scripturæ tribuimus, et fidem quam aliis historiis, aut humanis traditionibus accommodamus. Illa enim divina, hæc humana est; illa certa et falli nescia, hæc non ita certa quin falli possit. Quod igitur Josephus (quem SS. Patres laudaverunt, et magni fecerunt) et Dionysius Areopagita (quem schola suspicit theologorum) afferunt sacris Scripturis non adversum, sed omissum tantum, hoc meo judicio magni faciendum est; neque ullo modo audiendi sunt, qui quavis levi occasione in illos irruunt.

(47) *Triplicis Mithræ.* Quod hic affert Dionysius de triplicis Mithræ seu dici portento, et Babyloniorum submissione, id in ipsis quoque Persarum sacris ac ritualibus libris contineri asserit, nempe contra gentilem Apollophanem gentilitio pugnans gladio. Μάλιστα μὲν οὖν τοῦτο ταῖς Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου Μίθρου τελοῦσιν. *Maxime igitur hæc*, inquit, *in sacerdotalibus Persarum monumentis continentur, atque magi etiamnum memoriam triplicis Mithræ celebrant.* Ubi triplicis Mithræ, id est triplicis solis. Est enim Mithras Persis idem, quod Sol, colituque ab iisdem divinis honoribus, quippe ipsorum Deus. Hinc Artabazus Persa, apud Xenophontem, lib. VII *De institutione Cyri*, per illum jurat : Μὰ τὸν Μίθρην, *Per Mithram.* Strabo item libro Geographiæ XV : Τιμῶσι τὸν ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, *Colunt solem, quem Mithram appellant.* Veteres quoque exstant inscriptiones, ubi junctim ponuntur sol et Mithras, ut videre est in hic appositis.

Romæ (*a*) :

SOLI. INVICTO.
MITHRÆ.
T. ANTISTIUS.
T. F. STELLATINA.
SEVERIANUS.
DEDICAVIT.

Mediolani in janua S. Ambrosii, porta Vercellensi (*b*) :

S. D. I. M.
P. ACIL. PISONIANUS.
PATER. PATRATUS.
QUI. HOC. SPELEUM. VIOL.
IGNIS. ABSUMPTUM.
COMPARATA. AREA. A. REPUBL.
MEDIOL. PECUNIA. SUA.
RESTITUIT.

Ubi quatuor primi characteres D. S. I. M. significant : INVICTO. SOLI. DEO. MITHRÆ. Vide plures ejusmodi inscriptiones apud Janum Gruterum. In quibus SOLI MITHRÆ nihil est aliud, quam **435** soli quem Persæ Mithram appellant. Unde apud Curtium lib. IV Historiarum, de iisdem Persis sic prorsus legendum : « Solem Mithram, sacrumque et æternum invocant ignem. » Non vero, quod alicui voluerunt, solem, Martem, etc. Nec enim illis Mars deus in cultum, Romani porro non statuas modo, sed et templa soli Mithræ erexerunt. De Aureliano imperatore conditore et consecratore templi Solis testatur Flavius Vopiscus in ejus Vita. « Templum Solis, *inquit*, magnificentissimum constituit. » Et prius dixerat : « Cum ad templum Solis venissemus, ab Aureliano principe consecratum. » De Mithra et ejus sacris in specu fieri solitis, meminerunt S. Justinus martyr, Tertullianus, Gregorius Nazianzenus, et alii complures.

(48) *Athenienses enim a Socratis morte, cujus ita eos puduit.* Rem narrat Diogenes Laertius in Socrate, ubi sub extremam ejus Vitam hæc refert : Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι καὶ παλαίστρας καὶ γυμνάσια. Καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν. Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτιμήσαντο, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ Πομπείῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου. Ἄνυτόν τε ἐπιδημήσαντα αὐθημερὸν ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται. *Athenienses ita mox pœnituit, ut palæstras et gymnasia*

(*a*) Ex Onuphrio et Fulvio.
(*b*) Ex Arriano

Digitized by Google

clauserint : et alios quidem exsilio, Melitum vero morte condemnarint. Socratem porro ærea statua honorarunt a Lysippo facta, quam in Pompeo (celeberrimo urbis loco) *posuerunt. Anytum denique pomorte condemnarint. Socratem porro ærea statua honorarunt a Lysippo facta, quam in Pompeo* (celeberrimo urbis loco) *posuerunt. Anytum denique peregre profectum Heracleotæ ipsa die edicto exterminarunt*

CAPUT IV

Dionysii in theologia et virtute profectus, atque ad episcopatum evectio.

Ex quo tempore novus hic Christi miles [a](49) aquis salutaribus in Ecclesia Dei respersus, cunctis inimici pompis ac lenociniis nuntium remisit, confestim tanquam de morte translatus ad vitam pristinæ suæ cum strepitu populari consuetudinis oblitus, nova studia aggredi, novas virtutes omni conatu et animi et corporis urgere ac persequi cœpit. In quo, ut facilius juxta et felicius fructum operæ suæ dignum consequeretur, ipsa magistrorum dignitas ac præstantia (unde primus discendi ardor nasci solet) momenti attulit plurimum. Nam eos sane magistros habuit, qui Deum ipsi habuerant præceptorem. Nempe apostolos et discipulos Christi, sed præ omnibus, et diutius omnibus, Paulum (50). Qui enim illum verbo veritatis in Christo genuerat, idem prima illi spiritus alimenta suppeditavit, idem prima fidei elementa tradidit, idem lac illi potum dedit. Instar siquidem et exemplum bonæ matris præstare erga Dionysium Paulus voluit; non minus scilicet liberaliter educando, quam ingenue pariendo. Quare præcipua religionis nostræ mysteria sedulo illi exposuit, mundum videlicet, qui perperam a nonnullis philosophis ab æterno exstitisse disputaretur, a Deo conditum esse, cum antea nihil omnino, nisi Deus, exstitisset : tum etiam angelos, tum homines primitus creatos; et illos quidem cœli habitatores, hos autem terræ incolas, et paradisi cultores constitutos : ad quorum pleniorem notitiam ipsi sedulam veteris instrumenti lectionem impense commendabat. Deinde primorum parentum peccata et pœnas, et illorum ad posteros transfusionem, atque inde totius humanæ infirmitatis originem (unde ut culparum, sic aquarum profluxisset diluvium) explanabat. Post illud quoque, perditi generis instaurationem, et patriarcharum seriem atque fidem, egregiaque numinis instinctu facinora in oculis defigebat. Tum vero ad scriptam Dei voluntate, et angelorum ministerio cœlitus delatam legem, ac Moysi in manus traditam aggrediebatur : cujus legis præcepta duabus tabulis exarata cum mirifice dilaudasset, eaque non solum naturæ conformia, sed etiam humanæ societati conservandæ necessaria commonstrasset, dehinc multitudinem **436** rituum ac cæremoniarum rudi duroque populo, ad perdomandam ejus ferociam, congruenter quidem initio impositarum, sed nunc, mutatis temporibus, earumdem nimiam difficultatem, atque ex ea re plurimas mortalium partim transgressiones, partim anxietates (prout vel existimatio neglectum, vel nimia sollicitudo superstitionem pareret) verbis exaggerabat. Ex quibus omnibus, ac præcipue ex perpeti hominum exitio ac ruina, efficere nitebatur, et profecto efficiebat, opus fuisse omnino, ut lege veteri exarescente, rebusque pessum euntibus, nova lex, novus legislator adveniret; et quidem talis, cui potestas et imperium in omnes esset. Itaque Deum Patrem misisse e cœlo unigenam Filium suum, qui juncta sibi et conglutinata nostra natura, simul Deus simul homo exsistens, redimere modo optimo genus mortalium, et pro sua infinita sapientia sciret, et pro inexhausta potentia posset, et pro immensa bonitate vellet. Super quibus altissimis fidei nostræ mysteriis, cum Dionysio tanquam acuto et solerti in paucis philosopho multa succurrerent ex adverso, eaque nec levia nec spernenda argumenta, hæc ubi magistro suo lucis habendæ gratia proposuisset, ab hoc e vestigio tam lucide habebat exposita, et novis insuper aliorum nodorum exsolutionibus conjunctim declarata, ut multo semper plus referret, quam quæsisset. Cum enim Paulum minime fugeret, quantus olim in Republica Christiana futurus esset Dionysius, accelerabat hominem Ecclesiæ necessarium opportunis instruere documentis, atque in ejus animam, velut in quamdam sacrorum depositorum arcam fidelissimam, omnes scientiæ ac sapientiæ suæ thesauros congerere. Itaque, cui nec acre deerat ingenium, et talis ac tantus magister suppetebat, facile fuit, accedente in primis non impari diligentia, eo divinarum rerum cognitionibus brevi tempore pervenire, quo pauci multis annorum spatiis vix ac ne vix quidem potuerint attingere. Denique (ut quid Paulus Dionysio contulerit, paucis et significantibus verbis e Scriptura complectar (*circumduxit eum et docuit* [x].) Nam Paulo Græciam et Asiam peragranti tres ipsos annos adhæsisse Dionysium (51), constans est fides. Illo igitur theologiæ magistro maxime et primo omnium usus est : secundum hunc autem S. Hierotheo (52), viro, si non omnino pari apostolis, certe suppari, et mirificis Dei optimi maximi donis ubertim cumulato. De quo in præsentia (quod alias opportunior, cum ejus describetur vita, futurus sit enarrandi locus) plura non tangam. Quia vero minime satis est homini ad Ecclesiæ gubernacula admovendo, quantacunque pollere scientia, seu sacra seu profana; sed opus præterea est, ac præcipue quidem, multa eximiaque virtute (nam illa instrumenti duntaxat, hæc autem animæ locum tenet), idcirco Dionysius tanto in hanc quam in illam incubuit impensius, quanto anima instrumento præstabilior est. Nec longe illi petenda omnigenæ virtutis aut documenta fuerunt aut exempla, cum et illa identidem ex magistri ore, velut certissima oracula audiret; et hæc in ejusdem vita et moribus, quasi in pulcherrima pictura, quotidie legeret. Quare illius exemplo, corpus suum (quæ prima est tendentibus ad vitæ perfectionem via) crebris jejuniis, vigiliis, laboribus (53) perdomabat, atque in servitutem quotidie redigebat. Neque enim poterat nec volebat in comitatu Pauli aliud facere quam Paulus. Ubi ergo Paulus (quemadmodum de se ipse prædicat) cum aliis in multis malis fuit, tum nominatim *in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate* [a], sic et Dionysius, ut magistri germanus discipulus, esse in iisdem voluit : nec quidquam in vitæ victusque commodis, aut malorum immunitatibus habere singulare. Quippe ex Evangelii lectione didicerat, sufficere *discipulo, ut sit sicut magister ejus; et servo, sicut dominus ejus* [b]. Nolebat igitur, laborante, aut vigilante, aut jejunante magistro, vel otiosus esse, vel somnolentus, vel genio deditus; sed belli illius intestini et continuæ pugnæ, in qua inter se hostiliter caro et spiritus, licet habitatione conjunctissimi, assidue confligunt, conscius (*caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* [c]) huic arma sua, quibus prævaleret et insolesceret, detrahere; et illi auxilia et nervos, quibus legitimo suo potiretur dominatu, institit acquirere. Itaque lecti, mensæ, aliarumque rerum hujusmodi, non modo delicias, sed etiam minus necessarias commoditates generoso animo circumcidit. Spiritui vero prorsus e contrario, non solum quas potuit commoditates, sed etiam delicias omnes, tametsi eas non semper, nec omni ex parte necessarias, indulsit. Quas autem? Nimirum continuas ad Deum pre-

[x] Deut. xxxii, 10. [a] II Cor. xi. 27. [b] Matth. x. 25. [c] Gal. v, 17.

Digitized by Google

cationes, quibus nihil nec sapidius esse potest, nec salubrius; deinde sancti Evangelii et aliarum sacrarum Scripturarum lectionem, non tantum diurnis, sed etiam nocturnis horis frequentatam; qua nescio an quidpiam adversus malarum voluptatum exitiales illecebras reperiri fortius valeat atque solidius. Denique (ut alia omittam) divinæ illius mensæ, et panis vivifici quotidianum pastum, unicas devotæ animæ delicias, quibus tamen deliciis (nec enim id de omnibus dici potest) et robur quoque inest et immortalitas. Hæc igitur quatuor inter alia plurimi faciebat (quæ et omnes sane, qui nomen aliquod in **437** perfectiore vita obtinere apud Deum volunt, plurimi facere, et maximo in pretio habere debent) corporis scilicet invictam depressionem, orationis usum indeficientem, sacræ lectionis studium indefatigabile, divini epuli famem gustumque insatiabilem : primum quidem ea de causa, quod quanto corpus deprimitur, tanto fere spiritus elevatur : secundum autem, quod sapienter intelligeret : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* esse, *descendens a Patre luminum*[d], et continentiam atque sapientiam non tam humana ope acquiri, quam rite postulantibus manu divina conferri; tertium vero, quod minime ignoraret, sacræ Scripturæ verba spiritum et vitam esse; quartum denique, quod certus exsisteret, omnes Divinitatis thesauros illo in sacramento plenius atque uberius quam uspiam alibi, cum hominibus communicari. Itaque per sollicitam corporis macerationem, et assiduam precationum in cœlos ejaculationem, ad alias virtutes (quarum istæ non tantum fundamenta, sed etiam fomenta sunt) sibi viam stravit. Quin etiam eousque et laborando et connitendo progressus est, ut nihil eum corpus, aut certe prope nihil retardaret, quominus et divinas litteras hominibus terrestribus, et frivola voluptatum amantibus inaccessas penetraret : ac sese insuper (adjuvante in primis ac sublevante illa gratia, quæ in sacramento sacramentorum plurima suscipitur) visis cœlestibus, et angelicis collocutionibus dignum exhiberet. Paulus igitur hos sui discipuli profectus videns, et egregia virtutum specimina, quæ in dies affatim exhibebat, cum animo suo subinde pensitans miro efferebatur gaudio. Nam ita Dionysius cunctos sui magistri mores induerat, ita omnem ejus disciplinam, speculi instar nitidissimi, repræsentabat, ut hic eum contemplans, velut alterum se in eo contemplari videretur; ut nec immerito eadem illi posset dicere, quæ alii cuidam discipulorum, licet adeo quodam sensu, dixit : *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam*[e]. Quippe adeo hæc noster Areopagita erat assecutus, ut non tantum ea in Paulo esse meminisset, sed ipse etiam vita et moribus repræsentaret. Quare Paulus nihil amplius differendum ratus, quin tantum lumen ad dispergendas gentilitiorum errorum tenebras in sublimi poneret, eum magno totius Ecclesiæ bono, sed occidentalis præsertim, ut post videbitur, longe maximo, creavit episcopum, Atheniensique Ecclesiæ jam ad lucem assurgenti præesse voluit : sive primum (ut alius Dionysius (54) Corinthiorum antistes et scriptor perantiquus memorat) sive secundum, ut e Græcorum Menæo (55) (ubi primus locus sancto Hierotheo assignatur) colligi potest : nam in primis fere omnium Ecclesiarum episcopis, non modo propter ingenia hominum, naturali quodam vitio antiquitatem affectantia, sed etiam propter frequentes ipsorum episcoporum ab uno loco ad alium migrationes, magna inveniendi ordinis beatæque successionis assignandæ difficultas exoritur. Constat enim, uti enascente, sic adolescente Ecclesia, non apostolos tantum, sed ipsorum quoque discipulos incredibili quodam fidei ardore succensos, non unius loci ditionisve angustiis labores terminasse suos, sed Ecclesia satis alicubi fundata instructaque, relicto inibi aliquo e discipulis successore, alias in terra Evangelii quam longissime propagandi studio cupide commigrasse. Unde et Historiæ Ecclesiasticæ (56) principem valde laudo, qui hunc illorum morem (prælucet enim veritati) minime tacitum præteriit, sed de his ipsis, quæ jam transcurrimus, temporibus agens, deque viris Apostolicis (qui usque ad S. Quadratum, Dionysii nostri, post Hublium, in eodem Atheniensi episcopatu successorem, exstiterunt) mentionem inducens, in hanc fere sententiam. « Plurimi, inquit, ea tempestate ardentiori cœlestis sapientiæ amore succensi, et animos divini verbi thyrso percussi, primo quidem salutaribus obsequentes cohortationibus, copias suas in egenos distribuebant, deinde relicta domo et patria, munus Evangelicæ prædicationis aggrediebantur, atque iis potissime, qui nihil dum Christianæ fidei inaudissent, Christum annuntiato, et sanctorum Evangeliorum Scripturas aperire, omni studio contendebant. Hi autem jactis in peregrina terra fidei fundamentis, cum alios pro se pastores ibidem ordinassent, et novarum Ecclesiæ plantarum curam culturamque eis demandassent, tum ad alias inde regiones atque gentes sese cum Dei gratia atque adjutorio transferebant. Quippe cum illo etiam tempore plurima ab illis miracula, Spiritus sancti virtute designarentur : quibus fiebat, ut ad primas eorum conciones, plurima mortalium turba veram erga Deum pietatem atque cultum avidis animis combiberent. » Sic ille. Cum igitur non raro accideret, nonnullos ex iis pastoribus perexiguo tempore, et rebus non satis exacte ordinatis, in episcopali throno considere, hinc factum est, ut iis in serie episcoporum præteritis, ipsorum successores, qui et diutius eas provincias administrassent, et in rebus Ecclesiæ stabiliendis plus laborassent, pro primis episcopis haberentur. Ita Hierotheum Ecclesiam Atheniensem a Paulo vixdum inchoatam, primum suscepisse, auxisse, rexisse, docuisse arbitrandum est; sed eo paucis post annis ad alia, quo Spiritus agebat, digresso, aut etiam ab apostolis evocato et misso (nam in Hispaniam concessisse (57), et ibi episcopatum tenuisse, in confesso est) Dionysium a Paulo eidem **438** Ecclesiæ præfectum esse : idque anno circiter a Christi ortu quinquagesimo quinto (58) : quo tempore agebat ipse Dionysius annum ætatis fere quadragesimum sextum, parque erat tam regendæ Ecclesiæ, quam quibusvis laboribus pro suscepti muneris ratione sufferendis. Quæ quidem quemadmodum præstiterit, et quibus in fundando atque ordinando Atheniensi episcopatu virtutibus efloruerit, nunc tempus est breviter exponendi.

[d] Jac. I, 17. [e] II Tim. III, 10.

NOTATIONES.

(49) *Ex quo tempore novus hic Christi miles*, etc. Agitur in hoc cap. de S. Dionysii præceptoribus in doctrina fidei, et sub illis profectu eximio.

(50) *Sed præ omnibus et diutius omnibus, Paulum.* Quin Paulus apostolus et doctor gentium, præceptor S. Dionysii Areopagitæ fuerit, nefas est dubitare. Vide quæ diximus in productis e Græcorum Menæo *Elogiis*. Verum quod quidam hæretici improbe effutire ausi sunt, Dionysium ne semel præceptoris sui Pauli meminisse, juvat breviter ad refrenandam impudentium mendaciorum audaciam aliquot colligere, in quibus perhonorificam magistri sui facit mentionem.

1. Igitur in libro *De divinis nominibus*, c. 2, sic

Digitized by Google

ait : Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἐπὶ τὴν θείαν φωτοδοσίαν χειραγωγὸς, ὁ πολὺς τὰ θεῖα, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, τάδε φησὶν ἐνθεαστικῶς ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ Γράμμασι· « Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ, εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ γῆς (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοὶ), ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν, καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ, » etc. *Et hoc cum præcellenter intellexisset communis meus et præceptoris mei ad divinam illustrationem manuductor, qui magnus in divinis est, et lux mundi, hæc in sacris Epistolis suis divino instinctu dicit : Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi) nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum.* Qui locus totidem verbis est in Paulo I ad Cor. cap. VIII. Itaque meminit magistri sui, et cum honore.

2. In eodem lib., cap. 3, utriusque simul magistri, hoc est, Pauli et Hierothei, laudem intulit his verbis : Καὶ ἡμᾶς τοὺς μετὰ Παῦλον τὸν θεῖον, ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων στοιχειωθέντας, etc. *Ac nos, qui post Paulum illum divinum ejus (Hierothei) documentis instituti sumus,* etc.

3. Ibidem cap. 4 : Διὸ καὶ Παῦλος ὁ μέγας ἐν κατοχῇ τοῦ θείου γεγονὼς ἔρωτος καὶ τῆς ἐκστατικῆς αὐτοῦ δυνάμεως μετειληφὼς, ἐνθέῳ στόματι, Ζῶ ἐγὼ, φησὶν, οὐκ ἔτι, etc. *Quocirca et Paulus ille magnus divino amore correptus, atque a se ipse dimotus, divino ore, Vivo,* inquit, *jam non ego, vivit vero in me Christus,* etc.

4. Ibidem, cap. 7 : Καὶ τοῦτο ὑπερφυῶς ἐννοήσας ὁ θεῖος ὄντως ἀνὴρ, ὁ κοινὸς ἡμῶν καὶ τοῦ καθηγεμόνος ἥλιος, Τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων, φησὶν, etc. *Quod cum eximie cognovisset vere divinus vir, communis meus et præceptoris sol, dixit : Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Eant nunc mendaciis suis et calumniis homines improbi et impudentes, et dicant, non meminisse præceptoris sui eum, qui toties et sæpius, tantaque cum laude meminit.

(51) *Nam Paulo Græciam et Asiam peragranti tres ipsos annos adhæsisse Dionysium.* Quin Pauli comes fuerit Dionysius, ambigi non debet. Primi ac præcipui historici id asserunt. Eusebius lib. III *Hist. Eccles.* cap. 4, inter Pauli comites et adjutores illum recenset. Item Nicephorus Callistus, et alii. Verba Michaelis Syngelli idem testantis vide supra cap. 11. Adhæsisse autem ei tres ipsos annos, ex antiquis monumentis et ab Hilduino accepimus.

(52) *Secundum hunc autem S. Hierotheo.* Auctor est ipse Dionysius paulo ante citatus num. 2 et in illis locis quæ ex illo excerpsimus, atque in Vita posuimus cap. 23, ubi non tantum fatetur se Hierothei discipulum, sed etiam prædicat.

(53) *Crebris jejuniis, vigiliis, laboribus.* De his vide Syngelum *in Encomio*, ubi inter alia : Καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀναστάσεως ὅλος ἐραστὴς καὶ ἀγωνιστὴς καθίσταται, προσευχαῖς συντόνοις διημερεύων τε καὶ διανυκτερεύων, καὶ πανυχίσιν ἀϋπνοις ἐγκαρτερῶν, καὶ νηστείαις τὸ σαρκίον δαμάζων, καὶ τὴν χείρονα μοῖραν καθυποτάσσων τῇ κρείττονι, τὸν χοῦν τῷ νοΐ, καὶ τὴν γεώδη καταλεπτύνων παχύτητα, ἢ ταῖς διανοίαις οἷά τις ὁμίχλη ζοφώδης ταῖς ἡλιακαῖς ἀκτῖσιν ἐπιπροσθεῖν εἰώθει. *Et totus ad Deum assurgere amat contenditque continuis precibus diu noctuque insistens, atque insomnibus pervigiliis obdurans, et jejuniis corpus perdomans, ac partem deteriorem præstantiori subjiciens, nempe pulverem menti, et rationi terrestrem crassitiem, quæ intelligentiam non secus ac tenebrosa nebula solares radios, solet obstruere.* Vide ibi plura de virtutibus et miraculis.

(54) *Sive primum (ut alius Dionysius,* etc. Hujus testem habemus Eusebium lib. III *Hist. Eccles.* cap. 14. Sic enim de Areopagita scribit : Ὃν τῆς ἐν Ἀθήναις Ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον ἀρχαίων τις ἕτερος Διονύσιος τῆς Κορινθίων παροικίας ποιμὴν γεγονέναι ἱστορεῖ. *Quem* (Areopagitam) *Atheniensis Ecclesiæ primum episcopum alius ex antiquis Dionysius Corinthiorum episcopus fuisse narrat.* Idem repetit Eusebius lib. IV, cap. 22. Nicephorus Callistus lib. II *Histor. Eccles.* scribit, ipsius Pauli manibus consecratum : Ἐπὶ τόσον δὲ αὐτῷ τὰ τῆς πίστεως, ὡς μὴ μόνον τοῦ θείου καταξιωθῆναι λουτροῦ, ἀλλὰ καὶ διὰ χειρῶν Παύλου Ἀθηνῶν προχειρισθῆναι ἐπίσκοπον. *Tanta erat,* inquit, *in Christum fide, ut non solum divino dignus lavacro esset, verum etiam ipsius Pauli manibus Athenarum crearetur episcopus.*

Sunt qui dicant, hujus consecrationis manu Pauli factæ memoriam exstare etiamnum in ditione Luxemburgensi, in pago Aquila. Abest hic pagus ab urbe Treviris horæ circiter itinere. Ibi exiguum est templum sancto Dionysio Areopagitæ sacrum, et in eo ejusdem sancti cranium, aut potius cranii vertex, cujus in exteriori parte cernitur crux alba, cum cranii reliquum subnigrum sit. Hanc crucem Dionysio **439** impressisse Paulum, dum eum consecraret, communior sermo est ; quorumdam tamen, non tunc, sed dum aqua salutifera illum abluerei ; nam utroque in sacramento signum usurpari crucis in confesso est, et docet ipse Dionysius lib. *De Ecclesiastica hierarchia*, cap. 2 et 5. Verumtamen illa crux, quæcumque demum sit, sive in ordinibus, sive in baptismo efformata, crux est transiens, et extrinsecus tantum signans ; non vero intus et usque ad ossa penetrans, iisque inhærens. Unde consequitur, aut miraculo factum ut crux illa cutem pervaderet, cranioque insisteret ; aut certe, ut, modo, nobis incognito, sic impressa adhæreret. Nam qui dicitur *character sacramenti* ab ejusmodi cruce plane diversus est ; ille enim non corpori, sed animæ imprimitur ; eique indebiliter inhærescit, ac tribus tantum in sacramentis confertur, juxta illum Tridentini concilii canonem 9, sess. 7 : « Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile (unde et iterari non possunt) anathema sit. » At vero crux illa, quæ extrinsecus ab episcopo aut a sacerdote efformatur, corporale signum est, et delebile, et omnibus sacramentis commune.

Tertia vero sententia de tempore impressæ crucis est Joannis Bertelii abbatis Epternacensis, qui in sua *Lutzemburgensi Historia*, summo cranio impressum crucis signum a D. Paulo apostolo refert, cum ab eo jam episcopus in Gallias cum benedictione ablegaretur. Verum hæc sententia teneri non potest, nisi si dicatur Dionysius bis in Galliam esse missus, semel a Paulo, et semel a Clemente, post Pauli mortem. Missum autem a Paulo, nullæ antiquæ litteræ vel minimum vestigium ostendunt : a Clemente autem, ut post liquebit, plurimæ. Meminit hujus cranii Arnoldus Rayssius in suo *Hierogazophylacio*, sive *Thesauro sacrarum Reliquiarum Belgii*, pag. 349. De eodem cranio, et impressa cruce, mecum communicarunt oculati testes P. Joannes Roberti S. theologiæ doctor, et hic Duaci sacrarum Litterarum tunc professor, et P. Joannes Sebastianus philosophiæ eodem tempore in Trevirensi academia magister : quorum hic quidem ea ipsa de causa Aquilam profectus, rem diligentissime examinavit, atque ad me perscripsit : inter alia vero, jam crucem levem esse ac minime porosam, tametsi, quod reliquum est cranii, porosum sit : deinde ex eo cranio, quod argento circumductum scutellam efficit, vinum a peregrinis adversus dolores capitis sumi solitum ; unde tam ob miraculorum copiam, quam ob gratias a pontificibus concessas, magno inibi esse in honore. Quod autem id cranium, sive potius cranii suprema pars, sit

Digitized by Google

ipsius Areopagitæ, hoc indigenæ ex majorum suorum prisca traditione habere se asseverant. Unde vero, aut quando acceperint, memoriæ proditum non habent.

(55) *Sive secundum, ut e Græcorum Menæo*, etc. Diserte Menæum ad diem 4 Octob. Hierotheum Dionysii magistrum, vocat Athenarum episcopum, cum sic de illo : Προχατηχηθεὶς καὶ παρὰ τοῦ ἀποστόλου Παύλου ἐπίσκοπος χειροτονεῖται Ἀθηνῶν, etc. *Primum ab apostolo Paulo eruditus Athenarum constituitur episcopus.* Quod si Hierotheus Athenis episcopus fuit, certe primus fuit, Dionysius autem secundus. Nam Dionysio successit Publius, Publio Quadratus.

(56) Eusebius lib. III *Hist. eccl.*, c. 37.

(57) *Nam in Hispaniam concessisse*, etc. Cum sanctus Paulus magno teneretur desiderio in Hispaniam proficiscendi, (quod insinuavit in Epistola ad Romanos, cap. XV, his verbis : *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos*, etc., diu autem ejus impediretur iter, credibile est tum misisse Hierotheum in Hispaniam, et Athenis in Hierothei locum constituisse Dionysium. Constat autem communi Hispanorum scriptorum consensu, Hierotheum in Hispania fuisse episcopum. De quo plura in ipsius Hierothei Vita.

(58) *Idque anno circiter a Christi ortu* 55. Hic annus erat ætatis Dionysii 46, quandoquidem junior Christo fuit annis 9. Cum autem Dionysius ad Christi fidem conversus sit anno ætatis suæ 43, ut ante declaratum est, atque inter hanc conversionem et episcopatum, tempus duntaxat triennii intercesserit, ut tenetur communiter, recte colligitur, tam anno suo 46 quam Christi 55, habenas suscepisse Atheniensis Ecclesiæ. Quam sententiam et illi præcipue amplectuntur, qui Dionysium primum omnino Athenarum antistitem esse volunt. Nec enim ullam habere potest veri speciem, eam urbem, multis jam ad fidem traductis, episcopatu caruisse plus triennio. Qui autem tantummodo secundum fuisse dicunt, tamen cum prioris tam exigua exstiterit memoria, ut a plurimis in serie prætereatur episcoporum, saltem hanc opinionem admittent ut probabilem.

CAPUT V.

Dionysii in fundando et ordinando episcopatu Atheniensi eximia virtus et industria.

Erat Ecclesia Atheniensis, cum eam Dionysius moderandam suscepit, in suis adhuc incunabulis, pusilla, debilis, infirma, sancti Hierothei quidem lacte utcunque nutrita (nam Paulus obiter tantum (59) et per transennam, quod alio festinaret, semina fidei projecerat), sed nondum per ætatem vegetis et fortibus membris : quippe quorum augmento et vigori, adversa quorumdam levium, et novam fidem irridentium philosophorum (60) aura plurimum officiebat. Quibus tamen revincendis, ut sane quam laboriosam, sic perutilem hactenus operam idem Hierotheus navaverat; sed alio Dei voluntate traductus, præcipuam fundatæ ac firmatæ illius Ecclesiæ laudem Dionysio reliquit. Hic enim annos multos eam tenuit, tantaque statim ab initio diligentia ad illius amplificationem, confirmationem, ordinationem 440 incubuit, ut tandem nulli Ecclesiarum Græciæ, neque numero, neque robore, neque apta singulorum inter se membrorum convenientia, ulla ex parte concederet. Nam a Pauli comitatu in eam urbem reversus, illo spiritu fervens, quem a tali magistro acceperat, et quem communicare cum suis popularibus quam plurimis æstuabat, confestim præcipuos Ecclesiæ, quibus maxime confidi posse didicerat, adire, benigne affari, participes suorum consiliorum efficere, de Paulo et ejus factis visa auditaque narrare, vicissim item sciscitari de numero Christianorum Atheniensium, de fervore, de constantia, de adversariis, de eorum conatibus, dolis, impugnationibus, aliisque ad rem prudenter inter hostes gerendam cognitu necessariis : denique adhortari eos, ut singuli pro viribus, alius cognatos et affines, alius vicinos et amicos, alius hospites et advenas ad notitiam *Ignoti Dei* et Salvatoris nostri Jesu Christi adducerent. Et videre erat unumquemque, ardentibus pastoris sui verbis inflammatum, pro se omnem operam atque industriam spondere, et spes non vanas aut horum aut illorum ad fidem pertrahendorum ostendere. Ita ignis ubique charitatis cum ingenti omnium gaudio et incredibili ex mutuo conspectu animorum exsultatione, et sui pro unica Dei gloria devotione promicabat. Dixisset aliquis, aureum illud primæ Ecclesiæ sæculum, quo Jerosolymis *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* [f], Athenis Dionysio auctore atque duce esse renovatum. Sic brevi bonus accessit ad veteranos tironum numerus, partim sapientiæ et spiritui doctiorum, cui resistere non poterant, manus dantes, partim imbecillioris sexus insuetata modestia, gravitate, castimonia in stuporem rapti, partim denique singulari omnium in dictis et factis prudentia, æquitate, fide, constantia, cæterisque virtutibus suaviter simul potenterque perducti. Facillimum enim erat vel ipso aspectu (sic in alteris modestia perlucebat) Christianos gentilesque internoscere. Nihil enim in istis leve, nihil fallax, nihil fucatum, nihil arrogans, nihil turbidum, nihil denique non ex optima et sincerissima profectum disciplina cernebatur. Ita ut vel inimicis ipsis, tanta virtutum vi convictis, perquam suave interdum videretur, per odorem istorum unguentorum ad totam Christianæ religionis fragrantiam, cum amoris impetu decurrere. Et quia nihil fere est, quod ita hominum demulcere devincireque animos soleat, quam in summa dignitate et auctoritate par animi demissio atque humanitas, incredibile dictu est, quantum apud cives suos hisce virtutibus effecerit Dionysius; nempe qui cum esset (uti prius fuerat Areopagi caput) sic modo totius Atheniensis Ecclesiæ princeps, tamen tantum infra se modestia, mansuetudine, affabilitate, descenderet, nulli ut se præferre, cunctos sibi æquare vellet : adeoque id ageret, ut nullius privati domus tam uni pateret amicissimo, quam suæ ædes apertæ essent omnibus. Ita faciles ad eum aditus omnium erant, non honestiorum modo, sed pauperum quoque et pupillorum et viduarum, imo horum potius; quibus etiam magistri sui Pauli exemplo, non tantum animæ documenta necessaria, sed corpori quoque sustentando æris collectanei stipes opportunas procurabat. His igitur aliisque ejus officiis, cum Ecclesiæ corpus satis copiosa frequentia coagmentatum, pro faciliori regimine ac profectu exigere videretur, ut gradus officiaque, quemadmodum in bene morata republica solet, constituerentur; rem hanc Dionysius, ut quondam apostoli in electione diaconorum, totius congregationis precibus etiam atque etiam commendavit : ipse vero præ omnibus ad hoc opus, tam sacrificia et vota quam nocturnas diurnasque preces tota mentis contentione adhibuit : donec tandem docente intus Spiritu, quid ex usu commissi sibi gregis, et ad majorem Dei gloriam esset, liquido cognovit, et bono publico foras produxit. Cum igitur omnis populus Christianus duas in classes (61) ex antiquo esset divisus, nempe aliquorum sacris ministeriis addictorum, et aliorum omnis sacri muneris exsortium

[f] Act. IV, 32.

Digitized by Google

(priores nunc clerici, posteriores laici appellantur) primo quidem ad priores aggressus, curavit ut qui vel in sacerdotes vel in diaconos essent coaptati (62), quam horum unusquisque personam gereret, quodcunque sacrum munus obiret, id tanquam Deo præsente et inspectante, imo et cultum, qui sibi exhibeatur, admittente, omni cum diligentia, cura, sollicitudine, purum castumque præstaret. In eos enim totius plebis dirigi oculos, nec ab eorum duntaxat verbis aut mandatis, sed etiam (ac multo fortasse magis) ab eorum vita et moribus, suæ institutionis condiscere disciplinam. Ac proinde diligenter cavendum, ne quid in credito sibi munere seu grande seu parvum committerent, quod observantibus subditis offensioni esse posset. Quibus recte et ordine constitutis, ad alterutrum Ecclesiæ membrum, sive ad laicos conversus, bonum factum judicavit eos in tres gradus distinguere (63), quorum postremus sit eorum, qui a sacrorum mysteriorum inspectione et usurpatione arcentur; medius, eorum qui ad hæc admittuntur, et sanctus populus appellantur; primus autem et præcipuus, monachorum seu cultorum: hi enim majorem quamdam et sublimiorem quam medius gradus perfectionem profitentur, propterea que etiam certis ritibus non quidem ab episcopis, sed a sacerdotibus consecrantur. **441** Quod autem ad postremum seu infimum populi Christiani gradum attinet, eum in tres partes vir sanctus dispertiit, nimirum in catechumenos, in energumenos, et in pœnitentes. Catechumeni vocantur ii qui primis fidei rudimentis imbuuntur, atque ad sanctam per lavacrum salutare regenerationem præparantur. Energumeni autem, qui a malis spiritibus agitantur, vera alioqui per susceptum antea baptisma Ecclesiæ membra. Pœnitentes denique, qui publicis gravibusque peccatis se indignos sanctissimorum participatione mysteriorum reddiderunt. Hos omnes admittebat quidem magnus pontifex in sacram ædem, dum fierent conventus, permittebat sacrarum Litterarum lectioni et expositioni interesse (his enim erudiebantur atque sanabantur), sed cum, illis absolutis, ad ipsas sacrosancta venerandæ eucharistiæ mysteria celebranda se accingeret, tum vero ad majorem tantorum mysteriorum honorem (quæ quantam maximam exigunt assistentium puritatem ac sanctimoniam) jubebat eos, ut minus mundos minusve capaces, absistere. Quod illi quidem nec inviti (quippe ita edocti erant) nec prorsus illibenter faciebant. Dionysius enim, uti sapiens et alta quadam mente præditus erat, in hoc impense laboraverat, ut magnam inter ordines atque gradus concordiam animorumque consensionem stabiliret. Absque hac enim nullam rempublicam, nullum concilium, nullam religionem, nullum conventum stare posse; rem Christianam Athenis hactenus concordia cœpisse et crevisse, eadem concordia deinceps firmam ac stabilem fore. Nec vero plus esse causæ, quamobrem inferiores in Ecclesia gradus altioribus aut invideant aut obtrectent, quam in corpore vel pedes manibus, vel femora humeris, vel artus membraque omnia capiti. Nam hanc universorum salutem esse, et optimam compositionem, cum unumquodque membrum, sua contentum sorte, propriis insistat officiis, et si qua possit, opituletur etiam, non vero obstrepat alienis. In corpore humano singula singulis membris munia ab ipsorum auctore attributa esse: mutuamque inter ipsa ex naturæ instinctu semper durare concordiam: in corpore item Ecclesiæ ab episcopis quidem, sed divinitus directis, sua unicuique ordini et gradui officia distribui; in quibus si volentes libentesque perstiterint, non modo nunc saluti et prosperitati ipsis fore, sed etiam postea perpetuo honori ac sempiternæ gloriæ. Hujuscemodi ergo rationibus inducti locum tenebant unusquisque in sacris conventibus, quem pontifex assignasset. Non erant quidem tum Christianis augusta templa, sed in iis tamen quæ erant, suum quisque locum norat. Adyta tenebat et ingrediebatur solus pontifex, eique subditus ordo sacer: proximas penetralibus sedes monachi occupabant: non quales nunc sunt monachi, a populo secreti, et patrem aut rectorem habentes aliquem ordinis sui, sed qui pars populi erant, et patriis in ædibus habitantes, pro sacrorum magistro ac præsule solum episcopum, vel aliquem constitutum ab episcopo sacerdotem, agnoscebant. Secundum monachos, reliquus fidelis populus consistebat, cui ad inspicienda et fruenda diviniora mysteria jus erat. Paulo ab his longius subsidebant, qui immundi censebantur, aut qui omnium expertes sacramentorum erant; primo quidem, qui defectionis a fide, vel alterius gravis delicti culpam lugebant, et pœnitentiam mœrore publico profitebantur: deinde qui a dæmonibus possessi, aut obsessi, aut miserandum in modum vexati erant: postremo autem loco, qui nullo cum sacramento essent initiati. Nam hos utpote in Christo necdum regenitos, neque sacris vitæ novæ radiis eatenus collustratos, æquum est iis cedere, qui licet tentationibus victi peccato succubuerint, aut locum dæmonis insultibus dederint, tamen et renati sunt in Christo, et gregi fidelium ascripti, et eorumdem cum illis sacramentorum participes effecti. Quibus ita constitutis, ad sacrorum rituum ac cærimoniarum curam (64), quibus non parvus sacramentis honos ac reverentia conciliatur, mentem adjecit. Hos igitur ritus pietatis atque sanctitatis plenos cum induxisset, eos cum ipse primus observavit exactissime tum ab aliis sacrorum ministris præcipua diligentia observari jussit. Quare Atheniensis Ecclesia tam sancto regente pontifice, Christianis quidem mire speciosa et amabilis apparebat, ac velut altera novi Salomonis aula, hostibus vero insidiantibus munita, et terribilis ut castrorum acies ordinata: quippe cui nec foris pulchritudo desideraretur cæremoniarum, nec intus fortitudo deesset virtutum; nam in utrumque vir longe vigilantissimus et oculatissimus sedulo excubabat, uti et religionis exterior species foris respectantibus pietatem excitaret, et interior devotæ mentis sanctimonia divinas e cœlo gratias devocaret. Quis autem vel sermone eloqui, vel etiam concipere animo possit, qualis ipse pontifex Dionysius (65), dum sacris operaretur, quantusve fuerit, quam compositus corpore, mente, spiritu, quam remotis a terra sensibus, quam cunctis animæ viribus cœlo Deoque intentis, et ad capienda divina vibratis! Satis sane erat incendendis ad devotionem atque fervorem omnium cordibus, una sui præsulis Deo immolantis consideratio. Itaque ad sacros cœtus, quoties ii cumque haberentur, magna semper erat concurrentium promptitudo, magna alacritas animorum: quando scilicet eum visuri sacrificantem essent, **442** quando verba de divinis facientem audituri, eum, inquam, cujus vel solus conspectus, vel cogitata tantum præsentia, non mediocres animis indere virtutis stimulos quibant. Ejus porro verba, cum ad turbam suam concionaretur, ejusmodi erant, quæ non externos sensus dictionis mollitie titillarent, vel aures blanditiis ungerent, sed quæ mentes acriter ad virtutem cierent, et salubri peccatorum confricatione ad pœnitentiam pungerent. Itaque sub ejus conciones plus suspiriorum audiebatur, quam laudum et acclamationum, plus verarum lacrymarum cernebatur, quam inanium plausuum (66). Erant enim ejus sermones non de jucundis, sed de utilibus, atque ut plurimum de finibus hominis, de morte, de judicio, de horrendis post hoc fugacis ævi suppliciis, deque aliis ejusdem modi argumentis, ut posset cum Paulo præceptore suo dicere: *Vos scitis quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, et docerem vos publice, et per domos, testificans Judæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum* [s]. Quidquid enim fecit Paulus, hoc fere est imitatus

[s] Act. xx, 20.

Digitized by Google

Dionysius. Nec enim illa surdis excepit auribus, quæ identidem suis ingeminabat præceptor : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [h]. Et illud ad Philippenses : *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram* [i]. Quis autem magis illam Pauli formam habuit quam Dionysius, qui illam non in vita modo (quod et alii e discipulis fortasse multis), sed etiam simillima in morte præstitit, quod non ita multi. Verum de his posterius ; nam alia illis prævertenda sunt. Et ecce

[h] I Cor. IV, 16. [i] Philipp. III, 17.

NOTATIONES.

(59) *Nam Paulus obiter tantum*, etc. Sanctum Paulum non diu Athenis commoratum esse, licet ex Actis apostolorum colligi, cap. XVII et XVIII. Vide etiam Cornelii a Lapide *Chronotaxin Actuum apostolorum*, pag. 4. Causa vero cur tantisper ibi hæserit, fuit, quod Silam et Timotheum exspectaret : ante quorum tamen adventum, quia diutius morabantur, ipso anno quo Athenas advenerat excessit, et Corinthum petiit, ubi cum Sila et Timotheo biennium exegit.

(60) *Adversa quorumdam levum et novam fidem irridentium philosophorum.* Id testatur sanctus Lucas Actorum XVII, ubi scribit Epicureos et Stoicos philosophos cum Paulo disputasse, eumque despicatui habuisse. Erant enim Epicurei leves et voluptuosi, ideoque Christianam religionem, sobrietatis et castimoniæ studiosam, et futura præsentibus anteponentem, contemnebant. Stoici autem suis mordicus inhærentes decretis, et de Deo, de justitia, de misericordia, de aliis virtutibus a nobis diversissima sentientes, et nimio plus omnibus se sapere arbitrantes, nostra præ suis aspernabantur.

(61) *Cum igitur omnis populus Christianus duas in classes*, etc. Antiquissima et generalissima est hæc Christiani gregis divisio, in addictos sacris ministeriis, et in horum expertes, sive in clericos et in laicos, quæ brevissima et commodissima est divisio. De quibus nominibus, ne alio properans detinear, vide doctissimum Bellarminum libro *De clericis*, et Baronium tomo primo *Annalium*, Christi 44.

(62) *Ut qui in sacerdotes vel in diaconos.* Dionysius in suis, qui nunc exstant, libris nullorum ordinum infra episcopos meminit, nisi sacerdotum et diaconorum ; quorum etiam solorum in sacris Litteris est mentio. Ex quo Scriptoris antiquitas, imo et scriptorum ipsius, colligi potest. Neque enim, cum diutissime vixerit, extrema ætate sua scripsit, sive secundo sæculo (quo plures erant in Ecclesia distincti ordines), sed primo. Quamvis initio secundi nonnulla retractantis more addiderit, ut quæstione 2 disputavimus. Nec male etiam dici posset, nomine diaconorum (quod capi generatim potest, uti et nomen ministrorum) omnes ordines episcopo et sacerdoti ministrantes comprehendisse.

(63) *In tres gradus distinguere.* Populi seu laicorum in tres gradus distinctionem tractat Dionysius lib. *De hierarchia ecclesiastica*, cap. 6. Vide in Documentis. Vocat autem illos gradus τάξεις καθαιρομένας, *ordines qui purgantur*, hoc est, qui a peccato et ignorantia mundantur : cujusmodi sunt omnes qui non recensentur inter sacros Ecclesiæ ministros. Talis illorum distinctionis series a sancto Maximo disponitur :

Αἱ καθαιρόμεναι τάξεις διαιροῦνται

Εἰς τοὺς ἐκβαλλομένους τῶν ἱερῶν,	Εἰς τὸν πιστὸν λαὸν,	Εἰς μοναχοὺς ἤτοι θεραπευτάς.

Ordines qui purgantur, dividuntur

In eos qui e templis emittuntur,	In fidelem populum,	In monachos sive cultores.

Quid sit porro purgare et purgari, illustrare et illustrari, perficere et perfici, petendum ex Documentis.

Addo et aliam seriem a S. Maximo omissam, quo intelligatur qui sint qui e templo emittantur, et quam ob causam :

Οἱ ἐκβαλλόμενοι τῶν ἱερῶν διαιροῦνται

Εἰς κατηχουμένους,	Εἰς μετανοοῦντας,	Εἰς ἐνεργουμένους.

Qui templis emittuntur, dividuntur

In catechumenos,	In pœnitentes,	In energumenos.

Catechumeni sunt, qui ante baptismum eruditur fidei elementis.

443 Pœnitentes, qui ob hæresim aut alia gravia peccata, pœna sunt obnoxii.

Energumeni, qui a dæmonibus vexantur, aut turbantur, aut obsidentur.

Hi omnes egebant purgatione : primi quidem a peccato originali et ignorantia rerum fidei ; secundi a peccatis post baptismum commissis ; tertii a contaminatione diaboli. Idcirco propter suam impuritatem, antequam ad consecrationem veniretur sanctissimi sacramenti, auditis tantum iis quæ prodesse ipsis poterant, dimittebantur e templo, sicque solis præsentibus, quorum vitæ puritas et innocentia tanto sacramento, et ipsius veri Dei et hominis Jesu Christi præsentia atque majestate non indigna erat, perficiebatur veneranda hominibus et angelis eucharistia.

Sic quidem primis omnino temporibus : nam postea soli catechumeni a sacris mysteriis, ut in SS. Basilii et Chrysostomi *Liturgiis* observare est, absistere jubebantur, idque diacono post evangelium et recitatam pro catechumenis ab episcopo precationem aliquoties proclamante, ut egrederentur. Voces diaconi erant hæ : Ὅσοι κατηχούμενοι, προέλθετε. Οἱ κατηχούμενοι, προέλθετε. Ὅσοι κατηχούμενοι, προέλθετε. Μή τις τῶν κατηχουμένων. *Quicunque estis catechumeni, exite. Catechumeni, exite. Quicunque estis catechumeni, exite. Ne quis catechumenorum.* Deinde iis egressis, subdebat ad sanctum populum : Ὅσοι πιστοί, ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν· *Quicunque fideles etiam atque etiam in pace Dominum oremus.*

(64) *Ad sacrorum rituum ac cæremoniarum curam.* In cultu divino semper imperatæ observatæque sunt ab auctoribus vel promulgatoribus sacrorum certæ cæremoniæ, ad hoc videlicet institutæ, ut majore cum reverentia et honore ea quæ ad Deum spectant, agerentur et tractarentur. Tales in lege veteri sunt plurimæ, et Deo quidem ipso auctore, commendatæ. Tales et in nova non paucæ, partim ab apostolis, partim ab apostolorum successoribus abundantioris pietatis ac religionis causa constitutæ. Eas autem non tantum describit, sed et explicat sanctus Dionysius. Cui eam ob rem de Ecclesia optime merito, si quis obstrepat ingratus, næ is pessimus homo est, et pro tanta inhumanitate vix homo. Plura vis de cæremoniis ? tibi videndi sunt Baronius et Bellarminus.

(65) *Qualis ipse pontifex Dionysius.* Si unquam alias, tunc totus Dei erat Dionysius, cum ad aram faceret, et quasi in Deum transformatus. Ignes pietatis et ejus thura devotionis duo in primis testantur : unum, quod ita se in sacrificii tempore componeret, ita gereret, quasi ipsis in cœlis Deo præsens esset ; alterum, quod divina in carcere divino spiritu et fervore celebranti, Christus ipse aspectabili forma occurrerit, et acceptam ex altari hostiam sua manu obtulerit. Quæ duo ex veteribus martyrii ejus Actis desumpta sunt.

(66) Michael Syngelus in *Encomio.*

Digitized by Google

nunc ad sacrum apostolorum cœtum, qui Jerosolymis habitus est, et cui interesse Dionysii excellens virtus meruit, præcupida festinat oratio.

CAPUT VI.

Dionysius beatissimæ Virginis conspectu in terris fruitur, et suprema excedentis benedictione in apostolorum cœtu potitur.

(67) Hæc est Dei opt. max. erga servos suos præsertim fide sinceros, et charitate ferventes, benignitas ac munificentia, ut non modo vita perfunctos omni gaudio in æternis beatorum domiciliis perfundat, sed eorum quoque in terris superstitum susceptos labores, aut advenientes extrinsecus molestias, multo interdum consolatione attemperet. Ita cum multis sanctorum, ita cum Dionysio Areopagita illum fecisse, manifestum est. Nam, cum despectis mundi honoribus, et derelicto celeberrimi illius Areopagi fastigio, humilem legis Christianæ modestiam ac submissionem volens lubens amplexus esset, ac modo sub Pauli disciplina (cui totus et anima, et mente, et corde, ut Syngeli utar verbis (68-69), erat agglutinatus) doctrinam, spiritumque apostolicum combibisset, imo et commissam sibi Atheniensem Ecclesiam optimis legibus atque institutis, non sine multis magnisque laboribus, divinitus ordinasset, hoc ipse præter alia inter medios sudores et ærumnas percepit maximæ ac liquidissimæ voluptatis nobile solatium, quod plurium simul apostolorum (qui quidem ea tempestate vitam inter mortales agitabant) per orbem alioqui paulo ante dispersorum, gratissimo conspectu atque congressu, sed præcipue beatissimæ Virginis Deiparæ incomparabili præsentia in hoc mortali corpore dignatus sit. Nempe ad eam brevi post e vita migraturum, tam ipse quam Hierotheus et Timotheus, multique alii egregia vitæ sanctimonia præstantes (70), incredibili sacræ illius atque animatæ Arcæ testamenti visendæ ac honorandæ studio convenerunt : imo et apostoli per diversa terrarum antehac divisi, jam tum divino nutu, sive ab angelis, ut quondam Habacuc propheta [k], aut Philippus diaconus [l], rapti (71), sive levibus nebulis, quod quidam arbitrati sunt (72), per sublime vecti, sive etiam, quod multi factum credunt (73), de appetente ejus excessu aliquanto ante divinitus præmoniti (voluntas enim erat supremi Regis, honorare Matrem, et sepulcrum ejus reddere gloriosum) ad illius brevi emigraturæ virgineum thalamum, velut condicta die, simul unanimes comparuerunt. Erat tum Virgo ætate admodum provecta (annos scilicet circiter septuaginta duos nata [74]) et hujus producendæ vitæ, post fidem in Filium Jesum Christum longe lateque propagatam, minor ei jam restare ratio videbatur, quam illius ad cœlestem illam perfruendam, et revisendum Filium lubenter cupideque dimittendæ. Igitur ardentes ad cœlum preces, 444 quo nunc anima vehementer anhelabat, non semel, sed sæpius sparserat, ut si quidem Deo ita collibitum foret, abire sursum de hac statione ad præparatum sibi domicilium liceret; jamque etiam divinum responsum, et proficiscendi tempus ex animi sententia acceperat, cum fidissimo suo Joanni, tanquam uni omnium secretorum participi et cunctorum, quæ ad justa sibi facienda spectarent, necessario curatori, aperuit. Is vero, quemadmodum velle Virginem matrem cognoverat, sociis apostolis, aliisque Domini discipulis, et iis quorum vota super hac re Deus exaudierat, aut verbo aut scripto mature ut significaretur, providit. Ita undecunque, et ab iis qui procul distabant, Jerosolymam est appropératum, et ab omnibus qui prope aberant, ad montem illum Sion, ubi erat Virgini et Joanni commune domicilium, ingenti studio concursum est. Deus bone! quæ tum illic amicorum inter sese post longinqua tempora, et quam suaves ac jucundæ revisiones, recognitiones, consalutationes! quam stricti amplexus, et quam sancta oscula! cum et discipuli et apostoli, et utrorumque auditores et sectatores, et cuncti invicem mira cum voluptate congrederentur, totosque et ore, et oculis, et osculis, sancto ipsos conglutinante Spiritu, amores effunderent. Bene profecto hæc in monte Sion, monte sancto, monte amabili; monte, in quo nec ros unquam mellifluus, nec opportuna aliquando desideretur pluvia; monte in quo toties sacrosancti Jesu inambularunt pedes, in quo Spiritus sanctus abundantissimas donorum suorum primitias in generosa dilectissimi cœtus corda diffudit : in quo toties et angeli et angelorum hominumque Regina conversati sunt : in quo nunc quoque præcipua totius sanctitatis columina sanctissimæ parenti suæ quam religiosissime parentaturi concurrerunt. Verumenimvero, si de monte Sion talia, quid de ipso Virginis habitaculo et thalamo, hoc est, de præcipua montis illius gloria (nihil enim mons ille unquam habuit neque sanctius, neque augustius, quam istud ipsum, quod Dei Filio, et Dei Matri frequentatum et inhabitatum est domicilium) : quid de illo, inquam, beatissimo domicilio dici aut cogitari dignum potest? quæ ibi fuerunt religiosissimæ pietatis studia! quæ omnigenarum virtutum a Matre sapientiæ sapientissima exercitia! quam fervidæ illic precationes! quam profundæ meditationes! quam altæ contemplationes! qui raptus animi! qui excessus mentis! qualia ex illis penetralibus ad apostolos documenta! qualia ad omnes emanavere consilia, auxilia, solatia, et uno verbo, omnis generis dona perfecta et data optima! Huc ergo in istam bonorum omnium indeficientem apothecam, una cum apostolis et apostolorum paribus noster hic ingredi meruit Dionysius; nec hoc tantum, sed et Reginæ ipsius thalamo appropinquare, et ipsam reginam viventem et videntem cominus intueri, et in divino vultu effulgentes cœlestium gratiarum thesauros contemplari, et verba ex ore illo purissimo, melle simul et favo dulciora, plus nimio felicibus ac fortunatis auribus excipere, et intimis animi medullis condere. O voluptas! o deliciæ! Quam cito tibi, o ter beate Dionysi, quam cito, et quam properanter in talium haustu deliciarum tot exantlati antehac abs te labores, et tot perpessu graves ærumnæ forti animo toleratæ, fumi instar evanuerunt, ac nihil esse nec fuisse convictæ sunt! Sic olim Jacobo patriarchæ septem anni in vita agresti et pastoritia dure exacti, cum super pecore vigilans et æstu ureretur et gelu, tamen speciosæ Rachelis suæ respectu, *videbantur* (ut ait Scriptura [m]) *pauci dies præ amoris magnitudine.* Verum Dionysio totidem fere anni in laboriosissimo episcopatus onere transacti, conspecta Virginis matris plena modestiæ majestate, non modo pauci dies videbantur præ amoris et admirationis magnitudine, sed nulli. Cum vero et adhortantem ipsam ad susceptos in Filii sui vinea labores constanter in finem perferendos audivit, et proposita vincentibus multiformium coronarum præmia singulari cœlestis oris gratia præmonstrantem attendit, cum vero et incredibili amore exarsit, et vix ac ne vix quidem apud se fuit. Denique extrema valedicentis et omnibus bene precantis verba, submisso quantum potuit et corpore et animo, mistisque gaudii et mœroris affectibus excepit, et diu mutus stetit. Ut ille, sic et alii. Illa vero in dulcissimi Filii comitatu, et in præclara subvolantium angelorum pompa, cœlo velocissime penetravit, et præcelsa seraphinorum loca incomparabilis gloriæ plena transcendit. Quis autem in illo articulo fuerit singulorum

[k] Dan. xiv, 33. [l] Act. viii, 39. [m] Gen. xxix, 20.

Digitized by Google

sensus, quis affectus, quæ comploratio, qui gemitus et suspiria, quis dicat? Tacitis proinde, quæ dici non possunt, cogitari vix possunt, tandem exsequiarum cura cum alios omnes, cum apostolos maxime, et cum præcipue Joannem Domini peræque et dominæ dilectum, tanquam hujus domesticum et familiarem, et omnis apparatus e cœlo conscium incessit : et quæ ejus providissima cura fuit, nihil is omnino, quod factum oportuit, infectum prætermisit. Alia litteris persequentur, qui ex instituto laudandum ejus excessum uberius susceperunt : ego his solum nunc insistam, quæ cum Dionysii nostri laude, cujus proprie acta pertractamus, conjuncta sunt. Itaque cæteris exsequiarum justis debite peractis, ad orationes et hymnos funebres ventum est. Placuit enim sacro apostolorum senatui, uti in Matris Domini sui laudes, tam ipsi quam 445 alii pontificum, si quid in se inesset facundiæ et pietatis, experirentur. Hic vero erat apostolos videre et audire velut semideos quosdam, irruente in eos Spiritu commutatos, jam de Filio, jam de Matre, prorsus nova, prorsus mira, prorsus divina, pari et obsecundante stylo deprædicantes: jam item alios atque alios, et in his sanctum Hierotheum Dionysii præceptorem, tam excellenter, ipso teste Dionysii eximii laudatoris partes sustinentem, ut omni ex parte, argumenti, dictionis, actionis, affectionis, nomen plane exæquaret suum. Quid ipse autem Dionysius? Nempe qui alios in cœlum extollit, ipse de se silet. Verum illud ipsum silentium, et tanta Hierothei contra dilaudatio, mihi omni voce expressius clamat, illas ipsas virtutes, quas in magistro tam diligenter observavit, et tantopere commendavit, in semet abundanter habuisse; et quod est in se ipse expertus, hoc de Hierotheo expressisse. Nam hoc ingenuorum est proprium ingeniorum, e suo spiritu atque fervore de simili alterius aut etiam majori benignam cum animis suis facere conjecturam. Si enim et aliis in rebus tantus fuit Dionysius quantum scripta ipsa demonstrant; in hujus Virginis et matris (amabilissimæ dicam, an admirabilissimæ?) celebrandis tali in consessu præconiis quantus exstitisse credendus est? Certe (quod ipse de magistro dixit) totus extra se raptus, totus, in ea quæ sublimissima sublimissime attingebat, transformatus. Sed de hocce apud beatissimam Deiparam sacro conventu, deque profusis in eam honoribus, in præsentia satis. Nam ad tempus quo hæc facta sunt quod attinet (quamvis, ubi de re aliqua constet, pervicacium sit ingeniorum, quærere et altercari de tempore), tamen in anno Christi circiter quinquagesimo octavo, Neronis autem imperii secundo, dicimus accidisse. Rem vero ipsam beatus Juvenalis Hierosolymorum (ubi ea transacta est) episcopus, continua traditione ad sua tempora devolutam, abhinc mille ducentis fere annis Marcianum docebat imperatorem (75). Is enim imperator, cum insigni esset pietate, et conjugem eam haberet, a qua sola in pietatis stadio et studio vinceretur, Pulcheriam Augustam scilicet, coram Deo vere pulchram, illa ipsa hortante, ad beatissimæ Virginis perquirendas reliquias cogitationes applicuit suas. Itaque ipsum Juvenalem patriarcham et alios Palæstinæ episcopos, qui ad Chalcedonense concilium ea tempestate convenerant, ad se accitos interrogavit, num sanctissimæ Dei Genitricis sacrum corpus, eo in tumulo in quo primitus compositum fuerat, etiamnum reperiretur; habere enim se in animo, ad unum templorum eidem Virgini dicatorum (tria siquidem illi Pulcheria Augusta Constantinopoli fabricaverat, eaque pulcherrima et augustissima) illud transferre, futurum urbis principalis munimentum atque præsidium. Cui respondit patriarcha, in sacris quidem Litteris de obitu Deiparæ mentionem haberi nullam, antiquissima tamen ac verissima traditione receptum esse, sanctos apostolos, ejus instante obitu, Hierosolymam undique terrarum, ad quas dispersi fuerant, convolasse, e vita etiam emigranti adfuisse, mortuam cum honore et hymnis tumulasse : quin et ipsum triduum angelicos concentus eo loci auditos esse. Addebat denique, tertio exsequiarum die, cum sancti Thomæ postulatu reclusum fuisset sepulcrum, solas sepulcrales fascias suo loco, perinde quasi paulo ante a corpore desertas, ab ipsis esse inventas; sed inenarrabili odoris suavissimi fragrantia redolentes : ita censuisse ipsos, virgineum corpus a corruptione esse servatum, atque in cœlos translatum; igitur denuo tumulum obsignasse, inibique reliquisse. Et sane valde congruebat ut corpus, quod nulli subditum peccato fuisset, id neque corruptioni, quæ a peccato exorta est, subderetur. Quod etiam Propheta regius tanto ante intervallo prospiciens de utroque tam Matris quam Filii incorrupto corpore (76) concinebat [a] : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ;* hoc est: Tu, Domine, qui es Sanctus sanctorum, nec tu solum, sed et arca sanctitatis tuæ, id est Virgo Maria mater tua, cujus in utero tanquam in arca sanctissima, caste et pudice custoditus es : surgite ambo absque corruptione ad gloriam incorruptam, et requiem imperturbabilem. Decet enim, ut a duobus primævis corporibus manavit per inobedientiam corruptio, sic a duobus novi ac beatioris sæculi divinis tabernaculis per utriusque obedientiam Deo offerantur incorruptionis primitiæ. Ita Virgo receptis dimissi corporis exuviis, prorsus integra et incorrupta ad regalem conscendens thalamum, inanem in terris tumulum dereliquit; quamvis nec omnino inanem : quippe illa sacri depositi aliquanta præsentia sanctitatem indeptus erat non vulgarem. Hunc tumulum pius imperator quando aliud haberi non poterat, ad se transmissum, in magnificentissimo beatissimæ Virginis templo (*Blachernarum* appellant) proxime sacram mensam deposuit. Nec vero tacuit idem beatus Juvenalis, eo in cœtu adfuisse una cum discipulis et sancto Timotheo atque Hierotheo beatissimum Dionysium. Qui quidem Dionysius, an conspecta tum in persona Virginis quasi plusquam humana majestate, ea quæ passim feruntur, dixerit, nimirum se pro dea eam fuisse habiturum, nisi aut fides aut ratio inhibuisset, 446 id, inquam, nec ita certum habeo, ut asserere ausim; nec ita incertum, ut refellere debeam. Uti enim a novis quidem hominibus (77), sic a doctis admodum et piis hujuscemodi opinionis celebrata est auctoritas. Quare hæc aliis relinquentes, Dionysium a sanctis locis ad sui gregis pascua revertentem pedetentim prosequemur.

NOTATIONES.

(67) Quæ hoc capite continetur de sanctissimæ Virginis excessu historia, partim ex antiqua traditione, partim e sancti Dionysii libro *De divinis nominibus* desumpta est. De traditione testatus est ante mille et centum eoque amplius annos beatus Juvenalis patriarcha Hierosolymitanus, de quo paulo inferius. Verba sancti Dionysii capite tertio ejusdem libri sunt hæc : Ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἴσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν. Παρῆν δὲ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, etc. *Quando et nos, ut scis, et ipse* (Hierotheus scilicet) *et multi ex sanctis fratribus nostris ad intuendum corpus, quod principium vitæ et Dei conceptaculum fuit, convenissemus. Aderat autem et Jacobus frater Domini, et Petrus, supremum et venerabilissimum theologorum columen.*

[a] Psal. CXXXI, 8. Glycas parte III, pag. 325.

Digitized by Google

Quæ verba cum a diversis diverse capiantur, singulorum proferendæ sunt sententiæ, ut pateat ex eorum commissione, quænam vera censenda sit.

Prima igitur antiquissima et communissima sententia (quam et nos amplectimur) est, illa Dionysii verba de corpore sacrosancto beatissimæ Virginis Mariæ (ad quod intuendum et tumulandum convenerint apostoli) esse intelligenda. Sic enim intellexit Juvenalis patriarcha Hierosolymitanus, qui abhinc mille ducentis retro annis vixit et scripsit. Sic et Andreas Cretensis, Hierosolymorum etiam ipse patriarcha. Sic et sanctus Maximus martyr, sancti Dionysii scholiastes præcipuus, in suis *Scholiis*. Sic et sanctus Joannes Damascenus in oratione *De dormitione Deiparæ*. Sic et Michael Syngelus, presbyter Hierosolymitanus, et Simeon Metaphrastes, et Nicephorus Callistus, et Georgius Pachymeras, et alii e Græcis : ipsorumque item Menæum, et uno verbo, Græci omnes. E Latinis autem S. Gregorius Turonensis lib. I *De gloria martyrum*, S. Ildefonsus sermone 4 *De assumptione B. Mariæ*, Albertus Magnus in dictum librum et locum sancti Dionysii, aliique quamplurimi, antiqui et novi. Et probatur hæc sententia ratione.

Primo, quia corpus sanctissimæ Virginis aptissime vocatur ζωαρχικὸν καὶ θεοδόχον σῶμα. Nam ζωαρχικόν sonat *quod est principium vitæ*. Atqui si Christus est vita (ut se ipse appellavit Joannis XIV: *Ego sum via, veritas et vita*), et si Deipara est illi principium generationis, certe etiam dici potest *principium vitæ*. Recte etiam dicitur corpus B. Virginis θεοδόχον, id est *Dei susceptivum*, sive *Dei conceptaculum*, quod scilicet Deum in utero conceperit et gestaverit.

Secundo, quia beatæ Virginis excessus et sepultura causam præbuit justissimam, apostolos et ex apostolicis viris præcipuos eo trahendi, tam ut ejus aspectu et benedictione fruerentur, quam ut ejus sepulturam, velut matris et reginæ, curarent et cohonestarent.

Tertio, quia ejusdem Virginis pietati atque charitati valde consentaneum fuit, ut priusquam terras relinqueret, apostolos et primores discipulos videre, extremumque salutare, ac potissimum solando, docendo, hortando aliquid eis gratiæ spiritualis impertiri vellet. Poterat enim multo justius, quam Paulus, illa verba sacra usurpare, quæ ille ad Romanos [a] : *Desidero enim videre vos, ut aliquid vobis impertiar gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestrum atque meam*. His igitur impellor rationibus, ut primæ huic sententiæ, rejectis aliis, adhærescam, quæ vero contra objiciuntur, tum refellam, cum alias opiniones produxero.

Secunda igitur opinio est Joannis Scoti in Epistola ad Carolum Magnum, per ea scilicet verba : Ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος, intelligi conspectum Christi corporalem. Ex hoc enim loco probat, Dionysium una cum Hierotheo et multis aliis Christum vidisse. « Cum qua, inquit, multisque aliis sanctis in unum convenientibus, Christum post resurrectionem corporaliter est contemplatus; aderantque, ut ipse ait, Jacobus frater Domini, » etc. Quæ si ita intelligantur, ut dicantur Dionysius et Hierotheus vidisse Christum in carne ante suam ascensionem, prorsus falsa sunt; tum enim neque ipsi, neque ipsorum magister Paulus ad fidem adhuc erant conversi : sin de alia Christi apparitione corporali post ascensionem facta sit sermo, quamvis Græca verba eum quoque admittere sensum possint, tamen etiam sic videtur esse falsus. Nam talis apparitio tam multis simul, et tanto tempore post ascensionem facta, nullo modo, neque ab apostolis, neque ab eorum discipulis (cum ad resurrectionis probationem faceret plurimum), neque ab ullo prorsus alio, qui spectator tam præclari visi fuisset, tacita esset. Accedit quod hæc opinio ab alio hactenus recepta sit nemine.

Tertia sententia est Matthæi Galeni Westcappellii, in *Præfatione ad Areopagitica* Hilduini, qui de ædibus Joannis evangelistæ verba illa sancti Dionysii accipit. « Porro licet, inquit, alii non incommode fortassis sint ista intellecturi de conventu ad sepulcrum ipsum subdiali, ibidemque consessu apostolico; attamen rectius existimo, de ædibus Joannis evangelistæ accipi posse, in quas recepisse dicitur B. Virginem statim a commendatione Filii sui morituri. » Verum neque hæc magnam habet probabilitatem. Nec enim tanti ædes illæ erant, ut earum visendarum gratia e multis et dissitis locis, et e magnis occupationibus evocandi essent tot apostoli et viri apostolici. Quid, quod valde insolens est sermo, ædes vocari corpus? imo nullus unquam sic locutus legitur.

Quarta proinde est Hilduini abbatis, 447 qui in S. Dionysii Vita, capit verba supra posita de sepulcro Christi. Nam agens de libro S. Dionysii *De divinis nominibus*, ubi verba ista exstant controversa, sic scribit : « In quo ostendit, se apud sanctam civitatem, penes sepulcrum Jesu vitæ principis, a Jacobo fratre Domini et Petro apostolorum principe, necnon et a theologo Joanne una cum præfato Hierotheo, et S. Timotheo, aliisque sanctis compluribus audivisse disputationem et fidei sacramentum, » etc. Ubi τὸ sepulcrum Jesu vitæ principis positum est pro eo, quod Græce habetur τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος. Pro hac opinione, tanquam pro aris et focis, depugnat Franciscus Bivarius in *Commentario* suo *ad Dextri Chronicon*, in anno Christi 48, et quod pro ea quidem afferri potest, enixe affert; sed tamen ad expugnandam sententiam, quæ a tot sæculis et a tot bonis auctoribus recepta sit, ut mihi quidem videtur, invalide.

Primum Bivarii argumentum est, quod auctores nostræ sententiæ (ut quidem ipse sumit Bivarius pag. 98) « manifeste defecerint (uno dempto Baronio) in eodem Dionysii textu explicando : dum ex eo credunt haberi, inibi quoque adfuisse Timotheum Pauli dilectum discipulum, et Ephesiorum episcopum; ad ipsumque libros suos Dionysium nuncupasse : quod tamen verum non esse, ad annum Domini 100, comment. 11, Deo duce, inquit, monstrabimus. » Hæc ille.

Duo igitur dicit : unum quidem, quod omnes, qui verba Dionysii de corpore Virginis accipiunt, iidem, excepto Baronio, ibi abfuisse Timotheum Ephesiorum episcopum dicant : alterum autem, quod iidem teneant, adeoque ex Dionysii verbis colligant, libros S. Dionysii ad eumdem B. Timotheum scriptos esse. Ipse porro utrumque horum falsum esse dicit, atque se ostensurum, nec interfuisse Timotheum illum funeri Virginis, nec ad eum scriptos esse libros; nos autem utrumque pro vero tenemus, et pro certo probabimus.

Ac prius quidem de Timothei præsentia confirmatur ex auctoribus Græcis et nominatim ex illorum antiquissimo Juvenale, patriarcha Hierosolymitano, cujus ante memini. Is igitur coram Marciano imp. et Pulcheria conjuge, cum de ortu ac funere Deiparæ ageret, addit inter alia, etiam Timotheum et Dionysium Areopagitam et Hierotheum interfuisse. De quo vide Nicephorum Callistum lib. XV *Histor. eccles.* cap. 14. Idem Menæa Græcorum expresse testantur.

Quod autem dicit Bivarius, Dionysii verba nihil pro nobis facere, si ad unguem perpendantur, et quod pro hoc confirmando Marsilii profert interpretationem : nihil sane illa contra nos facit, atque

[a] Cap. I, 11.

Digitized by Google

etiam si aliquid faceret, responderemus, ipsorum Patrum Græcorum explicationem, unius auctoris Latini interpretationi longe præferendam esse, et Græcos ipsos melius Græca intelligere quam Latinos. Quamvis et plures Latinorum interpretationes a nobis sint, et novissima quoque nostri Petri Lansselii, qui Græca illa ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνελήλυθαμεν, sic vertit : *Cum et nos, ut scis, et tu, et multi ex sanctis fratribus nostris, corporis, quod Auctorem vitæ Deumque recepit, videndi causa convenissemus*, ubi καὶ αὐτός vertit *et tu*, quo modo et Michaelis Glycæ interpres accepit III parte *Annalium*, ubi eadem verba vertit : *Nos quidem una tecum*, etc., quod idem est, atque *nos quidem et tu*, nam αὐτός non tantum significat *ille*, sed etiam *tu*. Quin et hoc modo accepit idem Dionysius paulo ante, in eodem ipso capite, et eadem pagina, cum dixit alloquens sanctum Timotheum : Καὶ πολλάκις ἡμᾶς καὶ αὐτὸς εἰς τοῦτο προέτρεψας· *Et sæpe nos etiam tu ad hoc hortatus es*. Quia tamen ambigua est hic Dionysii intentio, non ea nos tantum particula nitimur, ut probemus Timotheum decessui Virginis adfuisse, neque item verbis illis *convenimus nos*, quasi ibi comprehendat secum una Hierotheum, aut, si mavis, Timotheum, sed potius illis, ὡς οἶσθα, *ut nosti*, quæ bis illic usurpat, quasi velit dicere : Ut ipse optime nosti, qui illic adfueris : deinde etiam illis verbis, quæ post sequuntur, ubi dicit Dionysius se ab ipso Timotheo, memori illorum hymnorum qui tum decantati sunt, partes aliquas inaudiisse. Quibus verbis quid indicare velit aliud, quam S. Timotheum memoria retinuisse, quæ illic ad funus D. Virginis, cum præsens adesset, audiverat?

Quin et Hilduinus ipse, licet aliter quam nos in aliis senserit, tamen adfuisse Timotheum una cum sanctis Dionysio et Hierotheo, nobiscum sentit; cujus verba licet videre in ejus *Areopagiticis*. Idem et S. Thomas in *Expositione super librum De divinis nominibus*, cap. 3, ad hunc ipsum locum.

Secundum ejusdem Bivarii argumentum est, quod si Dionysius de transitu ageret, non diceret convenisse ipsos Hierosolymis « visuros corpus ejus, quod vitæ principem Deumque suscepit, » sed sic, « interfuturos migrationi ejus, » etc. Respondeo, diversos diverse loqui, Bivarium more suo, et Dionysium suo; Latinos aliter, aliter Græcos; Dionysium autem Græcis ita locutum, ut omnes Græci, ne uno quidem excepto, intellexerint ibi sermonem esse de corpore Virgineo, non autem de sepulcro.

Et quod addit Bivarius, dicturum fuisse Dionysium, « non quidem ad videndum tantum, sed ad recipiendam ejus benedictionem postremam : nec ad videndum corpus duntaxat, sed ad videndam eam vivam, priusquam migraret ad Filium : » respondeo, nos quidem hodie ita locuturos esse, sed Dionysium in suis libris aliud loquendi genus sectatum, nempe grandiloquum et subobscurum : existimasse autem, facile hæc intellectum iri ab eo, qui iisdem interfuisset exsequiis. Intelligenti enim pauca. Nec volebat Dionysius sua ab omnibus intelligi, cum nec omnibus scriberet, sed solis Ecclesiæ sacris ordinibus.

Addit idem Bivarius : « Quod si velit quis, ut Virginem vita præditam Dionysius nuncupet corpus, inusitatum inducet loquendi modum, quo nullus doctorum usus reperiatur. » Respondeo, non tam inusitatum esse, ut *corpus* ponatur pro *persona*, quam ut *corpus* ponatur pro *sepulcro*, quod tamen ipse vult. Quis enim ab orbe condito unquam sic locutus est, aut loquetur infinitis post sæculis? « Visamus corpus quod suscepit Joannem, pro, visamus sepulcrum Joannis. Visamus corpus quod suscepit Christum, pro, visamus sepulcrum Christi. » Certe illa longe tolerabilior est locutio, « Visamus corpus, quod suscepit Christum, id est visamus Virginem, seu corpus Virginis, » uti et S. Thomas loco ante citato approbat, ita scribens : « Potest etiam intelligi quod convenerunt ad videndum corpus beatæ Virginis Mariæ in ejus morte, quod etiam suscepit Deum in incarnatione. »

Nam ut caro in sacris litteris percrebro pro toto homine ponitur, sic et corpus (quod idem est quod caro) peræque pro toto homine poni potest. De carne quidem obvia sunt exempla, ut Genes. VI, 12 : *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, id est omnis homo, et Psalm. LV, 5 : *In Deo speravi; non timebo quid faciat mihi caro*, et Joannis I, 14 : *Et Verbum caro factum est*, et Lucæ III, 6 : *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Non minus autem corpus sic accipi potest, cum a carne non differat; imo vero ita accipitur Sapientiæ I, 4 : *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis*, id est in homine pravo et perverso : alioqui in anima potius habitat sapientia quam in corpore. Quin et Matth. XXIV, 28, et Lucæ XVII, ultimo : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ*, id est, ubicunque fuerit Christus, ut multi sancti Patres interpretantur. Accedit quod proprie et proxime corpus videatur, ac propterea recte dicatur eos convenisse visuros corpus; sicut frequentissime in Scripturis, pro eo quod diceretur : Non videbitis me, reperimus usurpatum, *Non videbitis faciem meam*. Sic Geneseos XLIII, 3 aliquoties : *Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo*, sic et similia. Sic et Actorum XX, 25 : *Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei*.

Adde, propter corpus maxime convocatos videri apostolos, nempe ut illud (cujus præcipue honos id temporis a Spiritu sancto intendebatur) honeste ac religiose sepelirent, atque etiam ut essent, qui et viderent mortuum, et testarentur assumptum. Alioqui unde nobis illa ejus in cœlos assumpti tam festa dies? Unde tanta, quanta nunc est, solemnitas provenisset?

At enim urget etiam atque etiam vir admodum diligens et doctus (talem enim certe agnosco), atque Dionysii verbis nos impugnat, istis nimirum : *Illic ergo vest contuitum placuit, ut pontifices omnes*, etc. « Nihil igitur, inquit, aliud apostoli et discipuli fecerunt, nisi videre et contueri, quod sepulcro Domini valde congruit, corpori autem Virginis minime, quod nimirum non solum viderunt, sed et sepulturæ mandarunt. » Sic ille. Cui nos dicimus, neque verum esse quod assumit, neque bene inferri quod colligit. Multa enim ibi præter contuitum corporis alia esse facta, indicat eodem loco ipse S. Dionysius; sed omittit ea speciatim exponere, quod et Timotheo nota essent (nempe testi aurito et oculato) et verbis facile exprimi non possent; neque, si possent, deberent. Verba Dionysii sunt : Ἀλλὰ ἵνα τὰ ἐκεῖ μυστικὰ καὶ ὡς τοῖς πολλοῖς ἄῤῥητα, καὶ ὡς ἐγνωσμένα σοι παραλείψωμεν· *Sed ut mystica, quæ illic facta sunt, tanquam multis ineffabilia, et tibi cognita, prætermittamus*.

Postremo reprehendit Bivarius, quod a nonnullis dicitur « omnes apostolos funeri beatæ Virginis adfuisse. » Qua de reprehensione id solum habeo dicere : si ab illis hoc dicatur, quasi ex Dionysii verbis, merito eos reprehendi, neque enim id ejus verba sonant, sin ex vetusta traditione, quam Juvenalis patriarcha coram augustis principibus Martiano et Pulcheria testificatus est, immerito; nempe accipiendo *omnes* distributione accommoda, qui scilicet in vivis erant, et adesse poterant. Nam quod duo tantum nominentur, Jacobus et Petrus, his verbis : Παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης· *Aderat autem et Jacobus Christi fra-*

Digitized by Google

ter, et Petrus supremum et venerabilissimum theologorum columen; quod hi, inquam, soli nominentur, non obstat quin et alii adfuerint (non enim excluduntur), sed hi tantum a Dionysio, tanquam qui tunc præcipui inter apostolos essent nominis et auctoritatis, nominantur. Nam Petrus erat omnium caput, Jacobus autem urbis Hierosolymorum (quæ urbibus omnibus antistabat, et Judaicæ gentis princeps domicilium erat) antistes a collegis suis constitutus, qui etiam abstinentiæ et austerioris vitæ causa ipsis fidei nostræ hostibus erat reverendus. Quod vero Joannes evangelista nominatus non fuerit, causa in promptu est, quod de ejus præsentia utpote Virgini semper assistentis, nulla suboriri posset dubitatio. Imo S. Mariæ cathedralis ecclesia Tornacensis gloriatur se habere de palma, quam sanctus evangelista et apostolus Joannes deferebat præeundo in exsequiis S. Mariæ Deiparæ, Sic enim est in Hierogazophyliaco Belgico Arnoldi de Raisse. Quin et Messanenses in Sicilia frustum aliquod ejusdem palmæ in principe templo asservant. Vide post Francisci Maurolyci abbatis Messanensis Martyrologium adjuncta *Reliquiarum loca*. Ad Paulum autem quod attinet, sive adfuerit sive abfuerit, nihil fraudi est verbis Dionysii, qui mentionem ejus non facit; sed neque assertioni illorum qui dicunt omnes adfuisse; quandoquidem more vulgari loquantur, ut dicant omnes pro parte maxima, et pro iis qui commode adesse potuerint, et quos Deus ei consessui destinaverit.

Nam iidem ipsi qui dicunt omnes adfuisse, postea subjiciunt defuisse Thomam, ac triduo post tantum advenisse: nec sine divino quidem id factum consilio dicunt, nempe ut idem Matris probaret assumptionem, qui Filii comprobarat resurrectionem. Sed Franciscus Bivarius, dum nimis insistit, ut defuisse isti apostolorum cœtui Paulum probet, ostendatque non potuisse esse Hierosolymis anno Christi quinquagesimo octavo, in multis errat. Nam ita scribit: « Adhuc autem mihi difficile id videtur; quoniam anno quinquagesimo septimo (qui fuit Neronis secundus, teste Hieronymo lib. *De scriptoribus Ecclesiæ*, Paulo) Paulus pervenit vinctus Romam, ubi mansit biennio toto in suo conducto, Act. ultimo. Unde anno quinquagesimo octavo non potuit Hierosolymis adesse. » Sic ille. Quod ergo existimat, annum Christi quinquagesimum septimum esse secundum Neronis, aperte fallitur: non enim quinquagesimus septimus, sed quinquagesimus octavus est secundus Neronis, ut liquet ex Eusebii Chronico et Demonstratione Pontaci. Deinde, quod ad probandum pervenisse Paulum Romam anno secundo Neronis, testem adducit Hieronymum, rursus fallitur. Non enim dicit Hieronymus *pervenisse*, sed tantum **449** *missum esse. Romam*, inquit, *vinctus mittitur*. Itaque illo anno erat Hierosolymis. Deinde paulo post in accommodanda ejusdem Pauli prophetia non parum aberravit, sic enim de illo scribit: « Quia postquam semel Romam venit, nunquam in Orientem reversus est, ut ipse de se prophetaverat Actorum vigesimo: *Ecce ego scio*, inquiens, *quia non amplius videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei.* » Sic ille. Atqui Paulus non prophetabat se nunquam in Orientem reversurum; imo tunc, cum illa prophetabat, recta tendebat in Orientem, nempe Hierosolymam, ubi et captus et vinctus, ac deinde ductus Romam fuit. Erat autem Mileti Paulus cum illa prophetavit (est porro Miletus urbs Asiæ), eoque vocaverat Epheso majores natu Ecclesiæ. His ergo Ephesiis, et Milesiis potissimum, sed et aliis Ecclesiis Asiæ, quæ ab illis non longe distabant, se posthac per eorum terras non transiturum prædicebat. Neque enim eis verba sic restricte capienda sunt, quasi nulli omnino eorum, per quos transiverat prædicans verbum Dei, essent in posterum ejus visuri faciem, id enim fere fieri non poterat. Nam etiam in Judæa prædicaverat, quo tamen jam properabat, et sine dubio aliis quoque in locis inter Judæam, et Asiam mediis. Deinde rursus ex Judæa Romam usque erat profecturus: an in toto illo et tam longo itinere nulla urbs erat, ubi ante prædicasset? neque hoc satis. Roma etiam liber dimissus a Nerone, ad prædicandum ubicunque voluit Evangelium, annos complures abiit, et quidem, ipso teste Bivario atque defensore, etiam in Hispaniam profectus est: quod ego illi assentior. An nullus igitur interea, non dicam e Judæis aut Græcis, sed ex Asianis, quibus tum valedicebat, ejus faciem vidit? nullus ad eum, seu in Syriam, seu in Hispaniam, seu in Italiam, seu alio, ubi erat, ejus visendi aut conveniendi causa se contulit? nullus quacunque ex occasione in ea loca profectus, ubi Paulus erat, in eum incidit? Res est sane creditu perdifficilis. Quid igitur, inquies, istis verbis voluit Paulus? Aliud certe nihil quam se in terram Asiam, præcipueque Miletum et Ephesum, amplius non rediturum.

Postremo, non posse verba de Christi Domini sepulcro intelligi, probat etiam doctissimus Baronius, anno Christi 48. Quia scilicet sepulcrum illud apostoli jam sæpe viderant, nec erat causa cur id temporis tam multi una convenirent, tam ad videndum illud, quam ad hymnos ibi concinendos. Cui argumento mirum est nihil responsum esse a Bivario. Maneat igitur firmum (quod et Græci omnes docuerunt, et plurimi Latinorum approbarunt) verba sancti Dionysii de conventu apostolorum ad corpus Virginis intuendum, et honore sepulturæ adornandum, intelligenda esse.

Sed quæret aliquis, quamobrem apostolorum nullus mentionem ullam vel mortis sanctissimæ Virginis, vel conventus ad exsequias ejus fecerit. Hoc enim quidam Michaeli Glycæ olim proposuit, Illius proinde interrogationem, et hujus responsionem hic lubet apponere. Sic itaque Glycas parte tertia *Annalium*: « Memini quoque, dilecte fili, inquit, te inter cæteros hujusmodi dubitationem aliquando mihi proposuisse. Quamobrem, aiebas, discipuli Christi et apostoli, rebus aliis in commentarios et historias relatis, prorsus de obdormitione perpetuæ Virginis illius obticuerunt? Hac de re satis est respondere, auctores Evangeliorum Christi administrationem in carne commemorantes, ad ejus a terris in cœlum assumptionem pervenisse. At illa expers maculæ Domini nostri Jesu Christi Mater provectam ætatem attigisse perhibetur, ut divinus ille vir Andreas Cretensis antistes auctor est. Quapropter fieri non potuit, ut Virginis illius perpetuæ obdormitio evangelicæ historiæ insereretur, uti quæ longo deinceps tempore, sicut diximus, acciderit. Propterea seorsum peculiari quodam libro de ipsa nihil Christi discipuli memoriæ prodiderunt, propterea quod in explicanda ejus administratione occupati, magnopereque de una illa re solliciti (quo nimirum pacto incredulos fideles efficerent, ac omnes ad puram sinceramque in Christum fidem perducerent) cætera negligebant, præsertim ea quæ ad divinam illam prædicationem nihil facerent. » Sic ille ad propositam quæstionem. Tum subdit consequenter, non omnino neglectam fuisse a discipulis apostolorum hanc de somno Virginis historiam, quandoquidem S. Dionysius in scriptis suis ejus meminerit: « Non tamen omnino, inquit, divina isthæc obdormitio silentio præterita fuit. Nam rerum ille divinarum interpres, magnus Dionysius, de hac admiranda quædam in perscriptis ad Timotheum epistolis tradere deprehenditur. Ac vide mihi, obsecro, quæ dicturi simus ex illius narrationibus decerpta. Nos quidem, ait, una tecum, multisque sacris fratribus, ut meministi, ad spectandum corpus illud, quod vitæ principium et ipsum Deum aliquando continuerat, convenerámus, » etc. Ita ille.

Digitized by Google

(68-69) *Ut Syngeli utar verbis.* Græca Michaelis Syngeli verba in *Encomio sancti Dionysii* sub initium, sunt hæc : Καὶ ὅλος ὅλῃ τῇ ψυχῇ καὶ διανοίᾳ καὶ καρδίᾳ τῷ διδασκάλῳ προσκεκόλληται. *Et totus tota anima et mente et corde magistro agglutinatus fuit.* Loquitur autem ibi de sancto Paulo magistro suo; nam et alium magistrum habuit S. Hierotheum, cujus alibi meminit.

(70) *Multique alii vitæ sanctimonia præstantes.* Glycas etiam 70 Christi discipulos una cum apostolis adfuisse existimavit, idque ex ipsius Dionysii verbis colligi : « Ostendit, inquit, in hac narratione sacer ille Dionysius universum prope cœtum apostolorum, et ipsorum 70 discipulorum, ad venerandum hoc spectaculum congregatum fuisse; tum quod eodem tempore discipuli omnes per universum dispersi convenerint; quorum in numero et ipse fuerit una cum Timotheo et Hierotheo. »

(71) *Sive ab angelis, ut quondam Habacuc aut Philippus, rapti.* De raptu Habacuc prophetæ ad lacum Danielis, vide librum Danielis cap. XIV, 35, ubi inter alia : *Et apprehendit eum angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamavit Habacuc, dicens : Daniel, serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel : Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.* Itaque bis raptus est Habacuc ab **450** angelo in aera. S. Philippus autem semel, Act. VIII, 39, cum baptizasset eunuchum Candacis reginæ. *Cum autem ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus.*

(72) *Sive levibus nebulis, quod quidam arbitrati sunt,* etc. Inter alios Syngelus his verbis : Μάλιστα καὶ ἡ νεφέλη μετάρσιον αὐτὸν τῆς ἑσπερίου λήξεως ἀφαρπάσασα, καὶ μετεωρίσασα, καὶ ἀεροπόρον, ὡς καὶ τοὺς ἀκροτάτους θεόπτας καὶ θεολόγους ἀποστόλους, etc. *Sed imprimis nubes illa, quæ ab occidentis partibus abreptum sublimem ipsum abstulit, perque aerem eunteṃ abduxit, uti etiam summos Dei inspectores et theologos apostolos, alium aliunde repente a finibus terræ in celeberrimam communem omnium matrem Jerusalem asportavit,* etc. Paria fere Simeon Metaphrastes in *Vita S. Dionysii :* Διὰ Πνεύματος καὶ νεφέλης, *per Spiritum et nubem,* inquit.

(73) *Sive etiam, quod multi factum credunt,* etc. Tertia sententia est, admonitos mature apostolos ac discipulos de instante Deiparæ Virginis excessu, conatos ante mortem illi adesse. Quam ego cum Baronio et aliis amplector.

(74) *Annos scilicet circiter septuaginta duos nata.* Divinam Virginem pervenisse ad annum ætatis circiter septuagesimum secundum, tenent hi auctores :

1. Epiphanius presbyter Constantinopolitanus in *Vita Virginis :* « Ætas Virginis, inquit, ad septuaginta duos annos processit. »

2. Cedrenus in *Compendio Historiarum*, ubi de imperio Tiberii Cæsaris agit, sub quo Christus Dominus passus est, ita de B. Virginis Deiparæ excessu scribit : Παρέδωκε καὶ τὴν ἁγίαν αὐτῆς ψυχὴν τῷ Κυρίῳ καὶ Υἱῷ τῷ Θεῷ αὐτῆς ἐτῶν οὔσα ος' (οἱ καὶ φασὶ νη')· ὥστε μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Χριστοῦ εἴκοσι τέσσαρας χρόνους ἐπεβίωσεν. *Tradidit suam sanctam animam Domino et Filio Deo suo annos nata septuaginta duos (quidam tradunt quinquaginta octo). Vixit ergo viginti quatuor annos post Christi in cœlum ascensionem.* Ita ibi.

3. Auctor opusculi *De forma et moribus B. Mariæ* apud Anselmum, dicit eam, cum assumpta fuit in cœlum, septuaginta duorum fuisse annorum.

4. Favent eidem sententiæ S. Andreas Cretensis, et Simeon Metaphrastes, qui D. Virginem usque ad multam senectutem pervenisse scribunt.

(75) Niceph., lib. XV, c. 14.

(76) *De utroque tam Matris quam Filii incorrupto corpore.* De virginei corporis incorruptione testis est, præter alios, S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus, in oratione *De obdormitione Virginis.* Vide Glycam, parte III *Annalium*, pagina 326. De Filii autem incorruptione nefas dubitare.

(77) *Uti enim a nobis quidem hominibus.* Primus, quem repererim in ea fuisse sententia, ut Dionysius præ admiratione gloriæ ac majestatis D. Virginis dixerit, se eam adoraturum fuisse tanquam Deum, ni fides obstitisset, est Hubertinus de Casali, qui lib. IV *Arboris vitæ*, c. 38, sic scribit : « Unde Dionysius cum ad eam videndam introductus fuisset, vidit tantum splendorem, et angelorum multitudinem innumerabiliter circa eam, et propriam Virginem tanta luce fulgere, ut dixisse referatur, quod eam, ut Deum, adorasset præ magnitudine gloriæ, quam videbat, nisi evangelica fuisset fide coactus. » Sic ille. Nota idiotismos Gallicos, *propriam Virginem* pro *ipsam Virginem*, et *coactus* pro *impeditus.* Claruit hic auctor, teste Trithemio *De scriptoribus ecclesiasticis*, sub Alberto imp. anno Domini 1300. Hubertini opinionem secuti sunt Dionysius Rickelius in cap. 3 *De divinis nominibus*, art. 16; Petrus Canisius lib. III *De Deipara*, cap. 21; Petrus Ribadeneira in *Vita S. Dionysii Areopagitæ*, et alii illos secuti.

CAPUT VII.

Dionysii ab Hierosolymis reversi pontificiæ occupationes, et apostolici discursus.

(78) Posteaquam justis beatissimæ Virgini ex more persolutis, sua unicuique negotia et sacer instinctus discessum persuaserunt; tum et Dionysius, divinæ consolationis et cœlestium opum plenus, ad iter se accinxit. Viderat enim præcipuum et unicum fere mundi miraculum, quod tam multi videre concupiverant, tam pauci viderant; nec viderat ipse tantum, sed etiam ex visu simul et auditu mirabiles quasdam amoris sancti faces, et incensa virtutum ejus, unaque Evangelii disseminandi studia mente conceperat : cum apostolis etiam et discipulis Domini de rebus maximis ac divinissimis familiariter collocutus fuerat, tantosque ex omnibus fecerat profectus, quantos brevi sermone complecti difficile est. Quare tanquam nihil aut parum esset, quod hactenus in vinea Domini laboraverat, ad longe majora vastum illud pectus his inflammatum incendiis pertendebat. Neque illum sinebant ea quæ ab aliis per latum orbem variis in regionibus facta audiverat, somnum oculis capere. Ita continenter obversabantur animo, ita dies noctesque ad paria stimulabant. Quamobrem ita reditum Athenas disposuit, uti et per longa itineris spatia quam plurimos, quacunque transiret, Christo studeret mortales adjungere, et una statueret, postquam ad suos pervenisset, rebus inibi, quanta maxima diligentia compositis confirmatisque, ad incultiora et opis suæ indigentiora loca se transferre. Igitur suis redditus, cum jam non qualis antehac visus, sed tanquam angelus aliquis de cœlo lapsus suspiceretur ab omnibus, amaretur ab omnibus, viam ad res quas intendebat, feliciter peragendas invenit expeditissimam. Itaque et cœtus habere frequentiores, et ea in illis perdocere, quæ ut scitu maxime necessaria, ita fructu essent uberrima : illei scilicet præceptis mordicus inhæ-

Digitized by Google

rero et ea frequenti **451** repetere memoria, ac liberis suis domesticisque tradere : fidem vero, quæ alioqui inanis sit et infructuosa, probis moribus et honestis actibus corroborare et cohonestare. Quam in rem haud raro singula singulorum tam in se quam erga alios officia exponebat, quid parentes filiis, quid filii parentibus ; quid domini servis, quid servi dominis; quid conjuges alter alteri, et omnes inter sese deberent. Denique quid viduis, quid virginibus, quid cœlibem vitam sequentibus præcipue cordi esse oporteret. Nam et in his omnibus inculcandis præcipuos institisse apostolos non solum in libris legerat, sed etiam oculis auribusque acceperat. Quia vero longe maximum momentum ad Ecclesiam in suo flore ac vigore sustentandam, imo et ad amplificandam quoque, et adversus omnes hostium insultus protegendam, in accurata sacrorum ministrorum disciplina positum esse intelligebat, propterea et totius doctrinæ formam ipsis præscripsit, et se ipsum (quod Paulus a Tito exigebat, et in illo a cunctis episcopis) *exemplum præbuit bonorum operum* p; hocque omnibus modis sategit, ut qualis esset ipse, aut esse vellet, tales post se in Ecclesia sua relinqueret successores. Quod profecto qui pro dignitate præstat, haud minus Ecclesiæ importat emolumenti, quam si integram aliquam ad Christi fidem adduceret provinciam. Quin vero etiam multo magis; nam vel unicus talis antistes, non unius duntaxat, sed plurium instar est provinciarum. Nec dubitem affirmare (ut ne longe hinc abeam) sanctum Paulum in unius Dionysii perfecta informatione non minus fecisse commodi, quam si multas Christianæ religioni regiones adjunxisset. Is enim Dionysius totam Atticam, ut amplius opera Pauli opus non esset, Christo acquisivit : is multas alias provincias cursim a Paulo adumbratas, et primis duntaxat coloribus tinctas, magistri relegens vestigia, omnibus perfectæ doctrinæ numeris absolvit : is bonam Galliarum partem, is non minimam Hispaniarum ditionem tam per se quam per suos Christianæ legi subjecit. Sapientissime igitur, quod dicere institueram, in princeps Ecclesiæ membrum, sive in ordinis sacri bonam ac perfectam constitutionem atque disciplinam, cura peculiari incubuit. Atque illud in primis et singulariter commendavit, ut ordo quisque inferior superiori, hic autem supremo (ut lex est Dei et naturæ) subjectus esset; neu quisquam adversus superiores, quos Dei loco habere et revereri et audire debeat, sibi quidquam temeraria audacia arrogaret. Contra quod ejus mandatum si quis interdum sui obliviosus veniret, mire angebatur animo; et culpæ reum, licet alias mitissimus, haud sine justa verborum acrimonia severius emendabat. Ejusce experimenti testimonium Demophilus ille cultor (79) sive monachus præstare potest. Erat enim ex eo laicorum ordine, qui ob majorem pietatis cultum cultores, et ob unius Dei, rejectis omnibus mundi et rerum terrenarum curis, peculiare servitium, monachi nuncupabantur; sed cum inferiorem se non presbyteris modo, sed etiam diaconis deberet meminisse, nescio qua imprudentis zeli imagine ab inspiciendo vero atque justo abstractus, contra sacerdotem quempiam audacius insurgere, et nimiam ejus in improbos, ut sibi persuadebat, indulgentiam vehementius incusare cœpit : quin etiam pœnitentem quemdam criminum suorum medelam ab eodem sacerdote exposcentem, acerbius repellere, et in adyta contra fas ingressus, eum cui ea ingrediendi jus esset, cum acerbis dictis aditu prohibere non reformidavit. Quod factum postquam Dionysius ex amborum tam presbyteri, quam ipsius Demophili litteris accepisset, non mediocriter sane (quemadmodum rei gravitas exigebat) commotus animo, sive ob violatum in Ecclesiæ membris debitum ordinem, sive ob monachi a maligno spiritu illusi acerbam arrogantiam, tanta cum animi cæcitate conjunctam, merito excanduit. Quippe in eum qui irrogatam sacerdoti injuriam zelum putaret, et qui perturbatum ab se ecclesiasticæ dispositionis ordinem, officium ac pietatem nominaret. Adeo insinuata bonis mentibus superbia sensim omnem extundit veræ sapientiæ virtutisque sensum. Quid autem vir sanctus tali in re ac tempore? Aberat tum Athenis, ad alia pro religionis necessitate et incremento profectus, nec tam commode poterat adeo enormiter prolapsum absens relevare, quam animus erat, aut res postulabat; memor tamen illius boni Pastoris, qui ove una perdita dimittit nonaginta novem in deserto, ut requirat centesimam q, alias ipse omnes curas et negotia, ut huic uni intenderet, atque a recta rationis orbita deerrantem unam oviculam reduceret, tantisper seposuit. Epistolam igitur ad eumdem Demophilum conscripsit, et ex abundantia quidem charitatis bene longam; sed non longiorem tamen quam doctiorem, et utraque persona digniorem. Cujus cum exemplum in promptu habeam, sitque ea longe pulcherrima et adæque saluberrima, nihil cunctabor eam ponere in medio. Nam præter ipsius doctoris nostri excellens ingenium, doctrinamque sacrarum Litterarum longe uberrimam, tria præterea exhibebit suis egregie depicta coloribus non minimi pretii documenta, quæ in ipso fonte juvabit recognoscere, nempe quanta sit mansuetudinis apud Deum pulchritudo et æstimatio; quantum hominis arrogantis et in aliena officia se immittentis, peccatum et supplicium; ac postremo, quanta exsistat divinæ benignitatis **452** erga peccatores patientia, longanimitas, commiseratio. Cujus quidem virtutis etiam exemplum ibidem profertur, quo nullum usquam alibi post Evangelium et Acta apostolorum (nisi me prorsus fugit ratio) nec antiquius reperias, nec efficacius. Epistolam igitur, talia et tam salubria continentem medicamina, nunc expromam.

NOTATIONES.

(78) Continet reversionem S. Dionysii conventu Hierosolymitano, et disciplinæ ecclesiasticæ præclaram in Atheniensi episcopatu constitutionem. Cujus disciplinæ observandæ quam studiosus exactor fuerit, et violatæ severus castigator, exemplo Demophili monachi, seu cultoris, ibidem ostenditur.

(79) *Demophilus ille cultor.* Qui in populo, sive inter laicos, præcipuæ pietatis ac devotionis statum profitebantur, cultores, ab eximio virtutum cultu, appellabantur; Græce θεραπευταί, a verbo θεραπεύω, *colo.* Iidem et monachi appellabantur, quod μόνῳ Θεῷ, *soli Deo*, vacarent, pietatemque unice colerent.

CAPUT VIII.

Dionysii ad Demophilum cultorem sive monachum, officii et humanitatis limites transgressum, vindex epistola.

Demophilo cultori, Dionysius, salutem.

Tradunt Hebræorum historiæ, o generose Demophile, etc. *Exstat Græce et Latine supra, inter Epistolas S. Dionysii, Operum ejus tomo I, ordine octava.*

453-456 Hac epistola Dionysius tanquam bonus pastor velut fistulæ sono exerrantem oviculam in or-

p Tit. II. q Matth XVIII, 12; Luc. XV, 4.

Digitized by Google

dinem revocavit. Sed quam bene in eadem epistola dictum illud Salvatoris nostri sua oratione vir sanctus confirmavit : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum* (id est in Ecclesia) *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera*[r] ! Quam multis enim epistola illa et veteribus et novis exemplis atque sententiis, ex utroque depromptis Testamento, abundavit ! et quam apposite illud S. Carpi (fuit is quoque Pauli apostoli discipulus, et Troade postmodum episcopus) pulcherrimum et recentissimum exemplum, propterea que et certissimum et utilissimum, ad extremam epistolam (ubi scilicet amoris erga Jesum aculeos relinqueret) usurpavit ! Si quis porro sit, quem desiderium teneat cognoscendi, qualis quantusque in suis ad populum concionibus idem Areopagita fuerit, non sunt sane alibi alia ejus cognitionis quærenda vestigia : cum ex laudatis modo litteris abunde id liceat intelligi. Qui enim unius hominis emendandi causa tantum operæ studiique attulit, atque ex universa fere Scriptura fortissimas, eique quod agebatur, opportunissimas rationes protulit ; quid fecisse eum existimamus, cum ad erudiendam, dirigendam, corrigendam multitudinem, publice in templo perorandum fuit ? Sed, o factum male, et ingratum illud sæculum (quodcunque illud fuit) quod tanti viri dignas immortalitate cohortationes aut socordius excepit, aut negligentius conservavit ! Verum omissis quæ habere non possumus, ad alia ejus acta, quorum felix superest recordatio, gressum promoveamus.

457-459 CAPUT IX.

Dionysii per Neronis tempora evangelicæ excursiones.

Atheniensis Ecclesiæ rebus, quemadmodum supra memoratum est, ordinatis, eodem instinctus est spiritu Dionysius, quo sui præceptores apostoli ; nempe ad ea excurrendi loca, quæ nondum suscepta fide, aut certe nequedum satis firmata, præsentis auxilii magis indigerent. Primo igitur vicina Athenis oppida urbesque obiit, et Christi nomen, sicubi hactenus inauditum erat, circumtulit, et si auditum et prædicatum fuerat, novo præconio firmavit, roboravitque ; nec ullis in eo extollendo et in spe salutis ostendenda laboribus pepercit. Et magnus sane in ipsa Græcia patebat industriæ exercendæ campus. Syria enim atque Asia, et proximæ illis regiones, ubi diutius apostoli hæserant et curaverant, religionis nostræ præceptis utcunque imbutæ erant : at vero Græcia (si Corinthum quidem exceperis, ubi a Paulo biennium exactum est) ob exigua commorationis apostolorum spatia, levius fidei disciplinis tincta erat. Nunc autem sub annum Domini sexagesimum secundum (80), quo impurissimus Nero sextum agebat imperii, Romam ipsam apostolorum princeps excolebat, Paulus in Galliam demigrarat (81), totusque (quod jam diu proposuerat) in Hispanias ferebatur (82) ; Joannes in Asiam discesserat, alii alias extra Græciam provincias administrabant, nonnulli etiam martyrio cursum finierant ; Andreas quidem e Scythia sua Europæa (83), quæ illi sortito obtigerat, in Achaiam descenderat, egregiam ibi messem pro certo messurus, si plus licuisset inter mortales degere : sed Ægeæ proconsulis malitia et insipientia sermones sanos non ferentis, atque ipsius etiam athletæ ingens crucis desiderium, in qua mori prægestiebat, nuper eum cœlo tradiderant. Itaque Dionysius, qui suum esse judicabat per apostolorum vestigia gradientem invigilare, ne post eorum discessionem venirent *lupi rapaces* (84) *non parcentes gregi*[s], neve sparsa Evangelii semina nullo irrigante cito exarescerent, cum illam ipsam Achaiam, tum finitimas ei regiones adiit, lustravit, confirmavit. Hinc frequens in itineribus erat, et ubicunque aliquod Ecclesiæ periculum seu a Judæis, seu a gentilibus, seu ab hæreticis imminere intelligebat, promptus alacerque occurrebat. Nihil enim lucro fidei, ne animam quidem suam, anteponebat. Nec minor illi diligentia celeritasque erat, sicubi amplificandæ religionis spes aliqua ostendebatur. Mox enim rupta mora, et suorum oblitus incommodorum, tanquam ad gratissimas animo suo delicias illo convolabat. Nimirum tale est verorum Dei amatorum ingenium, talis animi impetus, ubi ejus, quam summe amant, agi gloriam senserint, continere se non queunt, quin alia omnia abjiciant, et in unum pro cunctis nervos omnes intendant, quod placere dilecto suo intellexerint. Id scilicet amoris, id ferventis affectionis est testimonium. Qui amor eo fuit in Dionysio erga Christum major, quo magis illius erga se immensam charitatem et antehac præsenserat, et perpetuo sentiebat. Nam quis divinum adversus homines amorem vel acutius penetravit, vel impensius æstimavit, vel expressius descripsit, vel denique in se susceptum ardentius exprompsit, atque in alios transfudit, quam hic unus Areopagita Christianus ? Tali ergo ardens amore, cum propinquiores Athenis urbes percurrisset, suisque omnia flammis incendisset, ad alia atque alia progressus in Phrygiam usque pervasit (85). Qua vero cumque transibat, non modo sereni cœli instar diffusa fidei luce omnes errorum tenebras depellebat, sed etiam una cum vitiis animi varios corporis morbos languoresque percurabat. Hinc fiebat, ut eum non velut hominem in terris natum, sed quasi Deum aliquem de cœlo lapsum, talibus insueti miraculis, susciperent, et illum certatim alii appeterent, alii retinerent, invitique tam beneficum salutaremque virum a se dimitterent. Sic apud Troadem in minore Phrygia, cursu tantisper represso, annos aliquot constitit, et fabulosæ illius Cybeles, seu matris deum (86), ut ipsi vocabant, superstitiosos impurosque cultores ad religiosam sinceramque unius veri Dei venerationem traduxit. Inde autem reversus, jam inter Lacedæmonios versabatur (87), et rem Christianam totis viribus promovebat, cum fama de comprehensione Pauli in urbe Roma, et de imminenti ejus nece passim pervagata, ad eum pervenit. Nunc enim Neroniana crudelitas majoribus furiis agitata, nullo discrimine in quoslibet sæviebat ; quin et matrem et præceptorem duplici prostrata pietate jam **460** occiderat. Dionysius igitur et patris sui, a quo vitam acceperat, et pontificis sui, a quo initiatus et antistes creatus fuerat, et præceptoris sui, a quo tam multa et tam divina didicerat, ultimum videndi et alloquendi, ac, si res ferret, etiam commoriendi percupidus, expeditis quæ in manibus erant negotiis, festinanter Athenas repetiit : Publium, qui deinceps gregi præesset, in locum suum subrogavit (88) : Romam sociis aliquot comitatus properavit (89). Verum quantacunque usus celeritate, non quivit ante peractum ejus certamen, et obtentam martyrii palmam, advenire. Nam et necessariæ quædam per iter occasiones, quas negligere nefas erat, vel invitum aliquantisper remoratæ sunt ; et importunus bonorum omnium osor Nero, subdente ei faces nequissimo dæmone, atque ad facinus præcipitandum importunius propellente, jam duo totius religionis prima capita cruce et ferro una eademque die sustulerat. Quæ tum autem tristitia pium Dionysii cor pupugerit, qui mœror animum obsederit, qui fluctus lacrymarum pectus obruerint, cum peracta se absente tam eximia duorum Ecclesiæ principum certamina intellexit, quis dicat ? Nec enim digne æstimari tale damnum potest, nisi ab eo qui Petrum et Paulum viderit, audierit, familiarius coluerit. Sperabat Dionysius ex illis Ecclesiæ columinibus

[r] Matth. xiii, 52. [s] Act. xx, 29

Digitized by Google

multa quærere, multa discere, et super populi sui regimine, et de suscipiendis in alias, quas ipsi designassent, terras peregrinationibus extrema mandata et verba capere. Sed spes omnes, tantæ intercursu calamitatis, irritæ ceciderunt. Illi ad præmia evocati erant, ipse Dionysius et sacri ejus collegæ non nisi ad graves luctus, et immaniores cum immanissimis hostibus luctas relicti, talibus amissis belli ducibus, et tam fera in terris dominante et sanctum Dei populum premente bestia, in alio fere nullo, nisi in Domino exercituum, spes suas omnes collocare. Quid enim melius? quid tutius? quid fortius? Is, est scilicet, qui potissime et suprema manu Ecclesiam regit, custodit, protegit : is est qui pastoribus suis diu noctuque præsto est : is est qui consilia rerum agendarum jam vigilantibus suggerit, jam dormientibus per somnia et visa (quod sanctis haud infrequens) cum futuris eventibus ostendit. Et Dionysio quidem alia in persecutione quid demonstraverit, post dicetur (habemus enim certum et clarum ejus rei testimonium [90]) : nunc autem in temporibus perinde calamitosis, quin multa quoque ostenderit, quamvis hæc modo litterarum penuria desiderentur, nihil prorsus causæ est cur ambiganus, imo scripta ejus humano captu altiora (ut aliis destituamur omnibus) liquido clamitant. Verum de his suus brevi erit locus ; cætera hujus peregrinationis persequamur. Hoc saltem inter anxiferos suos dolores consecutus est Dionysius non mediocris solatii, quod sublatis e medio præceptoribus, vivas eorum imagines in utriusque discipulis conspexerit, cum iis sermones consiliaque contulerit, ab iis multa, quæ a magistris audire non potuit, ex visu audituque relata cognoverit. Nam Romæ quidem Titum et Lucam invenit, antiquos Pauli comites (qui et ipsum sepulturæ mandarunt [91]), et Timotheum quoque, ut vero est simile, quem idem apostolus, celerem certaminis sui finem prospiciens, ad se Romam accelerare jusserat ; sed et Clementem, quem plerique Latinorum, ut auctor Hieronymus, Petro proximum pontificem constituunt (92). Nam sane Clemens post Petrum saltem aliquandiu sedem primus tenuit, sed brevi post, sive cupidus alio demigrandi, sive qualibet alia de causa, lubens volens Lino cessit. Hinc Linus a Petro apostolo (tacita ob temporis brevitatem administratione Clementis) primus in serie pontificum numeratur. Permultum tamen idem Clemens in illo sui episcopatus quamvis exiguo spatio, Ecclesiæ profuit. Nam et res Ecclesiæ urbanas, parentum orbitate non parum turbatas, composuit, et eorum qui multi propter videndos apostolos Romam confluxerant, alios alio, Dionysium in Galliam amandavit. Quin et ipsemet, relicta Lino Roma, et tradito simul Ecclesiæ pontificatu, in alias orbis plagas, quo fidei necessitas invitabat, factam sementem ivit. Verumenimvero, quia isthæc Dionysii in Galliam amandatio non adeo tenuis gloriæ, neque fructus fuit, ut tam leviter perstringenda sit, de illis justus et plenus sermo nobis in præsenti instituendus est.

NOTATIONES.

(80) *Nunc autem sub annum Domini sexagesimum secundum*, etc. Hic annus apud Eusebium in Chronico, et apud alios concurrit cum Neronis sexto, cujus toto fere tempore imperii, et aliquanto etiam ante illud S. Petrus Romanum tenebat episcopatum; quippe secundo anno Claudii illuc profectus fuerat, eodem auctore Eusebio.

(81) *Paulus in Galliam demigrarat.* Nam profecturus in Hispaniam, per Galliam transivit, et Ecclesias per transennam visitavit firmavitque, nam et Viennæ fuisse creditur, et Arelatæ, et Narbone : ac Viennæ quidem Crescentem 461 præfecisse episcopum, Arelatæ Trophimum, Narbone Paulum Sergium, olim proconsulem. De Crescente et Trophimo vide Adonem in *Chronico*, ætate sexta; de Paulo Sergio, *Martyrologium Romanum* ad 22 Martii.

(82) *Totusque (quod tam diu proposuerat) in Hispanias ferebatur.* De proposito illius itineris et retardatione exstat ipsiusmet Pauli testimonium in Epistola ad Romanos, c. xv, 24, his verbis : *Cum in Hispaniam proficisci cœpero*, inquit, *spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Uti ergo per Italiam transiens, voluit Romanis *ex parte frui*, hoc est, aliquandiu apud illos versari, quamvis ibi esset Petrus apostolorum c ryphæus; multo magis per Galliam iter faciens in Hispaniam, voluit tempus aliquod apud Gallos ponere, ubi usus et necessitas erat major, præsertim invitantibus (ut minime dubium est) novis Christianis.

Non est enim dubitandum, quin S. Paulus vinculis, quibus Romæ a Nerone detinebatur, exsolutus in Hispaniam profectus sit. Si quis tamen dubitet, dubio eum liberabit Franciscus Bivarius quæstionis hujus diligens et exactus pertractator. Videatur ejus *Commentarius in Lucii Dextri Chronicum*, ad annum Christi 64, num. 4.

(83) *Andreas quidem e Scythia sua Europæa*, etc. Acta sancti Andreæ breviter expressa sunt in *Romano Breviario*, unde ea, quæ hic diximus, confirmantur.

(84) *Ne post eorum discessionem venirent lupi rapaces*, etc. De hoc prænonuerat Paulus, Mileti cum esset, majores natu Ecclesiæ, qui Epheso ad eum convocati venerant. Nam inter alia : *Ego scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi*, Act. xx, 29, etc. Neque hoc Dionysium latebat, propterea que obviam ejusmodi lupis pro fidei defensione occurrebat.

(85) *In Phrygiam usque pervasit.* Fuisse in Phrygia, et quidem Troade aliquandiu substitisse, testes sunt antiqui Vitæ S. Dionysii scriptores, Hilduinus, et alii.

(86) *Et fabulosæ illius Cybeles seu matris deum.* Miræ sunt de Cybele ista fabulæ. Orpheus eam appellat omnium matrem, tam deum quam hominum, et quarumlibet rerum, in istis versibus :

Μῆτερ μέν τε θεῶν ἠδὲ θνητῶν ἀνθρώπων,
Ἐκ σοῦ γὰρ καὶ γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Καὶ πόντος, πνοιαί τε, φιλόδρομε, ἀερόμορφε,

Mater divorum pariter materque virorum,
Ex te terra parens frugum, cœlumque profundum,
Et mare cum ventis veloci percita cursu, etc.

Hæc Cybele plurimis appellata est nominibus : quæ vide apud Natalem Comitem libro nono *Mythologiæ*, capite quinto. Eam porro nihil aliud fuisse quam terram, et quod omnia quæ illi a poetis attributa sunt, in terram quadrent, egregie ostendit Lucretius Carus, libro secundo *De rerum natura* (v. 599-608), in illis versibus et deinceps :

Quare magna deum mater, materque ferarum,
Et nostri genitrix hæc dicta est corporis una.
Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sublimem in curru bijugos agitare leones :
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem ; neque posse in terra sistere terram.
Adjunxere feras : quia, quamvis effera, proles
Officiis debet molliri victa parentum.
Muralique caput summum cinxere corona ;
Eximiis munita locis quia sustinet urbes.

Vide ibidem plura, et apud Diodorum Siculum lib. III *Bibliothecæ*, et apud Macrobium, libro I *Saturnaliorum*, cap. 21, et ejusdem deæ depictum si-

Digitized by Google

mulacrum sedentis in curru a leonibus vecto, et tenentis una manu sceptrum, altera clavem, etc., apud Vincentium Cartarum Rhegiensem, et apud Antonium du Verdier in libro inscripto, *Les images des dieux des anciens*, etc.

Cum igitur Phryges terram sub nomine Cybeles ut deam colerent, miraque superstitione cum tympanis et tibiis ejus festum diem celebrarent, laboravit S. Dionysius, ut eos ab istius falsæ deæ idololatria, ad verum unius Dei cultum, per sancti Evangelii prædicationem perduceret.

(87) *Jam inter Lacedæmonios versabatur.* Occupatus erat S. Dionysius convertendis Laconibus, cum nuntium accepit de comprehensione principum apostolorum Petri et Pauli. Igitur magno illorum ante extremum certamen videndorum et conveniendorum desiderio citissime Athenas reversus, et dispositis inibi Ecclesiæ rebus, iter Romam versus suscepit. Ita testantur vetera sancti Dionysii Acta.

(88) *Publium, qui deinceps gregi præesset, in locum subrogavit.* De Publii post Dionysium in Atheniensi Ecclesia successione, testis est antiquissimus auctor, S. Dionysius Corinthiorum episcopus, apud Eusebium, libro IV *Hist. eccles.*, cap. 22.

(89) *Romam sociis aliquot comitatus properavit.* De hoc Romam adventu post apostolorum necem, tenente clavum Ecclesiæ S. Clemente, cuncti fere antiquiores consentiunt Latini et Græci.

(90) *Habemus enim certum et clarum ejus rei testimonium.* Nempe in Epistola ipsius Dionysii ad sanctum Joannem evangelistam, ubi visum suum de regressu ejus ab exsilio aperit.

(91) *Qui et ipsum sepulturæ mandarunt.* Titum et Lucam Pauli comites adfuisse ejus martyrio, et præfuisse sepulturæ, colligitur ex Actis martyrii ipsius Titi apud Equilinum, lib. VII *Catal.*, cap. 108, ubi sic inter alia : « Post duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit : cum quo et fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone, corpusque ipsius una cum Luca evangelista sepelivit. » Et ex Actis Pauli apud eumdem lib. VI, cap. 23 : « Corpus autem a Tito et Luca in ipso loco sepultum fuit. »

(92) *Quem plerique Latinorum Petro proximum pontificem constituunt.* Sic fere loquitur S. Hieronymus in lib. *De illustribus Ecclesiæ scriptoribus*, cap. 15, ubi postquam ex Eusebii sententia (cujus in hoc libro interpres est) Clementem in pontificibus quartum recensuisset, hoc est, post Petrum, Linum et Anacletum, subjecit hæc verba : « Tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum apostolum, putent fuisse Clementem. » Dux igitur Latinorum in hac sententia est Tertullianus, secundi sæculi scriptor (nec enim e Latinis est antiquior), qui in lib. *De præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. 32, ubi ab illis requirit, ut ostendant successionem suam ab apostolis : « Edant ergo, inquit, origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris (qui tamen cum apostolis perseveraverunt) habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Joanne collocatum refert : sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum edit. » Hunc sequitur Hieronymus, lib. I *Adversus Jovinianum*, ante medium : « Ad hos, inquit, et Clemens successor apostoli Petri, cujus Paulus apostolus meminit, scribit epistolas, » etc. Et l. XIV *in Isaiam*, cap. LII, sub finem, citans verba ipsius Clementis ad Corinthios, de Christo humili : « De quo, inquit, et Clemens vir apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios : « Scep« trum Dei Dominus Jesus Christus non venit in ja« ctantia superbiæ, cum possit omnia, sed in humili« tate, » etc.

Accedit eidem sententiæ Ven. Beda, l. II *Hist. Anglorum*, cap. 4, ubi agens de Augustino Britanniarum archiepiscopo, qui sibi successorem adhuc vivens ordinavit : « In quo et exemplum sequebatur, inquit, primi pastoris Ecclesiæ, hoc est beatissimi apostolorum principis Petri, qui fundata Romæ Ecclesia Christi, Clementem sibi adjutorem evangelizandi simul et successorem consecrasse perhibetur. »

Vide Baronium tomo I *Annal.* ad Christi 69, ubi tamen non admittendum, quod dicit et putat, magis exacte et ex sua sententia loqui Hieronymum, in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, quam alibi. Nam constat, eum nihil aliud habuisse propositum in lib. *De scriptoribus*, quam ut scriptores ecclesiasticos ex Eusebio colligeret, et qui post eum fuerunt, adderet, cum sæpe verbotenus ex eo capita integra habeat. Unde illic non ex sua, sed ex Eusebii loquitur sententia. Neque item valet auctoritas e carminibus attributis Tertulliano, cum satis ex ipso Tertulliano lib. I *Contra Marcionem*, constet nihil ipsum metro scripsisse contra illum; et IV, libros illos carminum adversus Marcionem, qui prorsus ignoti veteribus fuerunt, et recenter a Pamelio inventi, scriptos esse ab aliquo simio Tertulliani, non a Tertulliano, ut alibi doceo fusius.

Accedit et Hugo de S. Victore, in mystica arcæ Noe Descriptione, cap. 4 : « Post Petrum, inquit, sequitur Clemens, Anacletus, Evaristus, » etc. In eadem sententia est Marianus Scotus ad annum Neronis 14, pro qua etiam citat Leonis II papæ Decretalem.

Antiqui etiam Vitæ S. Dionysii scriptores indicant eum venisse ad Clementem Petri proximum successorem : sanctus Methodius, Simeon Metaphrastes, Hilduinus, et alii. Verba Methodii sunt : Ὅμως πρὸ τοῦ τὸν μακάριον Πέτρον διὰ τῆς νίκης τοῦ μαρτυρίου καταξιωθῆναι τῆς ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ συνδιαγωγῆς τῷ μακαρίῳ τὴν ἐξουσίαν τῆς Ἐκκλησίας παρέθετο, λέγων· Ὥσπερ παρὰ τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ λῦσαι καὶ δῆσαι ἐμοὶ δεδώρηται ἐξουσία, οὕτω καὶ τὴν αὐτὴν ἐξουσίαν αἰωνίως δωροῦμαί σοι καὶ δίδωμι, ἵνα ὃν ἂν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδημένος ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Verumtamen antequam beatus Petrus victoria martyrii vitam regni cœlestis adeptus esset, beato Clementi Ecclesiæ tribuit potestatem his verbis :* « *Quemadmodum mihi a Domino meo Jesu Christo ligandi atque solvendi potestas concessa est, sic eamdem quoque potestatem tibi in æternum tribuo atque trado, ut quemcunque in terra ligaveris, sit ligatus et in cœlis.* »

Et paulo post, ita de Dionysio : Εἰσελθὼν δὲ καὶ εὑρὼν τὸν μακάριον Κλήμεντα, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, τὴν τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας ἔχοντα ἐξουσίαν, μετὰ τῆς καθηκούσης τιμῆς εὐθέως, ὡς οἷόν τε ἦν, ὑποδέδεκται, etc. *Ingressus vero Romam Dionysius, cum invenisset beatum Clementem, ut superius dictum est, tenentem sedis apostolicæ potestatem, ab eo statim cum honore convenienti, ut facultas fuit, exceptus est*, etc. Ubi indicat venisse Romam Dionysium Clemente recenter post Petri mortem pontifice ; in sequentibus autem persequitur, quomodo sit ab eodem Clemente in Galliam missus, et quibuscum sociis. Idem docet et Metaphrastes, dum scribit, paulo post reditum ab Hierosolymitano conventu, relictis Athenis, magistri Pauli vestigia secutum, tandem venisse Romam, et accessisse ad Clementem tunc pontificem a Petro creatum. Ex quibus, et ex multis aliis colligitur, minus videri probabile, quod Baronius existimavit Dionysium venisse primum Romam annis triginta circiter post mortem S. Petri, hoc est, postquam ad Joannem evangelistam ab exsilio reversum accessisset. Reversus est autem Joannes sub Nerva, qui cœpit regnare anno Christi 99, ut ipsemet notat Baronius. Esto igitur, iverit illo anno Dionysius ad Joannem, et eodem aut sequenti, hoc est, centu-

Digitized by Google

simo Christi, Athenas redierit, et Athenis Romam ad Clementem accesserit; nonne a morte Petri, quam statuit idem Baronius anno Christi 69, continentur usque ad 99 Christi, quo Romam Dionysius venerit, anni 30, aut amplius. Hoc vero miror, scripsisse eum in anno Christi 98, ad finem, hæc verba : « Ad hæc tempora Dionysium egisse in oriente, facile omnes consentiunt. » Atqui vix est reperire unum atque alterum scriptorem Vitæ S. Dionysii antiquiorem Baronio, qui id teneat. Multi enim scribunt mortuum Dionysium sub Domitiano, ante Nervæ tempora, de quibus loquitur ibi Baronius. Non est quidem vera illorum sententia, quantum ad tempus mortis pertinet, ut ostendimus supra, partim e vetustis Martyrologiis, partim ex ipsis Dionysii scriptis, sed sane vera est in eo quod teneant, eum a morte apostolorum Petri et Pauli stA tim venisse Romam ad Clementem a Petro constitutum episcopum : quamvis, ut diximus, non multo tunc tempore Clemens Romæ hæserit, sed relicta Lino sede pontificia, alio demigrarit. Martyrologia autem, quæ Dionysii mortem sub Adriano ponunt, minime dicunt Dionysium usque ad Nervam aut Trajanum mansisse in oriente. Ivisse quidem in orientem, fateor et scribo, sed e Gallia (ubi jam a temporibus Domitiani erat) non Athenis; nisi forte per transennam (quod tamen non arbitror) sed ex Gallia recto itinere properasse Ephesum, ut ubi Joannem, imperante jam Nerva, conveniret : inde autem per Athenas repetiisse Galliam. Hæc autem nostra sententia magis infra dilucescet atque firmabitur, ut cap. proximo, in testimonio Equilini episcopi, et rursus in verbis Flavii Dextri, ibidem.

463 CAPUT X.

Dionysii in Galliam, missu Clementis pontificis, profectio : et res ibidem ab exitu Neronis usque ad Domitianum imperatorem gestæ.

A recenti geminorum apostolorum e terris raptu, nihil fere aliud per dies plusculos inter eorum successores viros apostolicos in cogitatione et sermone mutuo fuit, quam de illorum, ut fit, suorum patrum et præceptorum virtutibus, sive amoris vehementia ad hoc unum a cæteris omnibus abstrahente, sive æmulationis studio ad imitandorum bene gestorum memoriam rapiente. Alius admirabilem Petri moderationem, alius sanctos Pauli fervores; alius inusitata unius in terris prodigia, alius inauditos alterius in cœlos raptus; alius summi pastoris inter Judæos labores atque fructus, alius doctoris gentium inter Græcos opera et operæ pretia; alius denique atque alius, quæ vidisset audivissetque, non sine maximo amoris ac desiderii sensu memorabat. Unum tamen in primis fuit, quod attentiori consideratione peropus habere visum, nempe quo loco statuque res Christiana per orbem esset; quæ provinciæ adjunctæ Christo; quinam in iis insudarent; qui auxilia postularent; qui et ad quos potissimum mittendi forent. Quæ cum sanctissimus Clemens, perantiquus amborum apostolorum discipulus et cooperator, impensius considerasset, et hinc amplissimarum Galliæ atque Hispaniæ terrarum necessitatem, inde idoneorum operariorum paucitatem perpendisset, Dionysii, quem multis nominibus charissimum habebat, virtuti et rerum multarum experientiæ confisus, statuit earum regionum curam cum illo partiri, et quod ipse præsens vellet, si liceret, hoc ei tanquam alteri sibi cum latissima regendi et gubernandi potestate committere. Ad se igitur accersitum (93) perbenigneque exceptum ita fere affatus est : « Minime te fugit, mi dilectissime frater, quanta ubique post copiosam apostolorum sationem messis albescat; verum quam multa messis, tam pauci operarii. Atque eos præsertim desidero, qui eruditione et sanctimonia sic polleant, sic ordine et auctoritate emineant, ut non tantum utiles se operas præstent, sed etiam, ac multo quidem magis, præesse ipsi operis possint. Ecce vicina nobis Gallia et aliæ Occidentis regiones partim fidem suscepere, partim ad susciplendam paratæ, si quis fortiter ac constanter in hoc Dei opus incumbat, præsentaneum exspectant exposcuntque auxilium. Ego autem, si quid mente assequi possum, et te illo vocari divinitus, et alium huic tanto muneri aptiorem reperiri censeo neminem. Novi doctrinam tuam, novi pietatem, novi robur animi, mentisque constantiam. Hic erat, ubi vires ingenii, et industriæ tuæ nervos ad evertendam falsorum deorum vanam superstitionem gloriose explices; ubi tuum promovendæ religionis ardens studium dignis Deo factis expromas : ubi denique pristinos labores tuos et generosas pro Christo pugnas pœnasque exoptata tandem laurea corones. Noli enim desperare ibi te inventurum quod hic quæsivisti. Sed exspectanda sunt tempora, non perurgenda. Quo longius certamen, hoc palma gloriosior. Sed certamini atque palmæ una Dei voluntas præfiniat oportet modum. Age igitur, mi collega et sacer commilito, ad ea accingere, ad quæ te imperator noster instruxit; ad oras Occidentis in nomine Domini cursum tuum dirige, atque ut bonus Christi miles Domini Dei tui prælia præliare. Habebis adversarios plurimos; sed tecum plures erunt, quam contra te. Nam angelorum forti vallabere custodia, et nostris ac fratrum nostrorum precibus adjuvabere. Atque ut ne gentis barbaricæ reformides atrocitatem, aderit tibi, ubicunque fueris, dux noster Jesus qui inimicos tuos fugabit ante te, planamque aperiet ad prosperos Evangelii cursus viam. Quare, ut idem Dominus Jesus Christus magistro meo Petro, et ille mihi, sic et ego tibi sacram ligandi atque solvendi potestatem trado, ut ea fretus, nostrisque et sanctorum apostolorum votis precibusque adjutus, eo confidenter vadas quo mitteris, tuique sorte apostolus, et Dei legatione per omnem Galliam, nullo retardante impedimento, feliciter perfungare. Tu igitur *opus fac evangelistæ; ministerium tuum imple* [1] : atque in hoc incumbe, ut Christi notitia per te quaquaversum diffusa, a Domino in die retributionis audire mereari : *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui* [2]. » Hæc et ejusmodi alia cum secundis auribus excepisset Dionysius (gaudebat enim eo se mitti a suprema potestate, quo et sua sponte divino instinctus spiritu ferebatur), contractis in pauca verbis, se libenter cupideque summi pastoris pariturum voluntati respondit : nihil enim sibi gratius, nihil magis esse in votis, quam ejus obsequi imperiis, « cujus ore sacro et nutu divino totus penderet. De sociis deinde comitibusque itineris actum : de quibus ut convenit, et qui destinati erant adfuere (facilis enim est inter illos qui spiritu Dei aguntur, ad omnia superiorum mandata consensio), tum ad illos pontifex ea verba habuit, quæ cunctorum animos tam 464 ad iter magno animo suscipiendum, quam ad eos qui instarent labores generose pro Christo perferendos succenderent; tum vero lætos alacresque in via bona cum felici apprecatione cunctos dimisit. Erant in sociorum numero (94), præter Rusticum et Eleutherium indivisos comites, Saturninus, Marcellus, Lucianus, Regulus (95), Jon, qui et Jonas quibusdam appellatur (96).

[1] II Tim. IV, 5. [2] Matth. XXV, 21.

Digitized by Google

et qui prius quoque in Gallia fuerat, sed desperato digno operæ pretio excesserat, Eutropius (97). Nam cum in eam plagam a principe apostolorum, a quo fidei mysteria edoctus fuerat, una cum aliis sociis missus esset, atque in Santonibus (populi sunt Aquitaniæ) non modico tempore, nec parvis laboribus paucissimos ad Christi partes adduxisset, nimirum, ut quidam scribunt, viros decem duntaxat, inde tot pertæsus molestiarum (98), et male impensorum, uti existimabat, laborum, revertit Romam. Nempe sic nos homuli solemus, eas refugimus provincias, quas nostræ minus responsuras exspectationi credimus : ac si post multos labores par fructus non sequatur, omnem nos lusisse operam impendlo querimur. Atqui profecto perverse hoc cuncti agimus, quod omnem fructum aliena in voluntate potius quam in nostra ponimus. Nec enim Deus optimus maximus operum successu res metitur, sed amoris affectu; nec tam quantum egerimus expendit, quam ex quanto. Potuit Eutropius solis viris decem tote viginti annorum intervallo emendatis, plus gratiæ apud Deum commeritus esse et gloriæ, quam alius viginti millibus vel uno anno vel una concione correctis. Docuit igitur Clemens, quantas illis suis, ut existimabat, infructuosis laboribus animæ suæ opes comparasset, tantumque sapienti sua oratione effecit, ut derelictam provinciam non modo libenter repeteret, sed avide quoque ardenterque reposceret. Illinc et episcopum creavit, et tanquam futuri præsagus, eum mentione inducta martyrii ad palmam animavit. Ita se Dionysio, cujus ante audiverat nomen, et nunc virtutem plus admirabatur, itineris socium dedit. Atque ut olim Petrus post integræ noctis dispendia, jactis in nomine Domini retibus, copiosissima præda potitus est; ita hic (ut hoc dicere obiter occupem) suscepta ad pontificis mandatum expeditione quam difficillima, brevissimo tempore plurimos mortales et una ipsam principis Santonum filiam ad fidem traduxit, et simul gloriosam illatæ necis lauream indeptus est. Atque hoc ob itineris societatem de Eutropio per transennam dictum sit. Nam de nobili ejus martyrio, perscriptisque a Dionysio actis, mihi institutum est suo loco fusius infra dicere. Jam autem intermissum inter et discedentes sanctos prosequamur. Accepta ergo sanctissimi pontificis benedictione, in viam lætis ac magna spirantibus animis ingressi sunt; nihilque ea via ob mutuum inter ipsos amorem et fraternam concordiam brevius est visum (multi enim cum essent, erant sicut vir unus et cor unum et anima una [y]); nihil ob gratissimas de divinis rebus collocutiones jucundius, nihil denique ob felicem rerum ab apostolis eorumque discipulis gestarum memoriam (qua velut cibo suavissimo quotidie pascebantur), nec in præsens hilarius, nec in futurum beatius poterat exoptari. Mare igitur, quod ipsorum votis mire obsecundabat, felici ac multis invidendo navigio, quod non tam venti aut vela, quam Spiritus sancti gratia afflabat ac promovebat, ex Italia in Galliam citissime simul placidissimeque transmiserunt. Quam vero urbem primo petivere, aiunt fuisse Arelaten (99), insigne prorsus in provincia Narbonensi, et omnium gentium commerciis peropportunum emporium. Hic fuerat haud ita pridem sanctus Trophimus Pauli discipulus, remque Christianam, primus urbis ejus episcopus a sancto Paulo ordinatus, ut vires tulerant, fundarat ac promorat : sed quem postea Mileti infirmum se reliquisse scribebat (100) paulo ante martyrium suum Apostolus [x], eum jam vita functum fuisse, antequam sancti Roma discederent, ac propterea huc potius quam usquam alio cursum illos direxisse, vero creditur quam simillimum. Ab hac igitur urbe, quod Deus bene vertat, res a Dionysio tota Gallia præclare gestas, ipso labores nostros e cœlesti throno respectante et adjuvante, auspicabimur.

[y] Act. IV, 32. [x] II Tim. IV, 20.

NOTATIONES.

(93) *Ad se igitur accersitum*, etc. His conformia perscripsit Hilduinus in Areopagiticis.

(94) *Erant in sociorum numero*, etc. De Rustico et Eleutherio scriptores omnes, tam Græci quam Latini, consentiunt. De Saturnino, Marcello, et Luciano testis est Methodius in Dionysii Martyrio, cujus hæc verba : Κοινωνοὶ δὲ τοῦ ἁγίου Διονυσίου ἦσαν Σατουρνῖνος, Μάρκελλος καὶ Λουκιανός· *Socii sancti Dionysii erant Saturninus, Marcellus et Lucianus.* Et paulo inferius : Ἀκοιτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Σατουρνῖνον ἀποστέλλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Λουκιανῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Ῥουστίκῳ καὶ τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει ἐπορεύθη· *Misso autem in partes Aquitaniæ Saturnino, ipse cum sancto Luciano et sancto Rustico et sancto Eleutherio, ad urbem Parisios venit.* Ejusdem Saturnini meminit sanctus Gregorius Turonensis libro I *De gloria martyrum*, 465 cap. 48 : « *Saturninus vero martyr*, inquit, *ut fertur, ab apostolorum discipulis ordinatus, in urbem Tolosatium est directus.* » Sic ille.

Nota, *ab apostolorum discipulis*, id est a Clemente vel Dionysio. Quod autem dicit directum esse in urbem Tolosatium, sive Tolosam, optime quadrat cum eo quod dixit Methodius, missum a Dionysio in partes Aquitaniæ : nam Tolosa et Burdigala præcipuæ urbes sunt Aquitaniæ. His consentiunt quæ refert Equilinus episcopus libro IX, cap. 41, his verbis, loquens de Dionysio et sociis : « Cum ergo audisset Petrum et Paulum Romæ a Nerone in carceribus detineri, episcopum sibi substituit, et ad eos visitandos accessit, eorumque passionibus præsens fuit. Verum post aliquod tempus a B. Clemente Petri successore in Franciam destinatur, et ipsi Rusticus presbyter et Eleutherius diaconus sociantur : sancti quoque Saturninus et Marcellus episcopi, et Lucianus presbyter comites adjunguntur. Qui omnes venientes Arelatum, verbum Domini prædicare cœperunt. Tunc Dionysius auctoritate summi pontificis fretus, Marcellum in Hispaniam, Saturninum in Aquitaniam, et Lucianum ad Bellovacensem pagum direxit. » Ubi adverte, dici Dionysium a Clemente Petri successore in Franciam destinatum, et apostolorum martyriis interfuisse; quod ostendit, saltem proxime ab eorum martyrio Romæ ipsum exstitisse. Nam serius et post eorum mortem advenisse, ex antiquioribus habet Hilduinus, Equilino longe vetustior.

Ex dictis corrigendus est Gregorius Turonensis lib. I *Historiæ Francorum*, cap. 30, ubi dicit, Saturninum sub Decio et Grato coss. fuisse Tolosæ episcopum; unde et in Martyrologium Romanum novum (nam vetus nihil habet, et in Usuardo deest *sub Decio*) irrepsisse error videtur ad 29 Novembris. Nec enim potuit idem Saturninus fuisse S. Petri discipulus, et accepisse sedem episcopalem Tolosæ sub Decio : nam Decius tertio demum sæculo imperavit et consul fuit. Verum, ut notavi alibi, non tantum in Saturnino erravit Gregorius illo loco (qui locus totus vitiosus est), sed etiam in S. Trophimo Arelatensi episcopo, in Paulo Narbonensi et Dionysio Areopagita, omnibus Pauli discipulis, et in sancto Martiale Lemovicensi, quos omnes scribit fuisse sub Decio. At Saturninum, quo de hic agitur, fuisse S. Petri discipulum, etiam Flavius Lucius Dexter, sancti Hieronymi æqualis,

Digitized by Google

testatur ad annum Christi 76, et plurimi alii, quos vide ad eum locum in Commentario Francisci Bivarii, qui germana ipsius Saturnini acta ms. in Roderici Ximenii episcopi Toletani Bibliotheca asservari profitetur, et in his ita legi : « Bonus est Honestus Saturnini discipulus : melior est Saturninus Petri alumnus : quia optimus omnium Christus Petri didascalus. » Sunt tamen nonnulli e recentioribus, et ii præsertim, qui sine ullo examine morum exempla compilant, qui eos ausi sunt corrigere, qui Saturninum primo aut secundo ponerent sæculo.

(95) *Regulus.* Etiam Regulum fuisse S. Dionysii comitem, habent ejus Acta apud Vincentium Bellovacensem libro x, cap. 27. De illo et ejus Arelatensi episcopatu agemus capite sequenti.

(96) *Jon, qui et Jonas quibusdam appellatur.* Hic quoque unus fuit e Dionysii discipulis et comitibus, tam Athenis Romam, quam Roma in Galliam. Quod Athenis Romam, acta ipsius Jonis testantur, apud Vincentium Bellovacensem lib. x *Speculi hist.*, cap. 23. Quod Roma in Galliam, testis est *Martyrologium Romanum* ad 22 Septembris, hisce verbis : « Apud pagum Castrensium, S. Jonæ presbyteri et martyris, qui cum S. Dionysio profectus in Galliam, jussu Juliani præfecti verberibus cæsus gladio martyrium consummavit. »

Ubi nota in illis verbis : « Apud pagum Castrensium, » intelligi, celebratur dies natalis (sicut in similibus alibi notavimus), non vero, obiit, aut passus est martyrium. Alioqui Martyrologium scateret mendaciis. Nec enim sanctus Ignatius martyr Antiochiæ mortuus est, nec S. Joannes Chrysostomus Constantinopoli, sicque de aliis; sed ille Romæ, et hic Comanæ in Ponto, cum tamen de ambobus scribatur in Martyrologio, de uno quidem : « Antiochiæ S. Ignatii, » etc.; de altero autem : « Constantinopoli S. Joannis episcopi, » etc.

Occisus est autem Jon seu Jonas apud Parisios, et caput recisum tulit usque ad montem, qui in ejus memoriam vocatus est *Mons S. Jonis*, vulgo, *le Mont Saint-Jon.*

Quod autem in Martyrologio est, « Apud pagum Castrensium, » dicunt Galli, *à Chastres sous Montleheri.* Franciscus tamen Bivarius putat per ea verba significari *Castra Cæcilia* in Lusitania, sicque intelligendum quod Flavius Dexter notat ad annum Christi 86 : « Castris Cæciliis in Lusitania prædicat sanctus Jonas, discipulus S. Dionysii Areopagitæ, et ad Gallias post revertitur. » Fateor quidem ego utrobique prædicasse S. Jonem, sed tamen verba Martyrologii magis facere pro Gallis. Adverte etiam ex his Dextri verbis nostram confirmari sententiam de Dionysii profectione in Galliam longe ante tempora Nervæ imp. Nam si Jonas (qui cum Dionysio Athenis Romam, et Roma profectus est in Galliam) ante annum Christi 86, profectus erat e Gallia in Lusitaniam, ibique Evangelium prædicabat; certe consequitur et Dionysium multo ante Christi 86 venisse cum illo in Galliam; non igitur (quod volebat Baronius) sub Nerva, sive anno Christi 99, venit demum in Galliam Dionysius.

(97) *Sed desperato operæ pretio excesserat Eutropius.* Exstant hujus S. Eutropii Acta apud Equilinum episcopum lib. IV, cap. 105, et quædam apud Gregorium Turonensem lib. I *De gloria martyrum*, cap. 56 : « Eutropius quoque martyr Santonicæ urbis, inquit, a beato Clemente episcopo fertur directus in Gallias. Ab eodem etiam pontificalis ordinis gratia consecratus est : impletoque hujus officii ordine, peracta in incredulis prædicatione, insurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permisit, illiso capite victor occubuit. » Vide ibidem de ejus apparitione et agnitione martyrii, ipsomet sancto Eutropio revelante. Fuisse autem Dionysio comitem itineris, clare hujus Acta declarant, ubi inter alia sic de illo : « A B. Petro apostolo ad Gallias prædicatum missus accessit; ingressusque civitatem Santonas cum Christum prædicaret, ab infidelibus cæsus et de urbe ejectus, sibi tugurium extra muros construxit, ubi noctibus orationi, diebus vero prædicationi insistebat. Cum autem multo ibidem tempore commoratus fructum modicum prædicationis fecisset, eo quod decem viros solummodo convertisset, Romam repedans, 466 B. Petrum apostolum passum reperit : et a S. Clemente ejus successore ordinatus Santonensis episcopus, beatoque Dionysio sociatus, cum eodem iterum ad Gallias adiit. » Ubi rursus observa, Eutropium statim a morte Petri Romam advenisse, et a S. Clemente ejus successore ordinatum episcopum, cum Dionysio Gallias adiisse; ita ut non multo post ab excessu apostolorum Dionysius missus sit in Gallias, nedum triginta post annis, ut quidam volunt.

(98) *Inde tot pertæsus molestiarum*, etc. Est in ejus Actis, præter alias molestias, etiam verberibus fuisse affectum, atque urbe pulsum. Sed hoc quidem parvi Eutropius ducebat, si fructus saltem in multorum salute paruisset. At vero viros tantum decem in fructibus tantorum laborum numerari, hoc intolerabile ipsi videbatur. Haud tamen rece, uti et B. Clemens ei planum fecit, et simili in re nonnunquam sanctus Petrus apostolus (licet aliquot post sæculis) S. Laurentio Britanniarum archiepiscopo non tam verbis quam verberibus ostendit. Nam cum annum Domini sexcentesimum decimum quartum, Eadbaldi regis Centuariorum fidei Christianæ adversantis, et castimoniæ leges adeo pessumdantis, ut uxorem patris sui duceret, impios ac perversos mores pertæsus, statuisset Britannias deserere (habito enim cum episcopis Mellito et Justo super ea re colloquio, decretum fuerat communi consilio, satius esse, « ut omnes in patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deservirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent, »), apparente illi sancto Petro et gravissimis verbis deterrente, imo et gravioribus flagellis eam voluntatem puniente, discessit a proposito, nec Mellitum et Justum, qui jam discesserant, atque in Galliam transierant, est secutus. Sed dignum est exemplum, quod integrum ipsis Venerabilis Bedæ verbis referatur. Sic igitur habet libro II *Hist. Anglic.*, cap. 6 : « Cum vero Laurentius Mellitum Justumque secutus ac Britanniam esset relicturus, jussit ipsa sibi nocte in ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli, de qua frequenter jam diximus, stratum parari : in quo cum post multas preces ac lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus apostolorum princeps, et multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, sciscitabatur apostolica distractione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis ab infidelibus et inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? His B. Petri flagellis simul et exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad regem, et retecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ei ostendit. Qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales esset ausus plagas infligere, ut audivit quia causa suæ salutis episcopus ab apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque passus, extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consu-

Digitized by Google

lere ac favere curavit. Misit etiam in Galliam, et revocavit Mellitum et Justum, eosque ad suas ecclesias libere instituendas redire præcepit. Qui post annum, ex quo abierant, reversi sunt. » Hactenus Venerabilis Beda. Ex his et illud patet, vigilare etiamnum pro sua et Christi Ecclesia sanctum Petrum apostolorum coryphæum, nec in cœlo ejus curam negligere, pro qua in terris sanguinem et vitam profudit.

(99) *Quam vero urbem primo subivere, aiunt fuisse Arelatem.* Ita Methodius: Τούτων δὲ ὁμοῦ συνελθόντων καὶ πορευομένων, ἦλθον εἰς λιμένα Ἀρελαδιτῆς πόλεως. *Ipsi autem cum una convenissent et profecti essent, pervenerunt ad portum urbis Arelates.* Idem scribit et Hilduinus in Vita sancti Dionysii. Suspicor erratum esse in Ἀρελαδιτῆς, et scribendum potius Ἀρελατικῆς *Arelatensis.* Urbs ipsa Straboni lib. IV *Geographiæ* vocatur plurali numero Ἀρελάται. Ejus verba: Πρὸς δὲ τῷ Ῥοδανῷ πόλις ἐστὶ καὶ ἐμπορεῖον οὐ μικρὸν Ἀρέλαται. *Adjacet Rhodano oppidum emporiumque non parvum, Arelatæ.* Ptolemæus, lib. II *Geographiæ*, cap. 10, in descriptione Narbonensis Galliæ, Ἀρελᾶτον Κολονία, inquit, *Arelatum Colonia.* Plinius, lib. III *Hist. natur.*, cap. 4, vocat Arelaten, *Coloniam Sextanorum*, hoc est, ad quam habitandam missi sunt milites sextæ legionis. Cum quo concordat Pomponius Mela lib. II *De situ orbis*, cap. 5, ubi urbes Galliæ Narbonensis præcipuas sic recenset: « Urbium, quas habet, opulentissimæ sunt Vasio Vobontiorum, Vienna Allobrogum, Avenio Cavarum, Arecomicorum Nemausus, Tolosa Tectosagum, Secundanorum Arausio, Sextanorum Arelatæ, Septimanorumque Blitera. Sed antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia: unde olim iis terris auxilium fuit, nunc et nomen decus est, Martius Narbo. »

Quibusdam Arelas nuncupatur. Itaque Arelas, seu Arelate, seu Arelatum, seu etiam Arelatæ plurali numero (ut Pomponius Mela et quidem Græci scribunt) insignis est et antiqua civitas Galliæ Narbonensis, et Romanorum colonia ad Rhodanum sita, et Massiliæ atque Avenioni finitima, archiepiscopali sede honorata, in qua S. Trophimus Pauli discipulus primo sedit, deinde S. Regulus, aliique in sanctorum albo ascripti, Gallice *Arles* etiamnum vocatur. Sed dignum hic annotatur, quod Robertus Gaguinus lib. IX *Historiæ Francorum*, tam de nomine Arelates, quam de S. Trophimo se ab antiquioribus desumpsisse profitetur; nempe Arelaten a priscis *Aram latam*, teste Gervasio, dictam esse. Siquidem duæ columnæ olim erectæ inibi erant, iisque ara superposita, ubi quotannis ad Kalendas Maias frequens undique populus pro sua sospitate humanis hostiis litabat. Quam in rem ternos juvenes ære publico emptos, totumque annum bene saginatos, ad eam aram certa constitutaque die immolabant: moxque immolatorum sanguine universam circumstantem turbam conspergebant. Quam sævam impietatem S. Trophimus, A Christi Paulique discipulus, istuc fidei disseminandæ causa profectus exterminasse fertur; docuisseque, ad veram animæ corporisque incolumitatem acquirendam, non alio illos quam Christi sanguine esse respergendos.

Facit his fidem, quod Cæsar ipse, lib. VI *De bello gallico*, de cruentis Gallorum sacrificiis scribit: « Natio est omnis Gallorum, 467 inquit, admodum dedita religionibus, atque ob eam causam qui sunt affecti gravioribus morbis quique in præliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur: quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter deorum immortalium numen placari arbitrantur: publiceque ejus generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent; quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent: quibus succensis B circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto aut latrocinio aut in aliqua noxa sint comprehensi, gratiora diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. » Sic ibi. Vide et Tullium in Oratione pro M. Fonteio sub finem, et Pomponium Melam lib. III, cap. 2.

(100) *Sed quem postea Mileti infirmum se reliquisse scribebat*, etc. Verba sancti Pauli in posteriore ad Timotheum Epistola c. IV, 20, sunt hæc: *Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliquit infirmum Mileti.* Scribebat autem hæc Paulus paulo ante martyrium, et postquam in eadem extrema Epistola scripserat: *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et C iis qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire cito.*

Ex quibus colligitur S. Paulum accepisse divinitus, brevi spatio instare sibi mortem ac propterea adesse sibi voluisse Timotheum, et ultima mandata accepturum, et certaminum testem futurum. Acceperat autem et Petrus tam Evangelii quam martyrii eadem in urbe collega; quandoquidem in sua quoque posteriore Epistola scripserit cap. I, 13: *Justum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quod velox est depositio tabernaculi mei: secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* Sic ambo, quod prædixerant, simul eodem anno, mense, et die consecuti sunt.

Itaque Trophimum, quem paulo post subiturus martyrium scribebat se reliquisse infirmum Mileti (est autem Miletus Asiæ urbs, Cariæ et Ioniæ finitima), probabile est tunc inibi vitam reliquisse, præsertim quod nulla post hæc tempora ejus mentio; et S. Regulus haud ita multo post creatus fuerit a Dionysio Arelatæ episcopus.

CAPUT XI.

Dionysii in Galliam ingressi prima Arelate super fidei rebus consilia et auspicia.

Fili, inquit magnus ille Ecclesiasticus, *nihil sine consilio facias* [y]. Quod divinum mandatum et oraculum eo sibi diligentius exsequendum terræ Galliæ apostolus existimavit, quo res illa major erat ac difficilior, quam Dei nutu suis impositam humeris modo erat aggressurus. Deorum enim ab omni retro ætate tam pertinaciter quam superstitiose cultorum eversio hic agebatur. Jesu Christi e contrario in acerbam crucem latrones inter ignominiose sublati æterna divinitas et nova religio feris ac barbaris gentibus proponenda, comprobanda, persuadenda erat. Vires proinde humanas (si quidem solitarie et per se consideraretur) tantæ rei molimen longe exsuperabat; sed tamen Dei optimi maximi auxiliis junctas, nec sibi, sed illis confisas, neque illud, neque quidvis aliud exsuperare poterat. Quocirca cum ejusmodi res esset, ut et viribus maximis et potenti subsidio indigeret, nec mediocrem insuper pruden-

[y] Eccli. XXXII, 24.

Digitized by Google

tiam industriamque exigeret, confestim ut Arelaten ventum est, actis primum ductori ac sospitatori Deo super prospera navigatione et felici appulsu gratiis, eo cogitationes suas omnes vir sapientissimus applicuit, ut de totius Galliæ statu, singulorumque populorum moribus, quæ præsenti forent instituto necessaria, plene cognosceret; tum vero de dimittendis quaquaversum idoneis operis, habito cum suis consilio, suaviter, ut Dei suaderet gloria, disponeret. Neque vero ad hæc præstanda urbs opportunior, aut locus commodior, quam ubi nunc erant, quæri optarive poterat. Quippe ad quam urbem frequens ex omni Gallia concursus erat, non aliorum modo, sed etiam Christianorum; a quibus disci poterat, quod scire ad rectam Ecclesiæ administrationem boni pastoris interesset. Hic ergo aliquandiu substitit: hic Christianos recollegit, hic recensuit; hic Pauli et Trophimi fructus laborum recognovit: hic a fratribus, præsertim a sacerdotibus et diaconis, quinam superstites adhuc essent in Gallia episcopi, et ubi suas sedes fixissent, quas animarum messes fecissent, quas potissimum terras steriles incultasque reliquissent, perdidicit. Tum vero accitis in consilium collegis et sodalibus, auditaque super quibus deliberabatur sententia, denique quod optimum factu, Domino Deo (quod semper ante omnia solebat observare negotia) invocato, suam unicuique, in qua desudaret, provinciam designavit. Saturnino Aquitaniam (1-2), Luciano Bellovacum, Sanctino Meldas, Regulo Arelaten, Eutropio Santonas, aliis alias urbes tractusve in solo Gallico commisit. At vero Marcellum, quem et Eugenium nonnulli vocant (3) (idem enim esse a multis creditur), Hispanis e Gallia, ut credibile est, auxilia poscentibus, cum prius eum creasset episcopum, misit in Hispaniam. Ipse autem Dionysius agrum Parisiensem, quo nihil erat ea tempestate, quantum ad fidem pietatemque spectat, incultius atque agrestius, sibi excolendum reservavit. Decet enim, ut in militia imperatores, sic **468** in Ecclesia primos antistites, eas potissime sibi partes assumere, quæ plus laboris ac difficultatis secum afferant; ut ne tam imperio subditos suos, quo velint, pellere, quam exemplo ad magna atque ardua post se trahere videantur. Nimis dura enim et superba censentur imperia, cum labores et pericula committuntur, et desunt exempla. Cavebat proinde Dionysius in eorum esse numero, qui alios duriter tractant, ipsi molliter vivunt. Nec enim hoc a Paulo præceptore didicerat, nec in ullo apostolorum viderat, nec ipse hactenus vel per somnium cogitarat. Nam vestigia gloriæ Dei, quæ ut plurimum in periculis, in laboribus, in ærumnis, in factu arduis, in perpessu asperis illustrius deprehenduntur, tanquam bonus Christi venaticus semper et in omnibus sagaciter indagabat, et per illa ad opimas animarum prædas cursu infatigabili properabat. Detinuit quidem illum aliquanto spatio urbs Arelate, sed ingentem paulo longioris illic moræ fructum Deus ostenderat. Jam Nero, monstrum potius hominis quam homo, tyrannus scilicet qualem adhuc terra non tulerat, cunctis exosus invisusque mortalibus, debitas suæ importunæ crudelitatis pœnas Deo sanctisque apostolis exsolverat: nec alia quidem (quod deterrimum, et tamen justissimum) quam sua manu, ut pessimo scilicet victoriæ genere, qui alios ante se omnes barbarica crudelitate vicerat, idem sui ipsius nece seipsum vinceret. Hoc igitur monstro e vivis sublato, cum boni omnes respirare, tum vel maxime Christiani cuncta sperare in dies meliora: quibus videlicet non minimum promovendæ sanctæ religioni argumentum suppeditabat, quod ejus persequendæ primus auctor is fuisset, qui totus ex fœdissima atque spurcissima vitiorum omnium colluvie conflatus, nihil non, iniquissimo suadente atque impellente dæmone, hactenus fecerat. Docuerunt igitur tum Dionysius et cuncti universim omnium Ecclesiarum magistri, propterea neci datos esse Petrum et Paulum, duos religionis nostræ multo omnium mansuetissimæ principes, quod tyranno truculentissimo, ac teterrimis ejus geniis atque dæmonibus, a quorum arbitrio et nutu nefarius ille sicarius totus pendebat, generose fuissent adversati; adque ejus exsecrandis libidinibus atque spurcitiis veræ castimoniæ honestatem prætulissent. Ita non difficilem ad eorum aures, qui talia mirum in modum exhorrescebant, aditum cum invenissent, tum ad expromenda fidei nostræ documenta eo fidentius accedebant, quo erant cum virtute et ratione conjunctiora. Ad quod quidem palam faciendum valebat hic noster Areopagita, cum auctoritate magni nominis, tum præcipue incredibili quadam cœlitus inspirati sermonis gratia, cui et vis inerat et copia dicendi incomparabilis. Unde bonus Arelatensium numerus sensim eum sectari, degustare verba, demirari vitam, adamare virtutes, suspicere et suscipere Evangelium, Christi facta mutis deorum simulacris composita quanto essent anteferenda, suo silentio primum, deinde voce et comprobatione contestari; postremo deorum suorum potentiæ, quos impune a Christianis contemni et imbecillitatis sugillari viderent, paulatim diffidere; cum vero et prodigia in nomine Jesu (qui honoris gratia nobis semper nominandus est) sæpenumero facta esse, et non raro fieri scirent, seu in abigendis dæmonibus, seu in propulsandis morbis, tum aperte religioni manus dare, et divinæ virtuti fasces haud invite submittere. Non prius igitur generosus Christi athleta discessit Arelate, quam et multum sub ducis sui vexillo populum conscripsisset, et longe clarissima suæ virtutis ibidem reliquisset impressa vestigia. Erat inibi fanum quoddam, populi cultu ac veneratione in primis augustum ac celebre, in quo Martis statua (4) publicis impertiebatur honoribus: hanc statuam Dionysius, quo veram unius Dei potentiam astrueret, sola divini nominis invocatione disjecit, diffregitque; fanum vero ipsum omni hactenus sacrorum exsecrandorum turpitudine inquinatum, et stultissimæ superstitionis indignissima vanitate pollutum, cum rite perpurgasset, sanctissimis beatorum apostolorum Petri et Pauli nominibus et honoribus, non invito populo (quippe patratorum ab iis prodigiorum jam conscio et admiratore) consecravit, ibidemque baptisterium originalibus eluendum maculis collocavit. Nam mirificas eorum virtutes et insignia in omnes mortales beneficia (quæ partim in Evangeliorum codice, partim in eo qui Actus apostolorum inscribitur, fusius repertum iri indicabat) breviter illis exposuerat; quemadmodum Petrus scilicet, quasi quispiam vitæ mortisque dispensator, solo verbo alios quidem neci propter impia scelera tradidisset, alios autem vitæ ob eximia benefacta reddidisset. Nam Ananiam quidem et Saphiram memorabat, propterea quod mentiti essent Spiritui sancto, ad sancti Petri vocem corruisse mortuos [z]: Tabitham vero præclaram Ecclesiæ discipulam, a pietate in viduas commendatam, ab inferis ejusdem evocatu luci esse redditam [a]: quin et sola ejus umbra quoscunque infirmos perfectæ sanitati esse restitutos [b]. Paulum autem e Christi persecutore discipulum nonnunquam in cœlos raptum [c], ea inibi vidisse audivisseque, quibus enuntiandis nulla lingua idonea, nulla par esse posset oratio; sed miraculorum insuper minime vulgarium fulgore insigniter coruscasse. Nam et Elymam magum doctrinæ Christi resistentem, in ipso **469** momento oculis orbasse [d]; et alias infirmis longe plurimis incolumitatem, mortuis vero etiam nonnullis amissam vitam redonasse; denique ita utrumque vixisse, ut nihil unquam in moribus turpe aut vitiosum; ita docuisse, ut nihil in doctrina falsum aut perniciosum; ita postremo excessisse, ut nihil in morte objectum aut ignominiosum deprehendi a quoquam, aut jure

[z] Act. v, 1. [a] Act. ix, 36. [b] Act. v, 15. [c] II Cor. xii, 4. [d] Act. xiii, 8.

Digitized by Google

reprehendi posset : imo omnem vitam, doctrinam, mortem, bonorum plena exemplorum exstitisse. In iis enim eluxisse in rebus agendis prudentiam, in negotiis communicandis æquitatem, in moderandis sensibus castimoniam, in affectibus refrenandis fortitudinem, in adversis ferendis et morte sustinenda patientiam, animique invictam constantiam. Cum quibus si falsorum deorum vitæ conferrentur, seu Martis, seu Mercurii, seu Jovis ipsius aut Saturni, aut aliorum quorumcunque, quanta, Deus bone! inquiebat, in illis diversitas ! major sane quam diei et noctis, quam lucis et tenebrarum. Unus enim liberos suos devorasse, alter patrem ipsum pepulisse regno, iste alienæ conjugi stuprum intulisse, hic res alienas furto avertisse, alius alia et quidem horrenda ac propudiosa admisisse flagitia, et iis etiam gloriatus fuisse memoratur. Et tantam nihilominus exstitisse hominum cæcitatem, ut divinos iis honores elargirentur, quos ob sua exsecranda facinora æternis pœnis certissimo constaret esse damnatos. Propterea igitur Deum ipsum e cœlis ad tantam cæcitatem sua immensa luce depellendam, et tam densas errorum tenebras doctrinæ suæ veritate dissipandas descendisse ; atque hunc esse quem ipsis prædicaret, cujus principes discipulos veris laudibus efferret, quibus templa et statuæ multo justius quam Marti et Mercurio, aliisve diis (si tamen diis) deberentur. Talibus fere, sed multo pluribus ac majoribus, prout Spiritus ei dabat, populi animos vir sanctus detinebat, erudiebat, Christo acquirebat. Post hæc commendata Regulo (cui manum simul et episcopi munus jam imposuerat) Arelatensi Ecclesia, dispositisque in ea ordinibus, et ad mutua inter se officia diligenti oratione concitatis, valedixit, datoque pacis osculo, et impertita benedictione, in interiorem Galliam, assumptis Rustico et Eleutherio comitibus, penetravit. Ubi autem consederit, quid egerit, quæ studia consectatus sit, proxima enarratio demonstrabit.

NOTATIONES.

(1-2) *Saturnino Aquitaniam*, etc. De Saturnino, et aliis in diversa a Dionysio dimissis, partim capite præcedenti dictum est, partim proprio et singulari capite infra dicetur.

(3) *At vero Marcellum, quem et Eugenium nonnulli vocant.* De Marcello hoc, et idemne sit cum Eugedio Toletano, disputavi alibi.

(4) *In quo Martis statua*, etc. Inter alios deos cultum fuisse etiam a Gallis Martem, præcedenti capite notavimus e Cæsare. De disjecta autem et diffracta a Dionysio ejus statua, habetur in Actis S. Reguli apud Vincentium Bellovacensem lib. x *Histor.*, cap. 27.

CAPUT XII.

Dionysii ad Parisios profectio, et ibidem religionis et episcopatus fundatio.

Parisii hac ipsa, qua de agimus, ætate (5), imo et pluribus ante sæculis celebre erat, non urbis quidem ut nunc, sed populi in Gallia Celtica Senonas inter et Bellovacos siti, et Sequanam fluvium accolentis nomen. Quod quidem nomen olim Julius Cæsar *Commentariis* suis illustrius fecerat (6) simulque eorum urbem Lutetiam belli consilio inibi habito reddiderat clariorem ; verum longe alia claritudo post accessit, cum Dionysius Areopagita omnem prope Athenarum gloriam, hoc est seipsum, huc transtulit ; neque hoc sine felici rei magnæ omine, facultatis scilicet omnium liberalium artium, et Græcæ in primis facundiæ eodem aliquando (quod jam dudum factum est) transituræ. Sed illa tamen, quamvis per se ampla, præ fidei luce quam diffudit, præ Christi nomine quod importavit, præ tot insignibus victricis fidei tropæis quæ tota Gallia erexit, exigua videri possunt et debent. Igitur ad hunc populum et ad hanc urbem divino ductu accessit (7), eumque in vicino delegit habitationi locum, quem et sacris studiis, et piis precationibus, et divinorum contemplationi, et opportuno ab Evangelii laboribus receptui reperire potuit quam commodissimum. Eum esse credunt, quem academia Parisiensis nunc insidet, illius Atheniensis, quam Plato celebravit, et ubi Dionysius quondam philosophatus est, æmula. Illic ergo cum duobus sociis Rustico presbytero, et Eleutherio diacono fidissimis contubernalibus consedit, hic sacris operatus est, hic divina meditatus, hic cœlestia contemplatus, hic libros illos incomparabiles (8), et nisi paucis rarisque ingeniis inaccessos, est commentatus, quos et 470 hodierna theologorum schola secundum Scripturas in prima ponit laudatque auctoritate ; hic denique, ut quondam Joannes in deserto, concurrentes ad se omnis generis mortales fama vitæ et miraculorum excitatos docuit, abluit, et plus etiam quam Joannes, peccatorum suorum vinculis exuit, ac teterrimæ ereptos servituti in libertatem filiorum Dei vindicavit (9). Nam cum virtute polleret miraculorum (10), et jam visum cæcis, jam auditum surdis, jam sermonem mutis, jam claudis gressum reformaret, variisque præterea morborum affectos incommodis circa ustionem, sectionem, potionum amaritudinem, sola precatione et verbi divini invocatione percuraret ; toti genti admirationi fuit, imo et propter facta tam benefica passim apud omnes in amore et honore non vulgari. Quibus ad fidei persuasionem Deique illius cultum (cujus vocato nomine hæc patrabat) viam sternentibus, non exiguum Parisiorum numerum ad Christi castra perduxit. Sed præ aliis omnibus, quorum obscurior fama est et ignota nomina, unus singulariter exstitit, cujus non quivis hactenus nec ætas cuncta disperdens, nec livor semper magnis invidens, jam obtegere nomen aut obscurare gloriam. Lisbius enim prisca stirps (11) et radix Montmorentianæ familiæ, qui primus e Gallica nobilitate salutiferis baptismi aquis a Dionysio expiatus et Christiani nominis gloria creditur insignitus, vivit etiamnum et viget, vigebitque perennibus, nec unquam intermorituris ad omnem posteritatem litteris. Nam ut antehac, ita et deinceps, Gallorum habebitur et appellabitur Christianæ primitiæ : nec celebitur (ut nobilis erat juxta et locuples) tam ad commendandam ac promovendam fidem ejus auctoritas, quam ad religiosa sacella et oratoria (prout ea ferebat tempestas) vel aptanda vel conservanda insignis benignitas ac munificentia. Ad hæc enim opera tam auctoritate quam opibus præsto adfuisse Dionysio ex antiquis habetur monumentis. Atque hæc fortassis irarum et discordiarum conjugi occasio et seminarium fuit : quod scilicet Larcia (hoc erat conjugi nomen) tantarum impensarum, quibus dilapidari rem familiarem arbitrabatur, impatiens (marito enim fidem amplexo diu infidelis perstitit) virum tanquam summæ in deos impietatis reum detulerit, præclaramque martyrii palmam, sed longo post hæc tempore, remanentibus tamen odiis, volens nolens, ut suo dicetur loco, procurarit. Nam cum Vespasianus imperium tunc teneret, princeps admodum mitis ac humanus, nulla gravior hisce temporibus exstitit in Christianos persecutio, nulla religionis hostibus sui in bonos expromendi odii, tanta

Digitized by Google

quantam voluisset opportunitas fuit. Hinc Ecclesia illo imperatore sensim recreari, paulatim accrescere, vires sumere, ædiculas struere, liberius sacros cœtus habere, in Christi doctrina et virtutum exercitio non pœnitendos progressus in dies facere. Tum ergo et Dionysius obsecundante in primis quem modo diximus Lisbio, nonnulla variis in locis sacella (12), ut commoditas erat, construxit. Primum autem, vel certe inter prima illud fuisse creditur, quod omnipotenti Deo, suæ hujus peregrinationis auctori atque duci, titulo Sanctæ Trinitatis dedicavit : quod deinde multis post sæculis in honorem sancti Benedicti, reservata tamen ibidem loci venerandæ antiquitatis et sanctimoniæ grata memoria, instauratum, amplificatum, consecratum fuit. Quippe in sacello, quod Sancti Nicolai nunc dicitur, et in divi Benedicti templo inclusum est, hoc legitur veteris religionis certissimum monumentum. In hoc sacello sanctus Dionysius cœpit invocare nomen sanctæ Trinitatis. Nam ille proprie locus fuit ædificati a Dionysio sacelli. Postea vero et alterum cultui beatæ Mariæ Virginis, destructo, quod inibi colebatur, Mercurii simulacro, dedicasse tradunt ; quod ab indigenis ad rei memoriam Nostra Domina de Campis est appellatum. Ubi et partem aliquam sanctissimi veli ejusdem Virginis, cujus ipse interfuerat exsequiis, ad majorem loci ejus sanctitatem deposuit. Unum item sancto Stephano primo post Christi ascensionem martyri ; quod hodieque templum Sancti Stephani Græcorum vulgo nominatur, quod scilicet primi ejus conditores Græci essent. Alia denique aliis sanctis, quorum enumeratione, ut difficili, minusque necessaria nunc supersedeo. Sed quemadmodum templa et sacraria, sic sacerdotes et ministros constituit, variaque in loca dimisit (13). Necessarium enim erat, ut, multiplicatis gregibus, pastores quoque multiplicarentur. Illos autem cum ad omnem virtutem diligentissime informavit, tum etiam peculiari cura iisdem commendavit, ut ea quam exactissime callerent et curarent, quæ sui essent circa res sacras officii et ministerii. Nec immerito. Quid enim in omni mundo est, quod parem curam ac sollicitudinem requirat, quam ea servitia et obsequia, quæ non hominem mortalem, sed Deum ipsum et cœlos tangunt ? Nam si pro personarum dignitate atque fastigio verum est honorem ac venerationem crescere, quam exquisiti divinæ adorationis ritus ac cæremoniæ, et quanta honoris ac reverentiæ incrementa ad supremæ illius atque infinitæ majestatis cultum adhibenda sunt ? Dionysius igitur tanti reverentissimus culminis, præclaram omnino, si quis alius, hac in re navavit operam. Cum enim apostoli (in quorum præcipue humeros tanquam primorum Dei legatorum, et novæ legis principalium præconum 471 id incumbebat oneris) instituta a Magistro sacramenta et sacrificia certis ritibus ac cæremoniis, majoris venerationis ergo, divinitus instruxissent, ordinatisque ab se episcopis non tam voce aut scripto, quam usu et exemplo tradidissent, visum est viris apostolicis post illorum e vita migrationem e bono communi fore (quod et Spiritus ipsis suggerebat) ut præcipua religionis Christianæ mysteria, eorumque ratio et intelligentia sic litteris mandarentur, ut et cum novis pontificibus ac sacerdotibus (quorum jam passim per omnes terras numerus excrescebat) facile communicaretur, et simul caveretur, ne quæ occulta esse oporteret, temere ad homines profanos et indignos emanarent. Quemadmodum enim ad religionis sanctæque disciplinæ consensionem atque unitatem plurimum istis commodarent ; ita his propter ignorantiæ tenebras mentisque imbecillitatem haud parum officerent. Quare hoc in negotio primus omnium, quod quidem sciatur, sanctus Hierotheus Dionysii magister laboravit ; sed ita laboravit, ut ejus scripta ob difficultatem et obscuritatem sublimioribus duntaxat ingeniis inservirent. Unde cum ea Dionysius ad Timotheum urbis Ephesi episcopum transmisisset, is ita probavit, ut mediocribus ingeniis aliquanto clariora requireret. Quin et ipsummet Dionysium ad hunc suscipiendum laborem non semel, sed sæpius hortatus est, non quasi ipse Timotheus, utpote veteranus Pauli apostoli discipulus, iis magnopere indigeret, sed ut nuper creatis aut deinceps creandis ab se episcopis in directionem atque subsidium exhiberet, unumque essent illa scripta Dionysii velut rituum omnium ac cæremoniarum conforme magisterium. Et sane ita per Orientem et universam Græciam, quæ in libris suis circa ordines conferendos idem perscripsit Dionysius, invaluerunt perennaruntque, ut eorum usus apud illos hodieque perseveret. Sed de libris in præsentia hoc tantum dicam, quod satis liquet (nam omnium recensionem, quorum quidem nunc sit memoria, post inferemus) nobiles illos libros, alterum *De cœlesti*, alterum *De ecclesiastica hierarchia*, cum sint e postremis ab eo editis operibus, in Gallia esse scriptos, in Gallia auctos et retractatos. Hic enim a duorum apostolorum glorioso excessu (ex quo tempore ad scribendum ab eorum discipulis maxime est stimulatus) sedem ac domicilium tenuit. Quamvis et exemplo magistrorum ad visendas et firmandas remotiores Ecclesias, in alia terrarum nonnunquam excurrerit. Nam et in Hispaniam e Gallia profectum fuisse Hispani ipsi affirmant (14). Quod eo quoque fit probabilius, quod qui ab orbis exorsi capite in vicinas Gallias sub illa apostolorum tempora proficiscebantur, soliti essent satis evulgato inibi Evangelio, inde in Hispaniam ejusdem dilatandi gratia convolare. Plurima enim in Hispanorum historiis ejusmodi profectionum exempla consignantur. Nempe hoc de sancto Martiale Lemovicensium episcopo (15), hoc de sancto Saturnino Tolosanorum (16), hoc de sancto Jone seu Jona presbytero Castrensium, hoc de sancto Mancio Catalaunensium (17) antistite, hoc de pluribus aliis in Gallia episcopis, et apostolorum discipulis memoriæ prodiderunt. Neque enim ut regnorum aut provinciarum, sic fidei et religionis limites erant ; sed dispersorum toto orbe Christianorum velut una provincia, unum regnum, una natio, imo velut una domus et una familia tota Christi Ecclesia erat ; tamque facilis tum e provincia in provinciam, quam nunc ex urbe in urbem, et fere dixerim e domo in domum, transitus patebat et receptus. Nulla tum inter Christianos ob locorum intervalla animorum disjunctio, nulla ob linguarum diversitatem charitatis divulsio, nulla denique inter fratres (Italos enim, Gallos, Germanos, Hispanos, Græcos, et quoscunque alios totius universi populos una continebat et conglutinabat germanitas), nulla, inquam, inter fratres plusquam fraterno amore se complectentes, nisi solius virtutis et pietatis et divini honoris parebat æmulatio. At si forte tempestas aliqua persecutionis ingruebat, ea magis inter illos sese, non secus atque aquam frigoris asperitas, constringebat. Ivit igitur in Hispaniam Dionysius, et suorum quos antehac illo præmiserat, discipulorum labores et fructus præsens inspexit, cognovit, promovit. Est enim dictu incredibile, quantum fidei rebus afferat pondus, sanctorum virorum, præsertim doctrina et auctoritate præstantium, vel audita tantum oratio, vel conspecta solum præsentia. Hinc tantus olim populis ardor inerat vel videndi et audiendi apostolos, vel iis e vita profectis, ipsorum saltem discipulos velut vivas eorum imagines cognoscendi. Ea causa fuit, cur episcopi apostolorum successores perraro in una sede ita hæserint, quin ad alias atque alias provincias, seu ipsarum invitatu, seu sua voluntate crebro peregrinati sint. Itaque et Clemens ipse, Petri successor et discipulus, relicta ad tempus Roma, varias in partes, non minus quam magister suus abiit : et circa hæc ipsa tempora usque ad Domitiani sceptra, et impios adversus Ecclesiam motus, generosi Christi athletæ libere et confidenter, quocunque Spiritus Dei agebat, non modo ad multiplicandas Ecclesias, sed etiam ad eas confirmandas, et statutis ac legibus ordinandas, et concordiæ vinculo (quod maxime tunc erat necessarium)

Digitized by Google

colligandas contendebant. Sic ergo et Dionysius nec Athenis, nec Galliis, nec 472 Germania contentus, in Hispanias quoque penetravit, et temporum usus opportunitate, ea quæ Jacobus, quæ Petrus, quæ Paulus (18), quæ alii apostolorum plantaverant, irrigatum ivit. De tempore quidem profectionis etsi non omnino liqueat, de profectione tamen ipsa satis liquet. Quæ autem in Gallias reversus infesto juxta et infausto Domitiani egerit dominatu, hinc jam ordiemur.

NOTATIONES.

(5) *Parisii hac ipsa, qua de agimus, ætate*, etc. Parisios, ut regionis nomen; Lutetiam vero, ut ejus regionis caput, usurpavit Cæsar lib. VI *De bello Gallico*, sub initium, ubi sic de se ipse scribit: « Concilio Galliæ primo vere, ut instituerat, indicto, cum reliqui præter Senones, Carnutes, Trevirosque venissent, initium belli ac defectionis hoc esse arbitratus, ut omnia postponere videretur, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. Confines erant hi Senonibus, civitatumque patrum memoria conjunxerant: sed ab hoc concilio abfuisse existimabantur. » Sic ibi.

(6-7) *Igitur ad hunc pop. et ad hanc urbem divino ductu accessit.* De hoc accessu ex divino nutu seu monito attestantes habemus Simeonem Metaphrasten in Vita Dionysii, qui ἄνωθεν αὐτῷ κεχρηματισμένον, *superne oraculum ei redditum* scribit. Ita prius Athenis Romam venerat οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ Θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος, ut scribit Methodius, *cœlesti et divina voluntate, tanquam dilectus a Deo, per iter deductus.*

(8) *Hic libros illos incomparabiles*, etc. Libros qui nunc exstant, *De divinis nominibus; De cœlesti hierarchia, De ecclesiastica hierarchia*, etc, probabilissimum est scriptos a Dionysio Parisiis, post apostolorum mortem, cum jam ipse inter Pauli discipulos præcipua scientia emineret. Constat enim posterius esse scriptos (quod etiam infra probabitur) quam eos, qui perierunt.

(9) Michael in *Laudatione S. Dionysii.*

(10) *Nam cum virtute polleret miraculorum*, etc. De S. Dionysii potestate miraculorum testantur antiqui Vitæ scriptores, tam Græci quam Latini. Dabo Græcorum testimonia, omissis Latinorum, quæ magis in promptu. Itaque Michael Syngelus scribit Dionysium expulisse colendorum simulacrorum insaniam, hisce tribus machinis, τῷ τε τῆς ἀληθείας κηρύγματι, καὶ τῷ τῆς διδασκαλίας διαυγάσματι, καὶ τοῖς τῶν θαυμάτων τερατουργήμασιν, *præconio veritatis, doctrinæ splendore, miraculorum prodigiis.* Deinde subjungit continenter aliquas curationes vi divina ab eo factas: Ὀφθαλμοὶ γὰρ τυφλῶν ἀνέβλεπον, καὶ ὦτα κωφῶν ἠνοίγοντο, καὶ γλῶσσαι μογιλάλων ἐτρανοῦντο, καὶ βάσεις χωλῶν συνεσφίγγοντο, καὶ ποικίλων νοσημάτων ἀσθενοῦντες ἠλευθεροῦντο, τῇ τοῦ παντοδυνάμου Σωτῆρος ἐπικλήσει διὰ τοῦ θαυμασιωτάτου θεράποντος αὐτοῦ παραδοξοποιοῦντος, καὶ τοὺς ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας καθημένους προσκαλουμένου πρὸς τὸ φῶς τῆς γνώσεως καὶ σωτηρίας. *Oculi enim cæcorum intuebantur, et surdorum aures aperiebantur, et mutorum linguæ solvebantur, et claudorum incessus restringebantur, et variis debilitati morbis, invocato Salvatoris omnipotentis auxilio, per admirabilissimum ejus servum miracula patrantem, et sedentes in ignorantiæ tenebris, ad lucem cognitionis advocantem liberabantur.* Ita Syngelus. Quid Methodius? Hæc nimirum inter alia: Καὶ τοσαύτας δι' αὐτοῦ κατηξίωσε γενέσθαι τὰς δυνάμεις, ὅτι τῶν πολεμίων ἐθνῶν τὰς καρδίας οὐκ ἔλαττον τῶν εὐαγγελιζομένων ἀνέδειξεν. *Et tantas per eum dignatus est Dominus patrare virtutes, ut non minus gentium hostilium corda, quam Christianorum promoveret* Metaphrastes autem: Οὐ διδαχῆς μόνον ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ σημείων ἔργοις ἀποστολῆς ἔργον εἰργάζετο. *Non doctrinæ solum verbis, sed et operibus signorum munus exsequebatur apostolatus.*

(11) *Lisbius enim prisca stirps*, etc. De Lisbii conversione ad fidem Christi, nullum potest certius esse testimonium, quam Visbii filii ejus conscriptio, e qua desumpsit Hilduinus ea quæ de illius conversione familiæ perscripsit. Hanc autem esse radicem Montmorentianæ domus, tota testis illius posteritas, ad quam solet de principiis ac stemmatibus cujusque familiæ semper remitti cognitio. Accedunt vero et tituli, et insignia, et elogia, et gentis Francorum ex antiquo perennis consensus, ut viro æquo nihil desiderari amplius possit.

(12) *Nonnulla variis in locis sacella*, etc. De his testes sunt Syngelus et Methodius supra laudati. Prioris verba, postquam de sancti viri miraculis egit, sunt hæc: Ἐπὶ τούτοις γὰρ τῶν πιστῶν πληθὺς ηὐξάνετο· καὶ ναοὶ τῷ Θεῷ κατὰ Γαλλίαν καὶ Γερμανίαν, τὴν μεγίστην ἐπαρχίαν, ἠγείροντο, etc. *Propter hæc enim miracula fidelium multitudo crescebat, et templa Deo per Galliam et Germaniam, provinciam maximam, excitabantur.*

Posterioris autem ista: Τοῦτον οὖν τὸν τόπον ὁ Θεοῦ δοῦλος περιοδεύσας, καὶ τῷ στερεῷ τῆς πίστεως ὁπλισάμενος, Θεῷ τῷ παντοδυνάμῳ πανταχοῦ βοηθοῦντι καὶ συνοδεύοντι αὐτῷ, ἐκκλησίαν ἐκεῖσε κατὰ τὴν δύναμιν αὐτοῦ, καθ' ὅτι νέος ἀκμὴν προσήλυτος ὑπῆρχε, καὶ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ εἰς τιμὴν ἀνέστησε. *Hunc igitur Dei servus, cum peragrasset locum fidei robore armatus, Deo omnipotenti sibi ubique auxiliari et comiti, templum illuc ut facultas gerebat (quippe novus ibi admodum advena erat) et Domino nostro Jesu Christo, honoris gratia ædificavit.*

His porro consentiunt Antiquitates Parisienses, et prisci Rituales libri, in quibus hæc rhythmice:

Hic constructo Christi templo,
Verbo docet et exemplo,
Coruscat miraculis, etc.

De aliis templis et sacellis videndus est Democharès, libro *De divino missæ sacrificio*, capite 18, in Catalogo episcoporum Parisiensium.

(13) Methodius in Dionysii Martyrio.

(14) *Nam et in Hispaniam e Gallia profectum fuisse Hispani ipsi affirmant.* Flavius Dexter ad annum Christi 110, et Romæ 861. « Haud multo post S. Dionysius Areopagita Hispanias invisit, ut legatus a B. Clemente totius occidentis ordinatus. » Consentit Franciscus Bivarius 473 in Commentario ad eumdem annum, probatque ex S. Methodio, qui scribit Dionysium Evangelii semina dispersisse πᾶσι τοῖς Ἑσπερίοις μέρεσι, *cunctis partibus Hesperiis.* Hispani autem censentur in Hesperiis, ut recte ibidem probatur.

Sed cavendum ne putetur Dionysius illo anno Christi 110 aut paulo post fuisse a Clemente ordinatus Occidentis legatus. Nam multis ante annis obiisse Clementem, constat. Sed tantum existimandus est Dexter afferre causam cur iverit in Hispaniam, quod scilicet jam olim ordinatus fuisset a Clemente totius Occidentis legatus. Ego autem ivisse in Hispaniam censeo longe prius quam velit Dexter, nempe temporibus Vespasiani, pace post Neronem Ecclesiis reddita. Regnavit enim Vespasianus annos ferme decem: ita ut extremis ejus annis, jam satis ordinata Parisiensi Ecclesia, inviserit Dionysius Hispanias, et eadem opera discipulum Marcellum.

Digitized by Google

Accedit Gothici Breviarii Toletani auctoritas, in quo hymnus exstat Dionysii et Eugenii profectionem continens, illius in Hispaniam e Gallia, hujus in Galliam ex Hispania. Incipit sic *Sancti Eugenii digna memoria.* Ubi inter alia de Dionysio, quem vocat alumnum Græciæ, et de Eugenio, quem appellat doctorem Hispaniæ, sic habet :

Alumnus Græciæ visit Hispaniam.
Doctor Hispaniæ revisit Galliam :
Docti præsentiam doctoris Galliæ
Fideli captans pectore.

(15) *Nempe hoc de sancto Martiale Lemovicensium episcopo.* Flavius Dexter ad annum Christi 52, Romæ 805, « Martialis, inquit, Lemovicensium, Cadurcorum et Tolosatium apostolus Hispanias adiit, et prædicando fideles invisit. » Vide ibidem Bivarium.

(16) *Hoc de sancto Saturnino Tolosanorum*, etc. Dexter ad annum Christi 112 : « Sanctus Saturninus episcopus Tolosanus secundo Toletum invisit. » De primo autem adventu vide Bivarium in Commentario Dextri, ad annum 76.

(17) *Hoc de sancto Mancio Catalaunensium.* Ita de illo Dexter, ad annum Christi 90 : « Mancius, civis Romanus, Christi discipulus, primus Eborensium in Lusitania pontifex, qui in Gallia prius prædicaverat, floret : et post multos labores migrat martyr, anno 106. » Vide ibi Commentarium doctum Bivarii. De S. Jone dictum est in superioribus.

(18) *Ea quæ Jacobus, quæ Petrus, quæ Paulus*, etc. Hos omnes fuisse in Hispania Dexter, et Metaphrastes, et alii quamplurimi pro certo ponunt. De omnibus vide Commentarium Francisci Bivarii ad Dextrum, anno Christi 50, et alibi. De Jacobo, ut extra dubium, dicere omitto. De Petro ad citatum jam annum ita Dexter : « Petrus, ut Christi vicarius, Hispanias adit : imagines Antiochia delatas affert, » etc. De imaginibus, si consulas ibi Bivarium, tibi faciet satis. De Paulo in Hispaniam profecto patet e supra dictis, et ex eodem Bivario, qui bene et fuse refellit alia sentientes. Jam certe post Dextri editionem nullo modo dubitari debet. Quem Dextrum si doctus ac diligens Baronius nactus esset, haud dubie multa aliter, quam sensit, sensisset et docuisset. Verum si *dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* (Psal. XVIII, 13), multo magis menses et anni, quibus assidue procedentibus, alia atque alia in novam lucem eruuntur antiqua monumenta.

CAPUT XIII.

Dionysii per tempora Domitiani imperatoris curæ et labores et prophetiæ spiritus.

Verissimum est quidem sane, quod peritissimi viæ cœlestis ductores ac magistri tradunt, eo quemque servorum Dei et crebrius et copiosius divina participare beneficia, quo et gratior sit de susceptis, et impensorum adversus collatorem officiorum atque obsequiorum profusior. Cujus enim nec imminui bonorum copia propter infinitam benignitatem potest, idem se in mutui amoris certamine vinci a servo Deminus nequaquam sinit. Cum ergo Dionysius depluentium in se donorum memor, tam illa quam semetipsum in eorum auctorem totum refunderet, velut perfectum quemdam reciprocantis benevolentiæ circulum, licet impar, gratissimus tamen, cum Deo contexebat. Nova enim cum reciperet beneficia, nova referebat officia ; et dum hæc referret, novisque propter hoc ipsum a Deo gratiis cumularetur, his ille denuo incitatus, quo plus recipiebat, eo plus reddebat ; quoque plus reddebat, eo plus recipiebat, ut non esset nec dandi numerus, nec finis remunerandi. Ita quippe et magni apostoli crescebant, qui nec esse vacuam in se gratiam Dei sinebant, et alios quoque, ut ne in vacuum eam reciperent, hortabantur [a]. Ita apostolorum discipuli (et hic in primis Dionysius) in dies proficiebant, semper cursui suo addentes, semper laborem labori, industriam industriæ, obsequia obsequiis aggerantes. Hinc a rebus cunctis inferioribus digressi, atque ad Deum et divina sublime erecti, miris implebantur omnigenæ sapientiæ fulgoribus, quibus et se et mundana omnia penitus cognoscerent atque despicerent : et bonum ipsum, vere omne bonum in ipsius boni radio conspicerent, et universis terræ rebus uti perpusillis et nullo pretio dignis, immensum quantum anteferrent. Quemadmodum enim ii, qui ex altissimis turribus et aeris speculis, ac præsertim monti cuipiam editissimo superstructis, homines quamvis procerissimos et gigantea mole spectandos, inferne obambulantes conspicantur, ipsi eos velut exiles vermiculos aut perexigui corporis formiculas videre sibi videntur, vixque vident : ita qui mente et cogitatione in alta atque abdita Dei mysteria per multiplices profundæ 474 contemplationis gradus conscenderunt, ii tam magna, tam excelsa, tam incomprehensa inibi speculantur, et demirantur, ut deflexis inferne orbibus, humana omnia, imo absolute omnia, puncti instar brevissimi esse videant, si tamen videant. Nam ut qui diu in lucidissimo sole ambulavit, dum in umbracula primum ingreditur, præ oculorum caligine nihil videt ; sic magnis viris cum Deo suo familiariter versantibus usu venit, ut toti divinis mysteriis intenti et perfusi, terrena nec videant nec curent. Ab infimis enim rebus, quoad ejus fieri potest, se subducunt, semperque ea minimi faciunt, quæ vulgus hominum, quia majora non norit, permagno æstimat. Dionysius porro, ut qui abundanti supernæ lucis copia perfusus omnia ista prorsus vana nihilque esse intelligeret, proindeque se ab illis penitus segregans, illa quæ vere sunt, et magna sunt, tota animi contentione persequeretur, ad Deum assidue aspirabat, ascendebat, adhærebat, totusque quodammodo Dei effectus (19) (quod aprime ad divina percipienda necessarium scriptis suis edocuit) ea quæ paucis nosse datum est, videbat, audiebat, imbibebat, atque ad alios quaqua poterat verborum grandiloquentia (nolebat enim res tantas verbis vulgo obviis deterere) efferebat. Quippe nimis profanum et irreligiosum esse ducebat, res a communi et vulgari hoc statu tam semotas, tam diversas communibus ac vulgaribus enuntiare vocibus ; atque adeo ad bonorem et æstimationem Dei rerumque divinarum hoc spectare judicabat, si verbis quam posset magnificentissimis ea quæ omnem transcendunt magnitudinem, quadamtenus repræsentaret. Hinc voces novas, et sua compositione eximium quiddam atque omni creato fastigio altius atque augustius designantes, infinitis atque incomparabilibus Dei perfectionibus explicandis efformavit. Quas homines quidam leves, et audaculi (20-21), partim inhonoratione, partim malevolentia, deteriorem in partem interpretati, maluerunt styli et eloquentiæ affectationi bene prudenterque dicta attribuere, quam dignitati rerum atque majestati assignare ; quodque est deterius, auctoris potius cavillari verba et calumniari sermonem, quam et dicendi genus admirari, et dicentis revereri pietatem. Ast ego quidem prorsus e contrario, illa ipsa ab eodem Spiritu verba suggesta esse certo scio et credo,

[a] II Cor. VI. 1.

Digitized by Google

a quo et res ostensas non dubito. Neque enim ante ad scribendum aggredi (22) vir sanctus audebat aut solebat, quam se ferventi precatione, velut cœlesti quadam catena, ab humo sublevasset, Deoque junxisset. Denique tam familiares illi erant Dei sermones et oracula, ut sacris quidem in negotiis nihil grande, nihil mediocre, sine divino viso aut cœlesti responso susciperet. Multos in diaconorum, in sacerdotum, in episcoporum ordinem cooptavit, sed unum absque Dei sententia neminem. Quippe qui et omnibus hoc faciendum præsulibus (23) diserte edocuit, et complurium conglobatione exemplorum evidenter comprobavit. Ex ipsius quoque institutione, si quis obscurus ac difficilis Scripturæ locus occurrebat, cujus in exsolvendo nodo ministri laborarent, illi presbyteros adibant, presbyteri ipsum, ipse autem (nisi si apostoli in promptu essent) intima templi ingressus, Deum ipsum consulebat, et quæcunque is vellet, illo ipso per angelos inspirante, condiscebat. Quemadmodum enim in cœlesti, sic et in Ecclesiæ principatu ordo est addiscendi, ordo est et docendi : quodque in cœlo seraphini, hoc in Ecclesia sunt episcopi : et sicut ab illis primis inferiores spiritus, sic ab his subjecti ordines difficiliuni hauriunt disciplinam. Qui autem in terra sunt supremi, hi a cœlo sumunt quod ignorant, ut et qui in cœlo summi, a Deo ipso, ut primo fonte, nullius interventu, cognitionem accipiunt. Quæ igitur Dionysius maxime ardua didicit et docuit, hæc quidem aliquam partem e sacris Litteris, nonnullam item e Pauli atque Hierothei magisterio, sed tamen multo maximam atque præcipuam, non ab hominibus, sed a Deo et angelis, precando, meditando, contemplando percepit. Nam si tanta est Dei opt. max. in homines benignitas ac benevolentia, ut contracta cum illis (tametsi cum imparibus) amicitia, eos consiliorum suorum facere participes, et arcana pandere etiam privatis non dedignetur, quanta primis militiæ suæ ducibus, quanta Dionysio inter duces strenuissimo ac laboriosissimo, et ob mentis eximiam puritatem longe charissimo, sive luce inter ardentissimas preces, sive nocte per objecta visa inter quietem ostendit? Si enim Deus sol est lucidissimus, et Dionysii anima speculum nitidissimum, et ille quidem ad dispergendos radios semper compositus, et hæc ad recipiendum semper disposita, quidni perpetuo et ille illustraret et hæc illustraretur? Neque sane ut in hoc aere, sic in mente, obvelantium intervenit nubium frequentia. Est enim mens justi a terra et vicino terris aere, et nubibus hunc aerem contristantibus elevatior, unoque ictu et momento ad Deum, cum voluerit, se penetrat. Dionysius autem tantis urebatur divini amoris incendiis, ut illis in alta sublatus (nescit enim ille ignis in inferioribus detineri) semper cum Deo esset, semper beata ejus aura et sancto divinoque Spiritu afflaretur. Quod tum accidebat potissime, cum exortis in mundo turbinibus (qui imperante Domitiano sævissimi exstiterunt [24-25]) Dei Ecclesiam gravior torqueret necessitas. Cum 475 enim vir Dei intolerabilem illius imperatoris superbiam summa impietate conjunctam videret (quippe non Dominus solum, sed etiam Deus appellari (26), et divinos sibi tribui honores tyrannus ille volebat et jubebat), cumque insuper quales et quanti motus adversus Ecclesiam a tam arroganti et tempestuoso mundi hujus velut maris gubernatore aut archipirata potius exsurrecturi essent, perspicaci mentis acie prævideret, tum ipse, ut vere pius et pro grege suo magis nunc quam alias unquam pervigilans, uni vero Deo se stringere, arctius eum complecti, ardentius exorare, crebrius et instantius consilia et oracula tam arctis in rebus exposcere : ita ut cum alia multa de suorum statu, tum etiam de procul remotis, Deo illa sibi manifestante præcognoverit, quæ et multa eum consolatione afficerent, et præsentium temporum mœrorem non modo spe futurorum bonorum certissima permulcum imminuerent, sed etiam prævalentibus gaudiis prorsus absterĝerent. Nam cum excitata in pios Dei cultores ab impio tyranno tempestate unicus jam e toto apostolorum choro superstes in terris esset dilectus ille Jesu discipulus, cujus in uno capite salus consistebat plurimorum, quem tamen ipsum immanis tyrannus dæmonum furiis agitatus, jam morte, jam exsilio sublatum e medio cupiebat (nam modo in ferventis olei dolium [27] immisit, modo in exsilium, postquam illæsus e dolio exisset, relegavit), Dionysius de tanti apostoli et hisce præsertim temporibus tam necessarii salute et incolumitate plurimum sollicitus, continuis pro illo precationibus diu noctuque insistebat : quin et illius magni patriarchæ instar cum Deo colluctans [f], vim quodammodo, si ita loqui licet, pro noto et amico faciebat, uti ejus curam gereret, murumque adversus insurgentes et incursantes bestias opponeret. Quid multa? Deus alioqui invictus se vinci passus est, et quem fecerat apostolum, fecit et evangelistam ; sed antequam faceret, consilii sui Dionysium participem esse voluit. Quemadmodum enim olim Abrahamo *in ipso fervore diei* [g] Deus apparuit, ita Dionysio in cœlesti ardore charitatis pro Ecclesia æstuanti adfuit, et quæ circa exsulantem in Patmo apostolum gesturus esset, aliquanto ante indicavit : nimirum vitam ejus et incolumitatem ad novos pro Ecclesia labores sibi corde fore, adeoque propediem futurum, ut ab exsilio exsolutus in sua reverteretur, et reversus Evangelium conscriberet ; sed Evangelium, quo et novi recentium errorum satores confunderentur (28) et sua Christo æterna divinitas vindicaretur. Hac igitur abditorum revelatione tam amica, tam certa, tam salutari mirifice recreatus Dionysius, quamvis alia celare oracula ex submissionis studio semper adamasset, hoc tamen unum, quod in amici honorem et consolationem adeo vergeret, nec celare voluit, nec potuit. Nam ad illum his ipsis sævientis Domitiani temporibus in insula, ad quam deportatus fuerat, degentem litteras dedit ; quibus litteris ea, quæ de ipso cœlitus didicerat, lætus patefecit. Quas ipsas litteras, cum ad manus habeam, haud bonum factum, si reticuero. Harum proinde exemplum hic subjiciam.

—

NOTATIONES.

(19) *Totusque quodammodo Dei effectus*, etc. Docet Dionysius libro *De divinis nominibus*, cap. 7, ad percipiendas animo res divinas tanta nobis opus esse cum Deo conjunctione, ut a nobis ipsis quodammodo digressi, non tam nostri simus quam Dei : talem proinde illum fuisse necessario fatendum est ; quippe qui cœlestia et divina præcellentiori modo secundum apostolos, quam forte quisquam alius mente perceperit. Verba ejus sunt : Κατὰ ταύτην οὖν τὰ θεῖα νοητέον, οὐ καθ' ἡμᾶς, ἀλλ' ὅλους ἑαυτοὺς ὅλων ἑαυτῶν ἐξισταμένους καὶ ὅλους Θεοῦ γιγνομένους. Κρεῖττον γὰρ εἶναι Θεοῦ καὶ μὴ ἑαυτῶν. Οὕτω γὰρ ἔσται τὰ θεῖα δοτὰ τοῖς μετὰ Θεοῦ γιγνομένοις. *Hac igitur nostri cum Deo conjunctione, et non ingenio nostro divina intelligenda sunt, ita ut nos toti extra nos totos simus, et toti Dei simus. Melius est enim, ut Dei simus, quam nostri ipsorum. Sic enim nobis divina tradentur, si cum Deo fuerimus.*

(20-21) *Quas homines quidam leves, et audaculi*, etc. Minime vereor leves, et audaculos vocare eos, qui Dionysium ob voces novas et grandes, quibus ad

[f] Genes. xxxii, 24. [g] Genes. xviii, 1.

Digitized by Google

res maximas explicandas usus est, non timuerunt reprehendere, et stylum ejus, quasi a spiritu apostolico alienum, denotare. Hi autem maximam partem sunt hæretici, quorum unum ex antesignanis refutavi. Vide, si placet, infra quæstionem II, quæ tota est de scriptis S. Dionysii.

Merito sane leves appellandi sunt, qui levibus de causis contra sanctos Patres moventur, aut moveri se sinunt; audaculi etiam, ne gravius quid dicatur, qui adversus majores suos judicia temere arripiunt, eorumque dicta et facta imprudentium more canum allatrant. Hinc recte Franciscus Suarez, magnum sacræ theologiæ columen, et sui sæculi rarum decus, recte monuit in suo ad librum *De angelis* prooemio, vitandam esse eorum audaciam, qui libros Dionysii, quos habemus, negarunt esse Dionysii Areopagitæ scripta.

(22) *Neque enim ante ad scribendum aggredi*, etc. Hæc abunde confirmantur ex capite toto, de ejus in scriptis pietate, superius posito, ubi et illustres ipsius, de vi sanctarum precationum, nos ad superna tollentium, similitudines apposui. Vide caput 22 Vitæ ipsius.

476 (23) *Quippe qui et omnibus hoc faciendum præsulibus.* Hanc doctrinam egregie a sancto Dionysio tractatam reperies in libro *De ecclesiastica hierarchja*, cap. 5, et a nobis alibi Latine et clare expositam.

(24-25) *Qui imperante Domitiano sævissimi exstiterunt.* De acerbissima Domitiani persecutione attigi ubi scripsi de imagine primi sæculi. Vide præterea Eusebium libro III *Hist. eccl.*, cap. 13, 14 et 15, et Tertullianum in *Apologetico*, cap. 5. De illius crudelitate Suetonius : « Erat autem, inquit, non solum magnæ, sed et callidæ inopinatæque sævitiæ. »

(26) *Quippe non Dominus solum, sed etiam Deus appellari.* De hac Domitiani arrogantia atque superbia, qua deus et dominus appellari voluit, ita Suetonius c. 13 : « Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit : *Dominus et Deus noster sic fieri jubet.* Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. » Sextus Aurelius Victor Schotti sic de eodem : « Dehinc atrox cædibus, bonorum supplicia agere cœpit ; ac more Caligulæ, Dominum sese, Deumque dici coegit. » Vide etiam Dionem lib. LXVII, ubi scribit, Juvenium Celsum conjurationis reum, frequenti adoratione, et Domini Deique appellatione, suam necem prorogasse, postremoque astu evasisse.

(27) *Nam modo in ferventis olei dolium*, etc. Testis est Martyrologium Rom. ad 6 Maii, cujus hæc sunt verba : « Romæ S. Joannes ante portam Latinam, qui ab Epheso jussu Domitiani vinctus Romam perductus, et judicante senatu, ante eamdem portam in olei ferventis dolium missus, purior et vegetior inde exiit, quam intravit. »

De quo et Tertullianus lib. *De præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. 36 : « Habes Romam, inquit, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine profuderunt : ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. »

Paria Tertulliano refert Hieronymus pluribus locis. Vide lib. I *in Jovinianum*, et *Comment. in Matthæum*, cap. 20.

(28) *Quo et novi recentium errorum satores confunderentur.* Nimirum Ebion et Cerinthus, qui in Asia et Syria zizania seminabant, et Christi divinitatem denegabant. « Novissimus omnium scripsit Evangelium (inquit Hieronymus in *Scriptoribus ecclesiasticis*) rogatus ab Asiæ episcopis, adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. » Eamdem causam scripti a S. Joanne Evangelii multo ante aperuerat S. Irenæus, libro III *Adversus hæreses*, cap. 11, unde fere alii omnes desumpserunt. « Hanc fidem, inquit, annuntians Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitæ, » etc.

CAPUT XIV.

Dionysii ad Joannem apostolum in Patmo exsulem litteræ ; et nonnulla de sanctis revelationibus.

DIONYSIUS, JOANNI apostolo.

Saluto sanctam animam tuam, o dilecte, etc. *Vide inter epistolas S. Dionysii quas tomo I Opp. S. Dion. recudimus, sub num. X.*

477 Quæcunque in his litteris prædixit, brevi postea, uti prædixit, evenere. Joannes enim, *discipulus ille quem diligebat Jesus* [b], Domitiano propter nimiam superbiam et immanitatem imperio et vita pulso, actisque ejus a senatu rescissis, in Asiam, dominante Nerva, salvus incolumisque rediit. Ubi et Evangelium suum, quod ad Christi imitationem inducit, propterea que boni Dei imitatio est a Dionysio appellatum, jam circiter nonagenarius exaravit. Quis hic porro Dei nostri benignitatem (ad eum enim bona omnia tanquam ad fontem remittenda sunt), quis hic, inquam, ejus in servos suos benignitatem satis demirari possit? Quippe qui illis semper et ubique præsto est, cum illis familiariter loquitur, illis secreta consiliorum aperit ; illis, si qua interrogant, si consulunt, si de futuris sciscitantur, prompte, et plura interdum quam sciscitentur, respondet : quin et vota precesque non raro antevertit, et occulta mysteriorum, quæ verecundioribus scrutari esset religio, veluti amoris excessum testari volens, revelat ac detegit. Nam et ipsi Dionysio quanta non solum de hominibus, sed etiam de angelis, sed etiam de seipso revelavit! Nihil enim fere ejus scripta omnia, nisi spiritum illum divina et abscondita inspirantem et revelantem spirant. Atque adeo in hoc Ecclesiæ calamitoso statu, non modo Joannem (de quo magis quam de se erat sollicitus) ab exsilio revocandum, sed etiam ipsum Domitiani furoribus eximendum, et se ejusdem dilecti apostoli conspectu fruiturum, divino suggerente Spiritu præcognovit. Erant quidem illo sæculo Dei revelationes non modo Ecclesiæ præsidibus, sed privatis quoque non paucis (qui vulgo tamen virtute præcellerent) familiares ; verum utroque ex genere haud sane multis, quos cum Dionysio ausis componere. Nam ut Joannem, tanquam præcellentem apostolum e numero eximamus, ecquos mihi ex illa ætate, præter Titum forte, et Timotheum, et Hierotheum, et Carpum Pauli discipulos, aut præter Ignatium, Polycarpum, et Papiam, Petri Joannisque auditores, aliosque apostolorum sectatores quam

[b] Joan. XIII, 23.

Digitized by Google

paucissimos; ecquos, inquam, præter illos invenias, quos aliquo modo cum Dionysio conferre possis? Et tamen ipsi Titus et Timotheus (ut e duobus conjectura sit de aliis) recepti e cœlo luminis palmam eidem videntur Dionysio detulisse. Nam et illum sæpenumero super rebus difficilioribus consuluere, et implicatiores sacrarum Scripturarum nodos ab eo postulavere exsolvi. Ne vero quispiam imprudenter, ne dicam impie, existimet magnum illum justitiæ solem illis tantum primis sæculis, et super excelsos duntaxat illos montes copiosi sui luminis jaculatum esse radios, et abditorum mysteriorum reserasse arcana; nunc autem velut senecta ætate parciorem effectum, nec splendores ullos emittere, et revelationum dona in sinu abscondita retinere: is pro certo et explorato habeat immutabilem esse Deum, ac proinde omnibus ætatibus peræque benignum et liberalem, nunquam a suorum profusione donorum, ubi quidem vasa reperit idonea (et vero semper aliqua reperit) destitisse, aut destituturum esse. Atque utinam quidem, quam promptæ sunt Dei manus ad profundendum, tam paratæ sint hominum mentes ad excipiendum! Neque enim a Deo, qui natura sua semper idem est, semper dives, semper bonus, semper largus; sed ab homine, qui nec egestatem suam novit, nec veras opes quærit, immemor Dei, ignarus sui, ab ipso, inquam, homine, non a Deo istorum communicationis bonorum raritas et mentis penuria proficiscitur. Licet enim tibi, licet alteri paria Dionysio recipere, si paria Dionysio feceris: ita nimirum, ut hæc habeas quæ et Dionysius, primo quidem tui magnam cognitionem et perspicientiam, ut alios tibi præferas, te nemini; deinde mentem non a gravioribus tantum flagitiis, sed a minimis quoque noxiis, quoad assequi Deo juvante valeas, maxime puram ac liberam; tum vero cunctas animi affectiones æquabili rectæ rationis arbitrio egregie domitas atque subjectatas; nempe ut terrena omnia, et quæcunque sub pedibus, velut quodam debitæ contemptionis præsagio, te habere vides, non pluris, quam ipsa vere sint, facias: tantoque minus corpori quam animæ tribuas, quanto minus servo ancillæque deberi scis, quam aut hero aut dominæ: ut prima proinde et maxima pascendæ mentis cura sit, postrema corporis; neu de cibo potioneve (multo autem minus de deliciis, quæ solius esse debent animæ) nisi admodum moderate, et tantummodo ut corpus sustineatur, parque sit sustinendis laboribus, cogites. Præterea laudes, honores, dignitates, divitias, famæ celebritatem, magni nominis gloriam, aliaque vulgo hominum magna (etsi spectantibus Deum perparva sint) non modo non appetas, sed etiam internæ pacis respectu, et æteruæ gloriæ studio fortiter rejicias. Post hæc autem id cures, id viriliter studeas, in id toto, quod aiunt, pectore incumbas, tota ut cogitatio tua in Dei agnitione et in ejus infinitarum æstimatione perfectionum defixa sit, tota ut memoria in beneficiorum et factorum ejus admirabilium grata recordatione inhæreat; denique ut voluntas, et affectus, et desiderium, et quidquid est fidelis animæ, in unico Deo et unice dilecto continue, quoad ejus fieri potest, immoretur: ita ut (quod idem noster commendabat Dionysius) Dei totus sis, et a te totus excedas. Quod si etiam, ejusdem sancti pontificis exemplo, susceptis pro Deo laboribus delectere, **478** eosque ultro appetas, et ante quietem et otium ponas, quodque omnium est maximum, pro Christo pati, et quælibet acerbissima sustinere, supplicia omnium voluptatum et deliciarum loco habeas; tum vero longe præstantioribus bonis affluet ac dilatabitur cor tuum, et non modo divinarum ubertate revelationum, sed aliorum quoque insimul eximiorum donorum abundantia, ut amicus ab amico, ut familiaris a familiari, confertim cumulabere. Qui enim sanctorum induerit mores, et divinos imbiberit amores; idem haud dubie et dona consequetur sanctorum, et pari cum illis gloriæ ornamento coronabitur. Ivisse vero Dionysium per hosce omnes gradus, et illa omnino via ad supremum istud sanctitatis quam adeptus est, et illustrationis qua perfusus est, fastigium tetendisse ac pervenisse, multo clarissimum ferunt juxta et certissimum, tam aliorum quam ipsiusmet scripta, judicium et testimonium. De aliis autem claris viris, qui per eosdem calles suis quisque in ætatibus, usque ad hanc ipsam quam decurrimus, eodem quo Dionysius fastigii conscenderunt (quorum nos quidem nonnullos in consequentibus afferemus, sed plurimos aliis scriptoribus relinquemus) memorare hujus non est instituti. Jam enim ad alia Dionysii decora cursum intendimus.

—

479 CAPUT XV.

Dionysii ab extremis Domitiani temporibus usque ad Trajanum res gestæ.

Ejus sævitiæ atque immanitatis, quam Domitianus, supremis præsertim imperii sui annis (29), adversus Christianos exprompsit, pars orbis nulla exsors fuit. Ubique cædes, ubique exsilia, ubique cruciatus, illo alterum Neronem repræsentante, auditi. Exterminatus ab illo apostolus (30), occisi pontifices, vexati episcopi, melior ac nobilior Ecclesiæ portio variis modis exagitata, nullibi tuto subsistere in suo permissa est. Igitur et in Gallia atque Germania, ubi Dionysius curabat, satis turbarum fuit: nec dubium, quin multa per eam tempestatem (31) tam in se, quam in membris suis, hoc est, in progenitis ab sese filiis, gravia passus est. Ut enim parentes in charissimorum liberorum dolore et cruciatu plus sæpenumero dolent et cruciantur, quam si in se eadem ipsi experiantur: sic amantissimi subditorum suorum episcopi gravius vel mediocres in ipsis plagas, quam atrociora in semetipsis tormenta persentiscunt. Noluit porro arcana Dei Providentia suum Galliæ apostolum in hoc adverso turbine vita eripi, sed alia in tempora reservatum, huc illuc ad juniores animandos athletas, et ad necessaria debilibus suppeditanda auxilia, discurrere. Itaque locis omnibus aderat: et ubi præsentius periculum docente ac dirigente intus Spiritu advertebat, illuc adventuros Christi hostes omni diligentia prævertebat: ibi laborabat, ibi sanctum populum cunctis fidei armis ante certamen præmuniebat. Idem vero et alii ejus collegæ episcopi pro suis quisque viribus sedulo ac indefesse præstabant. Quorum unus quidem annis jam gravis, sed meritis gravior (is est beatus Eutropius Petri apostoli discipulus [32], de quo et supra brevis mentio), egregium in his temporibus certamen decertavit. Nam post multos in Santonibus (populi sunt Galliæ Aquitanicæ) fidei causa exantlatos labores, et laborum ingentia dilatatis Ecclesiæ terminis operæ pretia, tandem premente diaboli invidia, et populi tumultu concitato, lapidibus primo appetitus, dein fustibus immaniter cæsus, postremoque securi ad caput illisa percussus, plenam in cœlos palmam intulit. Ejus autem spectata in pietatis conflictu animi fortitudo et eximia victoria, cum Christianos omnes mirifice exhilaravit, tum præcipue socium ejus ac comitem Dionysium hisce turbidis in rebus adeo recreavit, uti et ad gaudium cum aliis communicandum, et ad gloriam ipsius martyris evulgandam, acta ejus martyrii Græce conscripserit (33). Quæ quod Clementi pontifici fore multo gratissima certo sciret (is enim dum in Galliam eum mitteret, martyrem futurum præsagiebat), ad illum Romæ tum residentem et præsidentem misit (34), adjectis una litteris, quibus postulabat, ut

Digitized by Google

eorum exemplum in Græciam, ac præcipue Athenas ad cognatos et consanguineos suos, aliosque fideles transmitteret. Nempe gloriosam generosi pugilis pugnam et victoriam non solum magno illis gaudio fore, sed efficaci etiam ad paria audenda incitamento, vir longe sapientissimus sentiebat. Hinc etiam a primis Ecclesiæ initiis (35) invaluit illa et adhuc perennavit consuetudo, illustria martyrum acta perscribendi, atque ad exteras provincias fraternæ instinctu charitatis, et studio similis profectus circumquaque dimittendi. Utinam autem hæc, de quibus loquitur, acta nunc exstarent! Sive enim propter Dionysii sacrum laborem, sive propter Eutropii egregias laudes, quam nunc merito deploranda est istorum actorum jactura, tam e contrario juvaret et stimularet salutaris eorumdem lectio atque notitia. Sed his relictis, quæ habere non possumus, ad respiciendam gratioris cœli serenitatem quam disjecto et distracto hujus tempestatis commotore Domitiano, suæ Ecclesiæ reddidit verus et solus Dominus, verus et solus Deus (quam enim falso hæc nomina Deus et Dominus usurpaverit tyrannus ille, opera docuerunt, exitus indicavit [36]), cum stylo animum advertamus. Domitianc igitur successit Nerva, hoc est, superbo moderatus, immani perhumanus, successit autem, ut morbo sanitas, ut nocti dies, ut lux tenebris. Nam tum demum illuxisse Ecclesiæ clarum jubar visum est, cum Nerva imper. obductam mundo caliginem (37) suæ splendore clementiæ dissipavit. Exire tum Christiani e latibulis, **480** reverti ab exsilio confessores, sua recuperare proscripti : ad solitos cœtus remeare et convenire fideles per metum antehac distracti. Tum et Joannes ipse, prima nunc Ecclesiæ claritudo, et vere filius tonitrui, accepto divinitus et dictato post fulgura et tonitrua Evangelio (38), velut alter Moyses e monte, in quem cum Deo tractaturus ascenderat, descendit, relictaque quam habitatione sua beaverat, insula, repetens Ephesum suis se reddidit, totiesque desideratum, toties expetitum jam denique Evangelium evulgavit. Nec mora: differtur per omnia piorum ora lætus rumor; sed Dionysius ante omnes eodem nunc audire factum, quo futurum prius audiverat, oraculo; nec celare id suam plebem, sed prædicare, sed ad gratias Deo agendas excitare. Prorsus igitur alia jam erat Ecclesiæ facies, quam paulo ante conspecta fuerat; læta, hilaris, explicata, amoris et fiduciæ plena in hymnis et canticis spiritualibus Deo devota, procedens quotidie et crescens, sive sui ipsius incrementis, sive accessionibus alienis. Semper enim Ecclesia persecutione, sicut vitis putatione, lætius provenit, latius proficit. Hoc in profectu novos sacerdotes, novos episcopos vigil ac sedulus pastor crescentibus Ecclesiis ordinavit. Ex quibus Sanctinum ad Carnutes (39) tantisper in fide roborandos misit, indeque aliquanto post tempore Meldensium Ecclesiæ præfecit. Ipse autem ad visendum Joannem totus animo ferri; eaque re compositis celeriter Galliæ rebus, et commendata fideli populo erga constitutos a se ministros, tantillo suæ absentiæ spatio, pristina et constanti obedientia, ipse ad iter (quod tum Christiani omnes pliis votis, nos devoto stylo jam prosequemur) se accinxit.

—

NOTATIONES.

(29) *Supremis præsertim imperii sui annis.* Quamvis ab initio fere imperii crudelis Domitianus fuerit, cum annis tamen et usu sævitiæ ad extremum usque tempus profecit; si tamen hoc est proficere, magis magisque in homines sæviendo, toti generi officere. Persecutionis autem in Christianos initium adnotatur Eusebio, Hieronymo et aliis, anno imperii ejus decimo quarto. Tametsi nec in eo defuerint ante hoc tempus etiam in Christianos velut præludia quædam immanitatis, « qui per annos quindecim, inquit Paulus Orosius, ad hoc paulatim per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, convellere auderet. » Et infra : « Idemque efferatus superbia, qua se Deum coli vellet, persecutionem in Christianos agi secundus a Nerone imperavit. Quo tempore etiam beatissimus Joannes apostolus in Patmum insulam relegatus fuit. »

Nec vero tantum e sacris scriptoribus notissima est Domitiani in Christianos feritas, sed etiam e profanis multo certissima. Sic enim Dio, lib. LXVII *Hist. Rom.* : Κἀν τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα, κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός. Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι εἰς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἔθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. Καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν· ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατέρειαν. « Et eodem anno Domitianus cum alios multos, tum etiam Flavium Clementem consulatu fungentem, tametsi patruelem, et habentem uxorem Flaviam Domitillam ejus cognatam, interemit. Objectum vero ambobus crimen impietatis, propter quam et alii multi in errores Judæorum delapsi condemnati sunt; quorum pars quidem occisi, pars facultatibus suis exspoliati : Domitilla vero tantum in Pandatariam est relegata. »

Ubi nota, ἔγκλημα ἀθεότητος, *crimen impietatis* vocari religionem Christianam, tanquam respuentem deorum cultum; per delapsos item in mores Judæorum, nullos alios intelligi, quam Christianos, qui quod desertis idolis unum colerent Deum, perinde ac Judæi, idcirco dicebantur in eorum mores decidisse.

De hac Flavia Domitilla et aliis ejusdem nominis, vide Baronium in Martyrologii notis ad diem 7 Maii.

(30) *Exterminatus ab illo apostolus*, etc. Joannes enim apostolus, ut paulo ante indicatum est, ab eo relegatus est in insulam Patmum, idque postquam in ardentis olei dolium immersus fuisset. Illo etiam imperante martyrium subiisse creditur Cletus pont. sive Anacletus : nam omnes sancti Patres unum faciunt, non duos. Ex episcopis exsilium passus est in Syria S. Ignatius, mortem in Gallia S. Eutropius, de quo infra statim dicetur, et de quo nonnihil etiam supra notatum est.

(31) *Nec dubium, quin multa per eam tempestatem.* Passum esse Dionysium non pauca Domitiani temporibus, non obscure indicat Syngelus in Vita sancti Dionysii, sub finem his verbis : Τοὺς δ' ἂν μετέπειτα χειμῶνας οὓς ἡ Δομιτιανοῦ μανία κατὰ τῶν πιστῶν ἐπήγαγεν, ἀνδρείως ὑπομείνας, καὶ δόκιμος ἐν πᾶσι φανείς, διαδοήτου ἀπηνέγκατο κλέους. « Reliquas vero subsecutas tempestates quas contra fideles Domitiani invexit insania, cum viriliter pertulisset, probatusque in omnibus apparuisset, celeberrimam gloriam reportavit. »

(32) *Is est beatus Eutropius S. Petri apostoli discipulus.* De Eutropio misso in Galliam a Clemente notavimus supra capite 10, ex ipso Gregorio Turonensi. Vide autem fusiora sancti Eutropii acta apud Vincentium Bellovacensem lib. X *Speculi historiarum*, cap. 19, et apud S. Antonium, parte I *Hist.*, tit. 6, cap. 28, § 2, et apud Petrum Equilinum in *Catalogo sanctorum*, lib. IV, cap. 105, et apud Eysengrinum Centenario 1, parte V, dist. 3. De illo sic Martyrologium Romanum ad diem 30 Aprilis : « Apud **481** Santonas beati Eutropii episcopi et martyris, quem S. Clemens pontificalis ordinis gratia consecratum direxit in Galliam, peractaque diu prædicatione, ob Christi testimonium colliso capite

Digitized by Google

victor occubuit. » In Martyrologio autem Petri Galesinii quædam continentur magis particularia : sic enim ad eamdem diem, sive pridie Kalendas Maii, adnotatum habet : « Apud Santonas, S. Eutropii episcopi et martyris. Hic Persa, parentum regum filius, beati Dionysii Areopagitæ discipulus et comes, a S. Clemente pontifice episcopus Santonensium consecratus, septem et viginti annos eo munere functus, excitata infidelium persecutione, colliso capite victor coronatur. »

Ubi in eo, quod dicit, Eutropium munere functum episcopali septem et viginti annos, optime concordat cum eo quod supra docuimus, missum esse eum cum Dionysio in Galliam a Clemente statim a Petri martyrio, sive anno Christi septuagesimo. Unde si numerentur viginti septem anni, juste pervenietur ad decimum quartum Domitiani, cui anno ascribitur secunda persecutio, in qua omnes excisum sanctum Eutropium consentiunt. Adnotatur autem mors sancti Petri non tantum ab Eusebio, sed etiam a Baronio ad annum Christi sexagesimum nonum, et Neronis decimum quartum. Itaque anno sequenti, sive septuagesimo Christi, pervenit Eutropius in episcopatum suum Santonensem, perseveravitque ad persecutionem Domitiani inchoatam anno ejus imperii decimo quarto, qui juxta Eusebium est Christi nonagesimus sextus, juxta Baronium autem nonagesimus septimus. Scribit porro Galesinius in suis ad Martyrologium Adnotationibus de Eutropii anno martyrii his verbis : « Martyrio coronatus dicitur ante Christi nonagesimo sexto, imper. Domitiano. »

Itaque ex his colligitur non posse verum esse, quod sensit Baronius, Dionysium venisse Roma in Galliam demum post mortem Domitiani : quandoquidem S. Eutropius, Dionysii in eo itinere comes, ipso vivente Domitiano, affectus fuerit martyrio, et quidem post viginti sex aut viginti septem annos in episcopatu Santonensi, ad quem cum Dionysio profectus fuerat, exactos. Vellem autem, ut nonnulli qui Vitas sanctorum scripserunt post tempora Baronii, proposuissent sibi potius historias ipsi diligenter examinare, quam cæcorum more, cujuslibet alterius ductum sequi.

(33) *Acta ejus martyrii Græce conscripserit.* Scripsisse B. Dionysium Acta martyrii S. Eutropii, sive, ut vocant, passionem, liquet ex aliis ejusdem Eutropii gestis, e quibus se hæc accepisse profitetur Vincentius Bellovacensis, lib. x *Speculi histor.*, c. 18 : « Hic B. Dionysius, inquit, B. Eutropii consocius ac Parisiorum præsul, passionem ejus litteris Græcis scripsit, et parentibus suis in Græcia, qui jam credebant, per manum beati papæ Clementis misit. » Nota Gallicismum, *parentibus suis*, id est consanguineis. Sic enim Galli consanguineos vocant *les parents*. Dicitur Callistus II pontifex Acta illa Græce scripta reperisse Constantinopoli in schola Græcorum, in codice quodam multorum martyrum Acta continente, atque e Græco in Latinum vertisse. Adjuncta erat illis sancti Eutropii Actis epistola S. Dionysii, hac fere forma : *Clementi pontifici, Dionysius. S. Eutropius, quem mecum in has oras ad prædicandum Christi nomen misistis, martyrii coronam per manus gentilium apud urbem Santonas ex causa fidei accepit. Quocirca te humiliter exoro, ut martyrii ejus codicem consanguineis, et notis, et amicis meis fidelibus, qui in Græcia sunt, ac præcipue Athenis, mittere quam citissime ne graveris. Quo et cæteri, qui mecum una novæ regenerationis lavacro a Paulo sunt abluti, cum acceperint gloriosum martyrem pro Christi fide crudelem mortem oppetiisse, de toleratis pro Christi amore adversis angustisque rebus gaudeant.*

(34) *Ad illum Romæ tum residentem et præsidentem misit.* Cesserat (ut alibi supra dictum est) pontificatu, quem proxime a Petro acceperat, et aliquantisper tenuerat, beatus Clemens, sed Lino et Anacleto vita functis, clavum Ecclesiæ, regnante jam Domitiano, in manus receperat. Litteras igitur ad eum jam Romæ præsidentem sub annum Domini 97, Domitiani 14, una cum S. Eutropii martyrio misit.

(35) *Hinc etiam a primis Ecclesiæ initiis*, etc. Antiquissimam fuisse in Ecclesia consuetudinem scribendi Acta martyrum, et cum aliis Ecclesiis communicandi, planum fit e litteris ab Ecclesia Smyrnensi de martyrio S. Polycarpi exacte scriptis, et ad alias Ecclesias transmissis (quas intueri integras licet apud Eusebium lib. IV *Hist. eccl.*, c. 15), et e litteris Ecclesiæ Viennensis et Lugdunensis ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, apud Eusebium lib. V *Hist.*, c. 1. Comprehendi illas in aliis Vitis, priores quidem in Vita S. Polycarpi, posteriores vero in S. Irenæi.

(36) *Opera docuerunt, exitus indicavit.* Indignum enim fuisse non modo Domini et Dei nominibus Domitianum, sed etiam nomine hominis, facta ejus inhumana, et exitus miserrimus, vita tamen dignissimus, comprobarunt. Nam facta in ipsum conjuratione, vita, qua indignus erat, confosso inguine multoque insuper vulnere, expulsus est.

(37) *Cum Nerva imp. obductam mundo caliginem*, etc. Hic tranquillitatem imperio, hic serenitatem Ecclesiæ, hic clementiæ suæ asylum cunctis exhibuit. Hic denique « primo edicto suo, inquit Paulus Orosius, cunctos exsules revocavit. Unde et Joannes apostolus, hac generali indulgentia liberatus, Ephesum rediit. »

(38) *Accepto divinitus et dictato post fulgura et tonitrua Evangelio.* Ita vetus Historia ecclesiastica (unde S. Hieronymus et Metaphrastes nonnulla desumpsere) contestantur. Ubi autem Evangelium a Deo acceperit dictaveritque, auctores diversa sentiunt. Quidam in Patmo, ubi et Apocalypsin scripsit ; alii Ephesi in Asia scripsisse arbitrantur. Ego prioribus astipulor. Neque enim illi antiquissimi Patres (quos pro sua sententia citant, li qui dissentiunt), Irenæus scilicet, Athanasius, et Eusebius, suis verbis aliud indicant, quam Ephesi publicasse. Nam sane Irenæus, et Irenæi verba laudans Eusebius, ille quidem lib. III *Adversus hæreses*, cap. 1 ; hic autem lib. V *Hist. eccl.*, c. 8, sic de Joanne : Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. *Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recubuit, ipse* 482 *quoque edidit Evangelium Ephesi in Asia commorans.* Idem Irenæus eodem lib. III, cap. 11, scribit Joannem volentem redarguere errores Cerinthi et Nicolaitarum, inchoavisse sic Evangelium : *In principio erat Verbum*, etc. S. Athanasius vero in Synopsi sacræ Scripturæ hæc habet : Τὸ δὲ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη τε ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου καὶ ἠγαπημένου, ὄντος ἐξορίστου ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, καὶ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἐξεδόθη ἐν Ἐφέσῳ διὰ Γαΐου τοῦ ἀγαπητοῦ. Περὶ οὗ καὶ Παῦλος Ῥωμαίοις γράφων φησί· Ἀσπάζεται ὑμᾶς ὁ Γάϊος ὁ ξένος μου, καὶ ὅλης τῆς Ἐκκλησίας. Quæ sic vulgatus interpres reddidit : *Evangelium vero secundum Joannem et dictatum est ab Joanne apostolo et dilecto, cum exsulasset in Patmo insula, et postea ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum et apostolorum hospitem. De quo et Paulus Romanis scribens dicit :* « *Salutat vos Caius hospes meus et tota Ecclesia.* » Corrige *et totius Ecclesiæ*, ut habent Græca. Nam isti Caio omnes Christiani, ut ejus facultas ferebat, grati hospites erant.

Nota porro, illud ἐξέδωκε, *edidit*, Irenæi, et τὸ ἐξεδόθη, *editum est*, Athanasii, si capiantur, ut vulgo passimque apud auctores solent, non significare *composuit* aut *scripsit*, sed *edidit, evulgavit, in lucem emisit*, jam ante scilicet composita. Illinc scripta, quæ apud auctorem vel amicum adhuc latent, et detinentur, aut etiam quæ illo forte demortuo,

Digitized by Google

apud unum aut alterum conservantur, vocari solent recepto more ἀνέκδοτα *inedita*.

Itaque sunt diversa, βιβλίον γράφειν, et βιβλίον ἐκδιδόναι, *librum scribere*, et *librum edere*. Plutarchus in *Theseo* utrumque sic jungebat : Γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκε. *Scriptam orationem edidit*, hoc est, *evulgavit*, *publicavit*. Discrimen hoc etiam Tullius ipse in Latinis ostendit, cum scriptam et compositam a se orationem ad Atticum mittens ita scribit lib. XV, epist. 15 : « Orationem tibi misi. Ejus custodiendæ et proferendæ arbitrium tuum. Sed quando illum diem, cum tu edendam putes! » Et lib. XIII, ad eumdem, epist. 21 : « Dic mihi, placetne primum edere injussu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros solitus est divulgare. »

Ad rem ut redeam, Metaphrastæ narratio de Joannis Evangelio, itemque Prochori ejusdem Joannis discipuli (licet in quibusdam aliis non recipiatur), hic tamen rationi admodum consentanea, minimeque a vero remota mihi videtur, uti neque Baronio.

(39) *Ex quibus Sanctinum ad Carnutes*, etc. Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, in epistola ad Carolum Calvum imperatorem, ita de ordinatione et missione B. Sanctini a sancto Dionysio Carnutum : « Destinatis quoque sociis per diversas civitates, ad dolos diaboli destruendos, et populos Domino acquirendos, Sanctinum ordinavit episcopum, et Carnutum illuminare eos, qui in tenebris erant, inspirante Domino, misit; ubi eum per aliquid temporis immorari disposuit. Postea vero Meldensium civitati pastorem et episcopum esse constituit, ejusque suffragio Antoninum, qui junior ad distinctionem senioris Antonini prænominabatur, adhibuit. »

Vide etiam sanctum Antoninum, archiepiscopum Florentinum, parte I *Hist.*, titul. 6, c. 28, § 1, et Petrum Equilinum in Catalogo, lib. VIII, cap. 108. Dicit Baronius in Notis ad Martyrologium, 22 Septembris, exstare vetus manuscriptum de Actis sancti Sanctini, utinam prodeat! De eodem Sanctino ita Martyrologium Romanum dicta die : « Apud civitatem Meldensem, beati Sanctini episcopi, discipuli sancti Dionysii Areopagitæ, qui ejusdem civitatis episcopus ab eo consecratus, primus illic Evangelium prædicavit. »

CAPUT XVI.

Dionysii in Asiam ad S. Joannem apostolum profectio, et inde reditus in Galliam.

Ut proprium est sanctorum, in omnibus quæ dicant et faciant, Spiritu sancto agi, nec quidquam fere Domino inconsulto aggredi; ita in suscipiendis peregrinationibus, præsertim longioribus, tota eorum mens, si unquam alias, a Deo pendet, ad Deum dirigitur, in Deo conquiescit. Ex quo etiam usu venit, ut comitante eos angelo, et si qua intercurrant, impedimenta submovente, cuncta in bonum et illis et fratribus vertant; sintque illis sua quamvis longa itinera nihil aliud, nisi continua quædam impressæ sanctitatis vestigia. Id in apostolis, id in apostolorum discipulis, et in hoc maxime Dionysio certum esse constitit. Hinc quocunque et ille et illi ibant, quocunque appellebant, a loci incolis tanquam angeli Domini, ut vere erant, recipiebantur, et omni genere obsequii, fervente in Christianis charitate, fovebantur. Neque id profecto mirum. Plus enim erat quod sancti illi hospites secum afferebant, quam quod tectis excepti recipiebant. Quidnam autem? Doctrinam vitæ, scientiam sanctorum, exempla probitatis, specula honestatis, regulam morum, quin subinde etiam (quæ viduæ hospiti propheta Elias rependisse scribitur) procurata miraculo subsidia et victus et vitæ. Quo enim modo propheta ille et pugillum farinæ auxit (40), et olei pusillum multiplicavit, et filium insuper viduæ vita redonavit[1] : ita Christi germani discipuli, et legis novæ sancti antistites juxta Domini sui præceptum, ad quamcunque civitatem accedebant, quamcunque domum intrabant, pacem civitati, pacem domui (41), sed pacem bonorum omnium conciliatricem, dabant; atque etiam una, cum res quidem Deique honos postularet, infirmos curabant, mortuos suscitabant. Talium enim potentes prodigiorum erant. Quorum nec expertem fuisse Dionysium, alibi expressum est. Ivit igitur vir sanctus ex Gallia in Asiam (42), nec itineris longitudinem, **483** nec ætatis veritus gravitatem (erat enim haud minus nonaginta annos natus [43]), ivit, inquam, illa ætate e Gallia in Asiam, spargens ubique per domos, per civitates devoto fidei præconio suarum semina gratiarum; gaudebantque homines extremis apostolorum temporibus novam Ecclesiæ columnam agnoscere, novum religionis firmamentum intueri; et quem a magistris hauserat spiritum, quadamtenus et per transennam saltem degustare. Detinere enim properantem non poterant, sed (quod secundum in votis erat) comitari abeuntem plurimi properabant. Sciebant enim, quam non modo suavis, sed etiam salutaris virorum sanctorum sit comitatus, atque eorum præsertim, qui apostolorum amicitia et familiaritate dignati, præclaris eorum dictis et factis secundum pectus in sitientes piorum aures, apertosque animæ sinus valeant exprimere. Ephesum vero urbem, urbem ex nomine suo vere desiderabilem ut venit Dionysius, et dilectum illum Jesu discipulum, magistrum autem suum longe dilectissimum ut invenit et convenit, tanta ambos de repente mutuo e conspectu incessit lætitia, tam arcta e familiari collocutione orta est necessitudo, et animarum inter sese conglutinatio, ut quadam reciprocatione sancti amoris alter in alterum transisse totus videretur. Hic agnoscebat aquila illa evangelica germanum pullum, liquidos solis radios irreflexa mentis acie intuentem, adeoque ardorum cœlestium in humano corpore, angeli instar, patientem. Agnoscebat, et amabat, et fovebat, et in sublimium revelationum gyros nequaquam inassuetum educebat et circumducebat. Hic vero amoris juxta et venerationis plenus, illum ut apostolum Dei, ut solem mundi, ut coronam Ecclesiæ, ut prophetam sæculorum, ut regis assessorem, ut Reginæ filium et custodem et hæredem tota animi devotione suscipiebat, colebat, affectabatur, nunquam videndi, nunquam audiendi, nunquam admirandi satur. Plusculis igitur hebdomadis, vel mensibus potius, una cum fuissent, deque processu Evangelii in his atque illis mundi partibus, necnon de erroribus modo enatis, et eorum ducibus Christi divinitatem aliaque fidei mysteria impugnantibus, collocuti essent, tum illum Joannes Evangelio suo adhuc recenti, et plane musteo (quod nimirum ipse Spiritus sancti musto plenus jam modo eructaverat) donatum, et sua benedictione munitum, in Occidentis plagas, unde venerat, et ubi pretiosa eum palma exspectabat, renavigare hortatus est. Hic autem, tametsi ab illo velut unico mundi miraculo avelli per se grave esset, tamen divinæ cedens voluntati, et honorem Christi præ suis commodis ponens, iter est aggressus. Quo in itinere, et ad sua regressu, multo etiam magis, quam dum ad apostolum tenderet, a populis et urbibus occurrebatur, deducebatur, detinebatur. Tum et Athenien-

[1] III Reg. XVII.

Digitized by Google

sem revisisse Ecclesiam, finitimasque illi urbes olim sibi excultas (quippe aut illo, aut certe non procul via ferebat) incredibili illarum Ecclesiarum gaudio adiisse, et inibi aliquandiu commoratum esse, ipsa persuadet Patris in liberos charitas. Deus bone! qui tum ad civem suum, ad doctorem, ad pastorem, ad patrem mortalium concursus, videre, tangere, amplecti, dissuaviari hunc angelum Dei contendentium! Quoties ejus expetiti congressus! quoties postulatæ exhortationes! quibus tamen habendis nulla ædes, nullus sacer locus ob sancti populi affluxum satis amplus capaxve erat. Verba porro ipsius, partim referentis, quæ cum alibi, tum maxime in Gallia fundatæ essent Ecclesiæ, qui eam vineam viri illustres coluissent, colerentque : quam præclara illic nuperæ in persecutione exstitissent martyrum certamina : partim memorantis, quæ in Asia præsens vidisset, quæ ab aliis audivisset, de discipulo potissime illo, *quem diligebat Jesus*[k], et quem nunc totus orbis Christianus unice et singulariter deamaret, et pro cujus vita et incolumitate vota quotidie faceret; verba, inquam, ipsius hæc et talia publice annuntiantis, velut cœlestia quædam oracula cupidissimis excepta auribus, in profunda mentis dimittebantur, ut ad posteros redundarent. Id autem præcipue Dionysius spectabat, ut auditores suos ad eorum quos prædicabat, et quorum pulchras ac vere aureas de fide, de pietate, de aliis virtutibus sententias inter dicendum subinde ingerebat, reverentiam, et amorem, et imitationem stimularet. Minime enim eos audiendos esse dicebat et ingeminabat, qui diversa ab illis magnis viris sentirent, qui suam Christo divinitatem impie ac sacrilege ereptum irent, qui alia quam apostolorum semita graderentur (Ebionem scilicet ac Cerinthum et similes denotabat (44) contra quos habere se luculentum Joannis apostoli et novissimi evangelistæ, hodieque superstitis testimonium, ostendebat, qui primo Evangelii sui incursu illos petat, ac velut intorto e supernis nubibus, cum fulgure et tonitru, fulmine subvertat, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [l], et alia quæ ibi consequenter adversus illos faciunt, et divinam Christi naturam planissime astruunt. Ita visitatis et in fide confirmatis Græciæ Ecclesiis, Italiam versus cursum direxit, Romamque tandem multa per viam eluctatus amicorum retinacula (quocunque enim appellebat, vincula charitatis et jura hospitii illum quam arctissime constringebant) ad Clementem papam, veterem amicum et collegam, venit : ubi diutius consistere et 484 immorari non charitas modo suasit, sed auctoritas quoque suprema, et tractandarum rerum necessitas adegit. Interea hujus moræ quædam res se obtulit, quæ inhabitantem in Dionysio vera vaticinandi spiritum commoveret. Adolescentem quemdam Romanum, Taurinum nomine (45), Tarquinii et Eutychiæ filium, matris rogatu (quæ clam infideli marito Christiana erat) sacris undis abluerat B. Clemens; quem cum Dionysio commendaret erudiendum, unaque piæ matris de filio somnium referret (erat autem somnium rite conjectantibus futuræ index sanctitatis, nempe lilium odoriferum e parturientis utero prodire visum), conjectis Dionysius in adolescentem oculis, in hanc subito erupit vocem : *O fili, multa pro Christo tibi debentur certamina.* Nec vana fuit vaticinatio. Obtenta a Clemente discedendi facultate, duxit illum, sanctæ ejus matris victus precibus (quæ prudenter filio a patre infideli metuebat), secum in Galliam, accurate instruxit, instructum sacris ministeriis adhibuit: denique prospiciens, imo jam multo ante certo præscius, quanta pro Christi nomine esset perpessurus, episcopi munere, ut post dicetur, honoravit. Reversus igitur in Galliam Dionysius, quo jam diu exspectabatur et desiderabatur, dici non potest quantis sinceri amoris et verorum gaudiorum significationibus passim exceptus sit; reducem enim et salvum et velut renovata juventute vividum atque alacrem ex longo itinere, videbant pastorem illum suum et ducem, cui alium, si illo orbarentur, vix erat ut auderent sperare similem. Credibile est autem primo Arelaten (quo ex Italia brevis est trajectus) navem applicuisse, hocque ingressu oppidanos primi illius sui ingressus fecisse memores, quo una cum sociis a Clemente missus illuc appulerat, ipsisque episcopum dederat; nunc autem cum novo beati Joannis venire Evangelio longe divinissimo, cujus sit exemplum ipsis relicturus omni thesauro pretiosius. Quo illi audito, mirum quantum exsultare et triumphare gaudio, tam de sanctissimi apostoli memoria, de quo non pauca Dionysius memorabat, quam de tanto ejus dono et monumento, cujus origo prorsus divina et cœlestis exsisteret. Cum autem justo illic tempore partim ad pernoscendum Ecclesiæ statum, partim ad danda eis mandata, et communicandos animi sui sensus, restitisset, tum ad alias pari modo, et simili gratulationum, gaudiorum, hilaritatum mutua profusione, Parisios usque contendit. Quid ibi autem fecerit, nunc exsequendum.

—

NOTATIONES.

(40) *Quo enim modo propheta ille et pugillum farinæ auxit*, etc. Elias hospitio exceptus, famis tempore, a vidua Sarephtana, ejus farinæ pugillum, qui solus restabat in hydria, et pauxillum olei, quod supererat in lecytho, sic auxit, ut quotidie vescentibus in tempus longum non deficeret, quoad scilicet in terra illa fames cessaret. Quin et filium ejus mortuum ad vitam revocavit. Vide lib. III Regum, c. XVII.

(41) *Pacem civitati, pacem domui*, etc. Præcepit Dominus apostolis, Lucæ X, 3, ut pacem civitati, pacem domui, in quamcunque intrarent, precarentur. *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui; et si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur.* Et infra : *Et in quamcunque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, et curate infirmos qui in illa sunt.*

(42) *Ivit igitur vir sanctus ex Gallia in Asiam*, etc. Quin sanctus Dionysius ad B. Joannem ab exsilio reversum in Asiam profectus sit, nullus dubitat, nec dubitare potest, eorum quidem, qui illa scripta Dionysii, quæ ejus exstant nomine, vera et A germana ipsius scripta esse confitentur. Quippe qui in Epistola ad ipsummet Joannem, sibi cœlitus prædictum hoc iter, et hanc cum Joanne mutuam collocutionem aperte perscripserit. Sed de loco unde in Asiam profectus sit, nonnulla est controversia. Nam Baronius existimavit Dionysium Athenis, ubi creatus fuerat a Paulo episcopus, usque ad Nervam mansisse, ac proinde Athenis quoque ad Joannem in Asiam concessisse. Verum sæpe pluribus locis hactenus ostendimus ex Actis multorum sanctorum, longe antehac in Galliam venisse, ac proinde ex Gallia, ubi jam sub Domitiano erat (præcessit autem ille Nervam) ad Joannem profectum esse. Quin et multi vel mortem sub Domitiano in Gallia passum esse, vel gravia multa tolerasse Dionysium, auctores sunt. Qui saltem in hoc a nobis sunt; quod Dionysius in Gallia jam fuerit sub Domitiano. Adde Baronium nonnulla recipere Acta martyrii sociorum sancti Dionysii, quæ illos venisse cum ipso in Galliam, et imperante Domitiano in Gallia occubuisse tradunt. Pro Baronio autem faciunt Acta S. Reguli apud Vincentium et Meta-

[k] Joan. XIII, 23. [l] Joan. I, 1.

Digitized by Google

phrasten : sed in aliorum sanctorum actis et speciatim in ipsius S. Dionysii, multo plura pro nobis faciunt, sicut disperse compluribus in locis ostendimus.

(43) *Erat enim haud minus nonaginta annos natus.* Ivit enim in Asiam extremo Nervæ imperio, cum esset Christi nonagesimus nonus, ac consequenter Dionysii nonagesimus, quippe junioris Christo annis novem. Nemini porro incredibile videri debet, quod tam sera et præcipiti ætate iter tantum susceperit, cum et alios reperire liceat non paucos, qui pari, aut etiam grandiori ætate, iidem aut 485 minoribus de causis, talia confecerint itinera. De sancti Polycarpi ex Asia in urbem Romam extremo ævo suo profectione indeque in Asiam reditu, scripsimus in ejus Vita. Nec multo minor natu, quam uterque illorum, fuit sanctus Marcellus cum ex Hispaniæ umbilico in Galliam visendi Areopagitæ præceptoris sui gratia se contulit. Sanctus Epiphanius Constantiæ in Cypro episcopus sub annum vitæ suæ centesimum decimum quartum, e Cypro Constantinopolim ad causam S. Joannis Chrysostomi dispiciendam, accersente Theophilo Alexandrino ejusdem Chrysostomi adversario, contendit. Quin et multis post sæculis (quorum tamen processu solet hominum vita non solum brevioribus arctari terminis, sed etiam viribus fieri debilior) anno scilicet Christi millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, Burchardus de Sarken, cum octogenarius ad episcopatum Lubecensem provectus esset, ac primo anno propter æs alienum ab intercessore suo contractum, laboris plurimum sustineret, studio parcendi impensis in Franciam abiit ; deinde anno episcopatus sui vigesimo secundo, id est ætatis centesimo tertio, pro tuendo Ecclesiæ suæ jure super molis aquatilibus (quod Lubecenses maximopere impugnabant) Romam petiit, ibique, ut scribit Albertus Crantzius, per annos quatuor constitit, pro Ecclesia sua viriliter decertans, gloriose tum, licet sumptuose et laboriose triumphavit in causa. Jam ergo erat centum septem annorum, cum patriam repetiit ; ubi et alios tredecim superstes fuit, usque ad annum scilicet ætatis centesimum vigesimum. Vide Crantzium in sua Metropoli lib. VIII, cap. 37. Atque ut in hanc grandævorum societatem nonnullos quoque alios episcopos advocemus, ecce S. Simeon propinquus Salvatoris, et Jacobi apostoli in sede Hierosolymitana successor, centum viginti annos natus crucis supplicium fortiter pertulit. Ecce S. Narcissus ejusdem sedis antistes, centum sedecim transgressus est. Ecce S. Dorotheus Tyri presbyter, anno ætatis centesimo septimo martyrium pro Christo pertulit. Ecce et alter Dorotheus Constantinopolitanus patriarcha centum undeviginti annos exegit. Ecce S. Remigius, insignis Rhemorum præsul, anno sui episcopatus numeravit, auctore S. Gregorio Turonensi, integros septuaginta, vel etiam amplius; ætatis vero, ejusdem testimonio, centum viginti.

De S. Simeone habemus S. Hegesippi auctoritatem apud Eusebium lib. III *Hist. eccles.*, c. 26. De S. Narcisso B. Alexandri Hierosolymorum episcopi, apud eumdem Eusebium lib. VI, c. 11. De S. Dorotheo Tyrio testes sunt Martyrologium Romanum, et Menæum Græcorum, ad diem 5 Junii. De altero autem Dorotheo Socrates lib. VII *Hist. eccles.*, cap. 6. Et de S. Remigio Gregorius Turonensis lib. *De gloria confessorum*, cap. 79, et cap. 87.

(44) *Ebionem scilicet ac Cerinthum et similes denotabat*, etc. Contra hos enim scripsisse S. Joannem Evangelium, communis est opinio. Notavi alibi, aut indicavi potius locum Irenæi, ubi id docet, nempe lib. III *Adversus hæreses*, cap. 11. Hieronymus in lib. *De illustribus Ecclesiæ scriptoribus*, cap. 9; in Joanne, ita de illo : « Novissimus omnium scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ episcopis adversus Cerinthum aliosque hæreticos, et maxime tunc A Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. » Idem habet Epiphanius hæresi 51, c. 12, ubi scribit Joannem per Evangelium suum quodammodo exclamasse : Ἡοὶ πλανᾶσθε; ποῖ τρέπεσθε; Ἡοὶ πλανᾶσθε, Κήρινθε καὶ Ἔβίων, καὶ οἱ ἄλλοι. *Quo erratis? quo vos convertitis? Quo erratis, Cerinthe et Ebion, et cæteri.* Irrepsit in Petavii editionem erratum, ut poneretur *Marcion* pro *Ebion*.

(45) *Adolescentem quemdam Romanum Taurinum nomine*, etc. S. Taurini Acta usque a prima ejus infantia, breviter recitantur a Vincentio Bellovacensi, lib. X, cap. 33, cujus capitis extrema ista verba : « Jam enim ordinaverat in civitate Cameraca germanum ejus Gaugericum, » ut prorsus adulterina et supposititia procul amandanda sunt, cum nec in antiquissimis exemplaribus reperiantur, nec apud S. Antoninum, nec usquam apud alios (quod quidem, facta diligenti inquisitione, sciam) ulla B exstent vestigia, quod scilicet Gaugericus fuerit S. Taurini, qui secundo vixit sæculo, germanus. Nam Gaugericus minimum quatuor sæculis posterior est S. Taurino. Adde S. Taurinum Romæ natum et educatum temporibus Domitiani imperatoris et Clementis pontificis, ut habent ejus Acta; Gaugericum vero in provincia Belgica et ditione Lutzemburgensi, nempe in villa Evosio, quam nunc Ivodium et Gallice *Yvois* vocamus. Et hujus rei antiquum et luculentum testem habemus Baldericum Noviomensem episcopum in *Historia Cameracensis et Atrebatensis Ecclesiæ*, lib. III, cap. 37 : « Hinc autem, inquit, imperator egressus (Henricus scilicet e palatio Aquisgrano) ad Evosium villam scilicet pulcherrimam quam beati videlicet Gaugerici nativitas illustrat, cum primoribus quidem suorum palatinorum intendit. » Et paulo inferius : « Sapienter quippe disposito, ut in eo loco, ubi beatissimum Gaugericum noverat, ejus gaudiosam festi- C vitatem quæ III Idib. Augusti est, celebrare veniret. » Accidere hæc anno Domini 1023, juxta Sigeberti Chronicon. Deinde hæc verba extrema hujus capitis nullam prorsus habent cum prioribus connexionem. Quæ enim, amabo, est in his connexio? « Ei ut cognovit (Dionysius) cum hoste rapido se habere conflictum, Taurinum eumdem Ebroicæ civitatis ordinavit episcopum. Jam enim ordinaverat in civitate Cameraca germanum ejus Gaugericum. » Egregia vero causa! præclara ratio! Ordinaverat Gaugericum Cameraci, ergo ordinavit Taurinum Ebroicæ. Tollatur proinde ineptum illud assumentum ab extremo illo capite. Quod fecissent profecto, qui novam Operum Vincentii editionem nuper hic Duaci ediderunt, si locum attendissent atque examinassent.

Sic de Taurino Romanum Martyrologium ad 11 diem Augusti : « Apud Ebroicenses in Gallia, S. Taurini episcopi, qui a B. Clemente papa illius civitatis episcopus ordinatus, Evangelii prædicatione D Christianam fidem propagavit, ac multis pro ea susceptis laboribus, miraculorum gloria conspicuus obdormivit in Domino. »

Petrus Galesinius autem in suo Martyrologio, ad eamdem diem, ex ipsis Ecclesiæ Ebroicensis tabulis sic habet : « Apud Ebroicenses in Gallia, S. Taurini episcopi. Is Dionysii Areopagitæ discipulus a B. Clemente pontifice maximo in Galliam missus, illiusque 486 civitatis episcopus consecratus, veræ in Christo religionis doctor, post multa, quæ Evangelii disseminandi causa fortiter pertulit, cruciamenta, demum miraculorum, pieque gestarum rerum, ac fidei propagatæ laude clarus, obdormivit in Domino. »

Notandum porro non aliter dici posse consecratum episcopum a Clemente, quam approbando electionem et consecrationem. Nam cum Taurinus a Clemente in Galliam cum Dionysio dimissus est, admodum adolescens, et pene puer erat, ut ex Actis

Digitized by Google

liaret, minimeque sacro ministerio idoneus, sed multis annis a Dionysio in Galliæ eruditus, tum demum ab eodem est ordinatus. Democharès in Catalogo pontificum ejus Ecclesiæ, scribit, a Clemente pontifice maximo, anno Christi nonagesimo quarto missum; sed non dicit illo anno consecratum episcopum, quod tanquam ex illo male notavit Eysengrinius, centenario 1, parte 1, dist. 3. Melius ex ipsis Actis Vincentius supra citatus : « Qui beatus Dionysius, inquit, cum a beato Clemente in Gallias mitteretur, secum filiolum suum Taurinum, precibus matris victus adduxit, et eum cum omni diligentia spiritualia nutrivit. » Agit autem de secunda missione, quæ fuit post reditum ex Asia. Nam prima missio, ut supra dictum est, fuit non multo post martyrium apostolorum Petri et Pauli, antequam Clemens retenta aliquantisper quam a Petro acceperat, sede Romana, eam pacis causa cessisset Lino, uti e S. Epiphanio colligi potest.

Melius etiam S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, parte 1 *Hist.*, tit. 6, cap. 28, § 4 : « Taurinus, inquit, ex Christiana matre et patre gentili natus, a Clemente papa baptizatus, et Dionysii spiritualis filius, ab eo in Galliam ductus, Ebroicensis civitatis tandem præsul efficitur. » Mater vocabatur Eutychia, pater Tarquinius : illa Christiana et religionis amantissima, hic autem gentilis et Christianorum acerbissimus persecutor fuit. « Qui ut sævissimus lupus, inquiunt Acta, persequebatur Christianos, nescius uxorem suam esse Dei famulam. »

—

CAPUT XVII.

Dionysii ad Parisios reversi extrema studia atque ad fidei certamen præparatio.

Quemadmodum amittendi Dionysii, quandiu is in itineribus fuit, major Parisios quam quoslibet tenuerat metus; ita ejus recepti longe copiosior quam ullos alios lætitia et triumphus incessit; atque eo sane solidior, quod illum maximo jam natu (annum enim nonagesimum ætatis excesserat [46]) amplior certiorque spes erat perpetuo apud se deinceps retinendi. Nuntiatum igitur de propinquo ejus adventu cum esset, probissimi quique certatim et densis agminibus occurrere, amplexari, reditum congratulari, gestu et verbis, totaque vultus hilaritate extraordinariæ voluptatis sensum testificari. Ad cœtus vero in ædem sacram ut ingressus est, verbaque ad concionem habuit, Deus immortalis! quantum modo ex ejus veneratione, in confertissima licet turba, silentium! quantæ modo ex dictorum admiratione et approbatione acclamationes! quanti etiam ex inundanti dilatatæ mentis gaudio fluctus lacrymarum! Percurrente enim illo benignissimi Domini erga se toto itinere beneficia; recensente etiam quos viros sanctos et hic et illic viderit, convenerit, suspexerit : Joannem in primis apostolum ad stuporem mundi in mundo relictum; cujus secum novissima scripta, Evangelium deportasset, Evangelium scriptionis tempore (47) quidem postremum, sed mysteriorum altitudine et nobilitate facile primum; in quo et nonnulla ab aliis Evangelii scriptoribus omissa, divino agitante Spiritu suppleverit, et quædam brevius concisiusque exarata, plenius distinctiusque expresserit : talia, inquam, recensente Dionysio, et quæ idem Joannes in Patmo egisset, quæ nunc Ephesi ageret, quam divinis virtutibus polleret, quæ signa et prodigia morbidis curandis, mortuis suscitandis in dies patraret, referente, atque ad amplexandam ejus doctrinam, et imitandos mores sanctissimos incitante, mirabiles conciebantur animorum motus, nihilque esse apparebat, quod hactenus in Christi schola fecerant, præ eo quod in posterum (tantus virtutum ardor omnes incenderat) facturi videbantur. Nequit enim dici quantam vim ad commovendas mentes habeant, vivorum adhuc et superstitum velut spirantia exempla, digno ex ore in tempore prolata. *Mala aurea*, inquiebat ille Sapiens, *in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo* [a]. Hoc nunc Dionysius agebat : cujus verba præterquam quod in tempore suo dicebantur, etiam erant ejusmodi, ut non tam malis aureis in lectis argenteis, quam facibus igneis e cœli incendiis conferenda essent. Quamvis tamen id quoque illi frequenter accideret, ut ardorem inflammati pectoris exprompta verba haud exæquarent. Nam et in privato scribens non raro id patiebatur. Sed jam ad alia. In Trajani nunc versamur temporibus. Nam Nervæ imperium breve admodum, nec sesquianno par (48), totum in peregrinatione, quam depinximus, consumptum est. A qua peregrinatione studium Dionysio fuit, quod reliquum esset supremæ ætatis, tanquam ultimum vitæ actum excellenter peragere. Hoc igitur in duobus posuit; uno quidem, ut se hostiam puram, et immaculatam, et acceptissimam Deo præpararet; altero autem, ut toti Ecclesiæ, quoad facultas ferret, non in præsens tantum, sed etiam in futurum profutura relinqueret. Is enim est magnarum animarum scopus, ea vividorum ingeniorum **487** est cura, nequaquam angustis hujus fugacis ævi terminis laborum suorum fructus coarctare, sed ad omnia sæcula, si fieri possit, longissime propagare. Quocirca cum libros antehac nonnullos (ut est a nobis alibi indicatum) conscripsisset, quorum aliquos ordine (quem sacris in rebus divinisque mysteriis, si alibi uspiam, observari peræquum est) firmando stabiliendoque longe utilissimos Timotheo dedicasset, visum est ei jam seni cum illos, tum alios ad limam et amussim revocare, locisque ex nupero Joannis Evangelio desumptis exornare simul et roborare. Ut enim auctorem ipsum, sic ejus scripta incredibile quanti faciebat. Cordi autem in primis fuit recens fundatas seu a se, seu ab apostolis in Gallia et viciniore Germania Ecclesias sedulo visitare; quantus in singulis populus vera religione imbutus esset, quantus etiam restaret imbuendus, observare; num qui inter illos falsi fratres aut errorum clandestini prosatores exsisterent, caute explorare : divina officia in festis conventibus, si decenti ritu et consentaneis cæremoniis celebrarentur, perspicaci oculo contemplari : cum ipsis item pastoribus et ministris privatim crebro agere; rei bene gerendæ et subditorum sibi devinciendorum præcepta tradere : a fide quoque extraneos illiciendi atque ad Christi legem traducendi rationes condocere; ante omnia autem mutuæ illos charitatis et concordiæ res parvas exaugentis, et divisas coagmentantis, impendio commonere. Populus vero, seu ad aras facientem sanctum senem spectaret, seu habentem verba ad concionem audiret, mire affici animo, nec verbis solum, sed aspectu ipso capi; nec dubitare, quin a tali profecta sanctitate sibi pro oraculis recipienda, sibi omni studio exsequenda essent. Adeo in veneranda canitie spectatæ innocentis vitæ sanctimonia, pertrahendis quoquo velit mortalium animis plurimum potest! Sic visitabat vir ille divinitus commissas sibi provincias, sic formabat, sic firmabat, sic ad virtutem animabat, sic omnis armaturæ genere ad se suosque tuendos, ad alienos amore, labore, constantia pervincendos obarmabat; atque hæc magna et prima ejus erga fratres occupatio fuit. Altera in responsis, cum multi undique eum consulerent, quæstiones proponerent, de statu Ecclesiarum re-

[a] Prov. xxv, 11.

Digitized by Google

nuntiarent, dandis ac referendis. Exstant ejus aliquot epistolæ, quibus testatam hanc occupationem habemus : utinam omnes! Plura enim in his speculis ejus doctrinæ atque prudentiæ exempla intueremur. Sed in tantis quæ illum urgebant et premebant externis occupationibus, semper secum, semper cum Deo, semper totus Dei erat. Neminem enim nisi illum in cunctis quæritabat, nullius nisi illius honorem et amorem venabatur. O si hoc etiam iis qui idem munus gerunt, accideret universis! Quam bene cum omni Ecclesia ageretur! ubi tunc lupis, ubi vulpibus esset locus? certe nec illi oves devorarent, nec hæ vineam devastarent. Adesset enim omni loco suis pastoribus, suis custodibus ille bonus pastor, et vigil custos, qui et illos sub ovina pelle delitescentes detegeret, et has per cuniculos subrepentes ad lucem extractas demonstraret. Est enim profecto dictu incredibile, quantum sancti episcopi a sole suo Jesu Christo recipiant luminis, et quam pauca, quæ ad ipsos et ad gregem suum spectent, eos lateant. Alias multa Dionysius de se et suis : nunc et de appetendo extremo certamine (49-50), et vicina gloriosæ mortis victoria edocetur. Itaque cognito brevi adesse tempus, quo pertingendum esset ad metam, per omnia terræ Galliæ loca circumfert acutæ mentis aciem, ac si quid uspiam desideretur, affulgente de cœlo lumine studiosius inspicit; et ecce quasi Ebroica supplices tenderet manus (est autem Ebroica Galliæ Celticæ antiqua civitas [51]) et pontificem postularet, divino motus spiritu Taurinum illi pontificem dedit, virum sane illis temporibus, eique regioni adversus dæmones et magos prorsus necessarium (52). Cujus divinam electionem nec ipse dissimulavit malus. Nam cum novus præsul suscepto per manus impositionem sacro ministerio, ad concreditam sibi urbem proficisceretur, ecce iste versipellis suam hic rem agi cernens, et ad veteres suas artes confugiens, conatur aliquoties ejus iter, quod sibi perquam noxium præsentiebat, intercludere. Jam enim informis ursi speciem indutus, jam leonis rugientis terrorem imitatus, jam ferocientis bubali impetum prætentans, in virum Dei tanquam membratim discerpturus incurrit. Sperabat scilicet hisce multiformis terriculis accessu urbis prohibere; verum sanctus antistes talium fraudium haud ignarus, in Domini verbo, et ope Dionysii confidens, omnes elusit et irrisit artes, et, « O miser, inquit, qui Conditoris tui deserta similitudine, mutis te assimilas bestiis, ecquid tibi post hæc melius? an novo jam aliquo demulceris gaudio? » Cui ille, nescio quid rancidum infrendens : « Ecquod mihi possit esse gaudium, inquit, quando tu cum Deo tuo huc veneris meum subversurus dominatum? sed faxo equidem, ut qui te huc transmisit, brevi intereat; tecumque solo deinceps singulariter dimicem. » Vix dixerat, nec usquam fuit. Nimirum coactus est, ut sæpe alias, mendacii pater, et de Dionysio et de Taurino ejus discipulo edicere veritatem. Propterea scilicet atrocissimum illi bellum renuntiabat, quod eum cunctis Christi athletis præsentissimam ferre opem, seque omnibus sensim expelli provinciis, et simulacra cum fanis et delubris passim prosterni, ludibrioque haberi cerneret.

488 Voluit porro Dionysius, quod et fecisse Paulum meminerat, aliquos e discipulis suis habere testes martyrii, qui acta ipsius ad Dei honorem et fratrum utilitatem conscriberent. Cui rei Sanctinum et Antoninum e Carnutibus evocavit (53). Sed quod ipsorum scriptos de magistri rebus commentarios in præsentia non habeamus, cogimur aliunde ea, quibus conjunctim deficimur, hinc inde variis ex Ecclesiarum tabulis labore haud parvo disjunctim quærere. Sed non in tenui labor, is præsertim qui prælustrem trium invictorum pugilum pugnam una in arena spectandam exhibebit.

—

NOTATIONES.

(46) *Annum enim nonagesimum ætatis excesserat.* Colligitur hæc Dionysii ætas hoc pacto : Cum Parisios a profectione Asiana rediit, erat annus Trajani imperatoris primus. Nam totum Nervæ tempus (quod non integer sesquiannus fuit) in illa peregrinatione consumptum est, præsertim cum non statim initio imperii Nervæ profectus sit, sed tantum postquam audivit revocatos a Nerva exsules, et Joannem in Asiam revertisse : jam autem primus annus Trajani est Christi Domini centesimus : Dionysius autem annos novem duntaxat junior Christi ætate fuit, ut supra probatum est cap. 1 Notationum. Itaque nonagesimum excesserat, cum Christi fuit centesimus.

(47) *Evangelium scriptionis quidem tempore*, etc. In confesso est apud omnes Joannem apostolum postremo loco inter evangelistas scripsisse, altius tamen quam alios, aquilæ instar (quæ proinde aquila appingi solet illius imagini) in prædicanda Christi divinitate subvolasse. Vide multa de ejus Evangelio et Evangelii prærogativis, apud nostrum Joannem Servium in *Apparatu evangelico*, cap. 75.

(48) *Nam Nervæ imperium breve admodum, nec sesquianno par*, etc. Sunt enim qui tredecim menses duntaxat, diesque aliquot ei tribuant. Alii, qui annum et menses quatuor, pauloque amplius, sed nemo, quem legerim, sesquiannum integrum.

(49-50) *Nunc et de appetente extremo certamine*, etc. Præmonitum fuisse Dionysium de instanti martyrio, continent etiam Acta sancti Taurini, apud Vincentium Bellovacensem libro decimo, cap. 33, in illis verbis : « Et ut cognovit cum hoste rabido se habere conflictum, Taurinum ejusdem Ebroicæ civitatis ordinavit episcopum, » id est, postquam intellexit instare sibi extremum conflictum, festinavit A Ebroicensibus dare episcopum. Sic apostoli Petrus et Paulus, sic et alii divinitus sui exitus nuntium acceperunt, et successores declararunt. Nec tacuit diabolus, sed quas parabat Dionysio insidias, ex ira et indignatione aperuit, cum scilicet venienti Ebroicas Taurino, cujus timebat fidem, dixit : « Illum equidem, qui huc te transmisit, cito faciam interire, ut tecum ineam singulare certamen. » Nempe incitavit idem dæmon cultores suos, ut in Dionysium, tanquam impium et deorum contemptorem insurgerent, et neci darent. Quod et factum est.

(51) *Est autem Ebroica Galliæ Celticæ antiqua civitas*, etc. Populi vocantur Julio Cæsari, libro III *De bello Gallico*, Eburonicenses, idiomate Gallico, *Les pais d'Evreux*. Sunt autem in Gallia Celtica, Aulercis, Lexobiis, Unellisque finitimi. Civitas primo *Eburonicæ* deinde *Ebroicæ* et *Ebroica* est dicta, quibusdam quoque *Eburonicum*. Vide Robertum Cenalem libro secundo *De re Gallica*, perioche 4.

(52) *Adversus dæmones et magos prorsus necessarium*. Quæ adversus illos gesserit sanctus Taurinus, B vide apud Vincentium libro ante nominato, capite trigesimo quarto, et Petrum Equilinum libro septimo, capite quinquagesimo.

(53) *Cui rei Sanctinum et Antonium a Carnutibus evocavit*. Ex eorum Actis id collegit Vincentius libro decimo, capite vigesimo secundo, sed quod factum dicit sub Domitiano, id sub Adriano accidisse alibi probatum est. Nam sub Adriano instare sibi martyrii tempus intellexit; sub eodem illos suos discipulos evocavit : sub eodem mortem pro fide oppetiit. Quod non tantum e vetustissimis Martyrologiis, sed etiam e plurimorum sanctorum Actis (ut disperse alibi notavimus) colligitur.

Quod si in aliis quibusdam rebus sit nonnulla di-

Digitized by Google

versitas, hæc ad meliorem partem, et eam cui scripta ipsius sancti Dionysii et ratio ipsa favent, accommodanda est. Nam si tempora ipsa nonnunquam rebus adversentur, æquum est e duobus ea potius reprobari, in quibus errare sit proclivius; ac proinde relictis temporibus, quæ in errores maxime sunt lubrica, res ipsas gestas, quæ animo et memoriæ fixius inhærent, sartas tectas conservari. Itaque sanctus Dionysius imminentem præsentiens mortem, illos suos discipulos a Carnutibus, ubi vineam Domini excolebant, accersivit, totumque martyrii sui certamen diligenter observare, atque ad pontificem Romanum, et inde in Græciam ad Athenienses partim deportare, partim curare nuntiandum jussit; ut ipsi et de feliciter confecto hujus vitæ cursu gratias Deo agerent, et erga Dei cultum religionemque bono fortique animo essent.

De Carnutibus, quorum hic mentio, ita Cæsar, libro VI *De bello Gallico*, agens de Druidibus: « Hi certo anni tempore, inquit, in finibus Carnutum (quæ regio totius Galliæ media habetur) considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque decretis judiciisque parent. » De iisdem ita Raimundus Marlianus, in Indice populorum: « Carnutes, inquit, populi inter Celtas Andegavensibus Turonibusque finitimi, ac Oceano proximi, erant in clientela Rhemorum. Regio eorum totius Galliæ media; a quæ tamen 489 extra regnum Francorum biduo iter expedito patet. »

Sed quomodo, inquiet aliquis, ea regio est totius Galliæ media, si Oceano proxima? Media igitur est, non omni dimensione, quasi ex omnibus undique Galliæ finibus tantumdem ad illam sit spatii, sed media secundum longitudinem duntaxat Urbs ipsa Carnutum, sive Carnotum, vulgo Chartres (Ptolemæo Ἀρέτικον Autricum appellatur) civitas est episcopalis, « media inter Lutetiam Parisiorum (a qua in occidentem ad 20 m. p. Gallica recedit) et Vindocinum, » inquit Philippus Ferrarius in sua *ad Martyrologium Romanum Topographia;* apud quem etiam reperies qui præcipue sancti ibidem colantur.

CAPUT XVIII.

Dionysii sociorumque comprehensio, et Lisbii nobilis viri eorum fautoris martyrium.

Ecclesiæ rebus (labente in dies magis magisque superstitione) (54-55) læto jam passu procedentibus, tanti impatiens successus ille hominum et virtutum juratus hostis diabolus præcipuos invidiæ suæ ministros ac satellites (quales fere id temporis plerique omnes erant provinciarum præfecti ac præsides) cum in Christianos communiter universos, tum præcipue in celeberrimum ea tempestate Dionysium Areopagitam furore et feritate obarmavit. Horum igitur jussu perquisitus ad necem vir sanctus, et cœlo jam maturus, in urbe Lutetia, ubi post multos laboriosæ sementis annos copiosam exuberantis fidei messem legebat, in ipso Evangelii præconio comprehensus est (56). Quippe jam fortis et indefessus athleta cursum consummarat, fidem servarat, tempusque tandem advenerat, quo ad repositam sibi suisque laboribus coronam convolaret. Sæpe alioquin illum Druides (57) (hi erant Galliæ prisci flamines et sacrificuli) ad necem et carnificinam perquisiverant(58): sæpe quasi jam jam capturi in eum eminus conspectum stipati turbis incurrerant; sed capiendi potestatem, distante adhuc hora, Dei manus retardarat. Cum enim nonnunquam ab eo proxime abessent, et tantum non manibus prædam tenerent, eam Dominus servo suo gratiam oris effundebat, id lumen oculis, eam voci atque sermoni virtutem immittebat, ut magis ipsos caperet, quam ab ipsis caperetur: adeo ut qui ad mortem rapturi venerant, ipsi in admirationem et stuporem rapti consisterent, manusque ad fidem invitanti ultro darent, aut certe sive ab ipso, sive ab angelo ipsi custode conterriti, fugam capesserent. Quæ quidem cunctos Evangelii præcones, et pro Christo Dei legatione fungentes, sed eos præsertim, qui in terris longinquis, aut barbaris in nationibus peregrinantur, plurimum permovere, atque ad spem suam in Domino, cui se curæ esse norint, omni depulso metu firmiter collocandam, merito incitare atque inflammare debeant. Comprehensus igitur ad extremum est Dionysius; sed ut bonis certaminibus auream imponeret coronidem, atque ut de hostibus simul semelque omnibus, et de ipsa insuper morte mortuus triumpharet. Atque ut qui laborum et periculorum individui hactenus comites ei adhæserant, extremi quoque certaminis et præparatorum ab æterno præmiorum simul consortes forent, una cum illo Rusticus et Eleutherius (quorum illum sacerdotem, hunc diaconum consecrarat) simul capti, simul vincti, simul ducti sunt: insignis autem Dionysii alacritas (59) animique fortitudo ad tribunal et ad mortem, quasi ad epulum gradientis, juncta dicendi et religionem propalam confitendi egregia libertate atque fiducia, litteris est mandata tam Græcis quam Latinis. Oblatus enim præfecto, et de genere, de patria, de studiis interrogatus, pro cunctis unum (illa enim alia nihili, hoc unum maximi reputabat) se Christi servum esse respondit (60). Quærenti rursus, essetne ille, qui populos a deorum immortalium (61) cultu averteret, qui arte magica hominum animos fascinaret, qui invictis imperatoribus contumaciter se opponeret, ipse infracto constantique animo, se impietatis eversorem, simulacrorum destructorem, dæmonum supplantatorem, ingenue intrepideque confessus est. Flagitanti denique, ecqua esset sua religio, qui cultus, quæ professio, ipse, unaque bini socii, trium instar puerorum mediis in flammis inambulantium, spiritus et gratia pleni clarissimam fidei suæ professionem uno ore ediderunt (62). Qua ille audita: « A vobis igitur, inquit, nostrorum imperatorum atque principum jussa et mandata contemnuntur? a vobis inviolatorum deorum honos et potestas despicitur atque violatur? Atqui ego, quanti ista vobis statura sit superbia atque contumacia, faxo brevi ut experiamini. » Hæc cum diceret, ecce Larcia matrona (63), Lisbii, de quo supra diximus, conjux, cui multæ pridem cum marito religionis causa disputationes et altercationes intercesserant, arrepta hujus temporis occasione, furoris et irarum quas dæmon succenderat plena, ad præfectum propere adit, et utrumque graviter incusat, maritum et Dionysium, hunc magiæ, illum impietatis: nempe maritum suum magicis illusum artibus maximos quosque deos minimi facere, unum præ illis nescio quem furciferum plurimi æstimare; hunc continenter in ore habere, hunc venerari, huic preces et vota offerre, nullis 490 quæ ad ejus honorem faciant impensis parcere, quin etiam ad deos immortales deserendos, quorum nec unum in laribus reliquerit, assidue se cohortari, et unam sibi dies noctesque cantilenam occinere, « Debes fieri Christiana, » hoc est, ut ego quidem interpretor, inquiebat, « maga et sacrilega. » Quæ cum ita sint, per omnes deos etiam atque etiam se rogare, uti marito, quam possint, medelam citissime afferant; de sortilego autem illo et veneficio, ut meritus ipsis videbitur, ita statuant: se enim in tanto vitæ et religionis dissidio quietum trahere spiritum nequaquam posse. Quibus illi auditis, tam in hanc improbam impie misericordes, quam in istos longe probissimos immisericorditer impii, bono eam animo esse jubent; daturos se actutum

Digitized by Google

operam, uti et maritus ad mentem redeat, et magus ille suis dignas artibus et malis dolis pœnas luat. Nimirum sperabant se facili negotio rem cum Lisbio transacturos. Quo factum est ut, cum contra quam speraverant prorsus eveniret (mox enim tribunali adfuit, et pro fide et Christo rupis instar immotus stetit) nullisque eum nec argumentis, nec minis, nec blanditiis movere de sententia possent, imo et cæcitatis in deorum et religionis æstimatione ab eo redargui se sentirent, nec ferrent, subtilibusque subinde inspiratarum e cœlo rationum aculeis se ad vivum pungi non sustinerent; sic, inquam, factum est ut suis minis impotentes, mortis in eum præcipitarint sententiam; dumque vitam putant eripere, immortalem ei gloriam præpararint. Brevi siquidem postea pro Christiani nominis propugnatione, capitis supplicio affectus, æternam martyrii lauream, plaudentibus e cœlo angelis, est consecutus. Ita magistros suos et doctores nimis quam felici sorte discipulus antecessit; et ita antecessit, ut suæ in ipsos Deo acceptissimæ hospitalitatis eximiæque charitatis (qua ipsos primum in Parisiense territorium ingressos excepit, juvit, protexit) triplex a Deo benignissimo præmium receperit. Quorum primum quidem et maximum fuit, illa quam diximus, nobilissimi martyrii laurea : secundum vero, Larciæ uxoris, pro qua tot ad Deum preces vivus fuderat, ad eamdem fidem eamdemque palmam, ut infra ostendetur, vocatio : tertium denique, totius posteritatis suæ, hoc est, domus Montmorencianæ (quæ istorum martyrum vera est et germana soboles) perennis in Christiana fide constantia, ac tot quidem in revolutionibus rerum et honorum inconcussa prosperitas. Nam domi juxta et militiæ, in sacro peræque et populari statu, nec sine clara litterarum luce, et testata sapientiæ laude, illa etiamnum viget claretque familia ; et quidem secundis Christianorum votis et apprecationibus æternum videtur claritura. Cum enim Lisbius communi et inveterato totius gentis consensu, illius habitus sit hactenus, et nunc habeatur familiæ caput, indeque profluxerit, ut baro Montmorencianus passim « Primus baro Christianus Franciæ » appelletur, hinc ea invaluit consuetudo, ut quocunque in exercitu quispiam imperet Montmorencianorum, his illi acclametur ominis longe faustissimi vocibus : « Auxilietur Deus primo Christiano. » Quod indigenæ sua lingua vulgo sic efferunt: *Dieu aide au premier Chrestien*. Qua in re et pius acclamantum in fidem Christianam affectus recognoscitur, et in præliis tota victoriæ fiducia in Dei solius auxilio reponitur. Ad cujus auxilii promptam impetrationem dum primi Christiani memoria renovatur, ipse sancti Dionysii in agro Parisiaco primitiæ, et velut opima de incredulitate spolia, apposite commemorantur. Nempe ista est grati animi, et beneficiorum divinitus olim acceptorum maxime memoris, non minus pia quam læta significatio. Succinctæ enim illius et succulentæ acclamationis hæc fere est vis et sententia : « Domine Deus exercituum, qui oblatas a Dionysio Gallicanæ nobilitatis primitias in Lisbio accepisti, eidemque contra fidei hostes illustrem martyrii palmam contulisti, ejusdem nunc piæ, fideli, minimeque degeneri propagini adversus impios sanctæ religionis impugnatores fortiter opitulare. » Hoc, inquam, brevicula illa acclamatio significat, hoc petit, hoc impetrat. Quia vero eadem Lisbiana seu Montmorenciana domus, uti puram ab initio suscepit fidem, ita deinceps integram inviolatamque, nec ullo permistam hæreseos aut erroris cujuslibet inquinamento, hactenus conservavit conservatque, idcirco in suis insignibus gentilitiis tam apte quam jure, brevissimum illud unius vocis inclusit elogium ἁπλανῶς, *absque errore*, et Græca quidem, ut opinor, voce, quod qui primus ex ea stirpe erroris abegit nebulas (beatus scilicet Dionysius) Græcus esset. Benedictus autem Deus, cujus *misericordia a progenie in progenies timentibus eum* [a]. Sed terni athletæ nostri, viso hoc fautoris et hospitis sui spectaculo quinam? Nempe tantum abfuere ut vel præ metu animis caderent, vel mœrore aliquo (quemadmodum sibi fortasse hostes persuaserant) percellerentur; ut potius exsultantis animi motus, et interni vim gaudii nec capere possent, nec celare. Quod enim majus et amico, et hospiti, et fratri, imo et sibi optarent ac vellent bonum, quam tali pugnata pro Christo pugna transire ad regnum? Neque tam tardi, opinor, et bardi erant ipsi iniquitatis satellites, quin ex fronte eorum et vultu latentes animos et se extrinsecus prodentia optatissimæ mortis vota perviderent. Hinc etiam ipsi magis excruciari, **491** et ad novas excogitandas carnificinas in tempus aliud cum minis et detestationibus athletas differre, atque in tetrum carcerem mittere. Sed quo profectu, jam considerabitur.

NOTATIONES.

(54-55) *Ecclesiæ rebus, labente in dies magis magisque superstitione*, etc. De Ecclesiæ prospero successu et diaboli invidia, vide Syngelum in *Encomio S. Dionysii*, sub finem, et Metaphrasten in *Vita*.

(56) *In ipso Evangelii præconio comprehensus est.* Id sic adnotat Metaphrastes : Καὶ τὸν μαχάριον ἀθρόον ἐπιπεσόντες, σύναμα δεσμοῦσι τοῖς μετ' αὐτοῦ τὴν θείαν ἀνὰ στόμα διδαχὴν ἔτι φέροντα. *Et in beatum sùbito irruentes, simul cum sociis vinciunt adhuc divinam doctrinam ore expromentem.*

(57) *Sæpe aliquem illum druides*, etc. Nulli unquam gentilium Christianis infestiores fuerunt, quam ipsorum flamines et sacerdotes, quippe quorum honos et lucrum per veram religionem deperirent. Quare etiam druides Dionysio et sociis easdem ob causas fuere multo infestissimi.

Locus de druidibus (ut qui, et cujus auctoritatis fuerint, plenius intelligatur) a Cæsare, l. VI *De bello Gallico*, depromendus est. Sic ibi habet : « In omni Gallia, eorum hominum, qui aliquo sunt numero et honore, sunt duo genera. » Tum quibusdam interjectis subdit : « Sed de his duobus generibus, alterum est druidum, alterum est equitum. Illi rebus divinis intersunt : sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentum numerus disciplinæ causa concurrit magnoque hi sunt apud eos in honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt; et, si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituunt. Si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur : iis omnes decedunt, aditum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit : aut, si sunt plures pares, suffragio druidum allegitur. Nonnunquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore in finibus Carnutum (quæ regio totius Galliæ media habetur) considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumque decretis judiciisque parent.

« Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui

[a] Luc. I, 50.

Digitized by Google

diligentius eam rem cognoscere volunt; plerumque illo discendi causa proficiscuntur. Druides a bello abesse consueverunt: neque tributa una cum reliquis pendunt. Militiæ vacationem, omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt, et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur.

« Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent, neque fas esse existimant eam litteris mandare; cum in reliquis fere rebus publicis privatisque rationibus Græcis litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur; quod neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, litteris confisos, minus memoriæ studere, quod fere plerisque accidit, ut præsidio litterarum, diligentiam in discendo ac memoriam remittant. Inprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alias; atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et juventuti tradunt. »

Hactenus Cæsar de druidibus. Unde nobis ratiocinari ex vero licet, quo loco Christianis et quanta in auctoritate esse debeant veri Ecclesiæ sacerdotes; et quibus donari immunitatibus, et quanti eorum æstimari excommunicationes et interdicta et decreta oporteat. Si enim tanti vitrum, ut aiunt, quanti margaritum?

Illorum meminit etiam Aristoteles in Magico, apud Diogenem Laertium *De philosophorum initio*. Illorum et Marcus Tullius strictim mentionem facit libro primo *De divinatione*, post medium, ubi illos physiologiæ, et rationis divinandi ac prædicendi, gnaros fuisse declarat: « Siquidem et in Gallia druides sunt, inquit, e quibus ipse Divitiacum Heduum, hospitem tuum laudatoremque cognovi, qui et naturæ rationem, quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, et partim auguriis, partim conjectura quæ essent futura, dicebat. » Ita Tullius.

Paulo fusius Pomponius Mela, lib. III *De situ orbis*, cap. 2, ubi post alia de gentis moribus: « Habent tamen, inquit, et facundiam suam magistrosque sapientiæ druidas. Hi terræ mundique magnitudinem et formam, motus cœli et siderum, ac quid dii velint, scire profitentur. Docent multa nobilissimos gentis clam et diu, vicenis annis in specu aut in abditis saltibus. Unum ex iis, quæ præcipiunt, in vulgus effluxit, videlicet (ut forent ad bella meliores) æternas esse animas, vitamque alteram ac Manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt apta viventibus. Olim negotiorum ratio etiam et exactio crediti differebatur ad inferos, erantque qui se in rogos suorum, velut una victuri, libenter mitterent. » Sic ille. De iisdem vero druidibus juvat Ammiani Marcellini lib. XV *Historiæ* brevem adjungere memoriam. Describens ergo Galliam, ejusque partes ac terminos, sic inter alia: « Per hæc, inquit, loca hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per bardos et eubages et druidas. Et bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis 482 cantitabant. Eubages vero scrutantes summa, sublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos druidæ, ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodalitiis ascripti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt, et despectantes humana, pronuntiarunt animas immortales. » Ita ille. Verum cum e Strabone strictim ista attigisse Ammianus videatur, bonum judico ipsum audiri Strabonem. Igitur libro quarto *Geographiæ*, sic de illis: Παρ' ἅπασι δ' ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως εἰσὶ βάρδοι τε, καὶ εὐβάγεις καὶ δρυΐδαι.

A Βάρδοι μὲν, ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί· εὐβάγεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι· δρυΐδαι πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. Δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται τάς τε ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς κοινάς. Ὥστε καὶ πολέμους διῃτῶν πρότερον, καὶ παρατάττεσθαι μέλλοντας ἔπαυον. Τάς τε φονικὰς δίκας μάλιστα τούτοις ἐπετέτραπτο δικάζειν. Ὅταν τε φορὰ τούτων ᾖ, φορὰν καὶ τῆς χώρας νομίζουσιν ὑπάρχειν. Ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς, καὶ τὸν κόσμον· ἐπικρατήσειν δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ. *Apud omnes vero, ut plurimum, tria sunt genera eorum qui eximie honorantur, bardi, et eubages, et druidæ. Bardi quidem hymnorum et poematum sunt compositores: eubages autem sacrifici, et physiologi; druidæ vero præter physiologiam, moralem tractant philosophiam. Et hi quidem justissimi reputantur; ideoque et privata et publica illis committuntur judicia. Quin et bella olim decernebant, et bellaturos inhibebant:*

B *iisdemque causæ capitales præcipue credebantur. Imo et illorum numerus si sit magnus, agrorum quoque magnam exspectant ubertatem. Immortales vero et ipsi et alii dicunt esse animas, et mundum; dominatura autem aliquando ignem et aquam.*

Sic ibi legendum Græce Strabonem, et Latine vertendum, plane existimo. Nam alioqui Græce in editione Basileensi anni 1549, legebatur: Βάρδοι τε καὶ οὐάτεις καὶ δρυΐδαι, et Latine reddebatur, *Bardi et vates et druidæ*. Atqui nomen *vates* nihil nec Græci nec Gallici idiomatis antiqui sonat, quemadmodum altera duo, sed ex Latino *vates* formatum est. Unde existimo, temporibus Ammiani Marcellini (in cujus variis editionibus semper *eubages* reperi, et nunquam *vates*) lectum fuisse in Strabone Εὐβάγεις, *eubages*, aut certe Εὐαγεῖς, quod sonat pios et sanctos. Ait enim idem Strabo, illos fuisse ἱεροποιούς, *sacrificos*. Hoc autem, si ullorum, maxime profecto et unice piorum et sanctorum est munus. A me quidem stat Stephanus Forcatulus, libro I *De Gal-*

C *lorum imperio*, ubi sic de iisdem euhagibus: « Cæterum eubages plerumque mediocribus fortunis, et natalibus non ita splendidis educti, profitebantur sapientiam et sanctimoniam. Unde et ipsis nomen subducta littera. Nam αὐαγὴς sanctum ac pium significat. » Sic ibi.

Accedit quod apud Lucanum l. I *Pharsaliæ*, iidem sunt bardi, qui vates. Sic enim ibi de illis, et de druidibus conjunctim scribit:

Vos quoque, qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum, vates, dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina, bardi.
Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum, druidæ, positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos, et cœli numina vobis,
Aut solis nescire datum; nemora alta remotis
Incolitis lucis; vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
D *Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ*
Mors media est: certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo! quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, et ignavum est redituræ parcere vitæ..

Quod si in barbaris et fidei rudibus spes immortalitatis tantum potuit; quid mirum, si et in Christianis, et præcipue in martyribus longe plus potuit, qui positis in medio tormentis, illam poetæ illius postremam vereque auream sententiam taciti clamabant, et generoso fine præstabant,

... Ignavum est redituræ parcere vitæ?

Et redituræ quidem multo meliori, quam abierit. Siquidem misera et caduca abiit, beata et sempiterna reditura est.

Quod autem isti veteres bardi plus nimio simplices aliis gentibus haberentur, hinc factum est,

Digitized by Google

ut *bardus* pro simplici et stolido usurpatum sit, non aliis solum, sed et M. Tullio, qui hæc in lib. *De fato :* « Quid Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit et bardum, quod jugula concava non haberet, obstructas eas partes et obturatas esse dicebat. Addidit etiam mulierosum : in quo dicitur Alcibiades cachinnum sustulisse. » Itaque eubages, qui fuisse dicuntur physiologi, similes fuerunt isti Zopyro, quem Physiognomonem appellat ibi Tullius : cujus etiam Græcæ vocis subjunxit significationem. Nota etiam, Ammianum, id quod est apud Strabonem de iisdem eubagibus ἱεροποιοί, *sacrifici*, legisse ἠερόφοιτοι, *aeripetæ*, quandoquidem verterit, *scrutantes summa*, nec ullam fecerit sacrandi mentionem.

Sed quærat hic forte aliquis, quonam pacto dici possint Gallorum druides S. Dionysium esse persecuti, cum ex longo jam tempore essent ab imperatoribus e Gallia relegati? Nam de Claudio scribit Suetonius inter alia : « Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit. » Deinde sunt, qui excisa silva, in qua docere consueverant, tota ejectos Gallia, migrasse in Germaniam scribant : consedisse autem apud Herbipolim, isti vulgati versus divulgant :

Herbipolis druidum quondam celeberrima sedes,
Francigenæ eximios quos coluere viros.
Herbipolis Bacchi et Cereris pulcherrima mater,
Et Mœni decus et filia pulchra senis.

Unde igitur his temporibus in Gallia?

Respondeo, idem fere dicendum de druidibus, quod de magis, sæpe scilicet pulsos, sæpe damnatos, semper tamen fuisse. Secundo, quos aliqui imperatorum damnabant, alios non modo tolerasse, sed etiam in pretio habuisse, ac de futuris eos consuluisse. Fuerunt enim quidam imperatorum 493 magis et hariolis, et aliis hujusmodi vaticinatoribus mire addicti, et quæ sibi successura essent, quos successores habituri, quovis modo cognoscendi longe cupidissimi. Hi magos, hi druidas, hi haruspices tolerarunt, foverunt, auxerunt.

(58) *Ad necem et carnificinam perquisiverant.* Hilduinus in *Areopagiticis :* « Et cum sæpissime, inquit, ab idolorum pontificibus contra eum seditio excitaretur in populis, ita ut plebes innumeræ etiam de vicinis regionibus, cum armis et bellico apparatu, propter fideles, qui jam per illum in Christum crediderant, ad perdendum illum gregatim, ubi ipsum esse audiebant, concurrerent; mox ut illum cernere poterant, ut tanta et ita ineffabiliter in eo lux cœlestis gratiæ radiabat, ut aut omni feritate una cum armis deposita, se illi prosternerent; aut qui compuncti Spiritus sancti dono ad credendum non erant, pavore nimio solverentur, et territi a præsentia ejus aufugerent, miroque modo inermi viro non valebat plebs armata resistere, » etc. Methodius in *Martyrio :* Θαυμάζω δὲ πῶς ἀόπλοις ἀνδράσιν οὐκ ἠδύνατο πληθὺς ἔνοπλος ἀντιστῆναι. *Miror autem quomodo viris inermibus non potuerit armata multitudo resistere.* Ita Methodius. Cujus admiratio ipsa mihi est admirabilis, cum id minime novum sit, ut trepident improbi coram sanctis, partim incutiente illis metum et artus concutiente (nulla etiam ex causa) Deo optimo maximo, partim eos visis quibusdam forinsecus, territante, ut olim Attilam *flagellum Dei* cognominatum, coram Leone I pontifice. Vidit enim alium quemdam sacerdotali habitu Leoni astantem, et mortem stricto gladio minitantem, nisi Leoni obtemperaret. Atque, ut alios omittam complures, quibus similia diversis in ætatibus contigere, an non hisce nostris fere temporibus apud Indos orientales, in ora Piscaria barbari illi, qui ad necem Andreæ Fernando societatis Jesu sacerdoti (qua primum die is eorum transiret municipium) inferendam conspiraverant, iidem ejusdem adventu atque præsentia sic expavefacti sunt, ut hac illac, nullo persequente, diffugerent, atque in latebras, quasi jam jam capiendi sese abderent? Quid quod Julius Mancinellus hac nostra memoria feros atque immanes Turcas sui et Christiani sanguinis sitibundos, cum proxime adessent, ne verbulo quidem prolato, sed præsentia sola atque conspectu ita percellebat permovebatque, ut exuta luporum immanitate, tanquam agni innocui coram illo mites ac perhumani comparerent? Nempe Christus Dominus dux noster, et vitæ mortisque arbiter ut suimet servandi aut inimicis tradendi liberrimam habuit potestatem (qua potestate et quando voluit, et quomodo voluit, usus est), ita varias nobisque incognitas, tam suos ex media morte eripiendi, quam hostes deterrendi, vias et rationes semper quidem novit, usurpat autem cum placet. Hoc vero nostræ sit modestiæ, totum hujus rei arbitrium libenter ei relinquere, atque in ipso confidere.

(59) *Insignis autem Dionysii alacritas.* Hanc Dionysii ad martyrium tendentis alacritatem ejus Vitæ scriptores litteris prodiderunt. Simeon quidem Metaphrastes his verbis : Εἴσεισιν οὖν ὁ γεννάδας ἅμα Ῥουστίκῳ καὶ Ἐλευθερίῳ ἀτρόμῳ διανοίᾳ καὶ πεπαῤῥησιασμένῃ ψυχῇ, ὥσπερ εἰς ἑορτὴν, οὐκ εἰς ἀγῶνα καλούμενος. *Incedit igitur hic generosus una cum Rustico et Eleutherio intrepida mente, et animo confidenti tanquam ad festum non ad certamen vocatus.* Michael autem Syngelus sic illum et socios inter alia prolocutos scribit : Καὶ σπεύδοντες ἐπὶ τὴν τοιαύτην σφαγὴν ἄγαν ἀγαλλόμεθα, ὡς ἀσφαλῶς ἑστεύοντες αὖθις ἀναστήσεσθαι τῆς κρείττονος καὶ μακαριωτέρας καὶ διαιωνιζούσης τευξόμενοι λήξεως καὶ τοῖς ἀκηράτοις στεφθησόμενοι στέμμασι. *Atque ad hanc properantes necem valde exsultamus : ut qui nos resurrecturos, et melioris, ac beatioris, sempiternæque hæreditatis potituros, atque immortalibus redimiendos coronis certo credamus.* O si spes illa (quæ in aliis quoque martyribus appetendi votis omnibus martyrii præcipua causa exstitit) in cunctis mortalium viveret vigeretque animis, quod ferrum, quæ fera, quæ flamma timeretur?

(60) *Se Christi servum esse respondit.* Vide Simeonem Metaphrasten in Vita, ubi eum scribit omisso genere, patria, studiis respondisse, Χριστοῦ δοῦλος εἶναι ὁμολογῶ. *Christi servus esse profiteor.*

(61) *Essetne ille qui populos a deorum immortalium.* Idem omnes fere scriptores Vitæ, Latini et Græci referunt; quos malo, si quis auctoritatis egeat, requiri, quam diutius citandis eorum verbis immorari.

(62) *Clarissimam fidei suæ professionem uno ore ediderunt.* Hanc professionem cum apud alios tum apud Methodium in Dionysii martyrio reperies.

(63) *Ecce Larcia matrona.* Quæ hic dicuntur, exscripserat octingentis abhinc annis Hilduinus abbas ex vetustissimis Actis sancti Dionysii manuscriptis.

CAPUT XIX.

Dionysii et sociorum ejus inclusio, diverberatio, dilaceratio, martyrium.

Longe alia, ut hic est intueri, in facinorosorum judiciis est ratio, quam in causis martyrum (64). Ibi et judices tranquilli sunt, et rei tremunt, hic autem et quæsitores perturbantur, et martyres, in quos in-

Digitized by Google

quiritur, securi sunt. Quippe, istos suorum conscientia scelerum exagitat, et quas meruerunt pœnas identidem sibi observari oculis putant : hi vero nullius culpæ conscii, et suorum benefactorum memores, spe certa præmiorum vel mediis in tormentis recreantur. Hoc in tribus hisce regni æterni candidatis plus ipsa luce dilucet. Nam cum in judiciis præfecti ipsi instar tempestuosi maris, hinc inde variis irarum et furoris perturbationibus contra insontes agitentur ; hi, tanquam res aliena agatur, non sua, nihil judicio, nihil minis, nihil propositis ob oculos tormentis commoventur. Adjudicat 494 illos præfectus diræ verberationi ; illi gratias Deo reddunt ; trahit, raptat, vexat carnifex ; nihil resistunt ; cruciat, clamat, fodicat tortor ; ne gemunt quidem. Et sane pulchrum hic erat et dignum, in quod cœlites omnes, et Deus ipse oculos intenderet, spectaculum. Hic enim stabat senex centum decem eoque amplius annos natus (65), canitie venerabili, modestia, gravitate, mansuetudine singulari : illic fero et truci aspectu lictores ; istic virgæ, secures, catastæ, fidiculæ, equulei, alia crudelitatis instrumenta ; quæritur inter hæc quid habeat senex animi, Christumne abnegando jussis parere imperatoris, et ista evadere terribilia, an imperatori obluctando cunctas subire, quas in oculis habeat, tormentorum acerbitates, et dura intolerandaque omnia experiri. Nihil moræ vir sanctus in re minime dubia facit : *Stat*, inquit, *hæc omnia et majora pro Christo pati. Tantum illo fruar, et omnia in me tormenta veniant.* Jam igitur videre erat istos jam pridem humani sanguinis sitientes tigridum more in senem irruere, immaniter propulsare, vestes diloricare, nudum in medio statuere, virgis omni ex parte concidere, et senile ac effetum corpus nullo respectu dilacerare : illum autem inter diros immanium verberum crepitus, nihil aliud nisi Dei opt. max. laudes quanto maximo affectu celebrare, nisi commilitones ad paria cœli beneficia cohortari : *Laudem Domini*, inquiebat, *loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomini sancto ejus* [o] : *quoniam stigmata passionis Christi perferre dignus habitus sum pro confessione ejus in corpore meo, quæ gloria est vestra, o viri fideles, et dilectissimi fratres. Quocirca nec vos hæc mea tormenta terreant, sed animent potius, atque ad eadem pro nomine Jesu Christi perferenda inflamment.* Sic igitur et unicus, et senex, et nudus, et inermis, tortores multos, et juvenes, et validos, et armatos generose superavit, nec enectam prope verberibus senectam non modo de animi proposito deturbare, sed nec minimum pavefacere fidei baculo innixam, ter terni invicem succedentes potuere barbari lictores. At socios forte vicerunt ? Nihil minus. Atrocissima quidem verberatione et membrorum plurimo sanguine perfusorum cruentatione institerunt, ut fracti aut debilitati quidquam elicerent animi, sed idem et tantumdem a filiis, quantum a patre elicuerunt : nempe fidei hortatus pro gemitu, Dei laudes pro suspiriis : at vero sibi ipsis pro exspectatione confusionem, pro victoria ignominiam. Denique tanquam rebus illa die desperatis retrudi jubent sanctos in carcerem, ut ibi gravissimo catenarum pondere degravati, et loci ipsius squalore ac pædore perdomiti, ad secundum fidei conflictum imbecilliores redderentur. Nempe ignorabant homines impii et inhumani, quo plura Christiani pro Domino patiantur, hoc majora ab illo subsidia impetrare : neque sciebant, eos afflictis corporibus erectos et constantes gerere animos, tantoque ad ea quæ restent sustinenda alacriores, quanto ea quæ prius sustinuerant, essent acerbiora. Nam et hujus rei fecere ipsimet experimentum, cum alia die productum sanctum antistitem, et de sententia, quam teneret, interrogatum, majore etiam quam antehac fiducia respondentem audiverunt : cum et extendi in catastam, direque tam illum quam socios excruciari jussos rupium instar stare immotos conspexerunt. Tum enim omnes uti prius, et verbis gaudium testari, et Deo gratias agere. Quid igitur tandem ? Profertur ferrea crates in medium, ignis copiosus subjicitur, torus flammis excandescit, dejicitur in eum vir sanctus, non enim deponitur : stridentque ustulata membra, sed spiritus semper sibi præsens et renidens, illud Domino suo dulcisonum in mediis ignibus fundit melos : *Ignitum eloquium tuum, Domine, vehementer : et servus tuus dilexit illud* [p]. Deinde et precatur : *Domine Deus, qui dixisti : Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te : quemadmodum mihi prius periculosiorem dedisti cupiditatis ignem ope tua evincere, da et nunc hasce flammas ad tui nominis gloriam superare* [q]. Quid multa ? Adfuit precanti Deus, et votis annuit. Nec flammas tantum fecit ut vinceret sed et ferocissimarum bestiarum, quibus projectus est, rabiem, et ingentia clibani incendia, et membrorum in cruce suffixiones : quæ omnia partim invicta patientia sustinuit, partim salutari signo profligavit, partim prece et fidei prædicatione sibi substerni, et suæ subservire gloriæ jussit. Nam precanti, et crucis signum rugientibus atque in se incurrentibus bestiis objectanti, ipsæ quamvis immanes et efferatæ, coram eo quasi cicures et mansuetæ prociderunt. Conjectum etiam in flagrantissimos æstuantis clibani ardores, fusæ ad Deum precationes omni auro puriorem ac splendidiorem eduxerunt. In crucem denique sublatum, cum ex ea velut e suggestu concionatorem ageret, populumque circumfusum divinis cohortationibus aliorsum, quam quæsitores vellent, pertraheret, e ligno eum refigere, qui affixerant, maluerunt, quam doctoris sapienter incantantis audire sermones : et pædore potius carceris illum enecare, quam tot suppliciorum victorem gloriosum exhibere. Quo tamen in carcerem (is tunc *Glaucini* carcer vocabatur : nunc autem sacellum est ipsius sancti Dionysii, vulgo *S. Denys de la Chartre* appellatum) nec divina defuit gloria : et Dionysii excellens apud Deum gratia præclare emicuit (66). Cum enim in eumdem carcerem non modo bini ejus socii, sed aliorum quoque 495 fratrum bonus numerus cum illo una inclusi essent, ipse omnes ad generose ac fortiter decertandum cohortatus, ibidem ad majus illis indendum robur sacris operari, et cunctos pane illo, sanctorum corda divinitus confortante, reficere constituit. Ecce vero illi raro quodam amoris ac pietatis sensu (angelum potius crederes quam hominem) sacrificanti, atque ad sumendam et cum aliis communicandam immortalitatis escam se accingenti, immensa quædam lux e cœlo affulget, in qua Christus Dominus multa circumcinctus angelorum caterva, omnibus, qui tali viso se dignos præstiterunt, intuentibus, se aris immiscet, et acceptam e sacra mensa hostiam divino pontifici sua manu offert (67), dicitque : *Accipe hoc, chare meus* (68), *quod mox complebo tibi una cum Patre meo, qui mecum est maxima merces tua, et his, qui audierint te, salus in regno meo. Nunc facies fortiter, et memoria tua erit in laude. Dilectio et benignitas quam habes, pro quibuscunque petieris, impetrabis.* Dictu porro incredibile est, quam subito cæcus ille atque obscurus carcer in prælustrem regiam, imo in locum deliciarum, omniumque cœli voluptatum inclusis verterit. Sentire mox cuncti insolitum mentis gaudium : et cupidinem ardoremque mortis in se omnes quam flagrantissimum experiri : robur quoque et fortitudinem seu in membris, seu in animis secum ipsi demirari ; denique cognescere et fateri, ubi Deus præsens sit, ibi robur esse, ibi vires, ibi animos, ibi vitam, ibi delicias, ibi gloriam, ibi gaudium, ibi cœlum. Quibus omnibus (heu dolor !) quam miseri sunt, qui ab illo voluntarii secedentes miserrime se privant ! quanto (Deus bone !) feliciores illi et sapientiores, qui aliis omnibus desputis ac despectis, illa sola quærunt, illis solis student, ad illa sola per ignem, per aquam, per equu-

[o] Psal. CXLIV, 21. [p] Psal. CXVIII, 140. [q] Isai. XLIII, 2.

Digitized by Google

leos, per omnia tormenta currunt, quæ regnum perennemque gloriam pariunt. Aderat jam novi judicii, novi certaminis tempus, educuntur martyres e custodia, sistuntur tribunali, denuo interrogantur, mentemne tandem vexatio illis reduxerit, an in sua etiamnum damnabili persistant amentia: velintne diis immolare immortalibus, et vivere, an vero vitam suavem et honestam cum morte acerbissima atque turpissima commutare. Ast illi multo etiam quam ante animosius, deos exsecrari: et dicere, non se vitam postulare quæ inferat mortem, sed mortem flagitare quæ afferat vitam. Vitam ipsam ecce Jesum Christum; deos autem, quos stulti et cæci colant, deteriores esse morte, illum ad gloriam et immortalitatem ducere, hos ad miseriam et intoleranda inferorum supplicia devolvere. Quibus auditis, exacerbatus supra modum Fescenninus, supremam tandem de eorum obtruncatione profert sententiam. Itaque post repetitam singulorum dirissimam diverberationem, illos ex urbe ad vicinum Mercurii collem abreptos immanissimi tortores per viam sane quam inhumaniter, vexant, tandemque spei plenos et gratias Deo agentes, sæpe optata, sæpe expetita pro Christo morte, resectis hebetata securi capitibus (sic ad acerbiores cruciatus mandatum fuerat) transmittunt ad vitam. Sed de tempore, de loco, de quibusdam aliis vel martyrio conjunctis, vel cum martyrum gloria consecutis paulo amplius est disserendum. Ad hoc igitur intendamus.

NOTATIONES.

(64) *Martyrum.* Græci scriptores generatim tantum quæ ad supplicia attinent, perstrinxerunt; sed Latini, apud quos hi sancti martyres tormenta passi sunt, quod ea velut domestici haberent notiora, pluribus et singulatim sunt persecuti: præsertim Hilduinus abbas, accuratissimus vetustorum actorum explorator, qui fusius ac distinctius, quam quivis alius, ea conscripsit. Quæ autem inibi diversa suppliciorum genera referuntur, compendio innuit Martyrologium Romanum ad diem 9 Novembris illa clausula: « Tandem a præfecto Fescennino, post gravissima tormentorum genera, una cum sociis gladio animadversus, martyrium complevit. »

(65) *Hic enim stabat senex centum decem eoque amplius annos natus.* Nam ad Adriani primum (quo imperante eum occisum probavimus) erat Christi annus juxta Eusebium et antiquos centesimus decimus annus (juxta Baronium vigesimus), ac consequenter Dionysii (qui novem fere annis Christo junior erat) centesimus decimus. Malo enim, et id melius est, Eusebium in Chronologia, et omnes sanctos Patres illius sectatores sequi, quam quemvis alium ab illis discedentem. Non tamen ex eo, quod imperante Adriano occisum Dionysium dicam, accipi velim restricte primo ejus anno occisum, cum satis probabile sit, tertio aut quarto ejus anno id accidisse, atque ita centum tredecim annos natum obiisse (quod ex quibusdam Syngeli locis, quæ capite sequenti proferemus, videtur posse colligi) aut etiam aliquanto serius. Quod addo propter Flavium Dextrum, et Franciscum Bivarium, quorum ille satis innuit, Dionysium vixisse annos centum viginti circiter; hic autem id diserte asseverat. Hic enim commentario 2 ad annum Christi sexagesimum sextum super Dextri Chronico: « Ita S. Dionysius Areopagita, inquit, annum agens centesimum vicesimum occisus est, ut ad annum centesimum tricesimum Domini monstrabimus. » Monstrare autem, vel ejus rei mentionem ibi facere, oblitus est Dexter vero ad annum Christi centesimum trigesimum, 496 et Romæ octingentesimum octogesimum primum hæc scribit: « Sanctus M. Marcellus Eugenius, Toletanorum episcopus, S. Clementis legatus, ad Gallias profectus, causa communicandorum cum Dionysio gravium negotiorum, Tolosæ prædicat, et ejus urbis episcopus creatur post necem S. Saturnini ejus urbis episcopi et martyris. Inde profectus, sciens martyrium S. Dionysii condiscipuli sui, id ille celebrat elegantissimo carmine, et prope Lutetiam a satellitibus Trajani Adriani, cui ipse charus fuit, pro fidei patrocinio jugulatur. »

Ex his igitur adnotatis e regione anni centesimi trigesimi, collegit Bivarius quod supra dixit, Dionysium eodem anno Christi centesimo trigesimo obiisse, ac proinde Dionysii fuisse centesimum vicesimum. Bivario enim videtur Dexter innuere, illo anno passum esse Dionysium, cum dicit: « Inde profectus, sciens martyrium S. Dionysii condiscipuli sui, » etc., quasi nimirum in ipso itinere intellexerit recens occisum Dionysium. Quia tamen non raro idem Dexter multa ad unum annum conglobat, quæ diversis accidere, ita ut non semper facile sit conjicere quid potissimum illo anno factum velit; hinc locus hic (quo tamen nititur Bivarius) in iis quæ attingunt B. Dionysium, non omnino certus est, quia non propter Dionysium allatus est, sed propter sanctum Marcellum. Sic ad annum Christi ducentesimum (uti et in Quæstionibus infra notavimus) hæc habet: « Titus, cognomento Justus, episcopus factus, secutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpentana, ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur, etc. » Ex his omnibus nihil ad citatum annum ducentesimum vigesimum attinet, nisi posterius membrum: *Ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur.* Legerat nimirum Dexter, illo anno celebrem fuisse in Carpetania memoriam miraculorum beatissimi Titi. Quod dum in Chronico suo adnotat, bonum judicavit simul, qualis fuerit Titus, adnotare, licet illa uno ante sæculo accidissent. Ita etiam de Marcello Eugenio, quod dicit, *Clementis legatus*, non ita capiendum est, quasi illo anno centesimo trigesimo factus sit a Clemente legatus, cum Clemens fere triginta ante annis obiisset; sed solum quod veterem Marcelli dignitatem designare voluerit sicut et Titi.

(66) Vide Acta martyrii S. Dionysii apud Hilduinum *Patrologiæ Latinæ* t. CVI, col. 33.

(67) *Hostiam divino pontifici manu sua offert*, etc. Christum Dominum Dionysio apparuisse in carcere, et sacrificanti acceptam ex altari hostiam sua obtulisse manu, Acta vetera continent, et antiquissimi rituales libri, e quibus hi confecti sunt rhythmi, quos nobis Antonius Democharis suppeditavit:

Seniore celebrante
Missam, turba circumstante,
Christus adest comitante
Cœlesti frequentia,
Specu clausum carcerali
Consolatur, et vitali
Pane cibat, immortali
Coronandum gloria.

Qui Democharis etiam addit: « Locus hic carceris, ob hujus perpetuam memoriam, in ecclesiam conversus est, quæ hodie *S. Dionysii a Carcere* dicitur et conspicitur. »

Magnum hoc porro et singulare prorsus beneficium, tantam fuisse Christi Domini in servum benignitatem, ut se illi in carcere forma corporali videndum exhiberet: neque hoc tantum, sed etiam ut nulla urgente tantæ dignationis necessitate, sui sacrosancti corporis et sanguinis sacramentum (quod nullis ante illud tempus, nisi apostolis et discipulis eum fecisse legimus) sua ipsius manu porrigeret. Decebat tamen, ut qui vitam vere ege-

Digitized by Google

rat apostolicam, hocce etiam privilegio frueretur vere apostolico. Scio equidem, aliis quoque post sæculis nonnullos a Christo Domino simili prope affectos honore et beneficio. Nam habent Acta Ambianensis Ecclesiæ, S. Firminum illius populi episcopum, cum ædem supra Firmini martyris sibi cognominis sepulcrum in honorem beatissimæ Virginis construxisset, ibique in die Paschatis festo sacra faceret, Christi Domini dexteram sibi sanctissima mysteria porrigentem conspexisse. De beata idem Coleta, virgine ardentissimæ in Jesum charitatis, refert ejus Vitæ auctor Stephanus Julianus, c. 43, cum sanctissimo refici sacramento percupisset, et ex sacrificantis oblivione consecrata hostia non fuisset, ipsum Dominum Jesum suis manibus pretiosissimum corpus suum ei obtulisse. Vir item venerabilis Jacobus de Vitriaco loquens de claris Leodiensibus feminis, in Prologo ad Vitam S. Mariæ Œgniacensis (erat enim Leodii tum archidiaconus, postea autem episcopus, primo Aconensis, deinde Tusculanus, postremo S. R. E. cardinalis) ad Fulconem episcopum Tolosanum ita scribit inter alia : « Novi ego quamdam in iis sanctis feminis, cui, cum ingenti veri illius Agni carnes edendi desiderio tenerctur, ipse Agnus se impertlit, non A ferens diutius illam languere, atque ex ea refectione illa convaluit. » Plura in sacris Historiis, aut sanctorum Vitis ejusmodi liceat reperire exempla; sed tam augustum, et tanta cum luce, et cum tam numeroso tamque aspectabili angelorum comitatu, quam B. Dionysio, hactenus nullum.

Verum, ne id excidat, ille idem lapis sacer, super quem in carcere S. Dionysius rem divinam faciebat, translatus fuisse dicitur ad cœnobium S. Petri Broniensis in Leodiensi situm ditione. De quo ita Ægidius Aureæ vallis, apud Anselmum, *De gestis Stephani episcopi Leodiensis*, cap. 40 : « Nam reliquiæ S. Leodegari episcopi et martyris, et lapis super quem B. Dionysius sacrum mysterium celebravit in carcere, cum Dominus Jesus apparuit eidem dans illi sacramenta, in dicto cœnobio dicuntur esse translata. » Sic ibi.

(68) *Accipe hoc, chare meus*, etc. Verba hæc Christi ad Dionysium prolata etiam apud Hilduinum abbatem reperies. Neque dissimilia apud Dionysium Rickelium, lib. IV *De novissimis*, art. 59, sub medium : « Denique, inquit, divino et magno Dionysio Christus in carcere apparens, suumque corpus tradens, « Accipe, ait, hoc, chare meus, quoniam merces tua apud me magna est valde. »

B

497 CAPUT XX.

Martyrii tempus, locus, et alia his adjuncta, auditque mirabilia.

De tempore et imperatore, quo B. Dionysius terris excessit, non est omnium, aut potius non fuit, una eademque sententia. Nam ad Adrianum imperatorem plerosque omnes nunc inclinare, aut certe inclinaturos equidem credo et spero. Fuerunt igitur hactenus, iique non pauci, qui imperante Domitiano (69); fuerunt et nonnulli, qui Trajano (70), fuerunt et tertii qui Adriano Trajani successore Dionysium, obtenta palma, emigrasse dicerent et confirmarent : inde scilicet, nata diversitate, quod primis a Christo temporibus Acta martyrum memoria magis quam scripto continerentur : quoniam Christianis per illas persecutionum procellas potius vacabat fortiter rem gerere, quam gestam eleganter conscribere. Quo factum est, ut cum memoria multo sit factorum retinentior, quam nominum, in oblivionem nomina iverint, facta ad hoc ævi perennarint. Longe post autem, cum etiam scriptis mandari cœpta sunt acta, fuit historicis tanto post intervallo ad temporum notas, et ad imperatorum nomina conjecturis adnitendum. Quæ, cum sint ex ingeniorum varietate variis variæ, hinc quidam, ut ad res Dionysii ventum est, considerata hinc tormentorum, quæ passus est, acerbitate, illinc ejus ætate, quam ad Domitianum pervenisse nullus dubitaret, idcirco martyrii tempus ad Domitiani tempora retulerunt. Alii vero conjectis in alia oculis, et Dionysii ipsius peregrinationes et scripta diligentius rimati, repererunt saltem ad Trajani eum tempora pervenisse. Tertii denique, cum ipsius martyris veteres memorias, tum alia priscorum de illo antiquissima perscrutati monumenta fidis vestigiis etiam ultra progressi sunt, et Dionysium egisse obiisseque vitam Adriano imperatore deprehenderunt, posterisque tradiderunt. Ita veterrimi concinnator Martyrologii (71), ita venerabilis Beda (72), ita Ado Viennensis episcopus, ita secundum illos et alii fecerunt, et nos fecimus. Nam et Aristidem, eximium illum sæculi scriptorem, ipsius Dionysii martyrium Adriani consignasse temporibus, jam olim compertum est. Quare, ut rem concludamus, anno Christi circiter 121, Adriano imperat., Fescennino præfecto (73), victis in justo fidei certamine hostibus, egregia martyrii laurea donatus est Dionysius Areopagita, Athenarum episcopus, Galliarum apostolus, totius Occidentis legatus, utriusque hierarchiæ, cœlestis et ecclesiasticæ, ac divinorum nominum descriptor et interpres eximius, theologorum secundum apostolos et evangelistas dux et antesignanus : qui ætatem vixit (uti et magnorum virorum illo ævo complures) longam juxta et sanctam : nempe annos amplius centum decem (74). Quam etiam ætatem eodem ipso sæculo transcendit B. Simeon Hierosolymorum episcopus, et Christi cognatus : quem centum ipsos viginti annos exegisse, et gloriosam in tam grandi ævo martyrii coronam reportasse, certum est : ut proinde quod de Dionysio affertur, haud ita mirum videri debeat; cum de isto id quod minus probabile videri poterat, nullo dubitante teneatur. Hoc de tempore; nunc de loco, nobilitatis enim ei facta accessio exigit stylum. Locus igitur, ubi tres illi generosi athletæ victoriam et gloriam adepti sunt, colliculus fuit urbi Parisiensi imminens, olim Mercurii (quoniam illic Mercurius honore præcipuo coleretur (75) ab indigenis ita vocitatus : sed consequentibus temporibus, propterea quod horum atque aliorum item martyrum multo sanguine respersus et quasi consecratus fuerit, *Mons martyrum*, et lingua patria, *Montmartre* vulgo est appellatus : hodieque ad perpetuam inclytorum martyrum memoriam ea perseverat appellatio. Quo in loco (res sane nova, et ut olim visu, sic et nunc dictu admiranda) Dionysii martyris truncus (76), licet exsanguis et vitæ expers, tamen se erexit, et recisum ab humeris caput (sic est antiqua traditio, et sic complures litteris prodidere) in manus suas, perinde ac si viveret, trophæi instar accepit, atque ad duo circiter Gallica milliaria, duce angelo, et choris cœlestibus cum admirabili concentu comitantibus, et hymnum, modo *Gloria tibi, Domine*, modo *Alleluia* resonantibus, tam diu deportavit, donec ad locum ubi nunc situs est, et sui nominis urbem et cœnobium habet, pervenit; atque in nobilis matronæ fundo (Catulla ei nomen fuit [77]) quasi se illi daret, requievit. Diffugere extemplo infideles tanto territi prodigio, et ne fors sibi fraudi tanta artis magicæ, ut vocitabant, efficacia exsisteret, permultum formidare : Christiani vero, et quos melior agebat spiritus (inter quos et Larcia Lisbii uxor fuit) divinam admirari et celebrare virtutem atque potentiam. Unde multi antehac a religione alieniores, manus Christo dedere, principesque inter illos jam dicta Larcia propalam se Christianam professa, ideoque comprehensa et enecta, effuso in vicem baptismi sanguine, numero sancto-

Digitized by Google

rum martyrum est aggregata. Sacrum vero Dionysii depositum Catulla ejusdem martyris discipula diligenter custodivit; nec eo solo contenta, **498** studuit etiam duorum commilitonum Rustici et Eleutherii sacra corpora, quæ impii satellites in Sequanam projicere deliberaverant, vel prece, vel pretio, vel etiam astu obtinere. Nam satellites mensa exceptos (78) large hilariterque haberi jussit, dato interim certis fratribus mandato, ut istis compotatione occupatis, eadem corpora clandestino subrepta in tuto absconderent. Quod ab illis impigre quidem factum; sed cum remota mensa, remota etiam cadavera nimis in hoc uno sobrii satellites animadvertissent, eaque tumultuosius identidem reposcerent, adeoque nisi actutum redderentur, minas intentarent, fuit ut modo clusa vigilantia poculis, sic nunc iracundia pecuniis elidenda. Ergo aurum objecit, et pretiosiora quovis auro sacra pignora retinuit. Ita Christiani tam sanctarum exuviarum compotes facti, eas deinceps, ut præcipuum ac singulare in duris adversisque rebus perfugium habuerunt. Digressis enim barbaris, rebusque jam satis salvis, eadem sacra cimelia ad tertiam Octobris (ut Græci scriptores adnotarunt) ab eadem Catulla commodo in loco sunt deposita, miraculis ibidem tanquam e fonte jugiter scaturiente affatim manantibus. Ipse etiam Catullæ ager, seu laudatus sepulturæ martyrum locus, in feminæ honorem Catulliacus (79) posteris est dictus, præsertim postquam ædicula beatis martyribus ibidem loci constructa, frequenti populo celebrari cœpit. Hanc ædiculam primitus dedicasse memoratur S. Regulus Arelatensis episcopus, tali occasione: illi die quadam (80) in urbe sua sacris operanti, atque ad ea sacri canonis verba, ubi sanctorum vita defunctorum fit memoria, progresso, excidit præter morem et intentionem, ut aliis recitatis nominibus adjiceret: *Et beatis martyribus tuis Dionysio, Rustico et Eleutherio:* cujus extemporalis nec voluntarii additamenti admiratione tactus, cum penderet aliquantisper animi, ecce illi visum novum et insolens ternæ oculis obversantur columbæ cruci altaris insidentes, quæ trium illorum martyrum nomina in pectoribus sanguine inscripta præferebat, *Dionysii, Rustici, Eleutherii:* quas fixo parumper obtutu contemplatus, demum ternos illos athletas, sancto suggerente Spiritu, palmam assecutos martyrii (nec enim aliunde id acceperat, et recens res erat) retexto ænigmate intellexit. Tum vero incitari animus ad petendum Parisios, ibique super martyrum certamine atque exitu magis particulatim cognoscendum: perque opportune tum evenit, ut non procul Lutetia cum abesset, in ipsam Catullam inciderit, et si quid de nece hominum nuper occisorum inaudisset, interrogaverit. Illa enim Christianum, uti erat, ex modestia et habitu et sermone suspicata, petiit Christianusne esset? illoque, quod verum erat, confitente: « Num etiam, inquit, ex amicis et familiaribus es Dionysii et sociorum ejus Rustici et Eleutherii? » tum ille obortis ad eorum nomina lacrymis: « Plane, inquit, ex illis sum, et esse glorior. » Tum igitur ipsa quoque illorum se discipulam aperiente (81-82), mutuæ congratulationes, amica colloquia, perbenigna hospitalitas; denique non posse satiari, nec ille, nec illa, de Dionysii rebus: illo, quæ prioribus temporibus alibi fecerat, referente; hac autem, quæ proxima persecutionis procella tulerat, memorante. Qui etiam inter alia de die martyrii et de tempore visionis inter se conferentes, in unam eamdemque lucem utraque incidisse compererunt. Postquam autem, quæcunque Regulo in votis erant, bona femina indicasset et commonstrasset, tum etiam atque etiam ipsum rogavit, uti longiorem apud se moram faceret, se enim, quamvis a B. Dionysio nonnullam accepisset rerum sacrarum agnitionem, primaque fidei rudimenta quadamtenus attigisset, tamen præcipuorum mysteriorum rudem ignaramque adhuc esse, quorum magnopere desideraret ipso magistro ampliorem notitiam. Cui vir sanctus, ut beneficium beneficio repensaret, ejus instruendæ gratia dies aliquot inibi est commoratus: quo etiam tempore constructam ab ea ædiculam, materie quidem et spatio humilem atque exiguam, sed repositis in ea tantorum martyrum pignoribus nobilem imprimis atque augustam, eorumdem sanctorum honori, ut ante attigimus, consecravit. Atque hæc prima omnium S. Dionysio et sociis sacratarum ædium fuit. Posteris vero temporibus alia quoque ad beatiss. Dionysii memoriam in eodem Parisiensi tractu condita sunt sacraria, locorum scilicet ubi conclusus, ubi tortus, ubi obtruncatus fuit, æterna monumenta, quorum primo nomen datum est, *S. Dionysii de Carcere*, vulgo *S. Denys de la Chartre*; secundo, *S. Dionysii de Passione*, vernacule autem, *S. Denys du Pas*; tertio, *Sacellum martyrum*, Gallice, *la Chapelle des Martyrs*. Et duo quidem priora in urbe ipsa Lutetia, postremum autem in conspectu urbis, sive in *Monte martyrum* (de quo supradictum est) visitur. Et hæc quidem antiquissima; aliis de autem recentioribus et magnificentioribus post dicetur (83): nam quædam alia, quæ hoc Dionysii sæculo contigere, ac præsertim ejus discipulorum labores et fructus, nonnullæque ipsius martyris post mortem apparitiones, prævertendæ sunt.

—

499 NOTATIONES.

(69) *Qui imperante Domitiano.* Hilduinus, Methodius, Metaphrastes, et quidam alii ascribunt martyrium Dionysii Domitiano imperatori. Quod stare nullo modo potest, ne ex ipsorum quidem, si modo sibi in aliis constent, sententia. Nam si admittant, uti admittunt, epistolam, quæ ad sanctum Joannem apostolum in Patmo exsulantem missa est, germanam esse Dionysii, et spiritu prophetico scriptam, in qua dicit propediem eum ab exsilio reversurum, et cum illo una se communicaturum (quod fieri non potuit, nisi mortuo Domitiano, et Nerva aut Trajano imperante), nullo sane modo dici potest mortuus esse Dionysius sub Domitiano. Erroris porro causam dedere antiqua sanctorum scripta, quæ olim sine certis temporum aut impp. notis (ut hodieque plurima) posteritati tradita sunt. Posteriores autem, rebus haud satis exacte dispectis, probabiles, ut existimabant, secuti conjecturas, imperatorum nomina et persecutiones adjecerunt, et interdum hallucinati sunt.

(70) *Fuerunt et nonnulli, qui Trajano.* Ad Trajani tempora retulerunt Dionysii martyrium, e A Græcis quidem, Michael Syngelus, et Suidas, e Latinis autem quædam Martyrologia, et nominatim quod jussu Gregorii XIII editum fuit. Quod ita habet, septimo Idus Octobris: « Lutetiæ Parisiorum, natalis sanctorum mart. Dionysii Areopagitæ episcopi, Rustici presbyteri et Eleutherii diaconi: ex quibus Dionysius ab apostolo Paulo instructus credidit in Christum, atque ab eo baptizatus, primus Atheniensium episcopus est ordinatus; deinde Romam veniens, a B. Clemente Romano pontifice in Gallias prædicandi gratia directus est; et ad præfatam urbem deveniens, cum ibi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tandem a præfecto Fescennino, sub Trajano imperatore post gravissima tormentorum genera, una cum sociis gladio animadversus martyrium complevit. »

Syngeli verba sic habent: Ὅθεν ἡ ὑπόπτερος φήμη πανταχόσε θέουσα τὴν πανεύφημον αὐτοῦ προστηρίαν ταῖς Τραϊανοῦ τραχυτάταις ἀκοαῖς ἐνήχησε, etc. B *Unde velox fama quocunque discurrens clarissimum ejus nomen* (Dionysii scilicet) *asperrimis Trajani auribus insonuit*, etc.

Digitized by Google

Suidæ autem sunt hæc : Ὁ τοίνυν θεοφάντωρ Διονύσιος ἤδη που μακρὸν ἐλάσας χρόνον, καὶ πλήρης ἡμερῶν γεγονὼς τῶν τοῦ πνεύματος, μαρτυρίῳ τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ τελειοῦται ἐπὶ Τραϊανοῦ Καίσαρος, ὅτε καὶ ὁ θεοφόρος Ἰγνάτιος τὸν τῆς ἀθανασίας διήθλησεν ἀγῶνα. *Igitur Dei interpres Dionysius valde provecta jam ætate, et spiritualium dierum plenus, martyrio pro Christo consummatur sub Trajano Cæsare, quando et deifer Ignatius certamen immortalitatis decertavit.* Obiisse tamen sub Adriano, probabilius est. Et præter argumenta Baronii, allata anno Christi centesimo nono e variis martyrologiis et præsertim Adonis et Bedæ, bina affero nova : unum e vetere Rom. Martyrologio, quod Baronius diu optatum reperire non potuit : post ejus vero mortem reperit et edidit noster Heribertus Rosveydus : alterum e Fl. Lucio Dextro, cujus Chronicon post ejusdem Baronii obitum, abhinc tantum biennio prodiit.

Itaque illud vetus Romanum Martyrolog. ad v Nonas Octobr. sic habet : « Athenis, Dionysii Areopagitæ sub Adriano diversis tormentis passi. » Ubi ad τὸ *Athenis* subauditur, « celebratur memoria, seu dies natalis, » ut supra docui, et evidenter ostendo quæst. 11 adversus illos, qui existimabant τὸ *Athenis* connectendum esse cum *passi*. Unde et mihi in hoc dederunt manus qui ante adversabantur. Flavius Dexter autem in Chronico ad annum Christi 130, Romæ vero 884, ubi tempora persequitur Adriani imperat., scribit sanctum Marcellum Toletanorum episcopum ex Hispania in Gallias ad Dionysium esse profectum, atque antequam Parisios perveniret, de ejus martyrio intellexisse, atque illud carmine elegantissimo celebrasse. Unde colligit Franciscus Bivarius, Dionysium non tantum Adriano imperat. martyrium obiisse, sed etiam 120 annos vixisse. Nos prius illud tanquam certum admittimus, alterum autem non admittimus ; eo quod Dexter in suo Chronico (ut superiori quoque capite indicavimus) non restricte per singulos annos procedat, sed jam dues, jam plures intermittat, resque interdum non hoc illove anno, sed *sub hæc tempora*, aut *per idem tempus*,, accidisse scribat, ut ex ejus textu liquet, et fatetur Bivarius. Sic enim ab anno Christi 76, mediis omissis, ad 86 transit : et ab anno Christi 112 transit similiter ad 115, propterea, inquam, alterum de annis 120 Dionysii haud admittimus tanquam certum.

(71) *Ita veterrimus concinnator Martyrologii.* Hlius nempe, quod vulgo *Vetus Romanum Martyrologium* appellatur, cujus verba paulo ante sunt producta.

(72) *Ita venerabilis Beda.* In suo enim Martyrologio ad 3 Octobris sic habet : « Natale S. Dionysii Areopagitæ, qui ab apostolo Paulo instructus, credidit Christo, et primus Athenis ab eodem Apostolo episcopus est ordinatus, et sub Adriano principe post clariseimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera glorioso martyrio coronatur. »

Post quæ verba adduntur hæc in Adonis Martyrologio, eadem die : « Ut Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis, testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, et inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur, ut peritiores Græcorum affirmant. »

Et his quidem simillima nunc leguntur in vetere Romano. Nec refert, quod rursum die nono ejusdem mensis, quasi de alio, ejus martyrium conjungant cum SS. Rustico et Eleutherio. Nam quo id modo acciderit, explicui infra quæst. 11.

(73) *Fescennino præfecto.* De hoc præfecto consentiunt Martyrologia, Romanum, venerabilis Bedæ, Usuardi, 500 Adonis, et aliorum, ad diem nonum Octobris. E quibus Beda et Ado addunt « Sisinnio. A præfecto, inquiunt, Fescennino Sisinnio. »

Recensetur autem Sisinnius in Chronico Alexandrino inter consules, imperante Adriano, olympiade CCXXVIII, ind. XV, anno Adriani 27, ita ut valde sit probabile, unum eumdemque esse (præsertim tam concordi tempore) istum Sisinnium cos. et nostrum Fescenninum.

Accedit de Fescennino aliud e Romano Martyrologio ad diem 11 Octobris indicium, quod scilicet sanctum Nicasium et socios in pago Vilcassino sub præside Fescennino passos esse dicat. Atqui iste Nicasius, de quo hic sermo, primus fuit Rothomagensium episcopus, qui et a Clemente pontifice in Gallias missus prædicatur. Vide Democharem in catalogo episcoporum Rothomagensium, lib. *De divino missæ sacrificio*, cap. 20, et Notationes Baronii in Rom. Martyrologium ad dictam diem. Quare si tempora Fescennini cum temporibus sancti Nicasii Rothomagensium apostoli congruunt, et Nicasius ætate Clementis papæ vixit, et ab eo in Gallias missus est, nihil propius fidei apparet, quam utrumque, tam Dionysium quam Nicasium, eadem tempestate et eodem imper. et eodem præfecto martyrium obiisse : præsertim cum de alio ejusdem nominis præfecto aut præside posterioribus sæculis (quæ satis diligenter indagavimus) omnino nihil sonent, neque Martyrologia, neque sacræ Historiæ.

Adde Francisci Fevardentii, viri egregie docti, auctoritatem, qui de primis apostolorum discipulis in varias Galliarum partes distributis, ad librum primum sancti Irenæi Lugdunensis episcopi, cap. 3, notat. 3, strictim ejus meminit ; ubi aliis multis recensitis, ad extremum hos adjicit : « Superioribus quoque, inquit, beatus Clemens adjunxerat Nicasium, Taurinum et Exuperium : quos Rothomagenses, Ebroicenses et Bajocenses, ut apostolos et pastores magna alacritate receperunt. »

Ad Exuperium porro quod attinet (nam de aliis jam est dictum, partim hic, partim superius) Robertus Cenalis, episcopus Arboricensis, lib. II *De re Gallica*, perioche 4, dum describit agrum Belocassinum (sic vocat, quem alii *Vilcassinum* aut *Velocassinum* appellant, cujus præcipua civitas est Bajocæ) undecim recenset ejusdem civitatis episcopos numero sanctorum ascriptos, qua in recensione sic incipit : « Exuperius totius regionis apostolus, D. Clementis discipulus. » Et paulo inferius de ejus ætate ita subdit : « Apostolico functus est officio D. Exuperius anno a parta salute quarto ac nonagesimo, collega usus D. Reverentio. »

Ne quis vero Nicasii nostri ætatem calumnietur, atque ad posteriora tempora detrudi velit ; propterea quod aliquem Nicasium circa persecutionem Wandalicam pro fide percussum legat, noverit illum non Rothomagensem, sed Rhemensem fuisse episcopum, et trecentis prope annis nostro posteriorem. Nam nostri a sancto Clemente in Gallias missi, etiam Chronologia archiepiscoporum Rothomagensium, opus Joannis Dadræi posthumum, commeminit, ubi et isti allegantur Vitalis de illo versus :

Antistes Rothomæ datus a Clemente, Nicasi,
Si non sedisti, caput at legando stetisti.

Quibus indicatur, non pervenisse ipsum ad sedem suam episcopalem, sed in itinere interemptum caput eis reliquisse, ac per illud quasi per principem corporis sui partem Rothomagi constitisse.

(74) *Nempe annos amplius centum decem.* Consequitur hæc ætas ex eo, quod supra probatum sit obiisse Dionysium imperante Adriano, cujus initia imperii inciderunt in annum Christi 119 ex recensione Eusebii, ac consequenter Dionysii 110, et aliquanto amplius. Nec enim Christus Dominus totis novem annis Dionysium antecessit : siquidem anno Christi 33 erat Dionysius annorum viginti quinque.

Multum porro huic sententiæ de tam longæva aut etiam longiore Dionysii ætate favent Michael Syngelus et Nicephorus Callistus : hic quidem lib.

Digitized by Google

in *Historia eccles.*, cap. 20, dum scribit, multos annos eum fuisse in Occidente, et εἰς βαθὺ γῆρας, *ad profundam senectutem*, pervenisse. Profunda autem senectus ea vocatur, ad quam a paucissimis pervenitur, quæ et extrema appellari solet, propterea quod qui in profundo est, non habeat quo ulterius tendat. Michael Syngelus vero ita in extremo *Dionysii Encomio* inter alia : Οὕτως ὁ τῶν θείων ἀγώνων ἐμπειρότατος πρεσβύτης, καὶ βαθὺ καὶ πόνοις εἰσελήλακὼς γῆρας, πρὸς τὴν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ μακαριωτάτην προσιτηδήσας σφαγὴν, etc. *Sic ille divinorum certaminum experientissimus senex, atque ad profundam et meritis fecundam progressus senectutem, ad beatissimam pro Christo mortem prosiliens*, etc. Sed idem clarius et expressius, cum dicit Dionysium septuaginta annos in cursu apostolico seu Evangelii prædicatione posuisse. Quibus si addideris annos 40 ante ipsius ad Christum conversionem (tot enim minimum fuerunt) invenies totius ætatis annos centum decem.

Quare observandum est, Baronium tomo XI *Annalium*, anno Christi 119, errore lapsum in reprehensione Syngeli, dum existimavit illum numerare tantummodo septuaginta annos ætatis sancti Dionysii. Nam hoc minime facit Syngelus; minime gentium. Quomodo enim id faceret, qui eum ad extrema persecutionis Trajani pervenisse scribat ! Verum omissis ætatis annis, de annis tantum agit quos in Christiana vita et cursu apostolico, ut ipse vocat, transegit.

Quod, ut magis constet, probabitur ex ipsius Syngeli verbis, duobus in locis. Prior locus in *Dionysii Encomio* est talis : Ὁ μακάριος τοίνυν καὶ τρὶς τοῦτο καὶ πολλάκις Διονύσιος ἐπὶ ἑβδομήκοντα ἔτη χρόνον, διὰ μυρίων ἐνειδισμῶν καὶ πειρασμῶν καὶ πολέμων, καὶ κινδύνων, καὶ τῶν συντρόφων φιλοσόφων, μᾶλλον δὲ ἀσόφων, διεληλυθὼς, etc. *Beatus igitur, et terque quaterque beatus Dionysius ad septuaginta annos per mille opprobria et tentationes et bella et pericula, tam a suis popularibus et ejusdem aliquando religionis, et simul educatis philosophis, aut insipientibus potius, transgressus*, etc. Quæ verba de annis ætatis accepit Baronius, cum id verba non sonent, sed magis contrarium innuant, nempe tempus, quod in Christi servitio multa inter opprobria, pericula, adversa transegit. Quod ex verbis paulo post subsequentibus, liquido confirmatur, ubi dicit Dionysium peregisse duplum S. Pauli cursum: **501** Sic enim habet : Καὶ δραμὼν δρόμον διπλασίονα τοῦ ἂν Παῦλος ὁ πολύαθλος καὶ οὐρανοδρόμος δεδράμηκεν. *Et qui duplum ejus cursum percurrit, quem Paulus multorum expertus certaminum, et ad cœlos usque provectus cucurrit.* Atqui S. Joannes Chrysostomus in Homilia *De principibus apostolorum Petro et Paulo* scribit, cursum et certamen S. Pauli fuisse 35 annorum : cui et si alios 35 addideris, juste 70 efficies, hoc est duplum cursum Dionysii : tot enim illi annos laborum tribuit Syngelus, ut jam videbitur. Alter locus igitur in eodem *Encomio*, sub finem, est ejusmodi : Τίς οὖν τὸν ἐν ἔτεσιν ἑβδομήκοντα τὴν ἀποστολικὴν ὁδεύσαντα τρίβον, καὶ Σωτῆρα Χριστὸν κηρύξαντα, etc., ἀξίως θαυμάσειεν; *Quis igitur eum, qui annos septuaginta viam triverit apostolicam, et Salvatorem Christum prædicarit, digne admiretur ?* Quem locum si Baronius attendisset, simulque de duplo cursu accuratius perpendisset, nunquam, opinor, dixisset videri sibi hallucinatum Michaelem Syngelum, imo eum avide pro sua sententia arripuisset (cum ad eam plurimum faciat) uti et illum arripuit, quo scripsit Syngelus Dionysium ad extrema Trajani tempora pervenisse, sive, ut alibi est in Græco, πρὸς τῷ τοῦ διώκτου τυραννίδος πέρατι, *ad finem tyrannidis persecutricis*. Duravit autem et post ipsum Trajanum incitata persecutio, nec successor Adrianus initio imperii vel exstinxit, vel repressit, sed redaccendit potius et laxavit. Assentior enim Baronio hæc de illo scribenti : « Tantum abest ut persecutionem in Christianos jam a Trajano excitatam Romæ compesceret, ut acrius atque acerbius instaurarit. » Et infra : « Adrianus igitur ipso in imperium ingressu, etsi erga omnes Romano subjectos imperio optimum principem, tamen in Christianos exhibuit se Phalaridem. »

Unde conciliari duæ sententiæ de tempore martyrii sic possunt, ut et sub Adriano cæsus dicatur S. Dionysius, et in persecutione Trajani nempe a Trajano inchoata, ab Adriano promota.

(75) *Quoniam illic Mercurius honore præcipuo celeretur.* Ita cultum fuisse Gallis Mercurium, auctor est ipse Julius Cæsar, lib. VI *De bello Gallico*, his verbis : « Deum, inquit, maxime Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra : hunc omnium inventorem artium ferunt : hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc, Apollinem, et Martem, et Jovem, et Minervam. » Ita Cæsar. Ubi nota, *Deum maxime*, id est e diis maxime, *Mercurium colunt*. Esse enim casus gignendi, indicat vetus interpres Græcus, qui ita legit et vertit : Πάντων δὲ τῶν θεῶν τὸν Ἑρμῆν περισσότατα σέβουσι. *Ex omnibus diis maxime colunt Mercurium.* De Mercurio est etiam illa Tertulliani auctoritas, in Scorpiaco, *adversus Gnosticos*, c. 7 : « Sed enim, inquit, Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud sæculum liquit. » Nota *liquit* præteritum esse a *liquet*, id est constitit. Mentio item hujus nefarii cultus exstat apud Minutium Felicem in *Octavio*, sub initium. « Inde adeo, inquit, per universa imperia, provincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, et deos colere municipes, ut Eleusinos Cererem, Phrygas Magnam matrem, Epidaurios Æsculapium, Chaldæos Belum, Astarten Syros, Dianam Tauricos, Gallos Mercurium, universa Romanos. »

De Martis autem cultu testantur vetera sanctorum Acta, e quibus hæc desumpsit Vincentius Bellovacensis in *Speculo hist.* lib. X, c. 27 : « Hi sancti viri a B. Clemente directi, apostolica benedictione roborati, et Spiritus sancti amore succensi, Dominici ruris fideles agricolæ, barbaricis pectoribus verbum Dei inferentes, Arelatensium venerunt ad urbem, tantamque gratiam sanctis suis largitus est Dominus, ut eorum prædicationi plebs Arelatensis nullo modo resisteret, sed Evangelium Christi devotis suscipiens mentibus, Conditorem omnium fideliter adoraret. Erat enim ibi maximæ venerationis templum, in quo Martis statua ab omnibus colebatur. Quam B. Dionysius nullo hominum labore, sed divini nominis invocatione confregit, et eliminatis soliti cultus spurcitiis, ad regenerandum populum Dei, baptisterium ibi fieri præcepit : ipsum vero templum, sub veneratione beatorum apostolorum Petri et Pauli ecclesiam consecravit. » De Heso et Theutate, diis itidem Gallorum, eorumque cultu, vide in *Historia deorum*, syntagmate 17, sub finem.

(76) *Dionysii martyris truncus*, etc. Simeon Metaphrastes : Ἔφερεν οὖν τὴν κεφαλὴν καθάπερ τι τρόπαιον ἐπὶ τῶν χειρῶν, etc. *Ferebat igitur caput in manibus, quasi tropæum aliquod.* Idem refert Methodius : Καὶ γὰρ τῇ μακαρίᾳ χειρὶ ἑαυτοῦ τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ὑπὸ τῶν ἀνόμων τῷ ξίφει ἀποτμηθεῖσαν ἔλαβε, etc. *Etenim beata manu caput suum a corpore ab hominibus nefariis gladio præcisum accepit.* Vide apud eosdem plura, et fuse apud Hilduinum.

Eadem de re Hugo a S. Victore lib. IV *De vanitate mundi*, sub finem : « Dionysius Areopagita, inquit, accepto mandato Galliam penetravit, et pugnans, ut vinceret, prævaluit stabilire leges in terra. Ipse enim, ut ostenderet viam vitæ, propter testimonium veritatis, verbum sanguine consecravit : et ne mors vitam hæreditaret, in mortuis vi-

Digitized by Google

tæ signum faciens, caput manibus bajulavit occisus. » Ita ille.

Nec silenda est hoc in loco Cælii Rhodigini de eodem miraculo pietas insignis et fides. Is lib. III *Lectionum antiquarum*, ejus ita meminit : « Scribunt et Christianæ veritatis assertores celeberrimi, Dionysium Areopagitam martyrio coronatum, posteaquam resectum illi caput est, aliquandiu progressum, suum sibi caput bajulantem. Scio, ridebunt hoc philosophi tanquam parum constanti veritate dictum, nos autem Christi Salvatoris infinitæ potentiæ id ascriptum volumus verissime ac sincerissime. » Ita ille.

Feruntur et alii martyres non pauci sua eodem modo capita tulisse, atque inter primos sub ipso Nerone affectus martyrio S. Ursicinus medicus : cujus sanctum cadaver sese humo erexisse, caputque ambabus manibus apprehensum, ad locum, ubi sepulturæ mandandum erat, detulisse, a plerisque (ut scribit Hieronymus Rubeus lib. I *De gestis Ravennarum*) memoriæ proditum est. Aliqui etiam addunt ex ejus collo tres palmæ ramos enatos. De S. Jone Dionysii discipulo notavi cap. 21 *Vitæ*. De S. Lamberto agricola Cæsaraugustæ in Hispania martyrium passo, testatur Flavius Lucius Dexter ad annum Christi 300, Romæ vero 1051, ubi de Cæsaraugustæ agens martyribus : « Item, inquit, ibidem S. Lambertus, qui succisum caput manibus importans, angelo duce SS. martyrum numero sociatus. » Sic ibi. Fuit is Lambertus homo agricola, servus cujusdam infidelis, a quo accusatus, et fidei causa in ipso agro, **502** ubi boves agebat arantes, capite plexus, illud manibus suis exceptum detulit usque ad cæterorum martyrum sepulcra, illicque illum psalmi versiculum pronuntiavit : *Exsultabunt sancti in gloria*, cui succinentes alii martyres subjunxerunt : *Lætabuntur in cubilibus suis* [r]. Vide Vasæum in Chronico, et *Florem sanctorum Hispaniæ*.

De S. Eliphio martyre sub Juliano Apostata, sic scribit Rupertus Tuitiensis, in ejus Vita, cap. 12: « Martyris quippe corpus erexit se per virtutem Christi, et ambabus amplexum manibus caput suum, per unum milliare, comitantibus utique angelis, et Christum collaudantibus, deportavit. Deinde subiit in montem ipsum, et ibi lapidem colore album, situ planum inveniens, sedit super eum ; protinusque duritia lapidis officiose cessit pio martyri. Etenim, quasi cera bene mollis, insidenti gremium aperiens, concavum subsellium præbuit, secuturis memorabile sæculis. Unde hactenus mons ille, *mons* dicitur *S. Eliphii*. » Ita Rupertus.

De S. Oriculo martyrium passo in persecutione Wandalica, qui abscissum caput in fonte lavit, atque ad sepulcrum, quod sibi paraverat, detulit, videndus est Flodoardus lib. I *Historiæ Rhemensis*, cap. 8.

De Severino Boetio, illustri scriptore, ita Julianus Martianus in ejus Vita : « Ticini incolæ semper a majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cum regius speculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse, interrogatumque a quonam se percussum existimaret, Ab impiis, respondisse : atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra percepisset, paulo post exspirasse. Exstinctus divinos honores a nostris consecutus est, quod pro catholicis contra perfidiam Arii mortem sustinuerit. » Sic ille. Occisus est autem a Theodorico rege Ariano ad annum Domini 526. Visitur Ticini in æde S. Augustini, carcer ejus et sepulcrum. Nota per *divinos honores* intelligi sacros et religiosos, quales martyribus exhibentur, non autem quales Deo. De S. Lauriano Hispalensi archiepiscopo, sic inter alia scribit Lucius Marineus Siculus, lib. V *De rebus Hispaniæ*, ante medium : « Mox autem ab eodem angelo monitus ut in Hispaniam rediret, quia pro fide Christi martyrium pati eum oporteret, revertens, in itinere a Totilæ regis satellitibus capite obtruncatur. Quod quidem caput abscissum manibus suis accepit. Quod cum satellites vidissent, metu perterriti ad Christi fidem conversi, et baptismatis oleo peruncti, caput Lauriani flentes Hispalim detulerunt. Et cum regi omnia, quæ viderant, retulissent, rex quoque Christi nomen assumpsit, et hujus sancti et aliorum templa ædificari præcepit. » Ita ibi. De eodem S. Lauriano agit Joannes Vasæus in Chronico ad annum Domini 544, quo ista evenisse creduntur.

De S. Proculo Bononiensi Sigonius lib. I *Hist. Bononiensis*. De S. Justino, puero novenni, sub impp. Dioeletiano et Maximiano, venerabilis Beda tom. III, et ex eo Surius tom. V *Vitarum SS.* idem miraculum tradiderunt. Adde his S. Theocnistum et socios martyres, S. Justinianum monachum, S. Decumanum eremitam, S. Offitham virginem et mart. et alios. De quibus quidem martyribus, ac præsertim de S. Dionysio et sociis, liceat mihi aurea illa B. Joannis Chrysostomi verba usurpare, et Francorum pietatem pari cohortatione excitare. « Sæpe, inquam, eos invisamus : tumulos adornemus, magnaque fide reliquias eorum contingamus : ut inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera in prœliis sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur, ita et illi in manibus obsecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcunque voluerint, a Rege cœlorum impetrare possunt. » Ita Chrysostomus homilia *De sanctis martyribus Juventino et Maximo*, sub finem.

(77) *Catulla ei nomen fuit*, etc. Hujus Catullæ meminerunt tam Græci, quam Latini scriptores Vitæ sanctæ Dionysii. Illi Κατούλαν vocant. Ejus memoriam in Menæo quoque reperies.

(78) *Nam satellites mensa exceptos*, etc. Scribit S. Joannes Chrysost. pari stratagemate usum patrem sanctarum Berenices et Prosdoces martyrum, hom. 51, *Ad popul. Antiochenum*. Is enim, quo filiabus suis faciliorem martyrii cursum efficeret, militibus qui eas custodiebant, prandium apposuit, vinum affatim propinavit. Ita dum illi epulantur et inebriantur, virgines duæ adjuvante matre in proximum fluvium se demerserunt, et brevi martyrio injurias vimque satellitum tuta castitate redemerunt. Laudat illas integra oratione S. Chrysostomus, et ex Hierapoli urbe Phrygiæ, ubi hæc facta sunt, ad vere sacram urbem, hoc est ad cœlum emigrasse tradit.

(79) *In feminæ honorem Catulliacus*. Meminit hujus vici Aimoinus lib. IV *Historiæ Francorum*, cap. 17, ubi agens de rege Dagoberto, « In vicum, inquit, cui Catulliacus vocabulum est, cursu defertur. In hoc viculo ædicula erat, quæ corpora martyrum Dionysii ac sociorum ejus tegebat. »

(80) *Illi die quadam*. Refertur hoc visum in Actis sancti Reguli Arelatensis episcopi, apud Vincentium Bellovacensem lib. X, cap. 28, et apud Petrum Equilinum lib. IV, cap. 15, et lib. IX, cap. 41, in Actis SS. Dionysii et sociorum, et apud alios.

(81-82) *Tum igitur ipsa quoque illorum se discipulam aperiente*. Id apud Vincentium Bellovacensem innuitur in Actis S. Reguli, lib. X *Historialis speculi*, c. 21, ubi de eadem B. Catulla dicitur : « Fuerat enim a B. Dionysii signo crucis præsignata. » Fidelis quoque fuisse indicatur apud S. Antonium archiepiscopum Florentinum, I parte, tit. 6, cap. 28 : « Quædam autem nobilis matrona fidelis, inquit, timens ne corpora sanctorum in flumen vici-

[r] Psal. CXLIX. 5.

Digitized by Google

num jactarentur etc. » Apud Hilduinum vero in *Areopagiticis* traditur nondum fuisse baptizata : « Nam nobilis quædam materfamilias, inquit, Catulla nomine, quæ licet paganorum adhuc erroribus, necessitate potius quam voluntate teneretur addicta, converti tamen ad fidem Christi per exempla martyrum, atque ad baptismi gratiam se pervenire desiderare, et mente demonstrabat et opere, Dei misericordia A inspirata, mactæ virtutis consilium appetivit, atque ad convivium venire postulat sanctorum corporum perditores. » Verisimile est, Catullam fuisse tantum catechumenam in sancti Dionysii et sociorum martyrio, sive primis duntaxat fidei rudimentis citra baptismum imbutam, illo autem a sancto Regulo in hac apud ipsum commoratione illustratam.

(83) Vide infra, cap. 25 et seqq.

503 CAPUT XXI.

Discipulorum S. Dionysii labores et fructus, nonnullæque ejusdem martyris salutiferæ post mortem apparitiones.

Ut filii parentibus, sic discipuli magistris honori, laudi, gloriæ, et instar pulchræ et suaveolentis coronæ exsistunt. Tales fuere Dionysio (ut omittamus Rusticum et Eleutherium, primas illius coronæ rosas) illi insignes Ecclesiarum duces, S. Jon (quem modo Jonam (83*), modo Jonium invenimus appellatum), Sanctinus, Antoninus, Taurinus, Regulus, Eugenius, complures alii; sed nominare singulos longum, præcipuos non omisisse necessarium. Hi ergo a discessu patris vere patrios gerere animos, et pro se unusquisque sollicitus esse, ut paternarum virtutum addita hæreditate, suam quisque vineam sancta quadam æmulatione, quam posset excultissimam Dei gratia et suo labore redderet. Jon quidem presbyter, qui primo Athenis Romam cum Dionysio, deinde Roma in Galliam cum eodem transierat, sacerdotii sui partes et vivente et vita functo præceptore examussim implevit, semenque Evangelii præsertim in agro Castresio (84) cum persuavi virtutum suarum odore, et temperantis animi fragrantia dispersit; quippe aqua sola et herbis solitus vitam sustinere, et per tempus quidem quadragenarii jejunii bis duntaxat quot hebdomadis cibum sumere. Is admiratus magistri fortitudinem, et magno ejus imitandi studio succensus, in paria se jecit certamina, primisque gentilium sub Christi jugum ductis, inscenso martyrii curru triumphavit. Comprehensus enim haud procul Lutetia, et fidei titulo interemptus magistri tropæum triumphumque etiam in eo repræsentavit, quod refectum a cervicibus caput palmis excepit, atque ad montem una fere leuca distantem, ubi et sepultus est, deportavit. Loco accessit honos, ut mons S. Jonis diceretur. Hujus diem natalem ascribunt Martyrologia decimo Kalendas Octobris tali elogio : « Apud pagum Castrensium sancti Jonis presbyteri et martyris, qui cum sancto Dionysio profectus in Galliam, jussu Juliani præfecti verberibus cæsus, gladio martyrium consummavit (85). »

Jungamus S. Joni B. Sanctinum Meldensem episcopum, quandoquidem in iisdem Ecclesiæ tabulis eadem conjunctus die reperitur, hisce verbis : « Apud civitatem Meldensem (86), beati Sanctini episcopi (87), discipuli sancti Dionysii Areopagitæ : qui ejusdem civitatis episcopus ab eo consecratus primus ibi Evangelium prædicavit (88). » Is est qui Dionysii magistri sui certamen una cum Antonino spectavit, descripsit, ad pontificem detulit : tandemque ad suos reversus, et vita et miraculis clarus, relicto successore Antonino, post multa animarum lucra feliciter emigravit. Quem et ipse Antoninus iisdem virtutum vestigiis, et pari successu et exitu ad cœlum est consecutus.

Jam vero Taurinus Ebroicensis episcopus, de quo supra nonnihil memoravi, post sancti Patris e terra excessum tanto impensius in omnem partem intendere, quo Ecclesia, tanto parente orba, majorem a successoribus curam exigebat. Is edendorum ad inducendam firmandamque fidem, prodigiorum facultate præditus fuit plane admirabili. Nam una eademque die (89) præter alia, etiam mutis hominibus quatuor loquendi usum, et cæcis octo videndi vim conciliavit, et vitam uni reddidit. Alias vero sacrificulis Dianam colentibus depulsum a simulacro dæmonem turpissimum cum ingenti ipsorum horrore et detestatione conspicuum præbuit. Denique multum populi qua cohortationibus, qua curationibus, qua miraculis Deo cum acquisivisset, ad eum victor transiit.

De Regulo autem, cujus nonnulla superius mentio facta est, quid ejus dignum virtutibus dici potest? eodem enim quo dux suus spiritu semper ambulavit, semper laboravit, semper ad extremum usque adversus impietatem decertavit : nec sine ducis ipsius quamvis emeriti, quamvis in cœlo triumphantis præsenti ope et interventu. Nam cum ab excessu Dionysii, Silvanectum (urbs est Lutetiam inter et Novionum) fidei propagandæ causa profectus esset, multaque tam per iter, quam in urbe ipsa, pro unius Dei cultu asserendo, miracula patraret, simulacra destrueret, dæmones expelleret, mortales multos Christo lucrifaceret : ipsi fanorum ac delubrorum pontifices nimia ira succensi, Quintilianum ejus urbis præfectum adierunt : virum sanctum impietatis atque sacrilegii insimularunt : pœnas cum sanguine poposcerunt, nec ille mori recusavit; jam surrexerat, jamque ibat (novus enim dolor, dimissis a Regulo e carcere suopte motu Christianis, præfecti animum vehementius inflammarat) nisi conjux Christiana, et olim ab ipso Dionysio noxis abluta, mariti impetum prudentia sua retardasset : atque etiam nisi Dionysius meditatam discipulo pœnam non avertisset modo, sed in honorem quoque et in gaudium convertisset. Dum enim præfectus de sanctissimi præsulis nece, sollicite se cum **504** mente pertractat, benignissimus autem Deus solita pietate de servi sui salute disponit, ecce Dionysius nocte intempesta, cum duobus sociis palmæ consortibus, per visum præfecto se objicere et sic affari : *Quintiliane, Dominus Jesus Christus, cujus nos servos professione fideli fatemur, huc salutis tuæ causa nos misit, ut relicto dæmonum cultu, ad eum convertaris, et postposita tyrannide, Christianæ religionis cultor deinceps exsistas. Igitur primo mane fratrem nostrum inquire Regulum, a quo noxarum veniam postulans, quidquid jusserit, nihil reluctans facito.* Ille autem expergefactus narrare uxori somnium atque visum, et imagines eorum qui apparuerant, ac ætate, forma, lineamentis exacte depingere. Tum illa : « Noveris, inquit, dilecte mi, hos qui tibi locuti sunt, non alios esse quam beatum Dionysium, ejusque socios, qui ad Lutetiam a præfecto Fescennino obtruncati palmam obtinuerunt martyrii. Quocirca bene et ex salute tua facies, si quemadmodum ab iisdem sanctis divinitus es commonitus, sanctum adeas pontificem, et quidquid ipse jusserit, facias : ne, si secus faxis, iram omnipotentis Dei Christianorum incurras. » Ne multa. Paruit ille conjugis et sanctorum monitis, atque ad virum Dei, mandata accepturus, et legem Christi una cum omni familia amplexurus, se contulit. Tum vero pontifex tam ipsum præfectum, quam totam fere civitatem ad sua sacra confluere intuitus, miris incedere lætitiis, et palam Christi laudes ex toto corde

Digitized by Google

resonare. Ita nimirum viri sancti etiam hinc ad æterna translati nostra curant : ita Ecclesiæ invigilant, ita gentilium saluti student, ita honorem Dei amplificant. Eximium igitur quidem sane et germanum Dionysii discipulum fuisse hunc Regulum prorsus necesse est, cujus pia studia magister suus sic cordi habuerit, sic ex alto inspexerit. Et quam vicina, Deus bone, bonis sunt sanctorum auxilia! sed illorum potissime, qui patres nostri ac pontifices in terris exstiterunt ; si tamen eorum insistentes vestigiis, et ut germani filii, eorum mandatis obsequentes simus, et devota prece amicam opem imploremus. A Regulo ad Eugenium mox veniam, si unicum duntaxat de illo prius addidero ; quemadmodum scilicet Regulus eo virtutis dignitatisque pervenerit, ut fidei dux, et rex sacrorum, et quidem talis tantusque evaderet. Nempe primo in adolescentiæ flore beatum Joannem apostolum audivit, suspexit, secutus est ; cujus cœlesti ac mellifluo delibutus eloquio, nobilis et dives cum esset, omnia post Christi paupertatem et evangelicam doctrinam posuit. Athenas dehinc profectus Dionysio adhæsit, quem et primo Romam, et deinde in Galliam, ut ante memini, est comitatus, et quod multo amplius est, in moribus atque laboribus proxime imitatus.

Nunc de Eugenio (90), et ut vere nomen sonat, *nobili*, non tamen illa nobilitate quam de caduca hominis stirpe stultus suscipit mundus, quam illa vera et solida, quam de manu Domini sapiens suscipit Christianus. Hic igitur cum in Dionysii comitatu atque disciplina vim ingenii magnorum capacis ostendisset, præclareque sacerdotii sui munus explesset, ab eo denique in episcoporum ordinem cooptatus, atque in Hispaniam ablegatus est : ubi sic rem gessit, sic Ecclesiæ Toletanæ habenas rexit, ut nobilissimæ illius provinciæ ad Christianam legem accessio illi potissime, tanquam primo atque omnium sanctissimo pontifici, accepta merito referenda sit. Qui post innumeram rudis populi multitudinem sancta religione imbutam, revisendi aliquando magistri (91), et sermones cum eo conferendi desiderio captus, in Galliam transiit : sed, heu dolor! ubi spiritus voluptatem ex amici affatu sperabat non mediocrem, ibi ex ejusdem deproperato interitu incredibilem hausit animo dolorem. Nam priusquam Parisios attigisset, occisum intellexit. Itaque et mortuum luxit ut patrem, et pro fide occisum laudavit ut victorem (92). Neque vero iter aut inhibuit aut reflexit ; sed vel invisendi sepulcri amans, vel paris sortiendæ sortis cupidus, Lutetiam versus iter prosecutus est : neque amplius quatuor milliaribus jam distabat, cum et ipse interceptus a fidei hostibus, et interfectus est. Cadaver in lacum Marcosium projecerunt. Ibi diutissime, imo, ut auctores non pauci tradiderunt, annos circiter ducentos immersum delituit (93). Neque tamen vel Dei providentia in custodiendo, vel Dionysii cura in revelando desideranda est : et tanti temporis latebræ corporis probavere dignitatem. Nam salvum et incolume duobus post sæculis non usitato repertum est miraculo. Sic autem repertum vulgata fert fides : Hercoldus vir nobilis et locuples, Constantini magni, ut aiunt, temporibus, domum et agros propter lacum illum habebat : cum autem ex oculis graviter laboraret, ecce illi S. Dionysius per noctem in venerandi forma senis se offerre, ac læto hilarique vultu ita compellare : *Hercolde frater, surge ex morbo sanus, et ad vicinum adi lacum, condiscipuli nostri Eugenii corpus illic require ac honeste sepeli. Nam illius gratia et meritis magna huic populo collaturus est Deus beneficia.* His auditis, expergefactus Hercoldus, et sanum se cernens ac demirans, nimio gaudio exsultat tam de divino viso, quam de curato visu. Nec mora est, quin continuo lacum petat, corpus educat, sepultura donet. Verum id omnibus merito per quam mirum et vere Dei opus apparere, tam integrum illud, **505** tam recens reperiri, atque si illo die et non ducentis ante annis fuisset neci datum. In fundo autem suo cum perhonorifice sepelisset, posteaque sepulcro superædificatum martyris honori sacrarium fuisset, ingentia ibi miracula, et exinde concursus admirabiles facti. Sacrum igitur corpus terra Gallia, ut pretiosiorum hujusmodi pignorum cultrix studiosissima, et multis sæculis et ingenti cura retinuit : sic tamen, ut nonnullam reliquiarum portionem viri pientissimi exorarint, potentissimi impetrarint. Decimo enim circiter ab ortu Christi sæculo (94), hoc est octingentis eoque amplius post annis, quam idem beatus Eugenius martyrii laurea decoratus fuerat, sanctus Gerardus abbas Broniensis nonnullas ejus reliquias (cujus in honorem oratorium quondam monachus exstruxerat) a sancti Dionysii cœnobitis, qui illas in suo monasterio Parisiis asservabant, precario obtinuit. Quo etiam tempore præclara ejusdem martyris Acta in concilio Leodiensi recognita, et publice deinceps quotannis legi jussa : imo ipse qui ei concilio præerat Stephanus Leodiensis episcopus (95), vir sanctissimus hæc in ejusdem Eugenii honorem addidit : « Decreto, inquit, pontificio statuitur, et hæc sancta synodus ei subscribens assentit, ut per totam, in qua S. martyr quiescet, decaniam, solemnitas ejus instar Dominicæ diei celebretur, et Ecclesia Broniensis ab omni obsonio Leodiensi episcopo ex debito persolvendo deinceps immunis sit. » Edictum quoque proposuit idem episcopus, ut transeuntibus in Leodiensem et Namurcensem terram ejusdem sancti Eugenii reliquiis, denso ac frequenti agmine obviam iretur, et in præparatum ipsis locum magno cum gaudio inferrentur. Nam sanctus Gerardus Parisiis delatas, Cuvinii, quod ejusdem diœcesis oppidum est Lotharingiæ finitimum, tantisper deposuerat, rogatumque interim antistitem Stephanum venerat, num ei placeret, uti publicus sancti Eugenii reliquiis honos haberetur? Cui ille, ut jucundo erat ac perspicaci ingenio, audito nomine Eugenii : « Prorsus, inquit, ita faciendum, et magno Eugenio cum magno *Euge* obviandum est. (96) » Itaque sic factum. Annis vero post hanc translationem amplius ducentis, hoc est Christi circiter millesimo centesimo quinquagesimo sexto, cum Ludovicus septimus rex Galliæ Toleti esset, mentioque sancti Eugenii incidisset, ab eo impetrata est, quamvis ægre, pars aliqua ejus reliquiarum, nempe brachium dextrum. Quibus reliquiis, cum ab abbate Sancti Dionysii, regis Ludovici legato, Toletum deferrentur, ipse Alphonsus Castellæ rex, imperator nuncupatus, cum filiis regibus, et proceribus, et sacris ordinibus, et magna confluentium mortalium turba, ritu supplicationis processit in occursum, subcollantibusque ipso et duobus filiis regibus, theca ipsa in ædem maximam insigni pompa et solemnitate illata est, anno salutis, ut dixi, millesimo centesimo quinquagesimo sexto, pridie Idus Februarii (97). Nec vero cessavit Hispana pietas (98), donec certa patroni sui ossa, quæ in Galliis residua erant, obtineret, atque in Ecclesiam Toletanam, quam ille idem primus pastor instituerat fundaratque, velut in propriam possessionem ex Gallorum concessione transferret. Quare Philippus II, Hispaniarum rex, legationem pro iis impetrandis ad Carolum IX, Galliæ regem, misit, tandemque anno salutis quingentesimo sexagesimo quinto supra millesimum, hoc est annis post jam dictam dextri brachii translationem quadringentis novem, impetravit. Tum igitur honos eidem Eugenio tantus ab Hispania, et ab ejus rege potissimum est habitus, quantus haberi ab homine mortali possit. Quippe præter aliam translationis pompam et apparatum incomparabilem, rex ipse catholicus incredibili succensus pietate, oneri subire, et humeros feretro supponere, atque in pristinam Toletanam sedem, tanto post intervallo velut reducem episcopum sanctissimum et martyrem gloriosissimum revehere, pro magno honore et voluptate habuit. Quo in

Digitized by Google

facto palam sane toti mundo fecit, quam alte Christiana et avita pietas cordi regio et tantorum potenti honorum et regnorum insideret. Hujus porro martyris sacra solemnisque memoria decimo septimo Kalendas Decembris Romano ascripta Martyrologio sic legitur : « Natalis sancti Eugenii episcopi Toletani et martyris, B. Dionysii Areopagitæ discipuli, qui in territorio Parisiensi consummato martyrii cursu, beatæ passionis coronam percepit a Domino. Cujus corpus Toletum postea fuit translatum. » Fusiorem hujus postremæ translationis descriptionem, arcuumque item triumphalium tunc erectorum, vide apud Guillelmum Eysengrineum, centen. 1, parte 1, distinct. 4, *De Hispanis pontificibus*. Hactenus de B. Dionysii eximiis aliquot discipulis : nunc ad aliquas virtutes in divinis ipsius scriptis prælucentes attendamus.

506 NOTATIONES.

(83) *Modo Jonam*, etc. Jonas vocatur in Martyrologio Romano 22 Sept., et in Flavii Dextri Chronico ad annum Christi 86, et alibi ; Jonius autem a Vincentio Bellovacensi lib. x, cap. 23, et S. Antonino in 1 parte, titul. vi, cap. 18, § 2, et quibusdam in Martyrologiis ad diem 5 Augusti. Verum a Francis et olim et nunc, cum monte ejusdem nominis Jon appellatur, quo modo et a Petro Equilino lib. *Catalogi sanctorum* viii, cap. 106, et a D. Bucherio doctore Sorbonico, in epistola de Dionysii gemino episcopatu, et germanis ejus libris ad Petrum Lansselium data.

(84) *In agro Castresio*. Galli sua lingua vocant *Chastres sous Montlehery*. Castresium vocat etiam Equilinus loco citato. Aliqui *Castrensium*, sed tum est genitivus plur. Franciscus Bivarius existimat agrum Castresium, sive pagum Castrensium, idem esse quod *Castra Cæcilia* in Lusitania. Vide illum in Commentario ad Dextri Chronicon anno Christi 86, numero 12 et anno 130, num. 4. De Jone seu Jona egimus etiam supra ad cap. x.

(85) Martyrol. Rom. 22 Sept.

(86) *Apud civitatem Meldensem*. Nomen civitatis est Meldæ, Gallice *Meaux*. Est civitas episcopalis, media inter Lutetiam Parisiorum (a qua distat decem millibus passuum) et castrum Theodorici. Multos habuit sanctos episcopos, quorum primus fuit B. Sanctinus, de quo hic agitur : secundus sanctus Antoninus Sanctini comes et successor : qui ambo coluntur ad diem 22 Septembris. Alios vide apud Philippum Ferrarium in *Nova topographia*.

(87) *Beati Sanctini episcopi*. De illo egi supra ad cap. xv et xvii. Eum autem scripsisse martyrium sancti Dionysii magistri sui, est in ipsius Sanctini Actis apud Vincentium Bellovacensem, lib. x *Speculi historialis*, cap. 22. Sed in tempore consuetus error (ut sæpe diximus, et alibi causam erroris attulimus) in eo corrigendus est, quod Domitiano attribuat, quæ sunt Adriani. Probavimus enim S. Dionysium imperante Adriano affectum esse martyrio.

(88) Martyrol. Rom. 22 Sept.

(89) *Nam una eademque die*. Habent sancti Taurini Acta apud Vincentium Bellovac. lib. x, cap. 34, illum suscitasse Eufrasiam Lucii filiam, eademque ipsa die ab eo baptizatos centum viginti homines, octo cæcos illuminatos, quatuor mutos sanatos, aliasque virtutes non modicas esse patratas.

(90) *Nunc de Eugenio*, etc. Aliqua de illo tetigimus quæst. 3 infra, ubi disputavimus, idemne sit Eugenius et Marcellus : et dato eumdem esse, an etiam ille Eugenius sit Timotheus ille, ad quem Dionysius Areopagita libros suos misit, et cui eosdem dedicavit. Vide ibi.

(91) *Revisendi aliquando magistri*, etc. Venisse Eugenium in Galliam ex Hispania, revisendi Dionysii et cum eo conferendi gratia, habemus auctoritatem Gothici Breviarii, quam vide supra cap. xii. Vide et Joannem Marianam lib. iv *De rebus Hispaniæ*, cap. 4, ubi inter alia : « Studio Dionysium invisendi, inquit, in interiorem Galliam penetravit, cum a Sisinnii præfecti satellitibus comprehensus in vestigio est occisus. Corpus in Marcasium lacum conjectum. Gallia demum Christi sacris populariter imbuta, Hercoldus vir primarius divino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum, templo ejus nomine dicato coluit. » Vide etiam L. Marineum Siculum lib. v *De rebus Hispaniæ*.

(92) *Et pro fide occisum laudavit, ut victorem*. Testis est Flavius Dexter ad Christi annum 150, sancti Dionysii martyrium ab Eugenio celebratum *elegantissimo* (sic enim ait) *carmine*. Hilduinus quoque abbas in Epistola ad Ludovicum Pium semper Augustum, testatur, S. Eugenium Toletanum scripsisse hymnum de beato Dionysio. « Nec mirari, inquit, quis poterit, cum hymnum S. Eugenii Toletani de B. Dionysio habeamus, et vicinorum sapientum scriptis exceptis paucis videamur carere. »

Istum hymnum depromptum e sacro Dionysiani cœnobii armario hic proferimus. Sic igitur :

Cœli cives applaudite
Mundi jucundo lumini,
Quo illustratur cœlitus
Hujus diei gratia.
Præcelsa fides martyris
Sacrique vita antistitis,
Dionysii nobilis
Hodie palmam suscepit.
Areopago Ecclesia
Regis sumpsit diadema
Cœlestis, gemmam fulgidam
Dionysium sophistam.
Paulo docente, speculum
Habet fides fidelium
Et spiculum gentilitas,
Quem ante murum noverat.
Miro clarescens dogmate
Illuminavit Græciam :
Et inclytus hinc pontifex
Urbem Romam tunc adiit.
Clemente Romæ præsule
Jubente, venit Galliam :
Cui jubar solis splendidi
Illuxit signis, flamine.
Tandem repulso dæmone,
Constructo sacro opere,
Pœnis affectus maximis
Cæsa cervice cœlum adit.
Ave, Pater, scandens polum ;
Ave pie, visens solum :
Annua festi munera
Tua sacrans præsentia.
Offer sacerdos optime
Gemitus nostros et preces :
Firma fidem, martyr Dei,
Moresque nostros corrige.
Ope guberna fragiles,
In mundi hujus pelago,
Atque exutos corpore
Pie benignus suscipe.
Quo sine fine glorium
Deo Patri cum Filio,
Una cum sancto Spiritu
Tecum canamus perpetim. Amen.

Scripsit autem Eugenius hymnum illum, audito in itinere martyrii nuntio, priusquam advenisset ad sepulcri locum. Nam in ipsa via occisus est et quidem a præfecto 507 Sisinnio, ut paulo superius innuit Mariana, hoc est, ab eodem a quo S. Dionysius, quippe non multo intervallo alter post alterum.

Digitized by Google

L. Marineus Siculus loco supra citato : « Qui postquam visitavit magistrum Dionysium, inquit, cum iter esset ingressus, a gentilibus deprehensus, et ex fidei confessione quis esset cognitus, gladio aperiente viam, qua magister suus illuc jam præcesserat, cœlum coronatus ingreditur. »

(93) *Annos circiter ducentos immersum delituit.* Ita scripserunt Vaseus in *Chronico* ad annum Domini 97, Thomas de Trugillo tom. II *Thesauri*, ad 15 Novembris, et Franciscus Bivarius in *Commentario ad Dextrum*, anno Christi 130, et alii. Verba Thomæ sunt : « Ibi ergo mansit per ducentos annos, donec tandem tempore Constantini imperatoris facta fuit revelatio Christiano cuidam equiti; vocabatur Hercoldus, etc. » Bivarii autem : « Quomodo Gallias tendens martyrii lauream adeptus, ac in lacum Marcasium injectus, et inde revelatione Hercoldo nobili viro a S. Dionysio facta, præclaro signo sanitatis miraculose ipsi impertitæ, post ducentos aquei latibuli annos recens eductus, digno honore habitus fuerit, etc. » Quibus accedere videtur jam ante laudatus Mariana, dum indicat corpus repertum esse, « Gallia demum Christi sacris populariter imbuta. » Hoc autem factum esse non videtur ante tempora Constantini. Hic enim primus fecit, ut toti populi ad Christum concurrerent, et populariter Christi sacris imbuerentur. Huic etiam sententiæ favet Gothicum Toletanum Breviarium in hymno de sancto Eugenio, ubi hæc de ejus martyrio, et corporis in illo lacu demersione, et perduratione, et revelatione :

Patrem desiderat, votum prosequitur :
Jam prope venerat, hostis irascitur :
Sanctus vir rapitur, quem ensis temerat,
Caput vellens a corpore.
In lacu proximo corpus submittitur,
Recens, ut mittitur, manet longissimo
Sub unda corpus tempore.
Hercoldus patitur, quem Dei visio,
Ex hoc alloquitur in Dionysio :
Salutis pretio sanctus redimitur
Digno locandus decore.

(94) *Decimo enim circiter ab ortu Christi sæculo.* Agitur hic de nonnullarum S. Eugenii reliquiarum translatione ad Broniense monasterium in diœcesi Leodiensi situm. Cujus translationis mentio non tantum in Vita S. Gerardi abbatis Broniensis, sed etiam apud Ægidium a Leodio, Aureæ-vallis religioso, reperitur. Vide *Gesta pontificum Tungrensium* seu Leodiensium tomo primo, ubi Anselmus res Stephani episcopi prosequitur. Illic igitur Ægidius in suis ad Anselmum Additamentis ita de Gerardo abbate scribit : « Per prædictum etiam Gerardum, corpus S. Eugenii Toletanæ urbis episcopi et martyris in episcopatum Leodiensem translatum est. Qui B. Eugenius discipulus apostolorum fuit, et a B. Dionysio ordinatus Toletanæ urbis episcopus. Passus est martyrium sub Fescennino præside, decimo septimo Kalendas Decembris, sub quo et B. Dionysius passus est. » Fuit hæc prima translatio, quam etiam agnoscunt Molanus et Baronius in suis *Adnotationibus ad Martyrologia*, ad 15 Novembris, et Joannes Mariana lib. x *De rebus Hispaniæ*, cap. 20.

(95) *Qui ei concilio præerat Stephanus Leodiensis episcopus.* Hic fuit in episcoporum Leodiensium serie trigesimus nonus, iniitque pontificatum anno Christi 903, hoc est, initio sæculi decimi. Ad quem annum ita Sigebertus in Chronico : « Francone Leodiensium episcopo mortuo, Stephanus episcopus subrogatur, vir sanctitate et scientia clarus, qui vitam et passionem S. Lamberti martyris ad Hermannum archiepiscopum urbanius edidit. Cantum quoque nocturnum de eodem martyre, cantumque de sancta Trinitate, et de inventione Stephani protomartyris, dulci et regulari modulatione composuit. »

De miraculo S. Eugenii in curatione ejusdem Stephani episcopi, vide Ægidium loco supra citato.

Notandum porro in hac translatione, licet ab Ægidio dicatur corpus translatum, minime intelligendum esse de toto corpore, sed tantum de portione aliqua corporis. Est enim hæc frequentissima (cum de sanctis agitur reliquiis) synecdoche partis pro toto. Unde etiam error ille et certamen non raro nascitur, quo plures urbes se alicujus sancti corpus habere depugnant, cum singulæ partem tantum habeant.

(96) *Annis vero post hanc translationem amplius ducentis.* Hæc est secunda translatio reliquiarum S. Eugenii, quæ facta est anno Dom. 1156, tempore Ludovici VII, regis Galliæ, cum Alphonsus Castellæ rex brachium dextrum S. Eugenii ab illo obtinuit. Hanc secundam translationem Molanus et Baronius in suis *ad Martyrologia Notationibus*, seu oblivione seu ignoratione præterierunt, et quæ tertia fuit, secundam fecerunt, ut mox videbitur.

Hujus autem, quam nos secundam ponimus, plerique omnes rerum Hispaniæ scriptores, mentionem in Alphonso, aut in Eugenii Vita fecerunt. Brevissime Joannes Mariana lib. IV *De rebus Hispaniæ*, cap. 4, his verbis : « Rege Castellæ Alphonso, qui imperator est nuncupatus, ejus brachium primum Toletum relatum est, Ludovico VII, Galliæ rege concedente, in soceri regis gratiam, et Raymundi Toletani præsulis. Nam quo is tempore Eugenio III Romano pontifice ad Rhemensem episcoporum conventum festinabat, ex itinere rem omnem de Hispanorum memoria oblitteratam præsens exploraverat. » Fusius autem lib. XI, cap. 3. Eamdem secundam translationem descripserunt Hispanice in Vita S. Eugenii, Alphonsus de Villegas in *Flore sanctorum*, et Petrus Ribadeneira in *Vitis extravagantibus*. Vide etiam copiose apud Thomam de Trugillo in *Thesauro concionatorum*, tomo II.

(97) Joannes Mariana lib. IV *De rebus Hispaniæ*, c. 4.

(98) *Nec vero cessavit Hispana pietas*, etc. Hic describitur tertia translatio earumdem sanctarum reliquiarum B. Eugenii, sive totius reliqui corporis, quantum quidem Lutetiæ tunc erat. Facta est autem rogatu Philippi II regis Hispaniarum, cap. XXI. Hujus translationis multo nobilissimæ omnes prope scriptores meminerunt, et Hispani, et externi. Ex Hispanis quidem nominatim illi omnes quos modo laudavi, et alii quam plurimi : ex aliis Molanus et Baronius locis prius hic citatis, in eo solo hallucinati, quod secundam, ut dixi, appellaverint pro tertia.

508 CAPUT XXII.

Virtutes nonnullæ S. Dionysii ex ejusdem scriptis delectæ, et primo pietas.

Cum aliarum S. Dionysii virtutum ipse Areopagus, tum vero Christianarum S. Paulus, et S. Clemens testes quam locupletissimi exstiterunt. Siquidem illum nec Areopagus in suum consilium, nec hi Ecclesiæ proceres ad munus apostolicum, nisi omnibus florentem virtutibus adlegissent. Sed earum virtutum quædam in suscepto vitæ genere, quædam in immortalibus ejus scriptis illustrius emicuerunt. Nam, ut alia missa faciam, quod episcopatu Atheniensi, quem ab apostolis acceperat, sponte dimisso, multis in spargenda Evangelii semente peragratis regionibus in Italiam pervenerit : quod ex Italia in Galliam, hoc est

Digitized by Google

in terram eo quidem tempore satis incultam ac barbaram voluntarius abscesserit : quod denique plurima ac diversissima supplicia, non infracto tantum animo, sed etiam læto pertulerit, atque ad eadem pari virtute perferenda, alios animarit ; has, inquam, virtutes vero heroicas ipsa vitæ series continet. Sed sunt etiam aliæ nonnullæ, quæ ex ejusdem scriptis, velut quidam e viridanti prato suaveolentes flores carptim delecti, aliquem piis animis odorem spargant, eæque tres numero præcipue, quas magnopere expediat omnibus qui se ad scribendos libros conferunt, non minus imprimi intus animis quam foras scriptis exprimi. Sunt autem hæ pietas, modestia, mansuetudo. Pietas quidem in Deo et sanctis, ad opem in scribendo præstandam invocandis ; modestia autem, in nullius scriptis, veterum præsertim et majorum, contemnendis, sed eorum dignitate et auctoritate augenda potius et tuenda, quam spernenda aut elevanda ; mansuetudo denique, non in scriptis modo, sed in actis quoque omnibus tam suis exhibendis, quam alienis ferendis aut refellendis. Hæ virtutes in B. Dionysii monumentis, si in cujuspiam alterius, sane quam excellenter eluxerunt. Et spectetur imprimis pietas : *Pietas autem ad omnia utilis est*, inquit Paulus [s].

Pietas quidem in omnibus, qui nunc exstant, ejus libris, velut votivæ quædam primitiæ, in ipso statim initio, et quasi primo limine sese offert. Nam cum præter ejus Epistolas, virtutem hanc egregie redolentes, libri sint quatuor, unus *De cœlesti hierarchia*, alter *De ecclesiastica hierarchia*, tertius *De divinis nominibus*, quartus *De mystica theologia ;* in horum singulorum principiis prima in Deum pietas eunctis legentibus fronte religiosissima occurrit. Primum enim illorum a S. Jacobi verbis et Jesu invocatione sic orditur : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* [t]. *Quin et ipsa illuminationis a Patre profluentis universa processio benigna in nos largitione emanans, rursus tanquam vis quædam copulativa excitando dilatat, et ad Patris ipsius colligentis unitatem, et deificam simplicitatem convertit. Quoniam ex ipso et in ipso sunt omnia, ut sacra loquuntur Eloquia* [u]. *Quare invocato Jesu*, inquit, *qui est lux Patris, lux exsistens, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [v] *: per quem nobis ad Patrem, lucis auctorem, aditus patuit, ad sanctissimarum Scripturarum traditas a Patribus illustrationes, quoad ejus fieri potest, suspiciamus : et quas nobis cœlestium mentium hierarchias signis quibusdam subobscuris expresserunt, pro viribus speculemur.* Ita ibi. Jam autem capite 11 ejusdem libri, antequam aggrediatur ad dicendum quid sit hierarchia : *Sit autem*, inquit, *hujus sermonis dux atque director Christus, si fas mihi est dicere, meus, qui totius expositionis hierarchiæ perfectissimus est inspirator.*

Secundo item libro, qui est *De ecclesiastica hierarchia* sub primi capitis initium ita prætendit pietatem : *Nunc autem hierarchiam nostram, ejusque principium et naturam ita pro virili mea exprimere conabor, si Jesum, qui omnium hierarchiarum est initium atque perfectio, ante invocavero*, et cap. 3 ejusdem libri, cum de venerabilis eucharistiæ sacramento agit, ita ipsum sibi propitium exposcit : *Sed, o tu*, inquit, *divinissimum atque sacrosanctum sacramentum, circumjecta tibi symbolice ænigmatum velamenta detegens, perspicue nobis ostendito, et mentis nostræ oculos singulari et inoperta luce perfundito.* Jam libro III qui est *De divinis nominibus*, cap. 1, ita scribit : *Mihi autem dei Deus*, inquit, *ut Divinitatis, quæ nec appellari, nec nominari potest, beneficas variasque appellationes pro ejus dignitate laudibus efferam, neque ab ore meo verbum veritatis auferat.* Sed capite 2 ejusdem libri non modo pietatem suam satis alias testatam, sed vim quoque piarum precationum, tribus egregiis explicat similitudinibus, quibus hic lectorem æquum est munerari. Sic igitur habet : *Ac primam*, inquit, *si videtur, et perfectam et omnium Dei progressionum interpretem appellationem, invocata Trinitate, quæ boni fons est, et bonum exsuperat, et quæ suam omnem optimam providentiam exponit, consideremus. Precationibus enim ad eam, ut boni principium, deduci primum debemus : cumque propius ad illam accesserimus, tum ex ipso dona longe optima, quæ penes eam sita sunt, edoceri. Nam ipsa quidem* 509 *omnibus præsens est, non tamen illi præsentia sunt omnia ; sed cum puris precibus, et mente imperturbata, et animo ad divinam conjunctionem apto illa invocamus, tum demum illi præsentes sumus. Nec enim ita in loco est, ut ab illo absit, aut ex aliis ad alia commigret. Quin si eam in rebus omnibus esse dixerimus, tamen minus dixerimus, quam ejus postulet infinitas, quæ omnia et excedit et comprehendit. Itaque nos ipsos ad sublimiores divinorum benignorumque radiorum obtutus per preces extendamus. Quemadmodum enim si perillustrem catenam e cœli fastigio dependentem, atque huc usque pertingentem, alternis semper manibus apprehendamus, attrahere quidem illam videbimur, re autem vera non eam attrahemus, cum supra simul et infra exsistat, sed nos potius ipsos ad altiores coruscantium radiorum fulgores sursum attollemus. Aut quemadmodum si navigium aliquod ingressi, rudentes e saxo quopiam ad nos usque protensos auxilii causa teneamus, non saxum ad nos, sed nos potius ac navim ipsam ad saxum adducemus. Aut denique, quemadmodum si quis stans in navi saxum maritimum dispellat, nihil sane contra fixum atque immobile saxum proficiet, sed se ipse potius ab eo disjunget, tantoque magis ab illo repellet, quanto illud magis dispulerit. Quare priusquam aliquid aut agamus, aut dicamus, præsertim quod ad Deum spectet, nobis a precibus ordiendum est, non quo vim illam ubique simul et nullibi præsentem attrahamus, sed quo Dei memoria et invocatione nos ipsos ei trahamus et copulemus.* Ita nimirum vir ille multo sapientissimus, nobis ad Deum et ad cœlestia viam parari, ita ab humo ad cœlum, velut quibusdam catenulis animos erigi ac sublevari docuit. Denique initio libri *De mystica theologia*, eadem pietas velut in primis foribus ita se objicit : *O Trinitas*, inquit, *essentia, divinitate, bonitate superior, divinæ Christianorum sapientiæ dux, dirige nos ad ignotissimum et lucidissimum atque excellentissimum mysticorum eloquiorum culmen, ubi simplicia et absoluta et immutabilia theologiæ mysteria latent adoperta, præfulgente quadam silentii occulta sacra decentis caligine, quæ quidem ubi maxime videtur obscura, ibi supra modum lucem profert exuberantem, et in eo quod omnium tangi et videri non potest, longe pulcherrimis splendoribus mentes nec oculatas, mirifice complet.* Ita ille. Quam ad precationem ita Marsilius Ficinus (99), vir in philosophia magnus, et ævo suo facile princeps : « Dionysius Areopagita, inquit, Platonicæ disciplinæ culmen, et Christianæ theologiæ columen, quærens divinum lumen, non tam intelligentia perscrutatur, quam ardente voluntatis affectu et oratione petit. Quippe cum a Paulo mundi sole didicerit, Platone etiam confirmante, ipsum universi principium esse intellecta quantumlibet excelso superius : non igitur conatu quodam intelligentiæ comparari, sed in animum amore prorsus Deo deditum accendi Deum, atque ibidem in ardore lucere. » Hæc Marsilius. Nunc quia verum est pietati in Deum sociari et adhærere modestiam, in hanc tantisper oculos deflectamus.

[s] I Tim. IV, 8. [t] Jac. I, 17. [u] Rom. XI, 36. [v] Joan. I, 9.

(99) Marsilius Ficinus, *Comment. in Dionysium*, c. 3 *De divinis nominibus.*

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Dionysii modestia seu animi submissio.

Altera quæ in Dionysii scriptis grato aspectu et quasi verecundo ore collucet, propterea que omnibus merito adamanda et semper in sinu habenda scriptoribus, est modestia, velut fida pietatis socia, et intima contubernalis. Quæ modestia in æstimatione ingenii atque judicii (quod fere in hominibus solet esse superbissimum) non minus quam cæteris in rebus a magno Areopagita peramanter strictequeque complexa est. Quod cum ex aliis locis, tum vero e tribus potissime, uno *De cœlesti hierarchia*, altero *De ecclesiastica*, tertio *De divinis nominibus* colligi licet. Nam in primo quidem horum librorum, postquam super ea quæstione : *Cur Isaias propheta purgatus dicatur a seraphim*, suam exposuisset sententiam, ingenue fassus est eam se ab alio didicisse, et libenter quidem, si melior afferatur mutaturum esse. Sic enim scribit : *Atque hoc quidem ille me docuit : tibi autem trado. Tuæ erit sapientiæ atque eruditionis, aut alteram causarum allatarum omni dubio exsolvere et alteri, ut æquam et rationi consentaneam, et veram fortassis, anteponere, aut tecum aliquid quod propius sit veritati excogitare, aut ab alio addiscere, Deo scilicet sermonem suppeditante, et angelis deferentibus, atque ita nobis qui angelorum studiosi sumus clariorem, si fieri possit, et chariorem patefacere contemplationem.* Ita ille S. Timotheo. Deinde ejusdem libri postremum caput ita pulchro fine concludit : *Hæc mihi de sacris figuris dicta sunto : quæ ab exacta quidem earum interpretatione procul absunt, ad hoc tamen, ut arbitror, juvant, ut ne nimis abjecte figuratis imaginibus adhærescamus. Quod si objicias non omnium angelicarum virtutum, aut operationum, aut imaginum fecisse nos mentionem ; tibi equidem prorsus, quemadmodum res habet, respondebo : nempe nos scientiæ illius supermundanæ rudes esse, atque alio potius ad ea perdiscenda doctore atque interprete indigere; tum etiam, illa quæ prius exposuimus similia sunt eamdemque vim habent, nos sponte prætermisisse, tam in dicendo modum aucupantes, quam res reconditas, et ingenio nostro majores silentio venerantes.* Secundum vero librum, **510** qui est *De cœlesti hierarchia*, haud minus speciose exitu terminavit. Sic enim dixit : *Ista, fili, tam multa et tam præclara, et singularia hierarchiæ nostræ spectacula videre mihi datum est : aliis autem perspicacioribus mentibus non hoc modo, sed etiam multo clariora et diviniora forte perspecta sunt; tibique ipsi, ut opinor, illustriores atque diviniores pulchritudines ad sublimiorem radium jam dictis gradibus contendenti collucebunt. Quare communica tu quoque mecum, o dilecte, perfectiorem lucem, et præstantiores atque uniformiores, quascunque contueri poteris pulchritudines, oculis meis commonstra. Nam per hæc, quomodo a me dicta sunt, insitas tibi ignis divini scintillas excitatum iri confido.* Jam autem libro *De divinis nominibus* hanc vere auream imposuit coronidem : *Hæc nos divina nomina in unum congesta, quatenus assequi datum est, explicuimus, non modo impares accuratæ illorum expositioni (quod et angeli ex vero dicant), nec iis etiam, quas angeli tribuunt, laudibus inferiores (cum et postremis nostri cedant theologi) neque item theologis ipsis, eorumque auditoribus et assectatoribus conferendi, sed eorum quoque, qui nostri sunt ordinis, postremi et infimi. Quare si recte quidem habeant, quæ a me dicta sunt, et pro loco nostro et ordine, interpretationis divinorum nominum sententiam assecuti sumus, id bonorum omnium auctori acceptum referatur, qui primo quidem dicendi, deinde et bene dicendi tribuit facultatem. Quod si eorum nominum, quæ eamdem vim habent, aliquod prætermissum est, id eadem via et ratione subaudiendum erit. Sin minus recte minusve perfecte hæc a nobis tractata sunt, aut si etiam a veritate vel omnino vel ex parte aberravimus, tuæ fuerit humanitatis corrigere non sponte ignorantem, et addiscendi cupidum edocere : atque etiam haud satis per se valenti opem ferre et ægrotare nolenti medicinam facere; et alia quidem a te ipso, alia vero ab aliis inventa, sed omnia ab ipso bona percepta in nos transfundere. Neque te pigeat hominem amicum afficere beneficio : cum et nos videas nullam nobis traditarum sacrarum institutionum intra nos continuisse, sed eas tecum cæteris sacris hominibus incorruptas communicasse, uti et deinceps communicaturi sumus, prout quidem et nos ad dicendum, et pares alii fuerint ad audiendum : nec iniqui circa traditionem erimus, nisi si vel ad intelligendum vel ad eloquendum fuerimus tardiores. Sed hæc quidem, ut Deo gratum, ita se habeant, et dicantur : et hic sit divinorum nominum quæ mente percipiuntur finis : nunc ad theologicam symbolicam, Deo ducente, transibimus.*

Ita librum illum beato fine concludit Dionysius. Cujus modestia et animi submissio non ex his tantum, sed ex aliis compluribus locis, quorum aliqua alibi tetigimus, cognosci potest. Verumtamen ea quæ conjunctam habent ipsius erga præceptores suos insignem reverentiam atque laudem, tacite præterire qui possum? Nam optimi sane animi et nobilissimæ indolis signum est clarissimum, ut minorum erga majores, sic discipulorum adversus præceptores suos honor et reverentia. Quæ in sancto Dionysio tam illustribus notis emicuerunt, quam in ullo alio antehac fortassis nemine. Siquidem magistrorum suorum vix unquam, ac ne vix quidem in scriptis suis, nisi suis gratissima debiti honoris præfatione, et sui præ illis magna submissione atque despicientia commeminit. Nam Hierotbei quidem unius e magistris suis verba e theologicis institutionibus, ad firmandam ejus auctoritate propositam a se doctrinam, non sine eximia ejusdem laude ac veneratione aliquoties profert in medium. Cum enim admirandam Domini Jesu in utero virgineo efformationem nec sermone ullo exprimi, nec ulla mente concipi, ne angelica quidem et seraphica, docuisset, tum de eadem Christi humana generatione atque miraculis hæc cum magistri honore subjecit : *Hæc autem*, inquit, *et alibi a nobis compluribus in locis demonstrata sunt, et ab inclyto præceptore nostro in suis* Theologicis institutionibus *perquam eximie celebrata : sive illa a sacris theologis acceperit, sive ex accurata Scripturarum perscrutatione multa in eis exercitatione usuque diuturno perspexerit, sive ex aliqua diviniore inspiratione edoctus fuerit, non studio solum, sed etiam experimento divina asseculus, atque ex quadam naturæ convenientia atque consensione, si ita loqui fas est, ad mysticam, et quæ non docetur, sed suspicitur, conjunctionem atque fidem perfecte provectus. Atque ut multas et beatas optimæ illius mentis speculationes in paucissimis ostendam, hæc de Jesu in collectis a se institutionibus ait : Omnium causa est et complementum Jesu divinitas*, etc. Ita Dionysius libro *De divinis nominibus*, cap. 2. Jam autem ejusdem libri cap. 3, ubi de celeberrimo illo apostolorum aliorumque pontificum apud sanctissimam Deiparam conventu agit, quam eumdem magistrum suum extollit! quam se deprimit! Ejus verba S. Timotheum Epi esi episcopum alloquentis hæc sunt : *Apud ipsos*, inquit, *Deo afflatos pontifices nostros, cum et nos, ut nosti, et ille* (Hierotheus scilicet) *ac plerique e nostris sanctis fratribus ad contemplationem corporis illius, quod vitæ principium exstitit, Deumque suscepit, convenissemus (aderat autem et Jacobus frater Domini, et Petrus supremum ac maxime venerandum theologorum columen) cumque eo conspecto placuisset, ut potentissimam divinæ imbecillitatis bonitatem pontifices omnes pro suo quisque ingenio collaudarent, tum ille, ut scis* (Hierotheus) *aliis omnibus sacrorum magistris secundum apostolos præcellebat, totus excedens,*

Digitized by Google

totus se deserens, atque adeo quamdam eorum, quæ prædicabantur communionem in se experiens, ab 511 *omnibus qui videbant et audiebant, qui noscebant vel ignorabant, sacro numine correptus, et laudator divinus judicabatur. Sed quid ego tibi ea quæ de divinis rebus ibi dicta sunt, commemorem? Nisi enim meimet ipsius plane oblitus sum, scio me quoque abs te istorum divinorum hymnorum partes aliquas audivisse. Adeo tibi cordi est divina haud leviter persequi. Verum ut mystica illa, et sicut in vulgus non efferenda, et tanquam tibi perspecta prætermittamus, quotiescunque nostra cum multis communicare, et quamplurimos ad doctrinam sacram adduci oportuit, ille plerisque sanctis doctoribus, et usu temporis, et mentis puritate, et demonstrationum certitudine, et cæteris sanctæ eloquentiæ facultatibus haud parvo intervallo antestabit: ita ut adversus tam magnum solem nostros figere obtutus ausi nunquam fuerimus. Ita enim nobis conscii sumus, ita sentimus non posse nos, nec divina, quæ mente percipienda sunt, satis intelligere, nec quæ super Dei cognitione exprimenda sunt, digne effari: sed cum procul ab eo absimus, id etiam accedit, quod ista divinorum viforum ad veritatem theologicam spectante scientia deficimur, atque eo prorsus ex magno metu et reverentia devenimus, ut nihil omnino de sacra philosophia nec audiremus, nisi insedisset animo, non esse divinarum rerum quantulamcunque cognitionem negligendam. Quod quidem nobis persuadens non modo naturales mentium appetitiones quæ tantam, quantam capere possunt, rerum sublimium contemplationem studiose semper affectant, sed ipsa quoque divinarum legum optima institutio, quæ ea quidem, quæ supra nos sunt, tanquam meritum et captum excedentia, vetat curiosius investigare; omnia vero quæ permissa et concessa sunt, jubet attente condiscere et benigne cum aliis communicare. His igitur et nos inducti, atque ad divinorum, quatenus assequi licet inventionem, nec labori parcentes, nec inertiæ concedentes, imo nec eos qui nostris altiora contemplari non valent, absque subsidio relinquere sustinentes, animum ad scribendum appulimus; nihil quidem novi inducere ausi, sed minutioribus duntaxat, et particularibus quibusdam instructionibus, ea quæ compendiose a nostro vere Hierotheo dicta sunt, distincturi atque explanaturi.* Hactenus verba Dionysii de se tam tenuiter atque submisse, quam de præceptore Hierotheo reverenter ac honorifice dicta.

De quo rursus capite 4 ejusdem libri sic ait: *Hæc etiam præclarus ille noster sacrorum moderator* (Hierotheus) *in hymnis amatoris divine exposuit. Quorum hic meminisse, et nostro* De amore *tractatui velut sacrum quoddam caput adnectere, haud erit alienum.* Adnectit deinde illud caput, quod ad ipsiusmet Hierothei Vitam differo. Adeo vir ille sanctus quantum præceptoribus et rerum divinarum magistris deberetur honoris et observantiæ, non intelligebat modo, sed etiam absque omni invidia præ se gratissimo animo terebat, posterisque tradebat. Quin etiam neque eamdem, quam suus doctor Hierotheus, materiam ante ausus est pertractare, quam clarum fecisset, id se bona ejus venia, imo suasu atque jussu facere: nec tam quæ ille ardua atque difficilia perscripsisset majoribus animis et perfectis sensibus accommoda: quam quæ idem tanquam minora omisisset ab aliis explicanda, et tardioribus ingeniis exponenda, sese alieno rogatu scriptis mandare professus esset. In quibus tam propter exemplum juventutis, quæ olim suos magistros his tracta vestigiis venerabitur, quam quia sancti Dionysii perillustris, et omnibus æmulanda scriptoribus tam sua extenuantis, quam aliena extollentis elucet modestia animique submissio, non pigebit aliquantisper in monstranda tantæ virtutis pulchritudine immorari. Hæc igitur sunt magni Areopagitæ verba: *Sed aliquis requiret fortasse quid sit quamobrem postquam venerandus præceptor noster Hierotheus* Theologicas institutiones *perexcellenter collegerit, nos jam, quasi illæ minus sufficerent, novas alias et præsertim hanc theologiam conscripserimus. Atqui si ille quidem omnia quæ ad theologiam pertinent, ex ordine commentari voluisset, ac totius theologiæ summam brevissimis explicationibus persequi, eo vesaniæ aut temeritatis nunquam prorupissemus, ut nos illo arbitraremur vel perspicacius res theologicas esse assecuturos vel divinius; neque item animum induxissemus in iisdem labore supervacaneo repetendis operam nostram ludere; quid dicam et præceptorem et amicum ex cujus præcipue sermonibus secundum divinum Paulum instituti sumus, injuria afficere, et præstantissimam ejus contemplandi scientiam et expositionem suffurari? Sed cum is divina graviter explanans, compendiosas nobis et multa breviter complectentes definitiones exposuerit, simulque mandaverit, ut et nos pro virili, et quicunque nostri similes rudiorum sunt animarum magistri, apto sermone breves illas et singulares mentis illius perspicacissimæ sententias explicaremus, tuque ipse nos, o Timothee, ad idem præstandum sæpenumero exhortatus sis, et nobis ejus librum tanquam sublimiorem remiseris: hinc et nos illum ut perfectorum atque exercitatorum ingeniorum magistrum iis qui supra vulgus sapiunt, secernimus ejusque scripta velut altera scripta divinis, et apostolicis proxima reputamus: nostri autem similibus pro nostro et ipsorum captu res divinas exponemus. Si enim perfectorum est solidus cibus, alios eo pascere quantæ perfectionis est? Recte igitur hoc quoque a nobis dictum est, claram illam et per se oculatam spiritualium eloquiorum contemplationem et succinctam eorum doctrinam exercitatioris indigere facultatis; sermonum autem qui eo deducant, scientiam atque disciplinam inferioribus sacrorum mysteriorum magistris juxta et discipulis convenire. Quanquam et illud quoque a nobis perquam diligenter est observatum, ut quæ divinus* 512 *ille præceptor plana expositione distinxisset, nullo modo attingeremus, nec iis quæ ipse dilucidasset, denuo repetendis actum ageremus.* Hactenus Dionysii Areopagitæ, viri in maxima et sublimissima scientia longe modestissimi verba plane aurea, quæ cunctis sacræ theologiæ doctoribus, sed et quibuslibet aliis quarumcunque artium magistris, sed tamen illis potissime, ut ejusdem studii corrivalibus, cum Christianæ submissionis, tum debitæ majoribus, et præsertim magistris suis reverentiæ exemplo esse debeant. Verum de modestia satis: nunc germana ejus mansuetudo inspici cupit.

CAPUT XXIV.

Dionysii mansuetudo, et mansuetudinis commendatio.

Sancti Dionysii modestiæ comes mansuetudo jungatur. Quibus scilicet ut geminis germanisque sororibus, cum scripta ejus cætera, tum epistolæ præsertim insignes sunt, tresque potissimum, una ad Polycarpum Smyrnæ pontificem, altera ad Demophilum monachum, tertia ad Sopatrum sacerdotem. In quarum prima leniter admodum et mansuete conjectum in se Apollophanis grave convicium retorquet: secundam vero totam fere in eximia mansuetudinis laude consumit. In tertia quam suaviter cum probis viris alia quam nos sentientibus agendum sit, ipsius suæ epistolæ exemplo docet *; est enim illa graviter juxta et perhumaniter scripta. Dionysio hoc proprium fuit, ut sua conaretur solide comprobare, aliena non magnopere curaret (nisi si multum religioni officerent) refutare. Ostensa enim certo et liquido veritas omnem contrariam falsitatem suo marte supplantat. Quod idem ipse in Epistola ad S. Polycar-

* Est inter epistolas sancti Dionysii ordine sexta.

Digitized by Google

pum egregie docet atque exemplo veri ac regii numismatis confirmat : quo in medium posito, adulterina omnia mox deprehenduntur. Recte tamen observavit Maximus S. Dionysii interpres, non simpliciter ab auctore nostro refutationes aliarum opinionum reprobari (cum et ipse Elymæ magi sententiam refutet in libro *De divinis nominibus*), sed tum duntaxat, cum præter institutum aliena operosius refellantur, quam propria confirmentur.

Epistolam ad S. Polycarpum suo loco ante positam de superato per mansuetudinem convicio, non existimavi hic reponendam, sed in memoriam solum esse revocandam. Verum eamdem mansuetudinem in laudata superius ad Demophilum Epistola, uti meminisse lector potest, adeo exacte, fuse fervideque partim exemplis, partim sententiis vir sanctissimus et mansuetissimus exaggeravit, ut inde satis signi sit, quam eadem virtus illi chara et intimis insita medullis fuerit. Ubi inter alia exemplum illud de S. Carpo, Christi mansuetudinem per visum nocturnum edocto, ut longe pulcherrimum, atque ad eliciendam in peccatores lenitatem efficacissimum, cunctis curam animarum gerentibus necessario legendum est. Quocirca totum una cum sua Epistola in superioribus est positum. Illuc ergo, quos ea res tangit, ablego. Nam ad reges Christianissimos (in quorum auxilia et nunc et olim currere solitus est S. Dionysius) cum in præsenti avocet, moram non traho.

—

CAPUT XXV.

Sancti Dionysii in Christianissimos Francorum reges beneficia.

Proximum virtutibus locum merito sibi prodigia vindicant, et ea præsertim quæ animis juxta et corporibus profuere. Quorum quia Christianissimi Francorum reges præcipue compotes fuerunt, ab iis auspicato capiendum videtur initium. Primus igitur in hunc ordinem veniet Dagobertus, Clotharii filius, quando hunc ei locum tam series temporis, quam percepti a sancto Dionysio beneficii magnitudo **513** addicit : quippe qui et patris iram adolescens, et Dei vindictam terris excedens, hujus sanctissimi martyris opportuno interventu evaserit. Quæ quo pacto acciderint, breviter enarrabo.

(2-3) Rex Clotharius Dagoberti parens, charum in paucis et cui res fidenter committeret, certum hominem habebat nomine Sadragesillum : et hunc filio moderatorem et Aquitaniæ gubernatorem præfecerat. Sed eumdem Dagobertus, ut severiorem et minus sui reverentem, odio tacito et vindictæ avido persequebatur. Patre igitur Clothario per venationum studia ab se longius sejuncto, commodam sui ulciscendi occasionem nactus Sadragesillum invitat, adhibetque mensæ : post mensam in eum manus injici, vestes detrahi, flagris cædi, barbam amputari mandat. Cujus tam audacis facti exinde conscius et cito pœnitens (ita scilicet est animus juvenum, ut cæcus et præceps ad audendum, sic celer et facilis ad retractandum) patris iram et conspectum exhorrebat, nec sine causa. Nam reversus pater, et illatam homini amico tam atrocem injuriam oculis suis conspicatus, graviter admodum et iniquo animo ferre; imo et ingentibus minis tanti auctorem facinoris filium ad pœnam deposcere : hic autem nusquam tutus, latebras ubique quærere, et præ nimio metu loca identidem commutare, donec tandem in vicum Catulliacum, et in sacram ibidem ædiculam, S. Dionysii et sociorum corporibus illic asservatis nobilem, tanquam in asylum, confugit. Ibi enim cervum contra insequentes molossos et venatores, quos occultus nexus aditu arcuerat, salutem quondam invenisse meminerat. Hic ergo mœstus ac lugens cum jaceret tam animo dejectus, quam oppressus somno, ecce illi per visum vir ore venerando objici, hortarique ut, posito metu, bono sit animo : isto enim illum periculo, atque etiam majori quam hoc esset, olim defuncturum : imo et Francorum regno quondam potiturum, si tamen eorum, qui hic siti essent, monumenta sese ornaturum promitteret. Promisit : moxque ut dictis et promissis certa constaret fides, cœlestem opem sensit. Nam eos qui a patre missi venerant, cum uno circiter milliari ab æde illa abstarent, ne ultra progredi possent, vis divina inhibuit. Qui proinde subitaneo territi prodigio iter reflectunt, et quid monstri sibi accidisset, regi renuntiant. Quibus ille recusans fidem, et inertiæ potius atque infidelitati, quam certo prodigio factum attribuens, alios eodem submittit; sed illi quoque in pari intervallo accessu prohibiti, idem quod nuntii priores, referunt. Quibus perinde increpitis, et tanquam principi filio obsecundantibus, acerbe rejectis, abit ipsemet stomacho plenus, velut filium a sepulcris martyrum suis manibus abstracturus : verum ubi se nihilo minus quam satellites ibidem loci, quadam vi clandestina ab appropinquando distineri animadvertit, cœlesti tandem potentia et martyrum virtute recognita, dat manus, reditque cum filio in gratiam, et recepta progrediendi facultate ædiculam ingressus, gloriosos martyres supplex adveneratur, et sibi propitios facit. Filius autem Dagobertus accepti memor beneficii, magno deinceps honore et horrore eum locum, et sanctos loci præsides, potissimeque Dionysium, coluit. Quo tamen in cultu haud sane id probaverim, quod illud sapientissime dictum : *Ne quid nimis*, aut non satis attenderit, aut parum curaverit. Siquidem nimia exornandæ S. Dionysii basilicæ, quam ipse exædificaverat, cupidine, omnia fere Galliarum templa præcipuis exspoliasse ornamentis fertur, adeoque ædis S. Hilarii Pictaviensis episcopi valvas ex ære fusili fabrefactas, in D. Dionysii haud veritus est transportare : non reputans scilicet animo, quam ea pietas vel ingrata sanctis, vel invisa Deo foret, quæ unius divorum ornamenta ex alterius contlaret exuviis. Neque vero cœlites ipsi de tam impia et irreligiosa (si fas est sic appellare) pietate et religione atrum ferre calculum distulerunt. Nam earum valvarum alteram, dum per Oceanum in Sequanam, et per hanc Parisios versus deveheretur, profundo fluminis alveo nunquam adhuc repertam demerserunt. Sed et hoc et alia Dagoberti peccata cum ejus serio pœnitentis regiæ eleemosynæ, et pia opera, tum etiam sanctorum martyrum, et in primis Dionysii cultus et veneratio, teste certa revelatione abstulerunt. Narrat enim Aimoinus (4), et narrationi subscribunt rerum Gallicarum scriptores universi, Ansoaldum illustrem virum, eumdemque Pictaviensis Ecclesiæ protectorem, cum peragratis Siciliæ oris in Galliam postliminio renavigaret, ad quamdam brevem insulam appulisse : illic viri cujusdam sanctissimi solitarie degentis, Joannis nomine, congressu et confabulatione usum, atque inter alios de animæ salute sermones interrogatum ab eo fuisse, num regem Dagobertum nosset. Qui cum nosse respondisset, illum rursus sciscitatum, quæ vita, qui mores hominis exstitissent. Quibus ex ordine commemoratis, demum subjecisse senem illum solitarium, quæ super ejusdem regis statu per visum accepisset : nempe sibi vigiliis ac jejuniis, atque etiam ipso senii gravamine in somnum depresso, virum quemdam veneranda canitie spectabilem astitisse, monuisseque, uti propere surgeret, ac pro Dagoberti regis anima, quæ eadem ipsa hora corpus deseruisset, preces ad Deum funderet : quod impigre exsequenti subito apparuisse in ipso pelago, nec a se procul, terribiles visu **514** formas, teterrimos scilicet ac truculento

Digitized by Google

vultu dæmones, qui vinctum regem Dagobertum per vasta maris spatia vexantes, plagisque lancinantes, ad antra ignea pertraherent; ipsum vero regem diris distentum cruciatibus, inter verbera vexationesque, certorum sanctorum efflagitasse subsidia; atque tum aperto derepente cœlo, viros quosdam nitore admirabili, inter crebra fulmina multa cum fragrantia ruentia descendere visos; qui ab eo interrogati quinam essent, eos se esse responderunt, quos Dagobertus in suppetias advocasset, Dionysium scilicet et Mauritium martyres, et cum his S. Martinum confessorem. Hos ergo vidisse se referebat, ereptam dæmonibus animam ad cœlos cum hoc epinicio deducentes : *Beatus, quem elegisti et assumpsisti, Domine, inhabitabit in atriis tuis* [x]. Hæc solitarius ille ætate et sanctitate venerabilis a se visa Ansoaldo narravit, Ansoaldus S. Audoeno, Audoenus et Aimoinus posteritati. E quibus duo videntur ad vitam bene beateque degendam elici posse utilia documenta; quæ omnibus quidem mortalibus, sed potissime regibus cordi esse debet. Unum, ut peccata sua, quibus ob curarum molem eos contaminari necesse est, mature ac sollicite profusis in egenos largitionibus redimant; alterum, ut nonnullos e sanctorum numero, quos peculiari cultu et veneratione in vita prosequantur, et quorum ope in exitu securiores sint, sibi patronos asciscant. Quod utrumque Dagobertus (5) ille magno animæ suæ bono mille fere ante annis præstitit. Nam præter sancti Dionysii templum, quod universis, quæ Gallia tum habuit, magnificentius exstruxit, hoc præterea effecit immortali memoria dignissimum, quod subjugatis circumquaque vicinis nationibus, et pace toto regno firmata, cum se alius, ut solet, luxui otioque dedidisset, ipse nuntio his remisso, animum ad pietatem, et cogitationes suas ad regnum aliud vere regnum pulchris meritis comparandum, serio adjecerit. Siquidem in unum coactis Galliæ proceribus, eam super vitæ suæ mutatione habuit orationem, quam frequentissimus ille pontificum cœtus ingenti plausu excepit. Se nimirum, considerata hinc mortalitate corporum, inde immortalitate animorum, in hanc deinceps, cujus præcipua sit habenda ratio redemptis præteritæ vitæ flagitiis, penitus et ex animo velle intendere, proindeque testamentum condere decrevisse, in quo omnes regni sui celebriores basilicas certis copiis et prædiis locupletaret. Quod ille quidem non dixit magnificentius, quam præstitit liberalius. Nam et apud ipsum Aimoinum, et alios rerum Gallicarum scriptores, non orationem modo regis, sed et testamentum (6) ipsum piis instructum donationibus invenias.

Neque vero solum Dagoberto, sed et aliis eum consecutis Francorum regibus idem ille regni apostolus in utrisque tam terrenis quam cœlestibus bonis commodavit. Exstat enim egregia Ludovici Pii imperatoris (7-8), ejusdemque Francorum regis, ad Hilduinum abbatem epistola, in qua e majoribus suis complures recenset, quibus incredibili bono fuit, piam B. Dionysii coluisse memoriam : « Qui dum sacras ejus exuvias (ita loquitur imperator) in terris ob amorem et honorem Domini nostri Jesu Christi, opibus quibus poterant, honoraverunt, per ejus preces dignissimas honoris privilegio potiri et in terrenis et in cœlestibus meruerunt : ut videlicet unus e priscis Francorum regibus Dagobertus, qui eumdem pretiosissimum Christi martyrem veneratus non mediocriter fuerat, et immortali est vita sublimatus, et per ejus adjutorium, sicut divina ac celebris ostensio perhibet, a pœnis est liberatus, inque vita perenni desiderabiliter constitutus. » Ita de Dagoberto rege Ludovicus Pius laudatæ superius revelationi conformiter memoravit. Qui ibidem deinceps ejusdem Dionysii, primo in proavum suum Carolum, deinceps in Papinum, postea in patrem suum Carolum Magnum, et postremo in semetipsum merita et beneficia gratissimo animo persequitur : « Proavus, inquit, noster Carolus, princeps Francorum inclytus, per orationes ipsius excellentissimi martyris indeptum se fuisse gratulatus est apicem principatus. » Denique, quo brevis sim, eadem prope de avo, de patre, de se ipse prædicat; nempe S. Dionysii meritis regni coronam ipsis datam, servatam, restitutam. Neque vero in hos magis, quam in posteros reges, ejusdem martyris se prodidit beneficentia. Nempe pares pietates paria solent beneficia comitari.

Itaque Robertus, qui ad regni potentiam non modo pietatem, sed et doctrinam quoque, eamque rege pio dignissimam adjunxit, cum suæ magnam partem felicitatis sancto Dionysio ascriberet, in ejus honorem et grati signum animi cœnobitis Dionysianis agros non paucos, et præclara latifundia insignia liberalitate condonavit, his usus verbis : « Probavimus ergo, inquit, operæ pretium esse (ut diligentius obsequiis divinis vacarent, et nostram ac totius regni salutem Deo commendarent) qualemcunque largitionis nostræ opem conferre fratribus e monasterio specialis patroni nostri macarii Dionysii : cujus protectionum alis erecti, et quam plurima jam pericula superavimus, et ad hæc regni fastigia nos ascendisse confidimus. » Dein recenset rex liberalissimus juxta et pientissimus villas decem, quas illas totas concedit, aliaque insuper non pauca. Post quæ subjungit : « Hæc itaque regiæ largitionis nostræ indulgentia cupimus sanctorum martyrum Dionysii, Rustici, et Eleutherii, quibus olim omnem spei nostræ **515** fiduciam commisimus, patrocinia promereri, quatenus hostibus nostris et victrices dextras inferre, et cum triumpho victoriæ, invicta, annuente Deo, exinde de eorum subjectione vexilla referre. » Hæc ille. Itaque semper invictus fuit : semper omnium quæcunque attentavit compos et victor, semper etiam pius. Hinc et multas ædes sacras variis in locis exstruxit : apud Silvanectum, sancto Regulo B. Dionysii socio unam : Aureliæ, divo Aniano aliam : Stampis, beatissimæ Virgini tertiam : Augustoduni, duas : apud Possiacum, rursus eidem Virgini alteram. Anno demum regni sui trigesimo quarto, et salutis nostræ circiter millesimo tricesimo tertio, sancte obiit, atque in æde sancti Dionysii tumulum in cœlo regnum aliud acquisivit.

De Henrico autem I ejus filio, quid dicam? An a patris germana pietate descivit, aut ab avito Dionysii cultu vel latum unguem degeneravit? Nempe qui propter Ratisbonensium de corpore S. Dionysii dissensionem, cum illud in cœnobio Dionysiano detegi jussisset, inibique repertum, et quidem mira odoris fragrantia divinitus refertum cognovisset, confestim extraordinaria instinctus pietate, Parisiis ad S. Dionysii urbem, eadem ipsa die (hoc est, nona Junii, quæ exinde quotannis festa est) ad visendum atque venerandum idem corpus, nudis pedibus, rex tantus et tam potens, ad duo circiter milliaria properavit, et regalia munera sacræ ejus aræ devotus imposuit.

Denique et Philippus Augustus (9), et ejus filius Ludovicus sancti Ludovici pater, et ipse sanctus Ludovicus (10) (ut tres sint instar omnium) præsentissimam patroni sui opem non semel, sed sæpius experti sunt. Nam anno quidem Domini millesimo centesimo nonagesimo primo, ægrotantibus non uno eodemque tempore, et uno eodemque morbo, sed locis maxime dissitis, Philippo rege et Ludovico filio, hoc in Francia, illo in transmarinis regionibus, ubi adversus Turcas pro terra sancta militabat, invocata S. Dionysii et sociorum ope, atque insuper instituta ab ejus cœnobii religiosis ad urbem usque

[x] Psal. LXIV, 5.

Digitized by Google

Parisios solemni supplicantium processione, ambobus e periculosissimo dysenteriæ morbo incolumitas est restituta. Qua quidem in re mirabilis sane Dei opt. max. largitas constitit : qui pro solo filio deprecantibus (nihil dum enim de patris invaletudine inaudierant) non tantum pro filio, sed etiam pro patre propitius fuit, ambosque eadem hora persanavit. Quæ duplicata sanitas, incredibile dictu quanta deinceps reipublicæ Christianæ commoda importarit. Fuerunt enim illi duo reges non modo Ecclesiæ fortissimi propugnatores, sed etiam hæreticorum, ac præsertim Albigensium, impugnatores acerrimi, nec sine magna opinione sanctitatis. Neque desunt qui Philippo ipsi vita functo occurrisse Dionysium, atque se illi ad cœlos ducem ac comitem præbuisse, divina certum ostensione asseverent. Quod suis celebrare versibus minime prætermisit Guilielmus Brito, qui in libris Philippiados hæc de illo cecinit inter alia :

. . . . . *Spiritus aula*
Fulget in angelica, ductore receptus eodem :
Idque pari patrum Dionysius ipse sequenti
Nocte revelavit : ne quis regnare Philippum
Cum Christo dubitet, re tanto teste probata.

(11) S. Ludovicus vero gratiarum beati Dionysii expers esse qui potuit? quippe qui in illius cultu (si veram et sinceram spectes pietatem) nulli superiorum regum aut imperatorum concessit. Quare cum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto in gravem et medicis desperatum morbum incidisset, et eo quidem tempore quo ejus opem præcipue exspectabat et efflagitabat Ecclesia (nam ad illum Innocentius IV pontifex ob Friderici imp. tyrannidem confugerat) tum et ipse rex Ludovicus, et sanctissima ejus mater Blancha regina, non aliunde secundum Deum et sanctissimam Virginem, quam a B. Dionysio regni patrono, certum ac præsens auxilium sperandum rati, ejus sacras reliquias ex abditis latebris in lucem erui, palam et publice coli, per ædem et claustrum Dionysianum religioso ritu circumferri, preces denique tam ad eum, quam ad socios martyres pro ejus salute spargi expetierunt. Quæ simul fieri cœpta sunt, statim rex convalescere, confestim regni Ecclesiæque negotia in melius procedere occeperunt.

—

NOTATIONES.

(2-3) *Rex Clotharius.* Quæ hic de Clothario memorantur, ea cunctorum Franciæ historicorum consensione firmantur. Vide Aimoinum lib. IV *De gestis Francorum*, et Paulum Æmilium lib. I, et Robertum Gaguinum lib. III, et Belloforestium lib. I *Historiar.*, cap. 30, et alios.

(4) Aimoinus l. IV, c. 34, *De gestis Franc.*

(5) *Quod utrumque Dagobertus.* De hac Dagoberti aut dexteræ potius Excelsi in Dagoberto mutatione, tam vere quam eleganter Stephanus Forcatulus, lib. V 516 *De Gallorum imperio :* « Cæterum, inquit, constat Dagobertum qui quandoque ædes divorum spoliarat, præsertim Hilarii Pictaviensis ære fusili valvas fabrefactas prætextu Dionysium exornandi, et alia sacra profanaque sine delectu legerat, jam senescentem ita ad templa exstruenda et ditanda animum convertisse, et divinis cæremoniis augendis incubuisse, ut duos in uno homine Dagobertos fuisse quis crediderit : aliter atque Salomon, qui bona juventæ infami senecta exhausit inter mulierum greges diis reprobis thura adolens et immolans, ac colens Astarten deam Sidoniorum, quæ non fuit alia quam Venus. » Et paulo inferius : « Melius itaque accidit Franco regi, qui impietatis priorem maculam sequente sanctitatis decore eluerit, et impuræ voluptatis sordes speciosis rebus gestis purgarit. Ut et Childericus ille de quo sermonem instituimus, quo nihil unquam odiosius habuere Franci quandiu immersit se spurcis voluptatibus; A nec charius, dum emersisset. Tum enim majore longe cupiditate revocarunt, quam expulerant. » Ita Forcatulus.

(6) *Sed et testamentum.* Ad Dagoberti donationes Ecclesiis factas quod attinet, tot ac tantæ fuerunt, ut nullius fortasse a Constantino Magno regis aut imperatoris eas æquare magnificentia potuerit. Quæ autem nominatim cœnobio S. Dionysii apud Lutetiam largitus sit, e regiis litteris, quas nuper edidit Jacobus Dubletius, cognosci potest. Exstant illæ lib. IV *Antiquitatum* ejusdem cœnobii, cap. 3, in quarum unis mentionem iræ patris, et auxilii a sancto Dionysio obtenti strictim meminit ipsemet Dagobertus hisce verbis inter alia : « Orbis universus eum (Dionysium) summo debet venerari obsequio : multum quidem ego, qui in declinando patris iram, ipsius sensi mihi non abfuisse gratiam. »

(7-8) *Exstat enim egregia Ludovici Pii imp.* Epistola hæc Ludovici Pii exstat in *Areopagiticis* Hilduini B abbatis a Galeno Westcappellio editis, et apud Surium in Octobri, ad Vitam sancti Dionysii Areopagitæ.

(9) *Denique et Philippus Augustus*, etc. Videndus est Rigordus in lib. *De gestis Philippi*, ut etiam de Ludovico ejus filio.

(10) *Et ipse S. Ludovicus.* Quæ hic de sancto Ludovico, et alia de eodem, vide apud Guilielmum Nangium ubi de ejus gestis.

—

CAPUT XXVI.

Christianissimorum Franciæ regum erga B. Dionysium studia et honores.

Christianissimis regibus antiquissimum in orando et honorando Dionysio Clotharium II invenio (12), qui plurimum quidem auri et argenti ad exornandas B. Dionysii et sociorum martyrum memorias obtulit, imo prædia quoque, et bona, et multa ; sed tamen Dagobertus ejus filius, tam liberalitate et munificentia in exstruendo et dotando templo patri anteivit, quam ejusdem Dionysii honore atque cultu cunctis fere regibus. Nam Ludovicorum quidem purior et religiosior pietas fuit, uti et sanctitas major : sed Dagoberto templi et cœnobii Dionysiani laudem fundationis cuncti attribuunt. Cujus templi partem, quæ sancta corpora obtegebat, argento texit ; cœnobium autem non opibus tantum largissime ditavit, sed privilegiis quoque et immunitatibus amplissime honoravit. Verum de templi consecratione (13-14), ipsius Christi Domini peracta ministerio, mira inusitata, idoneis tamen auctoritatibus et testimoniis, prædicantur. Nam cum antistites ad celebrandam dedicationem (quæ ad VI Kalend. Martii futura speraba-

Digitized by Google

tur.) Dagoberti regis invitatu in unum convenissent, leprosus quidam obtenta ab ædituis in eadem sacra æde pridie dedicationis pernoctandi facultate, dum vigil in precationibus excubat, ecce videt manifeste Christum Dominum, sanctis apostolis Petro et Paulo stipatum, assectantibus quoque Dionysio, Rustico et Eleutherio, templi patronis, ingredientem, ipsumque candido præmicantem habitu, omne dedicationis munus per sese obeuntem. Quo absoluto munere ad se quoque accedentem, ac hujusmodi utentem verbis audit : « Tu homo dicito pontificibus, ubi crastina luce ad hanc ædem advenerint, eam a me consecratam esse, et habeto hujus testimonium certitudinis, lepræ tuæ mundationem. » Quæ simul atque est elocutus, lepra in vicinum lapidem translata, « quæ ad hunc usque diem, » inquit Robertus Gaguinus, « per summam admirationem visitur, » leprosus omnino mundatus est. Quo miraculo attoniti præsules, dedicatione abstinuerunt. De Dagoberto hactenus.

Cæteri porro reges, qua honoribus, qua largitionibus egregie sunt æmulati : qui quidem in sancti Dionysii meritis tantum esse præsidii crediderunt, ut spe beatæ vitæ per ejus allegationem citius obtinendæ, in ejus templo voluerint tumulari : unde et idem templum pro communi regum mausoleo cœptum est deinceps usurpari. Sed inter alios, quanta Caroli Magni pietas in hoc genere, quanta modestia et animi demissio fuit? qui se ipsa Dionysii æde indignum reputans, satis sibi esse dixit, si ante ipsa ædis limina conderetur, itaque condi voluit. Qua tamen cum modestia certat vincitque, me judice, illa ejusdem in patronum suum pietas et devotio singularis qua donorum aliorum quantislibet largitionibus non contentus, in templum ipse ingressus, et deposito super aram sacram regali diademate, genibus humi flexis, palam et cunctis audientibus, regnum suum et Francorum coronam B. Dionysio obtulit ac devovit. « Domine sancte Dionysi (15), inquit, regio me **517** honore ego Franciæ spolio, ut vos de cætero ejus habeatis dominium. » Deinde altari quaternos aureos velut redemptionis pretium imposuit, hoc signo testans, et palam omnibus faciens, a nullo se Francorum regnum, nisi a Deo et a B. Dionysio obtinere. Quod non modo ipse fecit, sed aliis quoque post venturis regibus quotannis faciendum præscripsit. In expeditionem porro extra regnum abiturus, sive alia de causa exiturus, pro more habuit, ab eodem Dionysio facultatem exposcere, eique regnum commendare hac fere formula : « Domine sancte Dionysi, a vobis nunc abeundi facultatem peto. Franciamque vobis relinquo, ut illius secundum Deum curam ac tutelam suscipiatis. » Quod Caroli Magni exemplum ad posteros quoque transiit qui etiamnum iter aliquod magnum aggressuri, ad sanctorum martyrum corpora adeunt, et oblatis super ara B. Dionysii muneribus, ac regni cura et protectione divis concredita, ab iisdem accipiunt discedendi facultatem. Ab eodem Dionysii honore et amore priscum illud dictum emanasse creditur, quod iisdem Francorum regibus lingua patria fuit in ore quam frequentissimum, *Mon Jove S. Denys* (16), hoc est : *Jupiter meus S. Dionysius*. Quasi dicerent : Jovem sibi habeant alii, mihi pro Jove erit sanctus Dionysius. Quod dictum usque a Clodoveo I derivatum ferunt, qui uxoris suæ Clothildis pientissimæ reginæ suasu atque hortatu, tam ad suscipiendæ fidei Christianæ votum, quam ad sancti Dionysii cultum fuerit incitatus. Hæc enim cum eximia corporis forma et indole vere regia emineret, ea lege cum Clodoveo nuptias pepigerat, ut se Christianorum baptisma admissurum, et a Jove aliisque diis, nec diis, ad unum Deum, atque ad Christiana sacra transiturum promitteret. Quod tunc quidem promissum, sed a nuptiis celebratis diu prorogatum, necessitas tandem extorsit. Quintodecimo enim regni sui anno Alemannos bello aggressus, et ab iis pene oppressus, dum suos a fuga cohibere non valeret, tum demum arctis in rebus, et fidei suæ rediit in memoriam olim Clothildi datæ, et falsis diis non succurrentibus, uni vero Deo opt. max. baptismum et religionem vovit, si is a se quidem in hoc prælio staret, et domum victorem reduceret. Quo nuncupato voto, nova confestim incessente animum alacritate, denuo dari signum classico jubet, et quam sibi proximam habebat, ad sui corporis munimentum, egregiam armis juventutem secum agens retro in hostes flectit. Nec mora fugiunt persecutores, vincuntur victores, rex Alemannorum cæditur, Alemannia subjugatur. Parta igitur tam memorabili victoria occurrit victori viro victrix Clothildis una cum S. Remigio; atque, ut multa paucis, rex Clodoveus voti reus instruitur, abluitur, insignis Christi cultor et sancti Dionysii cliens efficitur, jacetque deinceps cum suis diis Jupiter, et pro Jove Dionysius passim celebratur. Denique sive in jurejurando, sive in sermone alio, ubi antea Jupiter usurpari solitus erat, jam a Christianis regibus nihil fere aliud, nisi *Mon Jove S. Denys* resonat : donec annis labentibus, et Jove sensim in oblivionem abeunte, posteriores reges et principes alii deflexa nonnihil pronuntiatione, arbitrati *gaudium* et non *Jovem* secunda illa voce enuntiari, cœperunt vulgo *Mon joye S. Denis*, id est *Gaudium meum S. Dionysius*, parva litterulæ unius commutatione, usurpare : præsertim quod ita Clodoveum ipsum Gallici idiomatis tum satis rudem, ut pote Francum, ita locutum esse existimarent : ac proinde plus auctoritatis regi et antiquitati, quam legibus grammaticis tribuendum contenderent : secundum quas alioqui, *Ma ioye S. Denis :* recta concinnaque locutione fuisset efferendum. Denique quotiescunque insignis aliqua de hostibus parta fuisset victoria, hæc ferme erat exsultantis exercitus, hæc congratulantis populi publica acclamatio : *Mon joye S. Denys, Mon joye S. Denys :* quippe qui et victoriæ, et triumphos, et spolia uni secundum Deum accepta referrent Dionysio. Hinc et erepta hostibus signa atque vexilla, interdumque sua ipsorum arma, quibus fortiter prospereque depugnaverant, eidem velut sacro exercituum duci suspendebant. Sed nunc ad propositum revertamur.

Caroli Magni egregiam in Dionysium pietatem filius Ludovicus, qui Pius est cognominatus; et Ludovici, Carolus Calvus; et Caroli Calvi, ejus posteri sunt imitati. Nam de Ludovico quidem (17) testis est locuples ipsiusmet ad Hilduinum epistola, cui commemoratis tam in se quam in majores suos Dionysii beneficiis, conquirendorum ejusdem martyris librorum ac monumentorum omnium, sibique exhibendorum curam imponit : satis scilicet insinuans, aliquam se a fastidiosis regni negotiis animi remissionem in eorum lectione positurum. Adde quod Carolum Calvum filiorum natu minimum, adhuc admodum parvulum eidem sancto, singulari cura atque (ut Aimoinus loquitur [18]) « speciali traditione » commendarit. Qui proinde natu jam grandior, et regni potens, cultum sancti Dionysii velut patriam atque avitam hæreditatem retinuit. Quare facta de subito Danorum in Franciæ regnum irruptione, cum hæreret inops consilii, aliis alio elabentibus, et urbem ipsam Parisios hosti prædam deserentibus, ipse ad sancti Dionysii monasterium, opem divinam imploraturus, cum exiguis copiis contendit : ubi quidem fixum habuit, vel diffluente populo, pro sanctorum martyrum reliquiis depugnare, et sanctum locum tueri, **518** si facultas aliqua daretur, resque postularet, in hostem irrumpere, sicque laudabili corporis interitu, religionis ac fidei gloriam depasci. Sed ejus adventantis inexspectatam audaciam hostes declinaverunt : ipse vero his atque aliis defunctus periculis, sancti Dionysii templum magnis auxit proventibus, et pretiosissimis donariis adornavit, quæ ad hoc usque tempus asservata visuntur (19). Inter quæ donaria

Digitized by Google

fuerunt Dominicæ crucis clavus, et spinea Christi corona, et sancti senis Simeonis brachium. Idem Carolus cum annos triginta regnasset, imperium est consecutus : quo biennium duntaxat perfunctus, Sedeciæ medici, quem habebat charissimum, veneno, ut aiunt, interiit, et Vercellis urbe Italiæ tumulatus est : sed in sancti Dionysii ædem septennio post transferri voluit. Nam Archengerus cœnobita Dionysianus, et Alphonsus D. Quintini Viromandensis ædituus, se in templis suis pernoctantes ab ipso Carolo per quietem, de ejus corpore in martyrum ædem transferendo admonitos asseverarunt.

Nec fuit Ludovicus Crassus a majorum æmulanda in Dionysium veneratione degener. Siquidem irruente in Franciam Henrico II imperat., et urbi Rhemis extremum minitante exitium, interea dum miles scribitur, adit ipse ad sanctum Dionysium, regni tutorem invocat. ejus et sociorum corpora e latebris effert, venerationi exhibet : deinde assumpta ab altari flammula (20) (vexillum hoc est sacrum et bellicum, Francis regibus in militia præferri solitum) Rhemos cum exercitu advolat. Cujus adventu et copiis territus imperator, confusione simul et mœrore et impatientia animum flagellantibus, mortis accelerata necessitate retrocessit, brevique postea, et quidem sine liberis, excessit, Ludovicus autem voti compos, dimisso exercitu, ad Dionysii cœnobium, Deo et martyribus gratias acturus rediit : quibus et egregia dona suspendit. Sed quod rege dignam pietatem in primis ostendit, hoc fuit ; quod recondendis eorumdem SS. martyrum corporibus suos ipse humeros rex tantus supposuit.

Conjungamus tam pio regi conjugem suam multo pientissimam, cujus in sanctum Dionysium tanta pietas, et amor, et benevolentia fuit, ut locum martyrii ejus, sive Montem Martyrum, illustri cœnobio sacrarum virginum ornare, et nova quadam perpetuæ sanctimoniæ corona honorare voluerit. Nam ibi Adelais æterna digna memoria heroina, ut pias virginibus ordinis Sancti Benedicti egregium et tali cœtui accommodatum esset monasterium, quo se recipere identidem ad sacros suos amores atque delicias, hoc est, ad memoriam atque monumenta gloriosæ mortis sanctorum martyrum posset, instituit apud maritum, pervicitque, ut viris religiosis, qui locum illum prius insidebant (erat enim prioratus, ut vocant, a cœnobio S. Martini de Campis dependens) aliquis alius attribueretur, quem ipsi volentes lubentesque in commutationem acciperent. Id igitur curatum diligenter, et factum : ac illi quidem abbatiam Sancti Dionysii de Carcere appellatam non inviti accepere. Virgines autem in Montem Martyrum triumphante ac voti sui potiente Adelaide conscendere. Exstant hujus commutationis litteræ a Petro Venerabili abbate Cluniacensi (21) (nam illius ea res intererat) anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tricesimo tertio datæ. Absolutis porro tum aliis ad habitationem ædificiis, tum ad preces et vota templi structuris, percommodum sane accidit, tam ad majorem regis ac reginæ lætitiam atque exsultationem, quam ad ipsius solemnitatis longe augustissimam et sanctissimam celebrationem, ut Eugenius III pontifex in Gallia diversaretur. Nam regis Christianissimi, et pientissimæ Adelaidis invitatu templum illud novum legitimis cæremoniis dedicavit, et sibi ad aram principem facienti, S. Bernardum abbatem Claravallensem pro diacono, Petrum Venerabilem præsulem Cluniacensem pro subdiacono ministraturos assumpsit. Ac Bernardus quidem illam ipsam tunicam, qua tum sacris operatus erat, e tela argentea confectam, ejusdem monasterio munus reliquit. Quæ ibi sanctæ reginæ gaudia, qui plausus, qui triumphi, rebus omnibus tam e voto tanquam ex animi sententia confectis, fuerint, quis dicendo exprimat? Ex illo igitur itare frequenter ad beatum illum locum, nec unquam aspectu cultuque sanctæ illius terræ, quæ patroni sui Dionysii sociorumque martyrum sanguinem suxit, satiari. Denique post charissimi mariti excessum cuncta illi palatia præ illo uno cœnobio sorduere : ibi viduitatem suam sacrare, ibi totam deinceps vitam exigere, ibi mori et sepeliri elegit.

Nec parentum virtutem in se desiderari passus est Ludovicus Junior : qui in terram sanctam parans expeditionem (annus erat salutis nostræ millesimus centesimus quadragesimus septimus) pr.usquam regno excederet, ad sancti Dionysii secunda post Pentecosten hebdomada accessit, a quo et opem et discedendi facultatem expetiit : quo etiam in templo sacrum vexillum ex more regio perquam reverenter accepit. Quin et patris exemplum secutus, sacro B. Dionysii feretro, dum reconderetur, succollavit.

519 Philippum vero Augustum, hujus Ludovici Junioris filium, quis hic sine flagitio præterire possit? Hic enim multis parentum precibus post copiosam alterius sexus sobolem a Deo impetratus, et vix decimum quintum ingressus annum vivente et volente patre, regni gubernaculis admotus cum fuisset, confestim magna in Deum pietatis, magna in Dionysium venerationis specimina edere incipit. Anno igitur Domini millesimo centesimo nonagesimo, ipsa die sancti Joannis Baptistæ sacra (id quod diu ante præ se tulerat, et diutius cum animo suo volverat ac concupiverat) serio aggredi expeditionem in terram sanctam nunc instituens, in oppidum sancti Dionysii, eum invocaturus patronum et ducem præsidemque belli, se contulit. Ibi vero coram sacris ejus et sociorum suorum Rustici et Eleutherii corporibus marmoreo in pavimento humiliter prostratus, ardentes ad Deum optimum maximum preces fundere, atque illi et beatæ Virgini, et hisce beatis martyribus atque omnibus sanctis supplicitor emixeque commendare : dein lacrymis perfusus a precatione surgere, et sportam baculumque peregrinationis, porrigente Guilielmo Rhemensi archiepiscopo, avunculo suo, apostolicæ sedis legato, cum magno pietatis sensu accipere ; tum etiam bina vexilla egregie apparata, quæ supra sanctorum martyrum corpora fixa erant, suis manibus religere ac tollere : demque post expostulata a fratribus religiosis precationum subsidia, et post acceptam clavi Dominici, et spineæ coronæ, et brachii sancti Simeonis (quas in eo cœnobio pretiosissimas servant reliquias) benedictionem abscedere, atque iter pro amplificanda religionis Christianæ gloria rex Christianissimus maturare. Perruptis proinde omnibus morarum et dilationum causis, anno proximo, ipsa sacri Paschatis vigilia pro muris Accons urbis totius Palæstinæ multo munitissimæ, Christianis eam obsidentibus, sed nihil admodum contra Saladini vires et loci propugnacula proficientibus, tanquam angelus Domini astitit, et dato suis animo sic oppugnare adorsus est, ut illi non exspectato Francorum insultu (jam enim patefacta via erat) dedere se malentes, quam perire, has deditionis conditiones admiserint ; ut veram Domini crucem, quam habebat Saladinus, redderent : ut omnes Christianos, quos in terris suis captivos detinebant, restituerent : ipsi vero salvis tantum corporibus sine armis ullis excederent. In gravem post hæc morbum Philippus cum incidisset, aliæque simul reditus causæ intercederent, in Franciam reversus, nihil habuit antiquius, quam ut confestim ad beatissimi Dionysii ædem orationis causa deproperaret : cui adventanti ejus cœnobii religiosi una cum abbate suo Hugone, « facta, ut Rigordi verbis utar (22), processione, » obviam ivere, eumque cum hymnis et laudibus in templum induxere. Rex autem ante sanctorum corpora humiliter prostratus, primo quidem quantas potuit maximas Deo beatisque martyribus, quorum ope tot ac tantis defunctus esset periculis, gratias egit : tum vero pallium sericum, amoris sui pignus, altari anathema imposuit. Verum quo testa-

Digitized by Google

tiorem suam faceret adversus Dionysium pietatem, quantumque in ejus apud Deum auctoritate spei atque fiduciæ reponeret, luculentius demonstraret, idem postea pristino monachorum Dionysianorum numero tricenos alios, qui perpetuo rem divinam pro se Deo exsolverent, copiis suppeditatis adjunxit (23). Hæc et alia in Dionysium officia cum cæteri Francorum reges observarint, tum principali cum modestia et pietate sanctus Ludovicus (24), qui ad iter Hierosolymitanum fidei propagandæ causa accinctus, ipsam quoque religiosorum Dionysiani cœnobii exedram ingressus, non modo præsulis, aut seniorum monachorum, sed juniorum quoque humiliora sedilia refugiens, locum in infimo eorum graduum, quibus ad abbatis thronum conscenditur, elegit: unde expeditis omnium religiosorum pro se et pro totius regni salute (quod beato Dionysio præcipue commendabat) sanctis precibus, et percepta clavi Dominici et spineæ corona benedictione, iter cum faustis omnium apprecationibus et acclamationibus aggressus est. Neque in morte quam in vita suam in Dionysium eximiam pietatem minus patefecit: siquidem deficientibus jam corporis viribus, illam usitatæ ad beatum Dionysium precationis clausulam identidem repetere auditus est: *Tribue nobis, quæsumus, Domine, prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare.* In ejusdem Dionysii templo, quod multis vivens aureis coronis et ornamentis decoraverat, atque ad sepulturam elegerat, est conditus. Hæc ad testificandam Christianissimorum regum in martyrem Dionysium pietatem cum abunde sint, cæteris, quæ multa conferri possent, supersedeo.

—

520 NOTATIONES.

(12) E codice ms. in S. Dionysii cœnobio apud Parisios.

(13-14) *Verum de templi consecratione*, etc. Templum sancti Dionysii in cœnobio ejusdem nominis, manu Christi Domini consecratum permulti auctores referunt. Exstat autem ejus rei narratio fuse descripta apud Vincentium Bellovacensem in *Speculo historiali*, lib. XXIII, cap. 36, et apud Robertum Gaguinum, lib. III *Hist. Franc.*, in Dagoberto. Rem porro minime improbabilem confirmat similis consecratio a duobus summis pontificibus comprobata. De qua sic Carolus Sausseius libro *Annalium Ecclesiæ Aurelianensis*, numero duodecimo: « Creduut, inquit, Avenionenses, et hoc habet bulla Sixti IV papæ, et alia Joannis XXII ecclesiam cathedralem suam, quæ S. Mariæ de Donis nuncupatur, a beata Martha Domini nostri hospita fundatam, manu Dei consecratam exstitisse. » Meminit vero idem Sausseius, eodem loco dedicationis illius, de qua hic egimus. Sed et Albertus Crantzius libro primo Saxoniæ. Accedit de tam sancta Dionysiani templi dedicatione, Guilelmi de Nangis, qui res sui temporis perscripsit, auctoritas. Is libro *De gestis sancti Ludovici:* « Anno, inquit, Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, regni Ludovici Franciæ quinto, Odo Clementis, abbas Sancti Dionysii in Francia, cœpit ex consilio regis Ludovici et reginæ matris ejus dominæ Blanchæ, aliorumque proborum virorum et religiosorum ecclesiam Beati Dionysii renovare; quod antea sine consilio non audebat facere, quia sciebat eamdem ecclesiam dedicationis mysterium a Domino recepisse. » Et infra: « Anno Domini, inquit, millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, regni Ludovici regis septimo decimo, ætatis vero suæ vicesimo octavo, sexto Kalendas Martii, in die festivitatis beati Matthiæ apostoli (quo die festum Dedicationis ecclesiæ Beati Dionysii Areopagitæ, factæ per Dominum, celebratur) peperit regi Ludovico filium diu optatum sibi desponsata venerabilis Margareta. » Sic dedicata fertur ecclesia Beatæ Mariæ Lakensis juxta Bruxellam. Cujus dedicationis a Domino factæ solemnis memoria celebratur Dominica in Albis, seu Octava Paschæ: de qua videri potest *Novale sanctorum Brabantiæ*, et *Auctarium* Arnoldi de Raisse ad natales sanctorum Belgii per Molanum, ad 14 Aprilis. Mirabilis fuit ea quoque dedicatio, qua templum in honorem apostolorum Petri et Pauli ab Eduardo rege Anglorum sanctissimo exstructum, a sancto Petro apostolorum principe fuit dedicatum. De qua dedicatione vide ejusdem sancti Eduardi regis et confessoris Vitam ab Aelredo conscriptam tomo primo Surii. Nec dissimilis ea fuit, qua ædes apostolorum (quam S. Chendechildis Clodovei filia exstruxerat) divinitus, nec humana manu, consecrata prædicatur. Quam rem ita memorat Bernardus Odonius in *Gestis Hormisdæ pontificis:* « Per idem, inquit, tempus floruit Chendechildis filia Clodovei, virginitate pariter et pietate famosa. Hæc in prospectu civitatis Senonis cœnobium sub honore apostolorum construxit, multis ædificiis illud amplians, et prædiis locupletans. Quo profecti ad dedicandam basilicam cum sancto Eradio tunc Senonis præsule, vicinarum urbium præsules adfuere. Ubi dum in ecclesia pernoctarent, angelicas audierunt voces dulcissime concrepantes: facto autem mane respicientes altare, viderunt in quatuor angulis, et in medio marmoris, signacula crucis decenter impressa, stupentesque proinde non sunt ausi ulterius consecrare locum, quem cernebant divinitus consecratum. » Hæc ille: quæ et a Roberto Cenale laudantur, lib. I *De re Gallica*, perioche 12.

(15) *Domine sancte Dionysi*, etc. Hæc desumpta sunt ex antiquissima Historia manuscripta, sive ex Caroli Magni constitutione illic inserta, quam ex parte refert Belloforestius in *Cosmographia* sua, ubi de oppido Sancti Dionysii agit. Sic est initium: « Præcepit etiam imperator, ut omnes Franciæ reges et episcopi præsentes et futuri, pastori ejusdem ecclesiæ essent obedientes in Christo, » etc.

(16) *Mon Jove Sainct Denys.* De hac bellica acclamatione ita Robertus Cenalis, lib. I *De re Gallica*, perioche 12: « Vides, ut externo etiam testimonio, Gallofrancorum comprobetur æterna memoria, Clodovei armis strenue comparata? Vicit quidem Clodoveus, sed supra communem hominis captum, divino potius auxilio, quam humano consilio. Cum enim in pendenti æquilibrio inter utrumque volaret exercitum dubiis victoria pennis, essentque plurimi a parte nostra catholici milites, statim audita acclamatione ex ore principis, *Sainct Denis*, *mon Jove*, resumptis, qui pene interciderant animis, in partem catholicorum inclinare cœpit. Est autem hujus tesseræ hæc interpretatio: Illum in meum Jovem Deumque summum recipio hac publica professione, quem vobis Gallicæ gentis catholicis sanctus Dionysius a multis inde et diebus et annis evangelizavit. Quæ professio Clodoveo de ferocissimis hostibus victoriam peperit. Sunt qui ita interpretentur: Meus auxiliator et patronus Dionysius. Quem vos catholici milites Galliarum apostolum agnoscitis, hunc ego vobiscum communem patronum lubens recipio. Legendum itaque est, *Sainct Denys*, *mon Jove*, non *Sainct Denys mont-joye*. Auctorem, inquit, habeo (si quis mihi diffidit) in hac re Hubertum Thomam Leodium, de Tungrorum et Eburonum origine ita disserentem: Apparet in excelsa rupe mons Jovis, arx ita nominata, et a Romanis nimirum constructa, quæ quidem hoc loco me, ut admonet Gallis male intellectam regum suorum ac

Digitized by Google

clamationem, dum prælia ineunt, *Mon ioye sainct Denys*, declarem, quam protulisse fertur is rex, qui primus inter Francos Christianæ religioni nomen dedit, et quam posteri reges in animandis suis ad fortiter præliandum usurparunt et utuntur. Interpretantur autem: *Meum gaudium, S. Dionysius:* quod non ita sese habere vel fœminæ Gallice animadvertere deberent, cum eorum lingua, *joye*, id est *gaudium*, non masculini aut neutri, sed fœminini sit generis, et dicendum fuerat: *Mon Joye, sainct Denys*. Non igitur *joye*, hic *gaudium* significat, sed *Jovem*, quem Galli *Jove* appellabant: propterea que **521** Clodoveus inclinata suorum acie, cum invocando Jovem non proficeret, ad Deum Christianorum, quem per Galliam Dionysius, sive Areopagita ille, sive alius, annuntiaverat, conversus ad suos, qui magna ex parte Christiani erant, exclamavit: Sistite, viri, gradum, et fortiter pugnate: *Mon Jove, sainct Denys*, id est, meus Juppiter sanctus Dionysius erit. Hoc est enim: Deum, relicto Jove, colam, quem Dionysius prædicavit, et vos adoratis. Quo audito Galli Christiani alacres in pugnam reversi, hostes fuderunt, et Clodoveus a divo Rhemigio sancto baptismatis lavacro ablutus est. Postmodum reges hanc vocem usurpare volentes, pro *Jove*, *ioye*, pronuntiant, re non bene considerata. Quod autem verum sit Gallos *Jovem*, sive *jove* appellasse, inde deprehendo, quod iidem ipsi Jovios hodie *joye* appellitant. Sunt autem Jovii, lapilli, quos peregrinantes per vias in cumulos conjiciunt, ut sint recti itineris indices, quales multos per Galliam divum Jacobum petentes ubique videmus, quos Galli *Mont-joye* vocant. Est et in Eburonibus olim, nunc Juliacensi duci parens arx, in Arduenna silva (qua parte Eyfelt appellatur) mons Jovis dicta *Mont-joye*, ut hoc quoque adnotarim. » Hactenus ea de acclamatione cum Huberto Thoma Robertus Cenalis. Sunt alii, qui arbitrentur, in istis acclamationibus scribendum esse, olimque scriptum esse *Mont joye*, non autem *Mon-Jove*, neque *mon joye:* quibus *mont-joye* nihil est aliud quam *cumulus gaudiorum*. Itaque *mont-joye sainct Denys* non aliud interpretantur, quam sanctum Dionysium ingentis gaudii conciliatorem esse, seu liberando ipsos ab hostibus, seu impertienda victoria, seu alia prægrandi felicitate procuranda. Quæ sententia cum sit probabilis, tum etiam ad eosdem S. Dionysii laudum cumulos non parum facit.

(17) *Nam de Ludovico quidem*, etc. De pietate Ludovici Pii regis et imperatoris, exstat epistola ejus ad Hilduinum, edita simul cum Hilduini Areopagiticis, a Matthæo Galeno Westcappellio Coloniæ excusis anno 1563.

(18) Aimoinus l. I *Miraculorum S. Germani*, cap. 1.

(19) Robertus Gaguinus l. V *Hist. Francorum*, cap. 1; Rigordus *De gestis Philippi Augusti*.

(20) *Assumpta ab altari flammula*. Dicam de hac flammula, sive auriflamma, quæ apud rerum Gallicarum scriptores, tam Gallicos quam Latinos, reperi digna litteris:

1. Auriflamma (quæ Gallice *Oriflamme* vulgo dicitur) vexillum fuit sacrum et militare, quadratum, e rubro ac flammanti serico, regibus Galliæ ad bella et peregrinationes procedentibus præferri solitum. De quo Joannes Villaneus lib. XII *Historiæ* ita scribit: « Philippus VI eduxit e templo divi Dionysii vexillum ex auro et flamma, quod educi inde non solet, nisi pro summis regis regnique necessitatibus, idque ex auro et purpura compositum est. » Ubi per *aurum* intellige limbos aureos; per *flammam* seu *purpuram*, flammei seu purpurei coloris pannum sericum, ut infra e Gaguino clarescet, num. 7. Quadratum porro fuisse, ac nihil auri nisi in limbis habuisse, inde colligi videtur, quod Brito Armoricus scribat illud simile fuisse illis vexillis, quibus uti Ecclesia solet in publicis supplicationibus seu litaniis: illa autem sunt quadrata. Aurum item in limbis duntaxat exstitisse, illis indicat verbis, ubi simplex et e simplici materia (quam *cendatum* vocat) fuisse scribit in his versibus lib. II *Philippiados:*

Ast satis est regi, tenues crispare per auras
Vexillum simplex, cendato simplice textum,
Splendoris rubei: Litania qualiter uti
Ecclesiana solet certis ex more diebus.

Posteriores versus Latiniores reddidit Massonus libro tertio *Annalium*, legendo et scribendo sic:

. . . . . *quali celebri Litania*
Utitur in certis Ecclesia sancta diebus.

2. Dicta est *auriflamma*, quod ex auro constans et purpura, aurearum instar flammularum rutilaret. Unde Guillelmus Brito supra vocat *splendoris rubei*. Appellatur etiam *vexillum*, seu *standalium*, seu *standartum S. Dionysii*, postremis duabus vocibus e Gallico *estendart* efformatis.

Notandum vero *baculum peregrinationis* non esse quod aliqui existimarunt, eumdem cum auriflamma; quod e Sugerio et Rigordo veteribus rerum Gallicarum scriptoribus patet: quorum ille in *Vita Ludovici* ita de illo: « Venit rex, ut moris est, ad ecclesiam Sancti Dionysii, a martyribus licentiam accepturus: et ibi post celebrationem missarum, baculum peregrinationis, et vexillum B. Dionysii (quod *oriflamme* Gallice dicitur) valde reverenter accepit. » Hic autem in libro *De gestis Philippi Augusti* Francorum regis, ad annum Domini millesimum centesimum nonagesimum, ita de eodem Philippo: « Tandem in lacrymis ab oratione surgens, sportam et baculum peregrinationis de manu Guillelmi Remensis archiepiscopi, avunculi sui, apostolicæ sedis legati, devotissime ibidem accepit: deinde desuper corpora sanctorum, duo standalia decenter insignita, pro memoria sanctorum martyrum, et tutela contra inimicos crucis pugnaturus propriis manibus accepit. » Ita ille. Ubi manifeste distinguit baculum peregrinationis a standaliis seu vexillis, quorum unum erat auriflamma; alterum, signum regale, quod utrumque nominat Brito infra num. 6.

3. Cœlitus in terram delata creditur, ut quemadmodum Constantino Magno Labarum, sic Francorum regibus Auriflamma signum esset victoriæ. Hinc *flammulam victoriosam* appellat Jacobus Meyerus lib. XII *Annalium Flandriæ:* « Flammulam illam victoriosam gessit eo die, inquit, Milo Noerius, qui non diu post fuit in humanis. » Eamdem Stephanus Forcatulus appellat *vexillum cœleste*, lib. VI *De Gallorum imperio*, ubi sic scribit: « Nihil omnino Francos jam pietatis studiosos magis inflammavit, quam vexillum cœleste, purpureum, aureo licio variatum. Parcarum manu textum putares ad terrorem hostium nominis Christiani Francique, sparsis liliis similiter lectis ex hortis cœlestibus, albicante circa medium cruce, non modo propter argenteum colorem signis militaribus familiarem, præ cæteris (quoniam, ut putat Plinius, longissime fulget), sed peculiariter a Gallis receptum in sacris et cæremoniis. » Sed ille: « Sunt qui hoc cœleste beneficium Carolo Magno collatum fuisse contendunt. » Inquit Gaguinus libro primo *Historiæ Francorum*. Verum alii retro usque ad Clodoveum primum e Francis regibus Christianum, auriflammæ originem referunt: idque velut certa ad posteros traditione fluxisse a majoribus credunt. Inde sunt aurei isti versus Ronsardi, *Franciados* lib. IV:

522 *Veis tu Clovis, grand honneur des Troyens?*
Qui le premier abhorrant les payens,
Et des Gentils les menteuses escoles,
Pour suivre Christ, laissera les idoles,
Donnant baptesme aux François desvoyez,
Et lors du ciel luy seront envoyez,
Un oriflamme, estendart pour la crainte

Digitized by Google

De sex haineux, et l'ampoule tressaincte.
Huile sacrée, onction de tes rois?
Son escusson deshonoré de trois
Crapaus bouffis, des lis pour sa vieille peinture.
Prendra des lis à la blanche teinture,
Present du ciel Dieu qui le choisira,
D'honneur, de force, et de bien l'emplira.

Ad Clodoveum refert et Stephanus Forcatulus libro supra citato. Sed de bufonibus, antiquis Francorum gentilium insignibus, valde inficiatur: et ego una. Magis enim placet derivatam fabulæ originem a Gallorum sacrificiis, *bufonia* appellatis. Nam Græce βυφόνια dicebantur sacra, in quibus boves taurive mactabantur. Ritum porro talium sacrificiorum apud Gallos solemnium ita describit Plinius lib. XVI *Historiæ nat.*, cap. 44: « Sacrificiis epuli-que rite sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur: sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago: tum deinde victimas immolant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fecunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est. » Sic ibi. Exstat et Badii Ascensi carmen de insignibus Franciæ, hoc est de liliis, auriflamma, et sacro chrismate, quæ vocat *cœlica dona* in his versibus:

. . . . . *at nobis dona,*
Et pia Francorum placeant insignia regum;
Aurea cœlesti primum sufflata colore
Lilia, Cæsareis olim jam credita servis:
Auriflamma dehinc veterum victoria regum:
Tum sacrum nitidis allatum chrisma columbis.

Cui paria sentit Stephanus Forcatulus lib. VI *De Gallorum imperio*: « Tria, inquit, pignora de cœlo missa imperii Gallici sempiterna: scutum liliatum, phiala odorosa, et vexillum splendidum, purpuram ætheream conflitens pro certo. Nihil vero moramur incredulos et scurras, qui sorte humana, non divino consilio, regna instituti arbitrantur. »

4. Asservabatur auriflamma in ipsa urbe et cœnobio Sancti Dionysii, et magnis cum cæremoniis ab ara ejusdem sancti, per manus abbatis, a rege ad periculosam militiam aut longam peregrinationem accincto, assumebatur, et cum magnis item a reduce ibidem restituebatur. Jacobus Meyerus lib. XIII *Annalium Flandriæ*: « Flammulam, inquit, (quod non nisi extremo discrimine solitum) ex penetralibus Dionysiaci cœnobii deprompta, Petro Villerio fortissimo viro, tradita. »

Ejus vexilli utendi præcipua tempora indicat breviter Forcatulus, loco supra citato: « Vexillum, inquit, Gallis cœlitus missum secundos bellorum eventus vel præstitit, vel ornavit: maxime contra Turcas et Sarracenos. Nec ullo libentius usus narratur Carolus Magnus in sacris bellis, non ullo felicius. Illud quoque præferri jussit Philippus Augustus Jerosolyma debellatum tendens cum Richardo Anglorum rege, sumpsitque ex æde Dionysiana: sicut postea divus Ludovicus Libyam petens. Plane Carolus VI etiam adversus Anglos sibi profuturum putavit idem vexillum Vido Trimollio creditum: quod auriflammeum nuncupabatur, nimirum a colore. » Sic ille.

5. Acceptam in manus auriflammam dabat rex gestandam comiti Vilcassino, cui hic honos jure debitus erat, et cujus comitatus a Sancto Dionysio in feudum acceptus erat. Vide Sugerium in *Vita sancti Ludovici Crassi* Francorum regis, et Franciscum Belloforestium libro tertio *Historiæ*, capite quadragesimo primo, ubi comes Vilcassinus Gallice *comte de Vexin* appellatur.

De ea cæremonia sic breviter Papirius Massonus lib. III *Annalium Franciæ*: « Crassus anno millesimo centesimo vigesimo quarto, publicis tabulis (quæ supersunt) agnoscit comitatum Vilcassinum esse in clientela et jurisdictione Dionysii, Rustici et Eleutherii martyrum: et comites Vilcassinos retroactis temporibus jus habuisse ferendæ in bellis flammulæ. Idem Crassus devoluto ad se comitatu, eo bello, quod adversus Henricum Cæsarem acerrimum parabatur, flammulam, non ut rex, sed ut comes, a præfecto illius monasterii alacriter suscepit. »

6. Antecedebat auriflamma in præliis alia omnia vexilla, etiam regium; nec pugnabatur, nisi præcessisset, excepta ob subitos hostium incursus necessitate. De qua re exstat insignis locus apud Rigordum ad annum Domini millesimum ducentesimum decimum quintum: « Othone, inquit, imperatore ex insperato copias regis Philippi invadente, clamatur ubique per campos: Arma! arma, viri! clangunt tubæ; revertuntur cohortes, quæ jam pontem transierant: revocatur vexillum S. Dionysii, quod omnes præcedere in bello debebat, nec satis propere revertitur, unde nec exspectatur. » Et paulo inferius: « Interea adveniunt legiones, quæ fere usque ad hospitia processerant, et vexillum B. Dionysii, et accurrunt quantocius ad aciem regis, ubi videbant signum regale, vexillum scilicet floribus lilii distinctum, quod ferebat die illo Galo de Montiniaco miles fortissimus, sed non dives. » De eodem ita Guillelmus Brito lib. II *Philippiados* initio:

Quod cum flamma habeat vulgariter aurea nomen,
Omnibus in bellis habet omnia signa præire:
Quod regi præstare solet Dionysicus abbas:
Ad bellum quoties sumptis proficiscitur armis.
Ante tamen regem signum regale tenebat
Montiniacensis, vir fortis corpore, Galo.

In quorum auctorum verbis est duo vexilla distinguere: unum B. Dionysii, sive auriflammam; alterum ipsius regis quod *signum regale* appellatur.

7. Amissa fuit auriflamma (ut auctor est Belloforestius in Descriptione oppidi Sancti Dionysii) in prælio contra Flandros commisso. De eadem auriflamma, ejusque amissione ita Gaguinus libro I *Historiæ Francorum*, in Clodoveo: « Traditum quoque est pannum sericeum, rubrum, instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem, **523** divinitus esse exceptum; quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes pro signo Franci reges uterentur: huicque vexillo nomen auriflammæ hactenus permansisse, diuque a Dionysianis cœnobitis asservatum esse: sed abutentibus signo adversus Christicolas regibus, illud evanuisse: alterum tamen non dissimili forma instauratum esse, quod ab episcopis et loci abbate consecratum inter sacra asservata. » Denique amissa creditur auriflamma ad montem Pabulanum, qui mons inter Duacum et insulas Gallo-Flandriæ urbes hodieque illustris est. Commissam inibi pugnam anno Domini millesimo trecentesimo tertio inter Francos et Flandros præsente et fortiter dimicante Philippo Pulchro, Francorum rege, describit Jacobus Meyerus lib. X *Annalium Flandriæ*. Quo in prælio et regem ipsum fuisse vulneratum, et flammulam a Flandris discissam ac laniatam, et Anselmum Cherosium ejus gestatorem interemptum, memorat.

Negat tamen Dubleus receus scriptor lib. I *Historiæ* suæ, cap. 41, amissam esse: imo se illam vidisse asserit. Verum ego substitutam eam vidisse magis crediderim, quam illam veterem et primam, de qua nimis constat ex ipsismet Gallis scriptoribus esse deperditam.

8. In hujus flammulæ sive auriflammæ locum, alia quam simillima vexilla deinceps fuerunt substituta, ut ex insdem Gallorum ac Flandrorum historiis condiscimus.

9. Ad auriflammæ, seu veteris seu novarum, benedictionem, hæc reperitur solita adhiberi precatio: « Inclina, Domine, aurem tuam ad preces humilitatis nostræ, et per interventum B. Michaelis ar-

Digitized by Google

changeli tui, omniumque cœlestium virtutum, sed et beatorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii omniumque sanctorum tuorum, præsta nobis auxilium dexteræ tuæ : ut sicut benedixisti Abraham adversus quinque reges triumphantem, atque Davidem in tui nominis laude triumphales congressus exercentem; ita benedicere et sanctificare digneris hoc vexillum, quod ob defensionem regni et sanctæ Ecclesiæ contra hostilem rabiem defertur; quatenus in nomine tuo fideles et defensores populi A Dei illud consequentes, per virtutem sanctæ crucis, triumphum et victoriam se ex hostibus acquisisse lætentur. » E monumentis cœnobii Dionysiani apud Lutetiam.

(21) Vide in Bibliotheca Cluniacensi privilegia pontificum monasterio Cluniacensi concessa.

(22) Rigordus l. *De gestis Philippi*, anno Domini 1191.

(23) Gaguinus l. VI *Hist. Franc.*

(24) Guillelmus Nangius, in *Gestis S. Ludovici.*

CAPUT XXVII.

Aliorum partim sanctorum, partim genere illustrium adversus beatum Dionysium honores.

Præter illorum, quos supra laudavimus, pietatem honoresque adversus sanctum Dionysium, multi quoque alii partim cultus frequentia et sinceritate, partim templorum, cœnobiorum, aliorumve ædificiorum exstructione eumdem sibi patronum fautoremque fecerunt. In quibus primas sane sibi vindicat B. Genovefa virgo sanctissima, quæ ducentis ferme annis ante regem Dagobertum, vicum Catulliacensem ex amore et honore sancti Dionysii frequentissime celebravit, inibique illam ipsam ædem, in quam tanto postea Dagobertus patris iram fugiens, ut ante memoravi, velut in asilum confugit, non jam facultatibus suis, tametsi illis quoque, quam precibus et miraculis condidit. Quæ enim ad templum tali loco et tempore ædificandum maxime desiderabantur, ea ubi reperienda essent, precando didicit, et ipsis operarum necessitatibus miracula patrando subvenit.

Jungatur S. Genovefæ beata Birgitta, virgini Gallicanæ vidua Germanica, etsi ævo quidem admodum disjuncta (inter utramque enim haud minus quam novem sæcula interfuerunt), pietatis tamen ardore et colendi Dionysii studio prope par ac gemina. Quippe quæ beatum martyrem tam frequenter ac tam ferventer voto et precibus adierit et lacessiverit, ut non raro qua visis cœlestibus, qua opportunis solatiis ab eodem ipsam visitante affici meruerit. Et flagrante quidem inter reges Philippum Valesium Galliæ, et Eduardum Angliæ, quam acerrimo bello vidit inter precandum Galliæ patronum Dionysium super afflicto regni statu, Reginæ cœli supplicantem, et auxilium Francis implorantem (25). Alias item cum e peregrinatione ad sancti Jacobi Compostellani suscepta cum marito simul reverteretur, isque Atrebati in morbum incidisset, ex quo illa non mediocrem animo participaverat mœrorem, gratissimam a suo patrono Dionysio consolationem percepit. Precanti enim apparens eum se esse dixit, qui ab urbe Roma Evangelii proferendi causa in Franciam venisset; et quia singulari ab ea diligeretur affectu, hinc se ejus curam habiturum, semperque præsto adfuturum; et addidit promisso pignus, brevi consecuturam mariti valetudinem. Quæ et paulo post est consecuta. Denique alias sæpius eumdem habere visitatorem merita est et consolatorem.

His accenseri merito debent sanctus Swibertus Frisonum apostolus (26) et B. Notgerus Eburonium episcopus : quorum ille, relicto natali solo, et stirpis nobilitate Christo substrata (Anglus enim erat, et illustri e familia oriundus), cum a sancto Willrido Merciorum præsule creatus antistes, ad Frisones Germanosque fide imbuendos missus esset, nihilque haberet antiquius, quam ut vanas eorum superstitiones in veram unius Dei religionem, et profana deorum fana in divorum sacra templa commutaret, tum magni Dionysii toto Occidente notissimi, et sibi in **524** primis charissimi haud immemor, templum ejus honori sub annum salutis nostræ sexcentesimum nonagesimum in oppido Hoernaer consecravit. Alter vero multorum Leodii templorum ædificator, unum quoque in honorem et cultum B. Dionysii construxit, cui et canonicorum adjunxit collegium : qui primo quidem viginti, « procedente vero tempore (ut loquitur et testatur Anselmus) decem additis, in tricenarium profecerunt numerum. »

Sanctæ vero Edithæ pietas meritissime inter hos sanctos sibi locum facit. Fuit hæc virgo Edgari regis filia, et Eduardi regis et martyris soror, et post patris quidem ac fratris excessum (nisi constanter recusasset) gentis suæ regina : quæ contempto regno et mundo, dum tota viam insistit pietatis, templum in honorem D. Dionysii patroni sui sub annum Domini nongentesimum octogesimum quartum condidit, et requietis suæ locum certo mentis præsagio appellavit. Nam in eodem templo, quod vivens crebro frequentarat, a S. Dunstano, qui illud ejus invitatu dedicaverat, sepulta est. Qui Dunstanus cum in ipsa dedicatione eam virginem observasset pollicem dexterum identidem ad efformandum in fronte sua crucis signum extendere, facto delectatus apprehendit ejus dexteram, et dixit : « Nunquam putrescat hic digitus. » Qui proinde mansit imputribilis. Nam tredecim ipsis annis a suo decessu apparuit eadem sancta virgo beata Dunstano, et de corporis elevatione commonuit, addito veritatis signo, quod præter ea membra quibus olim in puellari ætate abusa fuerat (oculorum scilicet, manuum et pedum) totum reliquum corpus incorruptum inveniretur. Adjunxit etiam de pollice his verbis : « Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi assidue crucis signum impressi, illæsum videbis, ut appareat clementia Domini in parte servata, et paterna castigatio in parte desumpta. » Denique, ut S. Dionysii cultum olim, dum viveret egregie promoverat, ita illius mundo defunctæ venerationem, quadam remunerationis vice idem Dionysius Dunstano antistiti apparens, et sacrum virginis corpus in lucem exponi et coli præcipiens, cœlesti auctoritate promovit. Adeo exhibitus sanctis cultus in eos, qui exhibuerint, non sine ingenti fenore solet reciprocari.

Facit porro candidissimus ille puritatis et pietatis anglicanæ flos, beatissima Editha, uti et aliorum Anglorum seu regum seu principum S. Dionysii amantissimorum, et sacro ejus honori devotissimorum mihi refricetur ac redeat læta memoria : nec tui, o beatissime Eduarde rex et confessor, ulla possim ratione oblivisci. Haud enim scio, an quidquam aliquando tulerit terra Anglia nomine tuo vel majus vel sanctius, sed simul et conjunctim gloriæ S. Dionysii celebrandæ et tutandæ devotius. Nam cum præter solitam in sancta regni tui loca et indigetes tuos liberalitatem ac munificentiam, Dionysii quoque, licet peregrini, memor esses, ac prædivitem ei villam plurimisque abundantem commodis elargirere, ita fere dicebas, ita scribebas : « Ego Eduardus rex Anglorum, cum essem in pace, in gloria regni mei, pro salute animæ meæ patrumque meorum qui ante me regnaverunt, cum consultu et decreto primatum ideliumque meorum, dedi S. Dionysio (qui celebris memoriæ apud nos quidem nominatur, apud Francos autem et

Digitized by Google

colitur et habetur) villam quamdam nominatam Teintuna in territorio et comitatu urbis quæ Oxenaforda dicitur, cum omnibus appendicibus ejus, id est terris, silvis, pascuis, aquis, pratis, cultis et incultis. Sit autem terra hæc immunis et libera ab omni negotio, excepta expeditione, et pontis vel arcis instauratione. Quod si qui violaverint, sit pars eorum, decreto Dei et meo, omniumque episcoporum (quorum nomina hic habentur) cum Juda traditore, cum Dathan et Abiron, in ignem æternum, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur; nisi reatum suum coram Deo et sancto Dionysio emendaverint. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo nono, » etc. His litteris regiæ donationis subscripserant nomina sua, primo rex et regina, deinde duo archiepiscopi, tum episcopi sex, postea duces quinque, deinceps et alii.

Sed hæc studio brevitatis omitto, et ab Anglorum pietate, de qua et inferius sermo mihi necessario instituendus est, in Franciam pedem refero. Vocat enim ad se, quem hactenus omisi, S. Eligius, et in S. Dionysii honore spectari artem suam petit. Cui sane inter ævi illius aurifices facile principi, et in opus quod ad B. Dionysii spectabat ornamentum, toto quod aiunt, animo et corpore incumbenti, haud mediocris laus debetur : imo et Noviomensis episcopatus, qui post divinitus ei tributus est, ut pars forte, aliqua præmii, procuratore apud Deum Dionysio, felici sorte obtigit. Nam longe nobilissimum eidem suo et omnis Galliæ patrono in civitate Parisiensi condidit mausoleum, cui et tectum auro gemmisque opere mirifico incrustatum superposuit. Quo quidem in opere tametsi regis Dagoberti liberalitas ac munificentia præclare resplenduit, tamen omne auri gemmarumque pretium infra artis ac industriæ æstimationem fuit (27). « Tantum enim illic (ut S. Audoeni verbis utar) suppeditante rege suam exercuit industriam, atque ita suum declaravit ingenium et artificium, ut pene singulare sit in Galliis ornamentum, et in magna omnium admiratione usque in hodiernum diem. »

525 Liceat mihi in horum coronam sanctorum, qui S. Dionysii gloriæ et honori studuerunt, aut sacra illa loca coluerunt, etiam S. Ignatium societatis Jesu Deo duce auctorem atque fundatorem includere. Is enim Parisiis cum studeret, et nonnullis sibi adjunctis sociis totus ad res magnas ac divinas aspiraret, tandem anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo quarto, cum instituenda formandaque perfectioris vitæ initia, et quædam velut semina futuræ societatis facienda concepisset animo, non alium ad hæc beata principia commodiorem aut sanctiorem locum esse judicavit, quam vicinum Parisiis montem Martyrum, hoc est montem illum S. Dionysii et aliorum martyrum cruore consecratum : illuc proinde solemni Assumptæ Virginis die (quam præcipuam sibi apud Deum patronam cuncti asciverant) communiter adeundum censuerunt, ibi tantam celebritatem qua possent pietate exigendam, ibi eorum quæ ad Dei gratiam et fratrum salutem conceperant vota nuncupanda. Et summa quidem votorum hæc fuit : Primum, ut remisso fluxis vanisque voluptatibus nuntio, integram illibatamque in perpetuum amplexarentur castitatem. Dein, ut quod ejus fieri posset, paupertatis semita graderentur, eamque, excepto tam studiorum (quæ aliqui necdum absolverant) quam destinatæ ad sacra Jerosolymorum loca peregrinationis tempore gnaviter sectarentur : neu quidquam omnino pro augustissimi sacrificii celebratione quovis prætextu admitterent. Præterea, ut in Palæstinam ad gentis ejus salutem (si quidem pateret aditus et permitteretur) certo tempore constituto simul navigarent; sin minus, ad summum pontificem adirent, atque ad ejus prostrati genua totos se ad fructum animarum ex ipsius nutu arbitrioque dedicarent. Quæ vota duobus quoque annis consequentibus eodem die, et loco, et ritu renovarunt. Quis autem dubitet quin ille Galliarum apostolus, ille instructor gentium, ille ab Oriente ad Occidentem peregrinus, cum in sui martyrii loco exiguam illam coronam videret sua per vestigia incedere meditantem, ac se fratrum suorum in longinquis terris degentium saluti devoventem; quis, inquam, dubitet, quin ille verus honoris Dei amator et æmulator multum caloris multumque roboris devotæ illis novorum athletarum coronæ, et ad promittenda et ad præstanda tanta molimina, suis apud omnium gratiarum fontem precationibus impetrarit?

Addamus horum divorum numero illustres regia dignitate personas; sive Adelaidem Roberti Francorum regis matrem, egregia sanctitate feminam; sive Henricum III Angliæ regem præclara virum pietate : de quorum altera Helgaudus Floriacensis (28), post cœnobiorum ab ea exstructorum recensionem, ita subdit : « Speciali autem suo post Dominum amicorum amico, beato videlicet Dionysio, casulam miro itidem opere factam contulit, quod opus vocatur orbis terrarum illi Caroli Calvi dissimillimum. Sperabat enim se Deo fidelis regina partem habituram cum eo cui promiserat Deus sermone non casso (29), impetraturum pro quibuscunque petiisset. Etenim universa progenies famulam se tanti martyris in omni opere proclamabat. » De altero autem ita Nangius (30) : « Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono Henricus rex Angliæ venit in Franciam, exceptusque est Parisiis a S. Ludovico : postmodum B. Dionysium visitare cupiens, discessit Parisiis, et ad ecclesiam B. Dionysii venit cum magna devotione et reverentia, mensemque et eo amplius ibi commoratus, conventui cappam auream et scyphum magni ponderis contulit. » Nec inhonoratum indonatumve S. Dionysium reliquit Philippus II Hispaniarum rex; qui obtento a rege Franciæ S. Eugenii primi antistitis Toletani (quod diu multumque postulaverat) sacro corpore, in tanti memoriam beneficii, et simul quod idem Eugenius, Dionysii Areopagitæ discipulus, ab eo in Hispaniam missus esset, eidem martyri Dionysio argenteam lampadem magnitudine et artificio spectabilem donum misit. Istis, quæ in hoc genere præcipua (31) sunt, cursim delibatis, cætera transiliens, ad mirabiliora Dionysianæ virtutis signa depropero.

—

NOTATIONES.

(25) In *Revel. extrav.*, c. 92, et in *Vita* ejus tomo IV Surii.

(26) S. Marcellinus presbyter in *Vita S. Swiberti*, c. 11, tomo II Surii.

(27) Apud Surium, tomo VI *Vitarum*.

(28) Helgaudus in *Vita Roberti regis Francorum*.

(29) *Cui promiserat Deus sermone non casso.* Promisisse Deum opem omnibus pro quibus supplicasset S. Dionysius, præter Helgaudum Floriacensem hic laudatum, etiam testatus est Hilduinus in A *Vita S. Dionysii*, ubi hæc verba : *Dilectio et benignitas quam habes, semper, pro quocunque petieris, impetrabit.* Refert eadem verba Guilielmus Nangius in Vita S. Ludovici. Similem a Domino promissionem preces S. Viti martyris subsecutam esse, scribit Witichindus lib. II *Gestorum Saxonicorum* : « Hanc vocem, inquit, subsecuta est sponsio divinæ promissionis rata et firma esse omnia quæ rogasset. » De Gertrude l. I *Insinuationum*, cap. 25, scribitur, pro quocunque benignissimum Deum negotio invocaret, id eventu prospero semper suc-

Digitized by Google

cessurum. Dixit etiam S. Dominicus, ille Dominicanæ fundator et pater familiæ, atque adeo præ se tulit, ac rebus ipsis ostendit, nihil se unquam a Domino poposcisse quin impetraverit. Ac ne cui nimis hæc mira videantur, ipsum divini Psalmistæ audiendum est testimonium Psal. CXLIV, 19 : *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.* Quin et nostra prope ætate S. Theresia Carmelitarum discalceatorum mater, sibi esse a Domino revelatum dixit, neminem quidquam in nomine B. Petri Alcantaræ a Deo petiturum, quin esset impetraturus; ac se quidem multis in rebus promissi hujus expertam veritatem. Vide Vitam ejus ab ipsamet scriptam. c. 24.

(30) Guiliel. de Nangis I. *De gestis S. Ludovici.*

(31) *Istis, quæ in hoc genere præcipua*, etc. Nam et alia in aliis adjici possent, si necesse foret. Helgaudi tamen Floriacensis monachi et scriptoris (quia nonnulla nobis suppeditavit) fiet aliqua mentio. Is igitur in fundo cœnobii Floriacensis ædem parvulam construxit in honorem SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii : qua re intellecta, misit ei Robertus Francorum rex eorumdem sanctorum nonnullas reliquias, e casula scilicet S. Dionysii, e dalmatica S. Rustici, e easula S. Eleutherii, atque e vestimentis eorumdem sanguine aspersis, et de corporum pulveribus, nec non de triplici funiculo quo astrictus fuerat sanctus martyr Dionysius. Horum testis est ipse Helgaudus in Roberto, rege Francorum. Nec vero canonicorum Rhemensium pietas prætereunda est, qui templum S. Dionysio ædificarunt : quod Hervæus Rhemensis archiepiscopus, teste Flodoardo, lib. IV, c. 15, consecravit.

CAPUT XXVIII.

S. Dionysii varia in varios et vario in genere post mortem miracula.

Omnia quæ B. Dionysius post excessum ad superos vario in genere perpetravit miracula, et pervestigare studiosius nimis tædiosum, et accuratius enarrare nimis operosum esset : proinde præcipua duntaxat et pauca referam. In quibus tenere principatum illud debet, quod in Stephano pontifice, ejus nominis tertio, in magnum Ecclesiæ bonum idem Dionysius designavit. Cujus quidem miraculi, quo certior exstet fides, ex ipsiusmet Stephani litteris, quæ hodieque in promptu sunt, collecta veritas est. Hic igitur Stephanus ab Aistulpho Longobardorum rege inique oppressus, expetitis frustra ab imperatore Constantinopolitano auxiliis, demum ad Pipinum Francorum regem, si quid is forte subsidii afferret, se contulit ; cui rex perbenigne et perhumaniter excepto, atque in B. Dionysii cœnobio per hiemem hospitari jusso, spopondit se proximo vere in Aistulphum ducturum, et opem afflictæ Italiæ, urbique ipsi et pontifici quietem et pacem allaturum. Stephano interea tam ex itinerum laboribus, quam ex injuriis temporum gravissime laboranti, et desperata jam valetudine, nusquam nisi in Deo et in sanctis spes suas reponenti, ecce dum in æde sacra preces fundit, per visum apparent principes apostolorum Petrus et Paulus, et cum illis una templi præses S. Dionysius, et hic quidem gracili ac procero corpore, vultu amœno, coma candida, tunica nivea clavo purpureo juncta, pallio conchyliato stellulis aureis intertexto : et hi inter sese læto ac hilari ore sermocinantes, Dionysio medendi munus deferunt : tum ille palmam et thuribulum manu gestans, presbytero et diacono, qui seorsum adhuc steterant, latera cingentibus, ad ægrum propius accedit, salutatque : *Pax tecum, frater, noli timere : non morieris donec ad sedem tuam prospere revertaris. Surge sanus, et hoc altare in honorem Dei et apostolorum ejus Petri et Pauli, quos vides, dedica, missas gratiarum agens.* Erat vero ibidem (ut ipse retulit visi hujus spectator Stephanus) inæstimabilis quædam cum mira suavitate claritas. Mox ergo sanitati est restitutus. Quare cum exsequi mandatum B. Dionysii jam incolumis satageret, et demonstratam aram in Dei et apostolorum honorem consecrare, ii qui coram aderant, et pridianæ infirmitatis oculati testes fuerant, desipere cum arbitrabantur, donec Pipino regi, et optimatibus atque proceribus rei serie denarrata, et fide dictis habita, rite sacris operatus, eam ipsam aram dedicavit, et super ea pallium apostolicum, ac Petri claves, velut sacra quædam anathemata, in rei memoriam deposuit. Annus tunc agebatur Domini septingentesimus quinquagesimus quartus, ipsius autem Stephani papæ tertius. Fertur idem pontifex nonnullas B. Dionysii reliquias secum Romam asportasse, atque in ejusdem martyris honorem monasterium in paterno fundo ædificare cœpisse, quod opus morte auctoris interceptum, Paulus ejus frater, et in pontificatu successor, magnifice absolvit, convectisque in illud compluribus SS. martyrum corporibus consecravit, et Græcis hominibus Deo ibidem famulaturis, in memoriam et honorem Dionysii Areopagitæ, ut fratrem velle didicerat, attribuit : locumque *Ad sanctos martyres in schola Græcorum*, appellavit. Atque de Stephano hactenus.

Quemnam autem illi potissimum subjungemus, similis a B. Dionysio collatæ valetudinis compotem et laudatorem? Te, opinor, jure quam meritissimo, dux Bertholde, et inter Angliæ duces veræ pietatis cultu eminentissime. Tu enim in gravissimam aliquando delapsus infirmitatem, cum a medicis sperare nihil posses, ad cœlestia suspirans remedia, opem a B. Dionysio et sociis martyribus confidenter exspectasti, et reportasti. Nam audito esse in Galliis eorumdem sanctorum corpora, velut quasdam ellicacium medelarum apothecas, qua primum per Caroli Magni imp. (cujus in obsequiis versabare) facultatem licuit, illo te contulisti, eos veneratus **527** es, ab iis sanitatem expostulasti, et paucis admodum, quibus ad eorum monumenta decubuisti, diebus integram plane ac solidam valetudinem recuperasti. Quid ergo? Apud ingratum et immemorem ea fuit collocata gratia? nullusque in sanctos tanti beneficii fructus redundavit? Imo vero maximus. Nam ædem illis sacram in villa tua exstruxisti, et illam ipsam villam una cum agris, pratis, silvis, aquis, campis, hæreditate a majoribus acceptam, sed et portus duos maritimos ei terræ vicinos, simul cum salinis, aliisque eodem pertinentibus, perquam insigni et prolixa benignitate, eorumdem sanctorum cultoribus monachis, sive Dionysianis cœnobitis condonasti : *Dignum est enim*, inquiebas, *ut per quos sum ab omni corporis liberatus infirmitate, ipsi mihi in ipsa mea debeant hæreditate succedere.* Beatum porro illud sæculum (sunt enim bina hæc piæ liberalitatis exempla unius ejusdemque octavi sæculi) quod tales habuit clientes sanctorum! quod tam memores protulit divinorum beneficiorum susceptores!

Et vero alios eosdem ipso sæculo, et ex eadem Anglia præclaros possem adducere erga Dionysium benefactores, seu Offam Merciorum regem, seu geminos fratres Agonavalam et Sigrinum, et hosce quidem ultro et unanimi consensu omnem suam possessionem, quam portui Lundevicensi vicinam habebant, S. Dionysio contribuentes ; illum autem et quidquid ibidem habebat juris benignissime remittentem, et abs

Digitized by Google

insuper e suo adjungentem. Fuit, fuit olim ea in divos pietas, ea largitas, ut præ sanctorum honoribus omnis propinquorum videretur inducta oblivio : nunc e contrario tanta est propinquorum cura, et viscera corrodens sollicitudo, ut nulla videatur sanctorum præ propinquis restare memoria. Verum hoc agamus, et alia nostri martyris benefica revisamus miracula.

Auctor præterea est Flodoardus (32), sua ætate, hoc est sub annum Christi nongentesimum, feminam pauperculam, Gillaudem nomine, cum totam manum impacto molæ manubrio graviter sauciasset, ad B. Dionysii sacras reliquias (quæ ob infestationes paganorum Rhemis tunc asservabantur) magno cum timore et reverentia adiisse, atque in preces diu noctuque prostratam ejus denique alloquio et solatio in somnis donatam esse, et simul viam obtinendæ sanitatis didicisse. Alia ejusdem martyris miracula perstringit Rigordus (33), ævi sui scriptor : quorum bina in annum millesimum centesimum nonagesimum tertium, bina in proxime sequentem inciderunt. Priora sunt hæc : Puerulus quidam vita functus, ad B. Dionysii ædem a parentibus, ipso ejusdem sancti festo die deportatus, et ante martyrum corpora altari impositus, postquam parentes S. Dionysii opem mistis preces lacrymis atque suspiriis impensius implorassent, ad vitæ usuram, universo respectante populo, remigravit. Item arreptitius quidam in eodem templo simili ope curatus est. Posteriora autem in sequenti anno hæc fuerunt : Trimulus puer de Curte nova aquis submersus, vitam B. Dionysii meritis recuperavit. Deinde vir quidam Misionensis, eodem invocato et succurrente Dionysio martyre, e custodia apud Rothomagum exsolutus est.

Nec vero tantum Dionysii cultoribus magna beneficia, sed etiam sepulcri violatoribus gravia in prompta fuerunt supplicia. Quippe duorum sacrilegorum acceleratæ mortes, et unius quidem in ipso peccati articulo, alterius vero intra eumdem annum, quo facinus admiserat, idonea sunt testimonia (34). Prior e Sigeberti Francorum regis primoribus erat, qui eodem rege Parisios armis et flammis vastante, S. Dionysii sacram ædem non pietatis sed avaritiæ impulsu ingressus a sancti sepulcro pallam holosericam auro et gemmis coruscantem tollere non dubitavit. Ecce ergo, dum infelici spolio se beatum putat, et necessitate navigandi urgente, una cum credito sibi puero, cui ducentos aureos nummos tradiderat asservandos, iter prosequitur, derepente charus ille et pretiosus puer præceps navi, tactus a nemine, et incertum quo casu delabitur, et aquis obrutus, nec ipse nec aurum apparet. Impulit quidem ea duplex jactura, ut confestim littori applicaret, et sepulcralem pallam, unde abstulerat, referret, sed mortem sacrilegii vindicem ne annum quidem unum amoliri potuit. Eodem enim obiit. Alter eadem instigante auri cupidine ipsum ascendere, et pedibus conculcare sacrum tumulum haud veritus, dum ei impendentem columbam auream lancea tentat elidere, ipse pedibus, quibus turritum insistebat tumulum utrinque dilapsis, compressisque in ipso lapsu testiculis, et suo influxa lateri lancea, mortem pro auro invenit. Nec sane fortuito ista, sed justo Dei judicio illis evenere ; ut quam aptissime in eos quadret illud Ecclesiastici : *Multi dati sunt in auri casus, et facta est in specie ipsius perditio illorum* [*], id est multi propter aurum ceciderunt, et ejus capti specie perierunt.

[*] Eccli. xxxi. 6.

NOTATIONES.

(32) Flodoard. lib. I *Hist. Rhemensis*, c. 24.
(33) Rigord., lib. *De gestis Philippi Augusti.*
(34) Greg. Tur. lib. I *Mirac.* c. 72.

528 CAPUT XXIX.

S. Dionysii reliquiæ, et earum virtus atque æstimatio.

Sanctissimum Dionysii corpus habuit (35) initio, habetque etiamnum invicta Francia ; nec est verum illud aliquando seu vi seu dolo ad gentem aliam translatum, foris remansisse, aut non esse. Nam Rhemos quidem (36) (ut e Flodoardo superius insinuatum est) propter infestationem paganorum semel delatum esse constat, sed ibi ad meliora tantum usque tempora reservatum. Semel item a Carolo Magno (37) in societatem militiæ assumptum, sed parta victoria mox relatum. Nam adversus rebellantes sibi Saxones bellum moturus, cum satis nosset, quam forti et dura cum gente sibi res esset, et ipsa ancipitis Martis discrimina sagaci animo jam ante prospiceret ; quo præter humana auxilia et mortales copias, etiam sanctorum haberet in castris suis præsens auxilium ; voluit beatorum martyrum Dionysii et sociorum ejus corpora ab religiosis viris in eam expeditionem deportari. Fardulphus ergo S. Dionysii abbas (fuit hic ordine octavus decimus) eidem regi a consiliis, et cunctis in expeditionibus comes fidelis ac providus atque etiam rebus fidei ac pietatis promovendis admodum idoneus, negotium hoc suscepit, et qui vicissim sacris deportandis reliquiis succollarent, bonam vim clericorum providit. Bis pugnatum est totis castris : sed eorum altero conflictu debellatum, et victoria penes Carolum Magnum stetit. Hic autem cœlestis haud immemor beneficii, hoc primo curavit (quod semper a Christianis regibus curandum est) ut victoriæ fructus præcipue ad Dei honorem, et sanctæ fidei augmentum recurreret. Itaque mandavit ut Saxones Christi religionem institutaque susciperent : deinde eorumdem Saxonum aliquot millia, qui varias in regni sui partes distribuerentur, et sensim Ecclesiæ rudimentis et moribus imbuerentur, deportavit. Quo facto (ut Deus ipsum honorantes novis semper auget honoribus) haud multo postea ipsius regno adjecit imperium : fuitque deinceps simul rex, simul imperator ; et regnavit quidem secundo rerum cursu, nec interrupta unquam valetudine, annos quadraginta septem ; imperavit vero quatuordecim. Unus denique in omni vita morbus, seu febris una, vitæ cum mortali eripuit felicemque et bis fortunatum immortali ascripsit, anno scilicet octingentesimo decimo quinto, ad quintam Kalendas Februarias. Qua die sancta ejus memoria quibusdam in ecclesiis pie recolitur et solemniter celebratur. Tum ergo plus ille et vere sanctus imperator sacrum Dionysii corpus ex urbe et æde sibi cognomine extulit, et cum illo una illustrem victoriam reportavit. Sed alias nunquam (nisi quis audacibus credere fabulis velit) ab urbe S. Dionysii longius quam Parisios regni caput, tanti martyris principales reliquiæ præsertim, ut remanerent, alterique loco propriæ essent, leguntur exportatæ. Harum porro reliquiarum virtus, non tantum aut in morbis sanitatem, aut victoriam in præliis, sed incrementum quoque et prosperitatem regnis et imperiis importavit. Quod Henrico regi Saxoniæ Caroli Simplicis Francorum regis legatus haud obscure indicavit. Nam cum ei manum S. Dionysii (38) auro gemmisque inclusam, fidei et amicitiæ testem Caroli nomine offerret, his usus esse verbis memoratur (39) : « Hoc habeto pignus fœderis perpetui, et amoris vicarii. Hanc partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium (postquam eos deseruit insignis martyr Vitus et ad nostram perniciem vestramque perpetuam pacem, Saxoniam visitavit) communicare tecum maluit. Neque enim post-

Digitized by Google

quam translatum est corpus ejus a nobis, civilia vel externa cessavere bella. Eodem quippe anno Dani et Normanni regionem nostram invaserunt. » Quibus verbis vaticinari legatus voluit, non secus a Francia cum his Dionysii sacris reliquiis prosperitatem ad Saxonas transituram, quam olim cum B. Viti corpore transiisset. Quanti porro manum illam S. Dionysii æstimarit rex Henricus, idem qui superiora perscribit Witichindus : « Rex autem, inquit, munus divinum cum omni gratiarum actione suscipiens prosternitur reliquiis sanctis, et deosculatus eas summa veneratione veneratus est. » Ita ille. Nec defuit sane pietati huic et venerationi merces : quandoquidem ex illo tempore Saxonum res, Hungarorum irruptionibus nuper admodum accisæ in pristinum restitui statum, et magna sumere incrementa, domitis bello Sclavis, Bohemis, Dalmatis, et aliis in orbem vicinis populis (quos Henricus fecit tributarios) continuatis victoriis incœperunt. Tantum scilicet in sacris reliquiis, et in convenienti earum cultu situm est boni! Quod utinam Clodoveus II intellexisset (40-41), atque a contrectandis Dionysii sanctissimis ossibus irreverentes manus abstinuisset! næ et mens illi firmior, et ejus regno prosperitas major constitisset. Verum ubi martyris brachium minus pie et religiose attigit atque abscidit, tum et ipse mente motus est, et haud modice attonsa magnanimæ illius gentis est gloria. Ac licet ablatam brachii partem, auro et gemmis ditiorem postea reddiderit, et varia insuper donaria S. Dionysii cœnobio **529** pro recuperanda integræ mentis firmitate contulerit, nunquam tamen ita revaluit quin ad supremum usque tempus aliqua insaniæ vestigia prætulerit, magnum sane regibus documentum, quantus ad res sacras horror et reverentia afferenda sit : et quam non leviter, tametsi cum pietate (qua forsan, et Clodoveus non omnino caruit) sanctorum membra nec frangenda nec disjungenda sint (42). Et vero tantam inesse virtutem ipsius sacri corporis reliquiis, quid mirum? quando et vela et serici panni, quibus eæ involvuntur, adversus potestates tenebrarum harum et terribiles dæmonum carnificinas haud parum possint. Nam cum anno Domini millesimo quinquagesimo, quo detectum corpus, et palam venerationi expositum fuit, quidam ex iis abbatibus qui ad eam solemnitatem accesserant, nonnullam antiquissimi veli partem, quo obvolutum corpus fuerat (nam velum novum, idque pretiosissimum, miserat Henricus I rex Francorum) inde ad monasterium suum asportasset, atque obsesso cuipiam a dæmone homini gentili et a fide nostra alieno admovisset, mox ille obsessor quamvis alias atrox et importunus, serio abscessit et aufugit : et homo ille ab ista tyrannide vindicatus aquis ablui salutaribus, et Christianis accenseri expetiit. Denique tanta fuit non regum modo aut virorum virtute præstantium erga S. Dionysii sacras reliquias affectio pietatis atque religio, sed etiam indiscriminatim totius populi Galliæ, ut existimarent hominem tam insignitæ improbitatis ac nequitiæ reperiri neminem posse, qui coram venerando tanti totius Galliæ patroni tumulo dejerare aut mentiri ausus esset (43). Hinc non raro accidebat, ut si quis vel injustitiæ vel cujuslibet alterius grandis flagitii reus objectum sibi crimen inficiaturus in judicio videretur, is ad S. Dionysii tumulum tanquam ad rem maxime sacram et inviolabilem jurisjurandi gratia traheretur. Ibi enim vel stimulis conscientiæ fodicantibus, vel pœna scelerum cito consequente, certa veritatis edebantur indicia. Talibus nimirum Deus opt. max. sanctos suos deguatur honoribus ; tam præsentibus eorum contemptores prosequitur terroribus, ulciscitur suppliciis. Hactenus quæ sanctus Dionysius egerit vidimus : quid scripserit, requiramus.

—

NOTATIONES.

(35) *Sanctissimum Dionysii corpus habuit*, etc. Probabimus infra fuse quæstione 4, corpus S. Dionysii fuisse semper, et nunc esse in Francia.

(36) *Nam Rhemos quidem*, etc. Testis est Flodoardus lib. I *Historiæ Ecclesiæ Rhemensis*, cap. 4, sub finem, aliquando fuisse Rhemis sancti Dionysii corpus : « Quadam denique sabbatorum die, inquit, jam vespera Dominici diei accedente, quædam paupercula, nomine Gillaidis, ex familia S. Dionysii villæ Cortis superioris, dum molam mane verteret, manubrium molæ ipsius inhæsit dexteræ, ut divelli posset a nemine. Tandem molæ manubrium ex utraque parte manus abscindere cogitur, indicium nolens secum ferre miserabilis operæ. At salutis suæ sollicita, quoniam B. Dionysii tunc Rhemis (ob infestationem paganorum) servabantur membra, veloci gressu ad ejusdem S. martyris Domini sui contendit accedere pignora, » etc.

(37) *Semel item a Carolo Magno*, etc. Vetus ms. cœnobii Sancti Dionysii prope Parisios : « Itaque non tantum gloria, inquit, verum et potentia Carolus Magnus, cum bellum adversus Saxones mirabili industria administraret, et sui præsentia vires exercitus acueret, Fardulphum B. Dionysii Areopagitæ abbatem, inter alios, qui ad ferendum pontus prælii, et gentis audaciam comprimendam evocati undique construxerant, contigit accidisse. Hic sacra beatorum martyrum pignora secum ferre jussus fecerat, et custodes clericos, qui secum pronciscebantur, uti eis vicissim succedentibus debita exhiberetur religio, delegaverat. » Ita ibi.

(38) *Nam cum ei manum S. Dionysii*, etc. De manu S. Dionysii a Carolo Simplice, Francorum rege, ad regem Saxoniæ missa, scribit Sigebertus in Chronico ad annum Domini 922, his verbis : « Carolus rex Francorum cum auxilio Lotharensium, juxta urbem Suessionis pugnans contra Robertum fratrem Odonis regis, qui contra se regnum Francorum invadebat, eum cum multis peremit, et se et Franciam Henrico regi submittit, eique in pignus perpetui fœderis et amoris mittit manum pretiosi martyris Dionysii Parisiensis, auro gemmisque inclusam. »

(39) Witichindus, l. I *Gestorum Saxonicorum*.

(40-41) *Quod utinam Clodoveus II intellexisset!* De Clodovei adversus sanctum Dionysium irreverentia hoc habemus Adonis Viennensis in Chronico testimonium : « Clodoveus rex, inquit, temere agens, brachium B. Dionysii martyris abscidit. Ab eo tempore (sicut Franci tenuerunt) regnum ipsorum cadere cœpit variis casibus molestatum. » Robertus Gaguinus, lib. III *Historiæ Francorum*, cap. 4 : « Hujusmodi religiosis operibus, inquit, cum maxime operam daret Clodoveus, neque ullis agitaretur bellis, aperto divi Dionysii feretro, brachii partem inde abstulit. Quod tametsi reverenter haberet, protinus tamen mente concidit, secutæque sunt per Dionysiacum templum tenebræ, et rerum omnium obscuritas : ut qui illic aderant pavitantes citissime inde aufugerent. Rex, etsi insano non dissimilis esset, brachii partem ablatam auro circumdatam, et multis gemmis decoratam beato corpori restituit, simulque donaria monasterio attribuit, quibus meliorem sibi mentem recipere posset. Qui etsi paulum meliusculus exstiterit, præ se tamen tulit insaniæ vestigium. » Sic ille.

Hæc ipsa, ut opinor, est manus quam postea Carolus Simplex (de quo hic paulo ante) ad Henricum Saxoniæ regem misit.

(42) E veteribus codicibus S. Dionysii apud Parisios.

(43) Gregor. Turon., l. V *Hist.*, c. 32.

Digitized by Google

530 CAPUT XXX.

Librorum sancti Dionysii index (44).

Primam in theologia laudem, secundum Scripturæ sacræ libros, sibi ex doctorum et piorum consensu vindicant sancti Dionysii Opera, multis probata et laudata cum philosophis tum theologis. Quorum librorum pars optima, Dei beneficio, hodie superest : nonnulla portio injuria temporum interiit. Supersunt hodie libri ·

De cœlesti hierarchia. 1. *De divinis nominibus.* 1. *De ecclesiastica hierarchia.* 1. *De mystica theologia.* 1. Item Epistolæ. *Ad Caium.* 1. *Ad Sopatrum.* 1. *Ad Demophilum.* 1. *Ad B. Joannem evangelistam.* 1 (45). *Ad Dorotheum.* 1. *Ad Titum.* 1. *Ad Apollophanem.* 1. *Ad Polycarpum.* 1.

His porro superstitibus hoc insigne laudis merito ascripsit seu Ambrosius Camaldulensis, seu Jacobus Faber Stapulensis, seu quilibet alius, quisquis primus fuit, *theolog a vivificans, solidus cibus.* Nihil enim in omnibus istis Areopagitæ scriptis facile reperias, quam solidum cibum, quam theologiam vivificantem.

De symbolica theologia. De anima. De divinis hymnis. Theologicæ informationes. De justo et divino judicio. De iis quæ intelligentia et quæ sensu percipiuntur.

Quibus libris magno Ecclesiæ damno deperditis, idem qui supra, quisquis ille fuerit, hanc jure bono affixit tristis naturæ epigraphen : *Infinitus thesaurus aut deperditus aut absconditus.* Scripsisse autem Dionysium libros ejusmodi, nulli magis quam ipsi credimus. Quippe qui in iis, qui modo exstant, istorum qui non exstant, a se scriptorum meminerit. Libros porro qui supersunt, egregiis Deus opt. max. decoravit miraculis. Anno enim a Christi ortu circiter octingentesimo vigesimo quarto, cum Michael Balbus imp. Orientis legatos ad Ludovicum Pium regem Francorum et Occidentis imp. misisset, eo ipso die quo libri S. Dionysii per Theodorum diaconum, Ecclesiæ Constantinopolitanæ œconomum, qui unus erat e legatis, ad cœnobium Dionysianum allati sunt (erat autem Vigilia S. Dionysii) novemdecim insignes variorum morborum curationes meritis tanti martyris designatæ sunt, eæque in personis notissimis, nec longe ab eodem cœnobio degentibus. Duobus autem fere post hæc sæculis, sive sub annum Domini nongentesimum sexagesimum septimum, Othone Magno imperante, aliud accidit prodigium, quod totidem hic verbis referam, quot nobis transmisit sanctus Odilo presbyter in Vita S. Majoli abbatis Cluniacensis : « Cum esset, inquit, aliquando sanctus Majolus in monasterio sanctissimi martyris Dionysii, et pro consuetudine nocturnis horis legeret ejusdem martyris et admirabilis philosophi librum *De hierarchia cœlesti*, gravi in eum incidente somno, cereus e manu ejus in libri paginam decidit : et ecce rem suspendam, ignis et naturæ suæ officium persequens, ellychnium et ceram consumpsit, paginam violare non est ausus ! » Ita S. Odilo.

—

NOTATIONES

(44) Continet indicem librorum S. Dionysii, quorum duplex ordo ponitur : unus eorum qui supersunt, alter eorum qui perierunt. Quod autem hos scripserit quos periisse diximus, ex illis ipsiusmet scriptis, quæ supersunt, habemus testimonium. *De symbolica theologia* enim meminit c. 15 libri *De cœlesti hierarchia*, et cap. 1 et 13 libri *De divinis nominibus*, et capite tertio *De mystica theologia*, et Epistola IX quæ est ad Titum.

Theologicarum informationum meminit c. 1 et 2 libri *De divinis nominibus*, et c. 3 *De mystica theologia.*

De anima meminit cap. 4 libri *De divinis nominibus.*

De justo et divino judicio mentionem facit ibidem.

De divinis hymnis meminit cap. 7 libri *De cœlesti hierarchia.*

De iis quæ intelligentia et sensu percipiuntur, sive ut vulgo, *De intelligibilibus et sensibilibus*, meminit cap. 1 et 2 libri *De ecclesiastica hierarchia.*

Sunt qui inter hos deperditos recenseant librum *De angelicis proprietatibus et ordinibus*, cujus fieri putant mentionem in libro *De divinis nominibus*, cap. 4, sub initium in illis verbis : Καὶ ὅσα ἄλλα εἴρηται πρὸς ἡμῶν ἐν τῷ *Περὶ τῶν ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων καὶ τάξεων. Et quæcunque alia a nobis dicta sunt in tractatu* De angelicis proprietatibus et ordinibus. Ad quæ verba sic S. Maximus in Scholio : Ἴδοὺ ἄλλο πόνημα Διονυσίου ζητεῖται. *Ecce aliud opus Dionysii desideratur.* Verum melius alii intelligunt, tantum significari partem eam libri *De cœlesti hierarchia*, in qua proprietates et ordines angelorum exponuntur. Cum enim id ibi fuse tractatum sit, cui bono alius de ea re liber scriberetur? Tenet etiam non esse disjunctum librum, illa insignis Carthusiæ lux et pulchra Eburonum gemma Dionysius Richelius, in sua *Elucidatione librorum S. Dionysii.*

531 Aliqui etiam addunt librum *De legali hierarchia*, cujus meminerit cap. 3 *Ecclesiasticæ hierarchiæ.* Sed male dispunxerunt, et perperam intellexerunt Dionysium; qui sic legendus est : Ὁ μὲν ἱερὸς λουτὴρ, ὡς εἰρήκαμεν, ἐν τῇ κατὰ νόμον ἦν ἱεραρχίᾳ. Isti autem sic legerunt, ὡς εἰρήκαμεν ἐν τῇ κατὰ νόμον ἱεραρχίᾳ, sine ulla distinctione post vocem εἰρήκαμεν, hoc sensu : *Ut diximus in legali hierarchia.* Sed alium esse sensum, ostendit Pachymeras in sua paraphrasi his verbis : Ὁ ἱερὸς λουτὴρ, ὁ ἐν τῷ νόμῳ εἰρημένος. *Sacer later, de quo in lege dictum est*, sive *sacrum lavacrum, de quo est sermo in Vetere Testamento.* Et paulo post idem Pachymeras : Ὡς γὰρ ὁ νόμος εἶχε λουτῆρα, οὕτως ἐνταῦθα ἡ ἀπόνιψις γίνεται τῶν χειρῶν. *Sicut lex habebat luterem, ita hic ablutio fit manuum.* Quod ut clarius explicem, habet hunc sensum : Ut in lege veteri erat lavacrum, in quo sacerdotes lavabant manus ac pedes, antequam ad offerendum thymiama accederent : sic in nova lege sacerdotes ante sacrificium debent extremas manus lavare. Itaque ἡ κατὰ νόμον ἱεραρχία nihil aliud significat, quam *legem veterem*, seu *Vetus Testamentum.* Sic accepit idem Dionysius cap. 5 *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, sub initium, de Judæis loquens, quibus, tanquam pueris, Deus dedit legem : Νηπίοις μὲν οὖσι, κατὰ τὸ Λόγιον, ἐδωρήσατο τὴν κατὰ νόμον ἱεραρχίαν. *Quibus*, inquit, *pueri cum essent, dedit hierarchiam legalem*, id est legem, sive statum legis. Quare melius hunc S. Dionysii locum intellexit Pachymeras, quam S. Maximus : si tamen idem Maximus (quod hodie legitur) Dionysii verbis addidit : Σημείωσαι, ὅτι οὐ λουτὴρ ἦν ἐν τῷ νόμῳ, καὶ ὅτι σύνταγμα ἔχει ἄλλο περὶ τῆς κατὰ νόμον ἱεραρχίας, ὅπερ οὐ φέρεται. *Nota, in lege non fuisse luterem, et Dionysium habere alium tractatum de hierarchia*

(45) Hujus ad B. Joannem Epist. meminit S. Damascenus, orat. 3 *De imaginibus.*

Digitized by Google

archia legali, qui non exstat. Verum nequaquam mihi tam sacrarum Litterarum ignarus aut oblivionis censeri potest S. Maximus, ut nescierit, aut non meminerit, in Veteri Testamento fuisse luterem seu pelvim, seu labrum æneum, seu mare fusile (idem enim hæc significant) in quibus sacerdotes lavarent. Nec enim uno in loco, sed in pluribus eorum fit mentio; nempe Exodi xxx, 18: *Facies et labrum æneum cum basi sua ad lavandum; ponesque illud inter tabernaculum testimonii et altare. Et missa aqua, lavabunt in ea Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur.* Et Exodi cap. xxxviii, 8: *Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Et lib. III Reg., cap. vii, 23: *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu.* Et idem quoque repetit totidem fere verbis II Paralip. iv, 2, et addit v. 6: *Porro in mari sacerdotes lavabantur.* Hæc igitur S. Maximum virtute et eruditione maxima præditum latere potuisse quis credat? Quare sicut Lansselius noster illud Scholion, tanquam adulterinum ex parte, a S. Maximo juste amovet; ita ego totum ab eodem justius amolior. Nam si posterior pars non est sancti Maximi, certe multo minus prior. Nam propter priorem adjecta est posterior. Quia enim existimavit adulterini hujus scholii ineptus et indoctus intrusor, non fuisse in lege luteres seu pelves ad lotionem sacerdotum ante sacrificia, et S. Dionysii verba male accepit ac distinxit, propterea adjunxit illam posteriorem partem: *Et Dionysium habere alium tractatum de hierarchia legali, qui non exstat.*

Dicitur præterea sanctus Dionysius scripsisse martyrium sancti Eutropii consodalis sui, atque ad Clementem pontificem misisse, rogasseque ut illud deinde in Græciam suis legendum consanguineis mitteret. Epistola Dionysii ad dictum pontificem una cum codice martyrii missa, in hanc scripta erat sententiam: *Eutropium, quem mecum in horas ad prædicandum Christi nomen misisti, significo apud Santonas urbem a gentilibus pro Domini fide trucidatum, martyrii coronam percepisse. Quapropter tuam paternitatem humiliter exoro, ut hunc passionis ejus codicem consanguineis meis et notis et amicis et fidelibus in Græciæ oris, Athenis præcipue, quam citissime poteris, mittere non differas. Quo et ipsi et cæteri, qui a B. Paulo novæ regenerationis lavacrum una mecum acceperunt, cum audierint gloriosum martyrem pro Christi fide crudelem necem subivisse, gaudeant se tribulationes et angustias pro Christi amore sustulisse.* Hæc Epistola, ut et codex passionis (quæ Calixtus papa II Constantinopoli in schola Græcorum reperisse dicitur, et e Græco in Latinum transtulisse) Græce jam non exstant. Vide Vincentium Bellovacensem lib. x *Speculi histor.*, cap. 18. Ibi exstant Acta sancti Eutropii, sed incertum est an ea sint quæ sanctus Dionysius perscripsit, an vero desumpta tantum ex illis, saltem ex parte.

R. P. PETRI HALLOIX

E SOC. JESU

DE S. DIONYSII VITA ET OPERIBUS

QUÆSTIONES QUATUOR.

532 Circa sancti Dionysii Vitam, ejusdemque Opera quatuor occurrunt nobilissimæ et variis doctorum virorum distractæ sententiis quæstiones.

Prima est: An idem sit Dionysius Areopagita, Pauli discipulus, qui et episcopus Parisiensis Francorum patronus.

Secunda: An Opera quæ nunc exstant sub nomine Dionysii Areopagitæ edita, sint revera ipsius, an vero posterioris cujuspiam.

Tertia: An Timotheus, cui hi libri inscripti sunt, sit Timotheus ille, Pauli discipulus et socius, an alius aliquis seu a Lucio Dextro, seu a Barônio, seu a quopiam alio propositus.

Quarta: Utri hodie sancti Dionysii corpus teneant, Parisienses ne, an Ratisbonenses.

Hasce quæstiones quatuor, quibus velut totidem columnis structura Vitæ et Operum S. Dionysii sustinetur, tametsi a nonnullis antehac, et quidem haud intelligenter, tractatæ sint; visum est mihi tamen in præsentia aliquando diligentius retractare. Nam et adversarum partium veterana arma sive antiqua argumenta studiosius expendi, et contra novitios insultus nova meliori parti auxilia conduxi; eo scilicet consilio, ut si qui Vitam hanc, alienis imbuti opinionibus, forte despiciant, aut minoris justo faciant, iis consultis, quas in vicino habeant, sententiæ nostræ rationibus, simulque argumentorum momentis utramque in partem allatorum æqua lance perpensis, facilius a deviis erroribus in rationis gyrum reducantur.

QUÆSTIO PRIMA.

An idem sit Dionysius Areopagita, Pauli discipulus, qui et episcopus Parisiensis Francorum apostolus.

Unum eumdemque esse Dionysium, qui primo Athenarum deinde Parisiorum fuerit episcopus, his probatur argumentis:

Primo quidem, quod cum primum ea moveri cœpta est quæstio, et res inter Græcos et Francos diligentius examinari, communi utrorumque judicio decisum sit non esse duos, sed unicum: qui more tum apostolis usitato post fundatam Athenis Ecclesiam, et datum illis episcopum, alio demigrarit, tandemque in Galliam devenerit. Ac de Græcorum quidem judicio confirmari potest e præstantissimis illius ævi tam sanctitate quam eruditione viris, nempe sancto Methodio, et sancto Michaele Syngelo; qui ambo, Cedreno teste, sub Theophilo im-

Digitized by Google

per. Iconoclasta martyrium religionis causa subiere. Isti igitur, quo tempore Ludovicus Pius imper. res et acta patroni sui perquirebat, unus sancti Dionysii martyrium, alter vitam omnem, egregia panegyri est complexus. Ac prioris quidem, hoc est S. Methodii patriarchæ Constantinopolitani, quæ huc spectant verba, sunt ejusmodi : Τότε καὶ ὁ μακάριος οὐτοσὶ Διονύσιος τῷ τοῦ σταυροῦ ἀρότρῳ τὴν θάλασσαν διατεμὼν, ἀπὸ Ἀθηνῶν τὴν Ῥώμην κατέλαβεν οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ Θεοῦ ἡγαπημένος, ὁδηγούμενος. *Tum et beatus hic Dionysius crucis aratro mare sulcans, Athenis Romam cœlesti ac divina ductus voluntate, tanquam Deo dilectus transmeavit.* Sic ille de profectione Romam : de transitu vero in Franciam, ita ibidem paulo inferius : Ἀκόιτανίας δὲ τοῖς μέρεσι τὸν ἅγιον Ἀντωνῖνον ἀποστείλας, αὐτὸς σὺν τῷ ἁγίῳ Ἐλευθερίῳ ἐν Παρισίᾳ τῇ πόλει ἐπορεύθη. *Misso in Aquitaniæ partes S. Antonino, ipse cum sancto Luciano et sancto Rustico et sancto Eleutherio ad urbem Parisios profectus est.*

Syngeli autem presbyteri Hierosolymitani, et magna eruditione præditi, sunt hæc, ubi de martyrio ejus Parisiis obito agit : Καὶ δὴ καταμηνυθέντος αὐτοῦ τοῖς διώκταις ὑπάρχειν ἐν Παρισίᾳ, πολίχνῃ οὕτω καλουμένῃ, ὁρμαίως εἰσελάσαντες ἐκεῖσε κατέλαβον αὐτόν. *Et cum jam annuntiatum esset persecutoribus in urbecula Parisiis appellata eum esse, cursim insecuti eum inibi comprehenderunt.*

De Francis porro idem fuisse eadem tempestate judicium, liquet e scriptoribus ætatis illius, Hilduino abbate et Hincmaro archiepiscopo Rhemensi : quorum prior non tantum probat eumdem esse Dionysium Areopagitam et Parisiensem, sed etiam alia sentientes aut quomodolibet innuentes fortiter refutat ; alter vero in Epistola, quam ad Carolum **533** Calvum imp. et Francorum regem scripsit, non modo Græcos et Francos in hac fuisse de uno eodemque Dionysio sententia asserit, sed etiam Romanos, ipsumque adeo pontificem. Nam dicit se quorumdam hac de re scriptorum exemplar imperatori mittere : « Ut si quæ sint, inquit, illorum reliquiæ, qui negabant dominum et patrem nostrum patronum vestrum, Dionysium esse Areopagitam a beato Paulo apostolo baptizatum, et Atheniensium ordinatum episcopum, et in Gallias a beato Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio et sanctæ sedis Romanæ attestatio, et Gallicana intimat contestatio, ratum esse in hac causa, quod longe ante nos dictum est, recognoscant. Quia veritas sæpius exagitata magis splendescit in lucem. » Ita Hincmarus.

Citat eadem Baronius tomo II *Annal.*, ad Christi annum 109, sed nonnihil vitiose. Nec enim valet, *Gallicana intima contestatio*, legendum *intimat*, quæ vox illo sæculo fui frequentissima. Nec item quod ista inclusit parenthesi (*quod longe ante nos dictum est*), nam Hincmari hic est sensus : « Ut recognoscant id quod longe ante nos dictum est (de uno eodemque Dionysio scilicet) ratum esse in hac causa. »

Scripsit his conformia sub idem tempus ad eumdem imper. Carolum Anastasius, Romanus bibliothecarius ; ubi post alia, in quibus se Græcam sancti Dionysii Vitam in Latinum eloquium vertisse dicit : « Cesset ergo jam, inquit, quorumdam opinio perhibentium non esse Areopagitam Dionysium eum qui prope Parisium corpore ac virtutibus redolet : cum hoc et Græcorum quoque stylus cum Latina lingua concordans testetur et prædicet. »

Nec parvi sane faciendum hoc argumentum est, quod a Græcorum consensu (qui satis alias et se et sua amare solent) ductum est. Neque enim est dubium, quin tanti viri, quales patriarcha Constantinopolitanus Methodius, et presbyter Hierosolymitanus, Michael Syngelus, eruditionis scilicet et gravitatis et sanctimoniæ gloria clari, antequam ea scriberent quæ de S. Dionysii scripserunt, aliquam diligentiam perquirendæ veritati, tanto præsertim in negotio, insumpserint. Nam dicere aut suspicari in favorem imperatoris ea scripsisse, quæ aliter ipsi sentirent, est viris qui ad martyrium prompti fortesque fuerunt, nimis levem, imo et levam attribuere conscientiam.

Secundo. Quod tanti viri, quantus fuit Dionysius, tam exigua olim in Oriente (ubi cum Paulo floruit) memoria et mentio reperta sit, seu de tempore excessus, seu de genere mortis, seu de loco sepulturæ, magno sane argumento est, eum (quod fere tunc omnes apostolorum faciebant discipuli) alias in terras demigrasse, proculque a patriis finibus vitam commutasse.

Tertio. Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, et alii Græcorum, qui memorias sanctorum studiosius sunt e veteribus monumentis perscrutati, eadem de Dionysii in Italiam et Franciam migratione docuerunt. Prioris verba sunt hæc : Τὴν βασιλίδα Ῥώμην καταλαμβάνει, καὶ πρόεισι Κλήμεντι τὸν Ἀποστολικὸν τηνικαῦτα θρόνον διέποντι. *Regiam urbem Romam pervenit, atque ad Clementem apostolicam sedem tunc tenentem accedit.* Et paulo inferius : Ὑπὸ τούτου προτρέπεται καὶ πρὸς Ἑσπέρια μεταβῆναι μέρη. *Ab illo incitatur, ut etiam ad partes transeat occidentales.* Et rursus haud multo post : Καὶ τοὺς Ἑσπερίους καταλαβὼν Γαλάτας, οὐ διδαχῇ μόνον ῥήμασιν, ἀλλὰ καὶ σημείων ἔργοις ἀποστολῆς ἔργον εἰργάζετο. *Et ad Occidentales Gallos profectus, non modo doctrinæ verbis, sed et factis prodigiosis, sui munere apostolatus fungebatur.*

Verba Nicephori libro secundo *Hist. ecclesiast.*, cap. 20 : Διονύσιος δὲ τὸν λόγον εὐσεβείας λαμπρῶς παῤῥησιασάμενος, ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσι κατὰ τὴν ἑσπέραν δοξάσας Χριστὸν, εἰς βαθὺ γῆρας ἦκων, καὶ τῷ ὑπὲρ αὐτοῦ μαρτυρίῳ κατεκοσμήθη. *Dionysius porro, cum pietatis doctrinam præclare et libere prædicasset, multosque annos in occidente Christi gloriam extulisset, ad multam usque progressus senectutem, denique pro eodem corona martyrii decoratus est.*

Quarto. Latini historici et chronographi et annalistæ eamdem de Dionysio sententiam tutati sunt : Vincentius Bellovacensis in *Speculo historiali*, lib. I, c. 1 ; S. Antoninus in I parte historiali, tit. 6, c. 18 et 19 ; Petrus Equilinus l. IX, c. 41 ; Genebrardus, Mariana, Baronius, et passim omnes. Qui si dicantur recentiores esse auctores, dicendum est eos, qui contra sentiunt, multo etiam iis esse recentiores, adeoque heri et nudiustertius, ut aiunt, natos.

Quinto. Probatur hæc sententia ex multis aliorum sanctorum Vitis, quorum sanctorum aliqui Athenis Romam, alii Roma in Galliam beatum Dionysium narrantur comitati. Grave est autem, et parum Christianæ pietati atque modestiæ consonum, tot Vitis sanctorum et narrationibus ex variarum archivis Ecclesiarum depromptis, fidem abrogare. Habent igitur S. Jonem (quem alii Jonam, alii Jonium, sed utrumque minus recte, appellant) venisse cum B. Dionysio Athenis Romam, et hinc in Gallias una migrasse. Cujus quidem martyrium nomen fecit loco, *Mons Sancti Jonis* dicitur apud pagum **534** Castresium, dictum Gallice *Chastres sous Montlehery*. Habent et B. Regulum, S. Joannis apostoli olim discipulum, a magistri in Patmon relegatione Athenas ad Dionysium se contulisse, eique deinceps adhæsisse, et Romam una profectum esse, indeque in terram Galliam. De quo Regulo ita Petrus Galesinius in *Martyrologio* ad III Kalendas Aprilis : « Apud Silvanectenses, inquit, sancti Reguli episcopi. Is civis Nicænus beati Joannis evangelistæ discipulus, Dionysii Areopagitæ in peregrinatione Gallica socius et comes,

Digitized by Google

post Trophimum Arelatensium factus episcopus, sanctimoniæ laude clarus, ex ædificata apostolorum basilica quievit in Domino. » Ita ibi. Vide plura de sociis ejusdem Dionysii cap. 10 et 21 Vitæ ipsius supra.

Sexto. E Menæis Græcorum, quæ ad diem 3 Octobris referunt, eum post explanatam ecclesiasticæ dispositionis formam, ad partes occidentales profectum esse, et martyrium apud Parisios obiisse. Ipsa Menæi verba exstant supra cap. 31 Vitæ.

Septimo. Libellus passionis S. Dionysii longe antiquior omnibus jam citatis scriptoribus Græcis, et missionis ejus a Clemente in Galliam, et suppliciorum mortisque ordinem continens : itemque multo antiquissima Visbii de iisdem rebus conscriptio (fuit enim Visbius Lisbii a sancto Dionysio conversi filius) ab Hilduino talium scriptorum diligenti perquisitore, annis abhinc octingentis circiter inventa, idem docent atque convincunt.

Octavo denique confirmatur ex antiquissimis martyrologiis, breviariis, missalibus, ubi Dionysius ille Parisiorum episcopus dicitur a Clemente pontif. Rom. in Gallias missus. Vidi Parisiis (eo enim me harum explorandarum gratia contuleram) vidi, inquam, in Bibliotheca clarissimi viri Thuani, et vidit mecum Andreas a Quercu insignis nostri ævi scriptor, duo perantiqua Martyrologia manu scripta, in quorum altero erat, S. Dionysium a pontifice Romano in Gallias missum ; in altero autem (quod e duobus erat antiquius) expresse habebatur a Clemente pontifice Romano missum. De diversis porro cunctarum fere Ecclesiarum, et nonnullis quoque extra Galliam breviariis ac missalibus, remitto cupidos Lectores ad Historiam abbatiæ S. Dionysii, nuper a Jacobo Dublæo (quocum etiam aliquando Parisiis contuli) in lucem editam. Is vir, si quis alius, omnium quæ S. Dionysii res contingunt, diligentissimus fuit investigator. Adde autem pro corollario Martyrologium et Breviarium, quo nunc Romana utitur Ecclesia, quæ disertissime protestantur, Dionysium Areopagitam a Clemente pontifice missum esse in Galliam prædicandi Evangelii causa. Atqui non potest alius assignari Clemens pontifex, quam ille Petri et Pauli discipulus, qui primo vixit sæculo. Nam Clemens II pontifex, demum undecimo sæculo vixit. Igitur unus idemque est Athenarum et Parisiorum episcopus, non duo.

Sed quid his opponant ii qui contraria sentiunt, nunc est videndum. Tria igitur præcipue opponunt.

Primum quidem, et quod aliis præstat, est, quod in veteribus Latinis Martyrologiis repererint bis positum S. Dionysium, semel scilicet 3 Octobris, sub his verbis : « Athenis, Dionysii Areopagitæ sub Adriano diversis tormentis passi : ut Aristides testis est in opere quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur, semel 9 ejusdem mensis, sub hac forma : Parisiis Dionysii episcopi cum sociis suis a Fescennino gladio animadversi. » Ita vetus Martyrologium Romanum, cui consentiunt Martyrologia venerabilis Bedæ, et Adonis Viennensis, quod quidem attinet ad diversos dies ; verbis alioqui nobis favent, ut post declarabitur, cum ad secundum argumentum respondebitur.

Secundum argumentum est ab auctoritate Gregorii Turonensis, lib. I, cap. 30, dicentis Dionysium missum in Gallias sub Decio imper. Unde sequeretur, non potuisse esse Areopagitam. Nam Decius vixit tertio sæculo, Areopagita primo.

Tertium ab auctoritate Severi Sulpitii lib. II *Sacræ Hist.* scribentis, sub M. Aurelio Antonini Pii filio primum intra Gallias visa martyria. Ex quo colligunt, Areopagitam non potuisse dici passum Parisiis sub Adriano, qui ante Antoninum Pium regnavit.

Hæc argumenta primo aspectu satis probabilia apparent ; sed propius inspecta et discussa, manifestæ falsitatis arguuntur. Itaque singula examinemus.

Ad primum ergo quod attinet, talis est responsio : Non sequi, ex eo quod quis ponatur bis in Martyrologio diversis diebus, et sub diversis verbis, esse duos ejusdem nominis diversos. Nam ut idem quispiam bis ponatur in Martyrologio, variis modis accidit. Primo quidem, cum is diversis in locis episcopus fuit. Multi enim gesto alicubi episcopatu, et relicta illic sui memoria, alio demigrarunt, sedemque aliam statuerunt : ut Petrus apostolus primo Antiochiæ, deinde Romæ : ut sanctus Alexander (cujus etiam, utpote scriptoris Vitam scripsimus) prius in Cappadocia, deinde Hierosolymis, **535** quem duobus diebus in Menologio reperies, nempe 16 Maii, et 12 Decembris : ut magnus Eustathius primo Berrhœæ, post Antiochiæ, qui et bis in Menologio diversis diebus ponitur, semel 21 Februarii, semel 5 Junii, in Romano autem, tam vetere quam novo, Julii 16.

Secundo, cum dies suscepti episcopatus uno tempore celebratur, et alio dies excessus, seu martyrio seu vitæ sanctimonia nobilitati, ut in SS. Basilio Magno, Ambrosio Mediolanensi, et aliis accidit. Nam Basilii quidem depositio sive excessus celebratur Kalendis Januarii, ordinatio autem decimo octavo Kalendas Julii ; ut videre est in Romano Martyrologio. Ambrosii vero natalis pridie Nonas Aprilis assignatur, ordinatio autem septimo Idus Decembris in hæc verba, « Mediolani ordinatio sancti Ambrosii episcopi, cujus sanctitate et doctrina universalis Ecclesia decoratur. »

Tertio, cum semel alicujus natalis, sive obitus dies celebratur, et semel aut sæpius ejusdem dies translationis corporis, aut certarum reliquiarum, ut in sancto Ignatio martyre ostendimus ; et quemadmodum in sanctis Andrea apostolo, Luca evangelista, Timotheo Pauli discipulo, e B. Hieronymi adversus Vigilantium discitur lucubrationibus : uti etiam in ipso sancto Hieronymo et S. Nicolao Myræ episcopo, et in aliis quam plurimis cerni potest : quorum non modo dies natalitii, sed etiam dies translationis reliquiarum reperiuntur distinctis diebus adnotati.

Quarto, et sæpius, ex errore eorum qui conflarunt Martyrologia, et e variis libris sacris sacros iis inserendos collegerunt, partim e Græca, partim e Latina Ecclesia. Quod eo facilius accidit, quod Martyrologia non ab uno homine, nec in uno sæculo, sed ab hominibus multis, aliis post alios, et in omnibus sæculis vel condita sint, vel aucta. Nam qui primus primo sæculo, aut secundi initio condidit Martyrologium, is tantum sanctos primi sæculi comprehendit ; quo mortuo, prout aliqui secundo sæculo exstiterunt qui digni Martyrologio viderentur : sic ab aliis atque aliis additi sunt, tam a Græcis in Græca, quam a Latinis in Latina Ecclesia : habuerunt enim et hi et illi distinctos fastos. Itaque Vetus Romanum, exempli gratia, quod initio minimum erat, crescente paulatim sanctorum numero, pari etiam passu crevit ; itemque Græcorum Menæum, post aliquot deinde sæcula, cum multa Latinorum in Græcis deessent Menæis, et multi Græcorum in Latinis desiderarentur Martyrologiis, fuerunt quidam (præsertim post tempora S. Hieronymi) qui primo illi Romano Martyrologio (quod jam *Vetus Romanorum* appellatur) multos sanctos addiderint, eosque de Græcorum Menæis magna ex parte desumpserint. Illi autem fuerunt, primo quidem venerabilis Beda, cum suo suppletore Floro monacho (reliquerat enim ille dies aliquot martyrum nominibus vacuos), deinde Usuardus

Digitized by Google

Caroli Magni imp. jussu : post hunc Ado, qui Bedam, licet Flori additamentis aliquatenus pleniorem, haud tamen numeris omnibus absolutum, ita perfecit, ut non modo dies vacuos replerit, sed etiam brevibus ipsorum martyrum actis adornarit, uti ex ejusmet Adonis liquet Epistola, quam noster Heribertus Rosweydus veteri præfixit Romano martyrologio. Dico igitur, sanctum Dionysium ab initio tantum semel fuisse tam in Græcorum Menologio, quam in Latinorum Martyrologio : et in Menologio quidem die tertia Octobris, brevissime hoc modo : « Certamen sancti Patris Dionysii Areopagitæ episcopi Athenarum. » Ubi observa, sileri ubinam fuerit illud certamen sive martyrium, quod longe scilicet a patria peregrinati et defuncti locum haud satis Græci nossent. In Menæo autem, quod Menologio posterius est, et multo auctius, quamvis sub hoc tantum titulo dies ejus natalis proponatur, Τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου, *Sancti Dionysii Areopagitæ martyris;* tamen in subjecto ejus vitæ et martyrii compendio scribitur passus Parisiis.

Non habent autem etiamnum, nec Menæum, nec Menologium Græcorum, nisi uno eodemque die, Dionysii Areopagitæ et Parisiorum episcopi natalem, hoc est tertio Octobris. Conflator igitur aut amplificator potius Romani Martyrologii, id quod reperit in Menologio tertio die Octobris, in Martyrologium suum eodem die intulit : atque ita factum est, ut qui erat 9 Octobris sub nomine Parisiorum episcopi, fuerit etiam tertio die sub nomine Areopagitæ seu episcopi Athenarum. Nam cum utrobique fuerit episcopus, et Athenis et Parisiis, Athenienses sub nomine Areopagitæ aut episcopi Athenarum, Parisienses autem sub nomine episcopi Parisiorum inscripserunt et coluerunt.

Nota hic quoque par transennam, in vetere Romano Martyrologio primitus nihil fuisse tertio Octobris, nisi hoc : « Athenis Dionysii Areopagitæ sub Adriano diversis tormentis passi. » Totum autem hoc quod sequitur : « Ut Aristides testis est in opere quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur, » **536** esse additamentum alicujus posterioris. Quod patet ex toto reliquo corpore ejusdem Martyrologii (ubi tantum nomina martyrum et locus ac dies passionis recensentur) et ex testificatione Adonis in epistola superius citata. Videtur autem ex ipso Adone sumptum, qui in suo Martyrologio idem, et pluribus quidem verbis, habet hoc modo : « Ut Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis, testis est in eo opere quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, et inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur, ut peritiores Græcorum affirmant. » Hinc ergo inepte et indecore intrusum est in Vetus Romanum; nam in augendo aliquo opere, forma primi operis retinenda est; et imitanda vel brevitas vel prolixitas ipsius auctoris et fontis. Quo in genere qui peccant, non pravi quidem, sed pravi se judicii profitentur.

Sic peccavit, qui in eodem Martyrologio ad octavam Novembris sic addidit : « Et ipso die, quatuor coronatorum, Severi, Severiani, Carpophori, Victorini : quorum festivitatem statuit Melchiades papa sub nominibus quinque martyrum celebrari, quia nomina eorum non reperiebantur; sed intercurrentibus annis cuidam sancto viro revelata sunt. » Debebat enim finire in Victorini, et ista foras projicere, *quorum festivitatem*, etc. Hisce enim forma Martyrologii deformatur. Quomodo autem Melchiades statuit celebrari sub nominibus quinque martyrum, si fuerint tantum quatuor? Tolle igitur *quinque*, est enim vitiosum, et repone *quatuor*.

Itaque ut ad propositum argumentum redeamus, errore posteriorum martyrologorum factum est, ut bis in Martyrologio poneretur S. Dionysius. Nam cum invenissent in Menæo Græcorum et Menologio ad tertiam Octobris scriptum natalem sive certamen Dionysii Areopagitæ episcopi Athenarum, rati esse diversum a Diouysio episcopo Parisiorum, quem in suis Martyrologiis habebant nono die ejusdem mensis, inscripserunt etiam ipsi tertio die Octobris natalem Dionysii Areopagitæ, sicut ibi invenerunt, atque ita ex uno Dionysio fecerunt duos. Unde Molanus in Notis ad Usuardum indicavit, tertio Octobris non necessario legendum esse quod habetur de sancto Dionysio. Nam apposuit istam notulam q, quam in epistola ad Lectorem numero 12 dicit significare, eousque in omnibus Ecclesiis legi posse : « Illa enim, inquit, quæ sequuntur notam q, vel sunt festa translationum, fere ex propriis Ecclesiis sumpta, quæ non est necesse passim per Ecclesias legi; vel sunt minimis typis, de non canonizatis, etc. » Unde Molanus, vir sane in hujusmodi rebus diligens et attentus, judicavit, Dionysium hunc Areopagitam notatum 3 Octobris, eumdem esse cum Dionysio Parisiorum episcopo, cur enim alioqui censeret non legendum Areopagitam in omnibus ecclesiis? Adde, nec in Martyrologio Venerabilis Bedæ quidquam primitus fuisse 3 Octobris, sed tantum 9, ut nunc in Martyrologio Romano novo et correcto. Testatur enim Baronius tom. II *Annalium*, anno Christi 109, antiquissimum Bedæ Martyrologium manu scriptum, acceptum olim ex reliquiis monasterii S. Cyriaci, unum tantum habere Dionysium, Parisiensem scilicet, septimo Idus Octobris. « Unde non a Beda, inquit, sed ad Bedam ea de Dionysio Areopagita addita esse oportuit, ex Græcorum videlicet Menologio. Nam ea die 3 Octobris iidem agunt de Dionysio Areopagita. » Ita Baronius, et bene. Indicarat et Molanus loco supra citato, addita G littera ad vocem *Areopagita*, sumptam illam esse e Græco Menologio.

Sed petunt nostri adversarii exempla eorum qui bis similiter in Martyrologio ponantur quasi sint diversi; et tamen sint unus idemque.

Respondeo quidem, id quod petunt non esse necessarium, cum aliunde alia sufficiant argumenta; sed tamen etiam in hoc nos ipsis facturos satis, quo et ipsi libentius nobis dent manus, cum quod petunt acceperint.

Primo igitur S. Crescens Pauli apostoli discipulus, qui perinde ac Dionysius et in Oriente et post in Galliis apostolus fuit, bis similiter in Martyrologiis ponitur, semel 27 Junii hoc modo : « In Galatia S. Crescentis discipuli Pauli apostoli, qui in Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi convertit; rediens vero ad gentem cui specialiter datus erat episcopus, cum Galatas ipsos usque ad finem vitæ suæ in opere Domini confirmasset, demum sub Trajano martyrium consummavit. » Semel rursus 29 Decembris hoc pacto : « Viennæ in Gallia S. Crescenus discipuli B. Pauli apostoli et primi ejusdem civitatis episcopi. » Ita in Romano Martyrologio. Ubi vides, semel Viennæ poni ejus natalem, ubi fuit episcopus, nulla facta Galliarum mentione; eodem prorsus modo, quo S. Dionysii Parisiorum episcopi 9 Octobris, sine ulla mentione Athenarum, in antiquis Bedæ et Usuardi et Adonis Martyrologiis, semel item in Galatia 27 Julii, quo die apud Bedam nulla mentio Viennæ aut Galliarum. Hoc enim tantum habet : « Apud Galatiam B. Crescentis episcopi, discipuli S. Pauli apostoli. » **537** Die autem Decembris 29 sic : « Eodem die S. Crescentis, apostoli Pauli discipuli. Viennensis Ecclesiæ primi doctoris. » Usuardus porro cum eumdem esse agnovisset, et bis positum animadvertisset, semel sustulit. De Crescente enim 29 Decembris nihil habet. Sic novi Romani Martyrologii assertores.

Digitized by Google

cum eumdem Dionysium Areopagitam et Parisiorum episcopum bis positum deprehendissent, semel expunxerunt, et tantum 9 Octobris reliquerunt.

Secundo, S. Philippus Gortynæ in Creta episcopus, bis in vetere Romano Martyrologio reperitur, semel 11 Aprilis in hunc modum : « Gortynæ Philippi episcopi, qui claruit Antonini Veri et Lucii temporibus. » Et semel 8 Octob. in hanc formam : *Gortynæ Filippi episcopi.* Bis habet eum ipsum etiam Beda iisdem diebus, semel sic tertio Idus April. : « Apud Cretam urbem Gortynæ, B. Philippi episcopi. » Ubi adhibenda est talis correctio : *Apud Cretam in urbe Gortynæ.* Nec enim Creta est urbs Gortynæ, sed contra. *Apud Cretam* autem idem est, quod in *Creta* quod frequens est in Martyrologiis ut *apud* ponatur pro *in.* Nec est quod quisquam diversos fingat : nullum enim usquam alterius Philippi episcopi Gortynæ vestigium, quam unius scriptoris ecclesiastici (cujus et ego Vitam seorsum scripsi) reperitur. Et eumdem utrobique denotari, patet ex Adone qui 11 April. sic habet : « Apud Cretam, urbe Gortynæ, B. Philippi episcopi, qui vita et doctrina claruit temporibus Antonini Veri et Lucii Aurelii Commodi impp. ; » et 8 Octobris sic : « Apud Cretam urbe Gortynæ, beati Philippi episcopi magnis virtutibus et optimis studiis præditi viri. »

Quis autem dubitat, quin eadem sint « vita et doctrina clarere et magnis virtutibus et optimis præditum esse? » Quis item ambigat, quin ista de eodem dicantur, cum viri nomen et dignitatis, atque ipsa quoque insula et urbs ejus insulæ consentiant?

Hinc novi Rom. Martyrologii censores, et ante illos Usuardus, cum duobus diversis diebus B. Filippi legerent, in posteriore loco sustulerunt. Usuardus enim 11 April. ita ejus refert memoriam, et alibi nusquam : « Apud Cretam, urbe Gortynæ, S. Philippi episcopi, qui magnis virtutibus et optimis studiis prædítus fuit. Floruit autem temporibus Antonini Veri et Lucii Aurelii imperatorum. » Ubi vides, omnia quæ in duos dies Ado discreverat, uno eodemque a doctissimo Usuardo comprehendi. Sic factum et in novo Romano Martyrologio eadem die, ubi sic : « Gortynæ in Creta, S. Filippi episcopi, vita et docrina clarissimi, qui temporibus M. Antonini et Aurelii Commodi Ecclesiam sibi creditam regens a furore gentilium et hæreticorum insidiis eamdem tutatus est. » Nihil de illo alibi.

Tertio, S. Alexander Hierosolymorum episcopus, qui sub Decio passus est, bis legitur in Menologio, semel 16 Maii, et semel 12 Decembris : bis item in Venerabilis Bedæ Martyrologio, semel 30 Januarii semel 18 Martii reperitur : similiterque in Adone et in vetere Romano Martyrologio ; sed in novo Romano semel sublatus est, et jam tantum semel reperitur, itemque in Usuardo. Viderunt enim eumdem esse, quem alii duos putaverunt.

Duplicis autem situs in eodem Martyrologio eadem videtur causa, quæ dicta est in sancto Dionysio. Nam bis quoque episcopus fuit, semel in Cappadocia, semel Hierosolymis. Longum esset alios requirere, qui sæpius in diversis Martyrologiis positi reperiuntur. Nam et S. Euphrosyne bis ab Usuardo diversis et diebus et mensibus adnotatur : semel 1 Januarii, ubi et Beda et Ado et novum Romanum Martyrologium, et alia ; et semel rursus 11 Februarii. Similiter et Basilius Magnus semel 1 Januarii, semel 14 Junii. Sic et alii.

Sed hæc possunt et debent sufficere ad declarandum, non sequi necessario, diversos esse ejusdem nominis eos qui bis ponuntur in Martyrologio, tametsi ejus causa ibidem deprehendi non possit, cum aliqua fere semper earum subsit, quas supra posui.

Nec valet eorum argumentatio qui ex eo quod tertio Octobris dicatur, « Athenis Dionysii Areopagitæ, » etc., colligunt Athenis passum ; et ex eo quod nono Octobris dicatur « Parisiis, Dionysii episcopi, » etc., volunt intelligi Parisiis passum. Non hoc significant illa nomina urbium, neque hoc intelligi volunt ; sed istud, *celebratur natalis*, aut *celebratur memoria*, sive ibi passi aut mortui sint, sive alibi. Nam alioqui, intelligerentur ibi passi, multi : atque inprimis ille inexcusabilis primo Februarii, ubi dicitur in vetere Romano Martyrologio : « Antiochiæ, Ignatii episcopi et martyris, » cum luce sit clarius, eum Romæ passum, et apud Bedam, ubi sic : « Apud Antiochiam, passio sancti Ignatii episcopi et martyris, » et apud Adonem : « Eodem die, apud Antiochiam beati Ignati episcopi et martyris. » Quibus omnibus in locis ad urbium aut locorum nomina intelligi debet, ut diximus, natalis celebratur aut memoria recolitur. Sic in Romano Martyrologio ad 31 Augusti : « Treviris natalis sancti Paulini episcopi, » scilicet celebratur ; et tamen ibi non est mortuus, sed in **538** Phrygia aut apud Phrygiam in exsilio.

Sic in eodem Martyrologio ad diem quartum Septembris : « Arimini, S. Marini diaconi, » qui non Arimini, sed apud montem Titanum obiit, ut in ejus Vita exsistit. Itaque subaudiendum, dies natalis colitur.

Sic in vetere Romano Martyrologio ad vigesimam septimam Januarii cum dicitur : « Constantinopoli Joannis Chrysostomi, » non debet nec potest intelligi, obiit, sed celebratur festivitas. Nec enim Constantinopoli obiit, sed in Ponto. De primo argumento satis : nunc ad secundum veniamus, quod est ejusmodi.

Scribit Gregorius Turonensis libro primo Historiæ Francorum, cap. 30, tempore Decii imp. missos in Galliam septem episcopos, inter quos recenset S. Dionysium Parisiorum episcopum ; ergo alius est ab Areopagita, qui multo ante sub Adriano mortuus est.

Verba ejusdem Gregorii sunt hæc : « Hi ergo missi sunt : Turonicis Gratianus episcopus ; Arelatensibus Trophimus episcopus, Narbonæ Paulus episcopus ; Tolosæ Saturninus episcopus : Parisiacis Dionysius episcopus ; Arvernis Stremonius episcopus ; Lemovicinis Martialis est destinatus episcopus. » Agit autem ibi de temporibus Decii.

Respondeo, hanc auctoritatem sua sponte corruere. Continet enim aperte et evidenter res falsas. Nam S. Trophimus primus Arelatensis episcopus, de quo hic agitur (nec enim alius in ea Ecclesia legitur) fuit S. Pauli discipulus, idque omnia testantur et vetera et nova Martyrologia. Nam Vetus Romanum 29 Decembris sic habet, « Trophimi episcopi, discipuli apostolorum. » Novum autem sive Ordinarium Romanum sic : « Arelate natalis S. Trophimi, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens, qui ab eodem apostolo episcopus ordinatus, præfatæ urbi primus ad Christi Evangelium prædicandum directus est. Ex cujus prædicationis fonte (ut S. Zosimus papa scribit) tota Gallia fidei rivulos accepit. » Ven. Bedæ Martyrologium ita de eodem : « Apud Arelaten natale sancti Trophimi episcopi et confessoris, discipuli apostolorum Petri et Pauli. »

Vide eadem apud Adonem in libello *De festivitatibus*, et apud alios tam martyrologos quam historicos sacros : et tamen in illis Gregorii verbis ponitur sub Decio. De S. Martiale apostolorum item discipulo, perinde aberravit idem Gregorius, cum nemo præter illum senserit S. Martialem sub Decio venisse in Gallias, primusque sit ejus opinionis auctor. Nam omnes fere antea eum fuisse unum e Christi septuaginta duobus discipulis consenserunt. De quo vide *Galliam Christianam* Claudii Roberti, ubi Lemovicense Martyrologium ita

Digitized by Google

de illo: « Apud Aquitaniam provinciam Galliæ, civitate Lemovicis, natalis sanctissimi Martialis, qui unus ex septuaginta duobus discipulis electus, magnum meritum ad prædicationis officium cum Petro apostolorum principe complevit, postea vero, jubente Domino, Aquitaniam convertit. Qui virgo electus ab ipso, et plenus sancto Spiritu assumptus est cum magna gloria et inducibili ad cœlos, quinquagesimo nono ætatis suæ anno, episcopatus autem vigesimo octavo, Olympiadis vero 212, et Imperii Vespasiani Cæsaris tertio anno, et post resurrectionem Domini quadragesimo. Omnes ejus vitæ anni ita supputantur: Annos impleverat quindecim ante baptismum: tribus permansit cum Domino, et quinque cum Petro Hierosolymis, septem vero in Antiochia, Romæ vero uno anno mansit, in Aquitania per viginti octo annos, in episcopali ministerio ad finem usque gloriosissime perseveravit: ubi ecclesiam S. Stephani Levitæ protomartyris consecravit temporibus Neronis imperat. et Stephani ducis.» Ita ibi.

In S. Paulo Narbonensi primo episcopo similiter hallucinatus est idem Gregorius: de quo ita Ven. Bedæ Martyrologium, 22 Martii: « In Galliis, civitate Narbone, sancti Pauli episcopi et confessoris, discipuli apostolorum Christi: quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paulus sortitus est nomen,» etc. Consentiunt alia Martyrologia, tam Romanum illud vetus ab Heriberto editum (ubi sic: « Narbone S. Pauli episcopi, discipuli apostolorum ») quam usitatum et ordinarium: itemque Adonis et aliorum hac die: sed Usuardi 12 Decembris.

Qui ergo in his tribus manifesto erravit, dum dixit venisse eos in Gallias sub Decio, hoc est integro sæculo postquam essent mortui, quomodo idem testimonium valebit contra Dionysium Areopagitam, quod contra illos nihil valuit? Itaque quod Gregorius Turonensis dicit de Dionysio, « Tam verum est (ut merito scribit Baronius) quam quod ibi asserit ejusdem Decii tempore Trophimum Arelaten, Paulum Narbonam, et Martialem item in Gallias amandatos: quos constat fuisse apostolorum discipulos, et apostolorum temporibus ad prædicandum Evangelium in Gallias esse missos. Sed hæc, sicut alia multa, auctoris simplicitati multa tam facile admittenti donanda sunt, prout etiam Hilduinus excusat ita dicens: Cæterum parcendum est simplicitati viri religiosi Gregorii Turonensis episcopi, qui multa aliter quam veritas se habet, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis et simplicitatis voto litteris commendavit.» Sic illi.

539 Ego vero ad firmandam eorum de Gregorio opinionem, sed præcipue ad corroborandam nostram de S. Dionysio Areopagita sententiam, dico, eidem Gregorio Turonensi non magnopere cordi fuisse, præsertim in primis imperatoribus, distinguere accurate tempora, sed adeo illa confudisse, ut miscuerit et conturbarit ea quæ facta sunt sub Antonino Pio, cum iis quæ sub M. Aurelio Antonino philosopho, et L. Vero ejus filiis, et cum iis quæ sub horum successore Commodo, et quæ sub aliis usque ad Decium acciderunt. Nam inter Antoninum Pium et Decium nulla tot imperatorum, qui intercesserunt, ab eo fit mentio. Nihil de Marco Aurelio Antonino, qui imperavit annos 19, nihil de Commodo, qui 12, nihil (ut Pertinacem et Didium tanquam brevi exstinctos omittam) de Severo, qui annos septemdecim; nihil de Antonino Caracalla, qui annos sex; nihil de Macrino, de Heliogabalo, de Alexandro Severo, qui annos tredecim, nihil de Maximino, nihil de Maximo et Balbino, nihil de Gordiano, nihil de Philippo, qui annos sex.

Si quis igitur aliunde ignarus historiæ legat hic Gregorium Turonensem, credet sane omnia quæ sub tot imperatoribus mediis facta sunt, esse facta sub Antonino Pio, adeoque Irenæum sub eodem esse passum, etiamque Justinum philosophum et Pothinum: quæ tamen ipsorum adversariorum confessione sunt falsissima. Ita enim scribit libro primo cap. 28: « Nam sub Antonini imperio Marcionitana et Valentiniana hæresis insana surrexit; et Justinus philosophus post scriptos catholicæ Ecclesiæ libros martyrio pro Christi nomine coronatur. In Asia autem orta persecutione, beatissimus Polycarpus, etc. Sed et in Galliis multi pro Christi nomine sunt per martyrium gemmis cœlestibus coronati, etc. Ex quibus et ille primus Lugdunensis Ecclesiæ Pothinus episcopus fuit, etc. Beatissimus vero Irenæus hujus successor martyris, etc.» Quis ita legens non diceret omnia sub Antonino Pio accidisse, eodem nimirum tempore quo Marcionis et Valentini hæreses surrexerunt? At vero longe aliter res habet. Nam Justinus quidem, Polycarpus et Pothinus non sub Antonino Pio, sed illo pridem defuncto sub ejus filiis interempti sunt: Irenæus autem multo etiam postea sub Severo imp. de quibus in ipsorum Vitis aut martyriis ago fusius. Et tamen Gregorius Turonensis in eadem ipsa pagina, ubi de septem illis episcopis sub Decio in Galliam missis hallucinatur, rursus errore lapsus scribit quadraginta octo martyres (ex quibus primus fuerit Vettius Epagathus) passos esse post Irenæum; cum constet ex ipsorum Lugdunensium epistola tum scripta de ipsorum martyriis, longe ante illos esse passos cum Pothino, Irenæum autem multo ut dixi, postea sub Severo.

Verba Gregorii, ne mihi gratis credatur, sunt hæc: « Beatum Irenæum diversis in sua carnifex præsentia pœnis affectum Christo Domino per martyrium dedicavit. Post hunc et quadraginta octo martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vettium Epagathum.» Ita ille. Atqui triginta annis post istos martyres adhuc superstes erat Irenæus, ut in ejus Vita a me scripta videre est. Unde miror, eos, qui auctoritatem Gregorii pro se allegant, dum ejus errata chronographica tam multa et tam crassa et tam vicina attendunt, si tamen attendant, non vehementi pudore suffundi. Et vero quomodo potuit sub Decio missus esse Dionysius in Galliam, cum veterrima Martyrologia, ut superius ostendi, ferant eo missum a Clemente Romano pontifice, nullus autem talis Clemens fuerit sub Decio?

Et ipse Beda (quem pro se citant, quia diversis diebus duos videtur afferre Dionysios) in hoc pro nobis plurimum facit, quod illum Parisiorum episcopum dicat missum a Clemente pontifice. Inde enim sequitur, quod primo sæculo, et nullo modo sub Decio, qui tertio vixit sæculo; nullus enim tum Clemens pontifex: aut si est, proferant. Ven. Bedæ verba 9 Octobris sunt hæc: « Apud Parisium natale sanctorum martyrum Dionysii episcopi, Eleutherii presbyteri et Rustici diaconi. Qui beatus episcopus a pontifice Clemente Romano in Gallias directus, ut prædicationis operam populis a fide Christi alienis exhiberet, tandem ad Parisiorum civitatem devenit, et per annos aliquot sanctum opus fideliter et ardenter exsecutus, a præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus est, et cum eo sanctus presbyter Eleutherius et Rusticus diaconus gladio animadversi martyrium compleverunt.»

Et quia non raro, dum suum Gregorium frustra jactant, æque antiquum a nobis auctorem postulant, qui a nobis sit, ecce æqualem Gregorio, et forte etiam natu grandiorem, doctrina certe vel parem vel superiorem eis reponimus Venantium Fortunatum, qui insignem de nostro Dionysio hymnum composuit, in quo de missione ejus a Clemente pontifice Romano expresse meminit. Citaverat olim eum hymnum Hilduinus abbas, sed non ediderat, eum nunc luci dedit Jacobus Dubletius lib. I *Antiquitatum* suarum extremo, estque talis:

Digitized by Google

540 *Hymnus Venantii Fortunati de B. Dionysio.*

Fortem, fidelem militem
Cœli secutum principem,
Dionysium martyrem
Plebs corde, voce personet.
Clemente Roma præsule
Ab urbe missus adfuit :
Verbi superni seminis
Ut fructus esset Galliæ.
Opus sacratum construit :
Fidem docet baptismatis :
Sed audientum cæcitas
Munus repellit seminis.
Instante sacro antistite
Errore plebem solvere ;
Dum spem salutis incidit,
Tormenta mortis ingerit.
Tenetur a gentilibus
Christi placens altaribus :
Amore tantæ gloriæ
Pœnas libenter excipit.
Unum quod illi defuit,
Pro rege colla tradidit :
Dilectionem pectoris
Cervice cæsa prodidit.
Magnus sacerdos, qui dabat
Templi sacrata munera,
Fuso beato sanguine
Est factus ipse victima.
Felix pio de vulnere,
Quæ pœna palmam præbuit !
Qui morte mortem conterit,
Nunc regna cœli possidet.
Gloria sit Deo Patri :
Gloria Unigenito :
Una cum sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula.

Sic ille : cui profecto nusquam in scriptis suis tubanti, multo major adhibenda fides, quam Gregorio toties et tam aperte offensanti.

Denique astruit Hilduinus, protestatos Athenienses, se tam ex antiquissimis quorumdam scriptorum monumentis : quam ex majorum suorum continuatis traditionibus accepisse, « Dionysium subrogato sibi episcopo Romam adiisse et (ut compererunt) apud Gallorum gentem glorioso martyrio consummatum fuisse. Quod et Tarasius patriarcha Constantinopolitanus, inquit, per legatos suos sollicite inquisivit ; et ita se eam rem habere certus, eamdem Atheniensium civitatem pallio archiepiscopali (quod tam ex ea tam diuturno tempore orta quadam contentione subtractum fuerat) redonavit ; et synodali consensu, Metropolis auctoritate, qua ante functa fuerat, honoravit. » Vixit Tarasius octavo sæculo, tempore Adriani papæ I et patriarcharum (quem ante recusaverat) ea tandem lege admisit, ut cogeretur concilium, et de cultu imaginum (qui sublevatus fuerat a Græcis impp.) restituendo ageretur. Declaratus est patriarcha anno quinto imperii Irenes et Constantini filii. Vide Cedrenum ad eum annum.

Ad tertium argumentum ex auctoritate Sulpitii Severi ductum jam respondendum est, nec difficilis est negotii responsio. Verba Sulpitii sunt : « Post Adrianum, Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. » Sic igitur inde argumentantur : Si regnante M. Aurelio Antonino philosopho primum visa sunt martyria in Gallia, ergo Dionysius Areopagita non fuit martyr Parisiis sub Adriano, hoc est quadraginta, eoque amplius annis ante M. Aurelium.

Respondetur, Sulpitium eo loco breviter omnes Ecclesiæ graviores persecutiones, quæ ante ipsum fuerunt, perstringere ; ut patebit cuivis eum locum attendenti ; ac propterea eum agere de martyriis quæ magno simul numero (ut in gravibus persecutionibus solet) edita sunt : non vero negare, quin A aliqui interdum variis temporibus (quod etiam extra generales illas persecutiones sæpenumero accidit) martyrio affecti sint. Respexit enim procul dubio Sulpitius ad illa Eusebii verba in Chronico ad annum M. Aurelii et L. Veri septimum : « Plurimi in Gallia gloriose ob Christi nomen interfecti, quorum usque in præsentem diem condita libris certamina perseverant. »

Sicut ergo talis persecutio per Gallias antehac non fuit, ita Sulpitius eam primam nominat, et merito. Nam sicut una hirundo, ut aiunt, non facit ver ; ita paucorum in una integra gente martyria, non faciunt, ut debeat historicus (et is præsertim qui res tantum graviores se breviter persequi profitetur) eorum meminisse. Nam Sulpitius quidem totam historiam sacram ab orbe condito ad sua usque tempora duobus libellis complexus est. Quos sic incepit : « Res a mundi exordio sacris litteris editas breviter constringere ; et cum distinctione temporum usque ad nostram memoriam carptim B dicere aggressus sum : multis id a me studiose efflagitantibus, qui divina, compendiosa lectione, cognoscere properabant. » Unde non mirum, si particularium quorumdam martyrum mentionem neglexerit. Imo nec Pothini, nec Irenæi (quamvis prior cum illustrissimis martyribus quadraginta, posterior cum omni fere Lugdunensi civitate sublatus sit) nominatim meminit.

541 Itaque quod dicit, ante illud tempus martyrii non esse visa intra Gallias, sic capiendum et intelligendum est, quo modo et illud quod subdit, « serius trans Alpes Dei religione suscepta, » scilicet palam et a totis populis. Quis enim dicat, a nullis omnino susceptam religionem catholicam in Galliis, ante M. Aurelium Antoninum philosophum, hoc est ante annum a Christo circiter centesimum sexagesimum ? Ergone Petrus et Paulus, quorum alter tam diu Romæ, alter etiam satis fuit, et qui omnia per se, vel per suos, ut fulgura per- C volabant, cæcos ad Galliam habebant oculos ? ad Galliam tam vicinam, tam nominatam ? Res est creditu non modo difficilis, sed etiam indigna auditu. Nam ex ante dictis constat, varios variis temporibus et in Gallia fuisse, et martyrium in Gallia obiisse.

Et de S. Ursino primo Bituricensium episcopo fatetur ipsemet Gregorius Turonensis, a discipulis apostolorum in Gallias missum. Nam libro *De gloria confessorum*, cap. 8, sic scribit : « Bituriga vero urbs primum a S. Ursino (qui a discipulis apostolorum episcopus ordinatus in Gallias destinatus est) verbum salutis accepit, atque Ecclesiam Biturigensem primum instituit, rexitque, qui migrans a sæculo, in campo inter reliqua sepulcra populorum sepulturæ locatus est. Non enim adhuc populus ille intelligebat sacerdotes Domini venerari, eisque debitam reverentiam exhibere. » Consentiunt omnia Martyrologia ad diem 9 Novemb. D « Eutropius quoque martyr Santonicæ urbis (verba sunt ejusdem Gregorii Turonensis libro primo *Miraculorum*, cap. 56) qui a Clemente episcopo fertur directus in Gallias ; ab eodem pontificalis ordinis gratia consecratus est, » etc. His consentit Romanum Martyrologium ad trigesimam Aprilis. Si quis autem dicat, a Dionysio Areopagita usque ad episcopos Parisienses qui nunc sunt, computatis singulorum annis, non reperiri justum numerum, siquidem eum asseramus primo fuisse sæculo, aut secundi initio ; respondere ex vero possumus, post Dionysium ob persecutionis flammas diu vacasse episcopatum. Nam si a tempore Decii (qui tertio demum sæculo imperavit) usque ad primum Constantis imp. annum, Turonensis episcopatus cessavit triginta septem annis, ut ipse auctor est Gregorius Turonensis lib. x *Historiarum*, capit. 31, quanto magis vel tanto vel ampliori etiam intervallo vocaverit sedes Parisiensis secundo sæ-

Digitized by Google

culo? cum scilicet et episcoporum ac doctorum minor esset copia, et Gallia numero Christianorum desertior. Nec hoc sane novum aut Parisiensi Ecclesiæ proprium, quod episcoporum continenti successione illo ævo caruerit. Hoc enim et multis aliis accidit. Ac de Rhemensi quidem Ecclesia Flodoardus presbyter, scriptor gravis (quem haud ita pridem ediderunt et egregie illustrarunt Sirmondus noster et Georgius Colvenerius) diserte scribit post illos primos ejusdem Ecclesiæ pontifices, beatos, inquam, Sixtum ac Sinicium sancti Petri apostoli discipulos, usque ad imperium Constantini Magni, per tria scilicet sæcula unicum memorari præsulem Amansium. Et ne verba ejus auctoris desiderentur, subjicio. Itaque lib. I *Histor. Rhemensis Ecclesiæ*, postquam superius de primis a Petro in eam vineam missis egit, ita cap. 5 subdit: « Frequentibus igitur persecutionum procellis intonantibus Ecclesiæ puppis nostræ jactata, diversisque oppressa fluctibus, quoniam vix caput attollere poterat, quanto sedes ipsa tempore rectore vacua digno resederit, haud facile panditur: adeo, ut post tot præmissos nostræ fidei patres, beatum Sixtum atque Sinicium, unum duntaxat præsulem inveniamus Amansium ad imperium usque Constantini: sub quo Betausius reperitur, qui cum Primogenito diacono suo primus ex hac Belgica provincia legitur Arelatensi primæ interfuisse synodo, relatæ per Marinum episcopum beatissimo papæ Silvestro, Volusiano et Aniano Coss. Post quem Aper, inde Maternianus, » etc.

Deinde responderi potest, sepositа etiam throni episcopalis vacatione, mediorum episcoporum nullam esse mentionem, non quod ii defuerint, sed quod aut obscuri fuerint, deficientibus qui scriberent; aut si scripti olim fuerint, tamen injuriis temporum deleti sint. Ita fere simili in negotio respondet Joannes Dadræus in Chronologia archiepiscoporum Rothomagensium, ubi de S. Nicasii et S. Mellonis agit distantia.

Quare, ut huic finem disputationi tandem ponamus, firmum fixumque habeatur, unum eumdemque esse, qui olim Athenarum, et postea Parisiorum princeps fuerit episcopus: Qua de re quam mihi arridet Jacobi Fabri Stapulensis, viri docti juxta et pii sententia, tam hic minime est prætermittenda. « Insuper, inquit, non sine divina ordinatione et summa providentia id effectum esse mihi visum est, ut hic sacratissimus et longe divina sapientia illustrissimus Pater, primum Atheniensium antistes Atticam rexerit Ecclesiam, et civitatem primariam, omnium parentem litterarum, illuminaverit. Qua illuminata mox in Gallias a beatissimo Clemente apostolus missus, sedem apud Parisiorum insignem urbem (seu Parrhisium seu Lutetiam appellarent) delegarit. Quæ melius Dionysia a Dionysio primo **542** suo antistite et apostolo, primo susceptore ac regeneratore, quam ab Iside, aut luto, ut volunt nonnulli, potuisset appellari. Primus enim eam ad vitæ fontes erexit in Christo parvulam (solent enim primi susceptores indere nomina); primus mortem ab ea effugavit, et induxit vitam; quam in Christiano cultu, suo sanguine et omnium tormentorum molitionibus libenter susceptis tandem confirmavit. Unde et victor mundo triumphato ad Deum, qui ipsum miserat, conscendit. Tum Deus illum locum, piorum studiorum fontem præordinavit; ut ad quem, in certum eventus rei argumentum, ex Athenis virum supra omnem humanam sapientiam doctum direxerit. Vox igitur Dionysia bonarum litterarum omnium academia, eadem et Parisiensis, quam unus idemque Pater sociam fecit Athenis, et sororem, vestro applaudite apostolo, vestro primo antistiti et parenti, primo ad vitam susceptori et illuminatori, et ejus sacras disciplinas in honore suscipite, atque in eis ipsis dies noctesque proficite. » Sic ille.

Et hoc sane melius quam inquirendis contra hanc tam longo receptam intervallo sententiam inutilibus argumentis frustra tempus insumere. Et quæso, ne locus detur isti querelæ: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* [a]

QUÆSTIO II.

De scriptis sancti Dionysii.

Fuit hæc semper atque etiamnum est celeberrima inter doctos viros quæstio, cujusnam sint ea scripta, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine in lucem prodiere, ipsiusne revera Areopagitæ, an alterius.

Tractarunt eam complures, partim Græci, partim Latini; partim catholici, partim hæretici. Et quidem qui affirmativam partem tenuerunt, ea scilicet scripta vere esse Dionysii Areopagitæ, e cœtu catholico pene omnes fuerunt: qui vero negativam, maxima ex parte hæretici, quantumvis aliquo etiam numero catholici.

Ac ne cui in mentem veniat, me post tot hujus quæstionis tractatores videri actum agere, discent ex hoc nostro tractatu, quicunque animum adjecerint, meliorem nos in non paucis tenuisse refutandi viam, quam qui nos antegressi sunt: itemque certorum argumentorum hinc inde allatorum vel vitia detexisse, vel momenta adauxisse.

Prima igitur sententia, eaque vera, est hæc: Opera quæ Dionysii Areopagitæ nomine inscripta sunt, vere illius sunt, et pro talibus haberi debent.

Primum argumentum. Quia si in re dubia et incerta, qualem esse hanc nonnulli volunt, melior est conditio possidentis, quanto magis ex tanto tempore, et a tot sæculis, defenso semper jure suo, bona fide possidentis? Nam ab immemorabili tempore habita sunt hæc Opera pro rebus Areopagitæ, cum non queat assignari spatium, quo ipsa alterius et non illius habita sint. A mille enim retro annis eoque amplius laudatus nominatim reperitur Dionysius Areopagita, ut horum auctor operum: et fuit nemo hactenus tam imprudens aut impudens, tam audax aut temerarius, qui alieno sub nomine ea Opera evulgarit. Fuerunt quidem qui vel ad Apollinarem, vel ad alium a nostro Dionysium, seu Corinthium, seu Alexandrinum, suas tenues et vix refutatu dignas applicarent conjecturas: sed qui serio tueri ac propugnare intenderent, aut nomen alicujus illorum præfigere hisce scriptis auderent, nulli fuerunt.

Qui vero ante mille annos hunc Areopagitam citarunt, in promptu habeo Leontium Byzantinum, et S. Anastasium Sinaitam, viros magna doctrina et auctoritate, ambos imperante Justiniano (is suscepit imperium anno Christi Domini 527), scriptis illustres, et plurima SS. Patrum lectione instructos. Quorum prior lib. II, contra Nestorium et Eutychetem producturus veterum testimonia, sic præfatur: *Quoniam gratia Christi, quæstiones, quæ speciem probabilitatis habebant, pro viribus solvimus, polliciti vero sumus testimoniis veterum confirmare quæ diximus; accipe in fidem multitudinem testimoniorum, æquabilem modulatum veritatis concentum edentem.* Deinde post quædam alia ejusdem præfationis, dum profert testimonia, primo prorsus

[a] Cant. I, 5.

Digitized by Google

loco ponit Dionysium Areopagitam hoc modo : *Dionysii Areopagitæ ætatis apostolorum ex libro* De divinis nominibus : *Corruptio vero, infirmitas naturæ et defectus naturalium habituum, et operationum ac potentiarum*, etc. Sic Latinus Leontii interprès : Græcum enim nancisci exemplar non potui.

Sed idem in lib. *De sectis* (quem ad manum tam Græce quam Latine habemus) eumdem Areopagitam aperte inter sanctos Patres, qui a Christo ad Constantinum Magnum medio spatio comprehenduntur enumerat. Nam actione tertia, sub medium ita scribit : Ἐγένοντο δὲ ἐν τοῖς χρόνοις τοῖς ἀπὸ τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ μέχρι τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου, διδάσκαλοι καὶ πατέρες οἵδε· Ἰγνάτιος ὁ θεοφόρος, Εἰρηναῖος, Ἰουστῖνος φιλόσοφος καὶ μάρτυρ, Κλήμης καὶ Ἱππόλυτος ἐπίσκοποι Ῥώμης, Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης, Μεθόδιος ἐπίσκοπος Πατάρων. Γρηγόριος ὁ θαυματουργὸς, Πέτρος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος καὶ μάρτυρ. *Fuerunt autem in temporibus a Christi nativitate usque ad imperium Constantini, doctores* **543** *hi et Patres : Ignatius Theophorus, Irenæus, Justinus philosophus et martyr, Clemens et Hippolytus Romæ episcopi, Dionysius Areopagita, Methodius Patarensis episcopus, Gregorius Thaumaturgus, Petrus Alexandriæ episcopus et martyr*, etc. E Leontio ista. Ubi notandum est, S. Hippolytum ab eo (uti et a quibusdam aliis scriptoribus Græcis, quod in ejus Vita admonitum volui) Romæ episcopum vocari, quod in Portu Romano, urbe Italiæ, fuerit episcopus ; non autem quod ipsius urbis Romæ sedem tenuerit principalem.

Eumdem S. Dionysium laudat nominatim S. Anastasius Sinaita, episcopus Antiochenus lib. VII *Anagogicarum contemplationum in Hexaemeron*, initio : « Celeberrimus ergo, inquit, et rerum divinarum mysta apostolicus Dionysius doctor in sapientissima sua theologia, quod Deus dicitur Θεός, ex eo quod omnia θεωρεῖ, id est contemplatur, » etc.

Ante istos igitur auctores opera ista, de quibus est nunc controversia censebantur Dionysii Areopagitæ. Quin et antiqui Patres, quamvis nominatim ea non citaverint, legisse tamen, et imitati esse, non obscuris vestigiis deprehenduntur. Nazianzenus certe in non paucis secutus hunc auctorem manifestis indiciis a doctissimo Billio ostenditur. Integrum enim caput in suo *Observationum sacrarum* lib. I ea de re confecit, estque illud num. 23, quod sic orditur : « Nonnulla, inquit, apud Gregorium loca sunt, Dionysii Areopagitæ verbis usque adeo similia, ut ea ille ab ipso mutuatus esse non immerito cuipiam videri possit. Quod ne me fingere quisquam putet, loca ipsa proferre minime pigebit. Orat. 2 de Pascha, de Deo loquens Gregorius : Ὅλον, inquit, ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι. Dionysius autem capite 5 libri *De divinis nominibus :* Ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς. Eodem loco Gregorius Deum esse dicit πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον. Quæ verba non longe remota sunt ab his Dionysii, libro *De cœlesti hierarchia*, c. 9 : Θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος. » Hactenus e Billio. Vide ibi longe plura.

Et sane admodum credibile est, sanctum Gregorium Nazianzenum, cum Athenis studiorum causa degeret, et præcipuorum inibi philosophorum ac theologorum (quod ex ejus Vita a me scripta cognosci poterit) familiaritate uteretur, in eos libros tanquam altissimæ philosophiæ plenos incidisse, eosque pervolutasse.

Idem et de S. Joanne Chrysostomo dici potest : qui non minore ibidem, quam Nazianzenus, gloria floruit : nempe eum ejusdem Dionysii scripta perlegisse, et sublimitatem scientiæ et spiritus qui in eo loquebatur, et mirabilia de Deo et cœlestibus virtutibus referebat, demiratum, appellasse eum τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, *Volucrem cœli.*

Diu requisitum illum Chrysostomi locum tandem A in sermone de pseudoprophetis et falsis doctoribus reperi. Illic enim paulo post medium ita scribit : Ποῦ Εὐώδιος, ἡ εὐωδία τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων διάδοχος ; Ποῦ Ἰγνάτιος, τὸ τοῦ Θεοῦ οἰκητήριον ; Ποῦ ὁ Διονύσιος τὸ πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ ; Ποῦ Ἱππόλυτος ὁ γλυκύτατος καὶ εὐνούστατος ; Ποῦ Βασίλειος ὁ Μέγας, καὶ μικροῦ δεῖν τῶν ἀποστόλων ἰσόρροπος ; Ποῦ Ἀθανάσιος ὁ ἅγιος καὶ πλεονέκτης τῶν ἀρετῶν ; Ποῦ Γρηγόριος ὁ θεολόγος, καὶ ἀήττητος στρατιώτης, καὶ ὁ δεύτερος τούτου συνώνυμος ; Ποῦ Ἐφραὶμ ὁ πολὺς, ἡ παραμυθία τῶν ἀθυμούντων ; *Ubi Evodius ille, bonus odor Ecclesiæ, et sanctorum apostolorum successor? Ubi Ignatius Dei domicilium? Ubi Dionysius Areopagita volucris cœli? Ubi Hippolytus suavissimus et benevolentissimus? Ubi Basilius magnus et par ferme apostolis? Ubi Athanasius ille sanctus et virtutibus dives? Ubi Gregorius Theologus et invictus miles, et alter illi cognominis? Ubi Ephræm ille celebris, obtorpescentium excitator,* B *afflictorum consolator?* etc. Ac ne quis illam orationem D. Chrysostomo abjudicet, sexcenti jam anni sunt, cum Anastasius Bibliothecarius eam sub ejus nomine citaverit, ut videre licet in ipsius ad Carolum Calvum imp. epistola.

Quin et Perronius Ebroicensis episcopus dixit, se, Venetiis cum esset, vidisse illam Chrysostomi Græcam orationem, in qua elogium illud de Dionysio recitatur, ejusque Homiliæ titulum esse, *Cygnæa vox Chrysostomi*, quam scilicet Constantinopoli, priusquam in exsilium pelleretur, habuerit. Quod autem ad titulum illum attinet, satis clarum est non a Chrysostomo illi orationi inditum, sed ab aliquo descriptore, qui dicentis tempus et materiam spectaverit.

Auctoritati porro nostri Frontonis Ducæi (qui ob styli, ut quidem censet, differentiam, inter eas illam rejecit, quas credit non esse Chrysostomi) oppono : Primo, non tantam esse styli differentiam, quantam facit ; deinde, ut sit aliqua, nihil videri debere C mirum. Alius est enim stylus senis, alius juvenis : alius dolentis, et anxii, et pro grege suo derelinquendo solliciti, atque ab eo discessuri ; et alius sedati et in episcopali sede cum omni quiete et securitate residentis. Hæc autem scripta est non longe ante ipsius e vita excessum, uti declarat et expresse denuntiat exordium. Itaque hic ea inculcat, quæ tali in tempore a bonis solent pastoribus inculcari : primo, fugiendos hæreticos et pseudoprophetas ; deinde, vacandum lectioni sacrarum Litterarum ; tertio, recogitandum et reformidandum **544** Dei judicium ; quarto, bonis operibus insistendum, ac præsertim compunctioni et pœnitentiæ, nec hanc in longum differendam. Quæ sunt igitur orationum S. Chrysostomi germana lineamenta, si hæc non sunt?

Vel ille profecto solus locus, quem hic proferam, convinceret auctorem hujus orationis esse Chrysostomum. Nam post varia Scripturæ loca, et post D istum Pauli, *Videte canes*, « mihi vero lacrymæ, inquit, oboriuntur, dum quosdam ex nostra Ecclesia dicentes audio, non dici hæc in divinis Scripturis ; idque non solum a laicis, verum etiam ab illis qui videntur esse pastores, et locum apostolorum obtinent et prophetarum, sed non mores. Ad quos opportunum est dicere : Væ vobis, duces cæci et indocti et inconstantes, qui vestium ornatu delectamini, et non lectione sacrorum librorum, » etc. Ille enim Chrysostomi zelus pro libris sacris passim notus est.

Probari præterea potest esse Chrysostomi hanc orationem, quod in loco supra citato ipse Chrysostomus tanquam Antiochiæ natus proferens verorum pastorum et imitandorum episcoporum nomina, primo loco patronos suos urbisque suæ Antiochiæ secundum Petrum apostolum. Antistites inducat Evodium et Ignatium, deinde Dionysium Areopagitam illis æqualem, postea reliquos, ut supra.

Digitized by Google

Accedit tertio quod si hæc oratio non fuisset A Chrysostomi, sed alterius ipso posterioris, certe ille, quisquis fuisset, non minus Chrysostomi meminisset quam Basilii et duorum Gregoriorum. Nec enim minus quam illi celebris fuit, seu vita, seu dignitate, seu scriptis.

Adde quarto, si lubet, hunc auctorem, uti nullius catholici scriptoris meminit qui non ante Chrysostomum fuerit, ita nec ullius hæresiarchæ mentionem facere, qui post vixerit. Eunomium enim, contra quem scripserunt Basilius et Gregorius Nyssenus ultimum recenset nominatim. Sic enim scribit : « Ubi Simon Magus in hæresi primus, discipulus et præcursor Antichristi? Ubi malus ejus fetus et insaniæ ac lasciviæ successor Montanus? ubi Marcion? ubi Valentinus? ubi Manes? ubi Basilides? ubi jam Nero? ubi Valens? ubi alii reges atque potentes? ubi Julianus transgressor? ubi porro Arius? ubi Eunomius, et reliqui hæresiarchæ? »

Ita Chrysostomus ex interpretatione Gerardi B Vossii, qui melius et integrius exemplar Græcum nactus est, quam sit illud quod Fronto noster indidit tomo VI Operum Chrysostomi Græco-Latinorum. Nam in Frontonis exemplari lacunæ quatuor visuntur satis magnæ, in Vossii nulla. Notandum etiam in Græco Frontonis male haberi, Ποῦ Νεστόριος; *ubi Nestorius?* pro quo restituendum, ποῦ Εὐνόμιος; Liquet tum ex ipsa Vossii interpretatione, quam produxit idem Fronto; tum maxime, quod in citatione SS. Patrum superius posita, ubi hæresiarcharum adversarii laudantur, nequaquam auctor hujus orationis reticuisset S. Cyrillum Alexandrinum Nestorii principem adversarium et debellatorem; siquidem inter hæresiarchas nominasset Nestorium, uti aliorum hæresiarcharum oppugnatores non reticuit. Sed pro astruendo Chrysostomi testimonio, et vindicanda illa sua oratione, hactenus satis.

Jam autem non modo ii quos dixi, scripta Dionysii Areopagitæ videntur agnovisse, sed et antiquiores; in quibus nonnulla videor deprehendisse Dionysii imitamenta. Nam et Clemens Alexandrinus, vir longe doctissimus, cum Athenis esset natus et educatus, et quidem proximo post Dionysium nostrum sæculo, legisse illum et imitatus esse, de signis non minimis creditur. C

Habet S. Dionysius libro *De divinis nominibus*, cap. 3, egregias similitudines, quibus ostendit, nos nostris ad Deum peccationibus non trahere illum ad nos, sed potius nos ad illum. Notavi illas similitudines supra cap. 22 Vitæ. Secundam igitur illarum, quæ ducta est a navi ad saxa funibus alligata, sic imitatus est Clemens lib. IV *Stromatum* sub finem : Καθάπερ οὖν ἐν θαλάττῃ ἀπὸ ἀγκύρας τονούμενοι ἔλκουσι μὲν τὴν ἄγκυραν, οὐκ ἐκείνην δὲ ἐπισπῶνται, ἀλλ' ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν ἄγκυραν· οὕτως οἱ κατὰ τὸν γνωστικὸν βίον ἐπισπώμενοι τὸν Θεὸν, ἑαυτοὺς ἔλαθον προσαγόμενοι πρὸς τὸν Θεόν. Θεὸν γὰρ ὁ θεραπεύων ἑαυτὸν θεραπεύει. *Quemadmodum igitur, qui in mari ab anchora funibus firmantur, trahunt quidem anchoram, sed illam ad se non attrahunt, verum seipsos potius ad anchoram : ita qui in vita gnostica* (scientiæ donum obtinente) *Deum trahunt, seipsos non advertentes ad Deum adducunt. Qui enim Deum colit, se ipsum colit.* D

Verba autem Græca S. Dionysii loco dicto sunt hæc : Ὥσπερ εἰς ναῦν ἐμβεβήκότες καὶ ἀντεχόμενοι τῶν ἐκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων, καὶ οἷον ἡμῖν εἰς ἀντίληψιν ἐκδιδομένων οὐκ ἐφ' ἡμᾶς τὴν πέτραν, ἀλλ' ἡμᾶς αὐτοὺς τῷ ἀληθεῖ καὶ τὴν ναῦν ἐπὶ τὴν πέτραν προσήγομεν. Latina possunt videri supra cap. 22 Vitæ.

Quod igitur Dionysius hic habet, εἰς ναῦν ἐμβεβήκότες, dixit Clemens, οἱ ἐν θαλάττῃ : et quod ille, ἀντεχόμενοι τῶν ἐκ τινος πέτρας εἰς ἡμᾶς ἐκτεινομένων πεισμάτων, dixit Clemens brevius, ἀπὸ ἀγκύρας τονούμενοι. Sic ubi Dionysius dixit, ἐπὶ τὴν πέτραν, *ad saxum*, Clemens usurpavit, 545 ἐπὶ τὴν ἄγκυραν, *ad anchoram :* et quod Dionysius appli- cavit ad precantes Deum, Clemens accommodavit ad pie viventes, et Deo per contemplationem vacantes.

Habet idem Dionysius tam in libro *De cœlesti hierar.* cap. 11, quam in lib. *De divinis nominibus*, doctrinam de cognitione Dei per negationem. Quam imitatus videtur Clemens lib. V *Stromatum*, sub medium, ubi sic scribit : « Si igitur post ablata omnia quæ insunt corporibus, et iis quæ dicuntur incorporea, nos ipsos in Christi magnitudinem, projecerimus, atque inde in immensitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam Omnipotentis utcunque perveniemus, non id quod est, sed id quod non est cognoscentes. Figura autem, et motus, vel status, vel thronus, vel locus, vel dextera, vel sinistra, de Patre universorum nequaquam sunt cogitanda. Atqui et hæc scripta sunt. Verum, quid unumquodque istorum significet, suo dicelur loco. Quare prima causa non est in loco, sed supra et locum et tempus et nomen et intelligentiam. » Omisi Græca, ne in his essem longior.

Habet et quædam alia his similia eodem libro inferius de Deo, quem dicit ineffabilem, propterea quod non sit genus, nec differentia, nec species, etc. Vide in Clemente Græco-Latino.

Secundum argumentum pro Dionysii operibus sumi potest ex ipsorum materie, et ex tempore scriptionis : hæc autem sunt ejusmodi, ut auctorem æquævum apostolis, ut magnum philosophum, ut ardentem theologum, ut virum denique in sublimissimo argumento rebus et verbis haud imparem, ac vere Pauli discipulum ostendant. Materies enim sive argumentum est, Deus, Trinitas, angeli, Ecclesia, pontifices, sacramenta seu graduum et officiorum ecclesiasticorum descriptio episcopis scitu necessaria : sermo autem et locutio, hominis est in contemplando, et verba contemplationi, quoad ejus fieri potest, adæquando eximii, atque, ut Dionysius Rickelius Areopagitam appellat, « viri profundissimi ac ferventissimi cordis. » Ita scilicet in sublime assurgit, ita in voces novas ac singulares, nempe ad rerum cæteroqui inexplicabilium aliquam adumbrationem ebullit; ita sursum cogitationibus et sensibus in immensum attollitur ut non immerito magnus ille Hugo a S. Victore (qui alter Augustinus ex mentis et sermonis acumine vocari obtinuit) ea quæ de Seraphinis a B. Dionysio scripta sunt angeli potius verba esse putet, quam hominis. Eadem fuit de illo mens Suidæ, eadem sententia. « Si quis enim, inquit, ejus spectet elegantiam orationis, et profunditatem sententiarum, ea nequaquam humanæ naturæ fœtus, sed immortalis cujusdam ac divinæ esse facultatis existimabit. » Si Græca quis malit, ea sic habent : Εἰ γάρ τις ἀπίδοι πρὸς τὰ κάλλη τῶν αὐτοῦ λόγων, τὰ βάθη τῶν νοημάτων, οὐκ ἀνθρωπίνης φύσεως ταῦτα νομίσοι γεννήματα· ἀλλὰ, τινὸς ἀκηράτου καὶ θείας δυνάμεως. Idem fuit et Leonardi Lessii præceptoris nostri sensus, idem judicium. « Quod ad eloc nem, inquit, attinet, eam quoque angelicam potius dixeris, quam humanam; adeo sublimis est nimirum, ut conceptionum sublimitatem orationis sublimitas exæquet. Quis post apostolos unquam de divinis ita locutus est : Τριὰς ὑπερούσιε, καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε, » etc. quæ vide in ejus epistola Operibus S. Dionysii Areopagitæ a Petro Lansselio præfixa. Noster item Nicolaus Caussinus, in *Eloquentiæ Parallelis*, ita de eodem inter alia : « Num videtur hic de Deo et pulcherrimo ejus opificio verba faciens, quasi aquila ex hominum conspectu subductus contentissimo volatu se in altas nubes indere, et illic inter fulminum jactus, inter nives et grandines ludere, nox inter stellas spatiari? Verum ubi Triadem illam speculatur, ubi de Verbo divino disserit, et mysteriorum divinorum majestatem depingit, non jam est aquila, sed angelus quispiam loquens e turbine, aut ut

Digitized by Google

Elias igneo curru devectus supra nubes et pluvias et ventos, et quidquid mortale est, audacissimo nisu consurgit. » Ita ille et bene.

Jam de tempore scriptionis certissimum ex ipsis operibus argumentum ducitur, ea scripta esse primo sæculo, cum illorum auctor nullius scriptoris aut alterius illustris viri meminerit, qui non apostolorum temporibus vixerit; et quod caput est, se Pauli apostoli discipulum vocet, atque ad Titum, atque ad Timotheum aliosque ævi illius scribit.

Cum ergo illa scripta sub nomine Dionysii Areopagitæ semper prodierint, et idem Dionysius in omni eruditionis genere apprime versatus insignisque in paucis philosophus fuerit (solos enim fere ejusmodi viros admittebat Areopagus, ut alibi probatum est) et Pauli insuper apostoli discipulus, a quo et virtutem eximiam, et altissima mysteria, utpote capacissimus, addiscere et imbibere potuerit; quis dubitare possit, quin hæc ipsius vera et germana scripta sint?

« At enim stylus horum librorum, inquit Abrahamus Scultetus Calvinista, non est simplex et sincerus, sed argutus nimis, est inflatus et affectatus et parum apostolicus. » Verum improbus scriptor improbe fallitur. Nam quem negat esse simplicem ac sincerum, meliora sectantes **546** aiunt esse simplicissimum ac sincerissimum, non simplicitate quidem sermonis humi repentis (tali enim stylo utendum est in rebus parvis et humi repentibus) sed simplicitate, qua res magnis et propriis, sibique accommodatis potius, quam longis ambagibus, et translatitiis vocibus explicantur. Divina enim et cœlestia cum miro et elevato mentis acumine penetraret vir ille, et sensus suos in rebus altissimis conaretur explicare, nec verba reperiret paria, novis verbis; Attice tamen efformatis, in rebus novis et communem captum transcendentibus est usus. Sincerissimum item aiunt, sed sinceritate, quæ res ita notatur repræsentare ut sunt, non autem ea quæ fucum admittit, et quo res parvæ ac turpes, magnæ et pulchræ videantur, aut e contrario.

Quod porro argutum nimis asserit, et inflatum, et affectatum, et parum apostolicum; hoc totum nego, et aio, Scultetum in prioribus quidem valde hallucinari; in postremo autem, ubi vocat parum apostolicum, ipsummet non parum, sed multum ariolari.

Nam si res parvas aut mediocres eo stylo, et istis verbis quibus hic utitur, exponeret Dionysius, tum sane inflatus et affectatus quin diceretur, nihil repugnarem: verum si verba hic sunt grandia, et res quoque ipsa multo grandior, quid est quod arguí possit? Nec vero alius in Dionysii libris spiritus et eloquentia apparet, quam in Pauli præceptoris sui nonnullis Epistolis, ubi talis nonnunquam est oratio, et tam elata verbis, et tam figuris ornata, ut si verba Sculteti in Dionysio haberent locum, etiam et in Paulum ipsum viderentur posse grassari. Nam certe Pauli stylus ex omnium confessione longe est et ab Evangelio et ab aliorum apostolorum scriptis differens. Quare si Pauli stylus cum alibi, cum in secunda ad Corinthios Epistola est apostolicus, etiam Dionysii, cum in rebus sublimibus est sublimis, et in cœlestibus cœlestis, potest et debet dici apostolicus; præsertim ubi sub illis, quibus utitur, verbis tanta rerum divinarum æstimatio et pietas etiam interlucet.

Tertium argumentum est, quod cum olim, hoc est, sub annum Christi quadragesimum, orta esset de Operibus sancti Dionysii Areopagitæ quæstio, nonnullique certis de causis, an ejus essent legitimi foetus, dubitarent, scripserit Theodorus presbyter librum unum, quo docuit illa Opera esse sancti Dionysii Areopagitæ germana atque legitima, et rationes quatuor, quæ contra potissime objiciebantur, dissolvit. Hoc testatur Photius in Bibliotheca, cod. 1, hisce verbis: Ἀνεγνώσθη Θεοδώρου πρεσβυτέρου, ὅτι γνησία τοῦ ἁγίου Διονυσίου βίβλος. Διελύοντο δὲ ἐν τῷ λόγῳ ἐνστάσεις τέσσαρες. *Lectus est Theodori presbyteri liber, quo docet germanum esse S. Dionysii opus. Dissoluta sunt autem eo in libro argumenta quatuor.*

Subjungit deinde Photius ea argumenta, sed absque solutionibus, propterea quod liber Theodori presbyteri in quo eæ solutiones continebantur satis esset vulgatus. Ego inferius tam ipsa argumenta quam solutiones (quæ quidem afferri potuerunt aut debuerunt, quando quidem illæ Theodori non exstant) in contrariæ sententiæ refutatione proferam.

Postremo addit idem Photius hæc verba: Ταύτας οὖν τὰς τέσσαρας ἀπορίας διαλῦσαι ἐπαγωνισάμενος, βεβαιοῖ, τό γε ἐπ' αὐτῷ, γνησίαν εἶναι τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. *Hæc igitur quatuor difficilia argumenta dissolvere connisus, confirmat, quantum quidem in se est, legitimum esse magni Dionysii librum.*

Ac ne quis arbitretur, ea verba contrariæ favere sententiæ, sciat eumdem ipsum Photium (de cujus insigni eruditione atque exacto in consendis libris judicio catholici æque et hæretici consentiunt) expensis utriusque opinionis rationibus ac momentis tandem istos libros, de quibus hic agitur, sancto Dionysio Areopagitæ, ut proprios adjudicasse. Quod liquet ex eadem ipsius Bibliotheca, cod. 231, ubi in variorum recensione auctorum, quos citaverat Sophronius patriarcha Hierosolymitanus, ita de nostro Areopagita: Καὶ Διονύσιος ὁ πολὺς μὲν τὴν γλῶσσαν, πλείων δὲ τὴν θεωρίαν, ὁ μαθητὴς Παύλου, καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυρ, καὶ τῶν Ἀθηναίων ἐπίσκοπος. *Et Dionysius ille sermone quidem magnus, sed major contemplatione, Pauli discipulus et Christi martyr, et Atheniensium episcopus.* Ita ille. Quæ certe non diceret, nisi Opera quæ Areopagitæ nomine inscripta sunt, Areopagitæ adjudicaret. Nam unde sciret illum sermone magnum, si nihil ejus Operum vidisset? Unde et majorem contemplatione quam sermone nosset, si contemplationem ejus nullam legisset? Sub hujus enim Dionysii nomine aliud nihil exstat præter illa opera de quibus nunc agitamus. Aut ergo illa vidit et legit et expendit, aut certe iis, qui viderunt et legerunt et expenderunt, assensit. Atque etiam observa secundum argumentum supra positum, ubi de Dionysii elocutione et contemplatione agebatur, confirmari, cum illa nimirum Photii verba directe in adversarios tendant, et tam sermonem quam contemplationem commendent.

Quartum argumentum ex magnorum **547** virorum auctoritate ducitur, et eorum quidem non minus doctrina quam pietate illustrium, quorum integras turmas in Martini Delrii Vindicis spectare licet: præ quorum multitudine, qui stant ex adverso, perpauci sane numerantur.

Nam e theologis scholasticis, si hæreticos omittamus, unicum fere aut certe præcipuum habent Cajetanum. Nos vero Alexandrum de Ales, Albertum Magnum, S. Thomam Aquinatem, S. Bonaventuram, Durandum, Scotum, Richardum, Gabrielem, et reliquos. Ex aliis varia eruditione præditis habent Theodorum Gazam, Laurentium Vallam, Desiderium Erasmum, Josephum Scaligerum, Desiderium Heraldum, paucos alicujus notæ alios.

Sed his opponuntur Joannes Picus Mirandulanus, vir ab ingenio et memoria *naturæ miraculum* appellatus, Marsilius Ficinus et Lilius Gyraldus, viri tam magni ingenio, quam varii scientia, quorum ille quidem ipsius Dionysii librorum interpres fuit et admirator; hic autem eumdem Dionysium in divinorum explicatione nominum cunctis anteposuit. Budæus et Billius, duo litterarum Græcarum in Gallis prælustria lumina, Gilbertus Genebrardus, et Arnaldus Pontacus pari studio litterarum et sinceræ amicitiæ cultu nobiles. Item Gælius Rhodiginus, plurimæ lectionis varietate vix sciens parem

Digitized by Google

(cujus verba, ut pietatis plenissima, infra ponam) et innumeri alii, quos partim ex ipsorum operibus, partim ex citatis Delrii Vindiciis cognosci facile est. Nam tot Romanis pontificibus, tot conciliis universalibus, tot patriarchis, tot episcopis, tot doctoribus, quos idem laudat noster Delrius, quid habent adversarii quod opponant? Solidas forte inquirent rationes omni humana auctoritate fortiores; itaque illas infra videbimus et examinabimus: et sic quidem, ut cum fortissimas earum, nulla earum quæ ponderis alicujus sit dissimulata, protulerimus, aliquas etiam a nobis novas addamus ab illis præteritas, et tamen iis quas attulerint evictu difficiliores.

Quintum argumentum. Non est divini moris, nec æternæ illius providentiæ, opera vana et fictis mendaciis plena veris ornare et cohonestare miraculis. Atqui Areopagitæ Opera, cum variis infirmitatibus in tanti viri honorem applicarentur, multis divinitus honestata sunt miraculis, ut capite 30 Vitæ attigi. Quare signum est satis evidens et luculentum, ejus esse illa Opera, cujus in honorem ea patrata sunt.

Sextum denique et contra adversarios longe validissimum argumentum est ejusmodi: Si Opera illa non sint Dionysii Areopagitæ qui fuit Pauli discipulus, sed alterius Dionysii, sive Corinthii, sive Alexandrini, sive alterius cujuscunque posterioris; fateri necesse est illorum auctorem Operum, quisquis demum fuerit, plenum mendacii, fallaciæ et sacrilegæ simulationis exstitisse.

Atqui hoc minime dici potest, minime gentium. Nam scripta illa meram sapiunt et spirant pietatem, modestiam, gravitatem, sanctimoniam, neque ullum prorsus vel minimum aut levitatis aut vanitatis (quæ abesse a fallacibus haud possunt) seu fumum seu fimum redolent. Ita sane reperiet quisquis illa composito sedatoque animo perlegere voluerit; aut si hoc longum est, saltem ea quæ in caput 22 et 23 Vitæ ejus supra immissi, non invitus percurrerit. Plenum autem alioqui futurum mendacii et fallaciæ et simulationis, si alius sit quam dicimus, et quam scripta repræsentant, inde clarum est, quod se convixisse apostolis, quod Pauli apostoli discipulum fuisse dicat, quod se Deiparæ Virginis funeri adfuisse, quod hymnos in ejus honorem audiisse, quod Timotheo eosdem memoranti aures dedisse scribat, quod alia plura denique iisque in libris afferat, quæ alioqui prodigiosam mentiendi et decipiendi continerent audaciam.

At vero quis credat virum adeo doctum et pium et illuminatum, qualem se hic auctor in scribendo præstat, tam impia finxisse somnia, tam inusitata excogitasse mendacia, idque ut nomini alieno famam daret, detraheret suo? Talis certe non fuit, neque S. Dionysius Corinthiorum episcopus secundi sæculi scriptor (horret id animus cogitare) neque doctissimus ille illustrissimus Christi confessor Dionysius Alexandrinus ævo tertio clarus (nimis temerarium est vel suspicari) neque alius denique vir bonus et timens Deum. Lævi nimis ingenii fuerit, hoc de tali existimare.

Tractant hoc idem argumentum fusius partim Græce S. Maximus, Operum hujusce beati Dionysii interpres, in Prologo; partim præceptor noster Leonardus Lessius in epistola censoria super iisdem Operibus; quam noster Petrus Lansselius in lucem protulit. Nec sane ullum argumentum est aliud isto fortius et inexpugnabilius: ita ut nihil videam, quod saltem probabiliter ad ejus refutationem afferri possit. Nam adversariorum argumentis ostendam, Deo duce, probabiles omnino rationes, et quæ locum sæpe in scriptis dijudicandis habeant, non paucas opponi, 548 et eas moderatis quidem ingeniis facere satis posse et debere.

Argumenta partis adversæ cum eorum solutionibus.

In hisce argumentis seu referendis seu refellendis ordinem sequar temporum, et antiquissima (quæ et præcipua sunt) in prima acie constituam. Ea sunt quæ Theodorus presbyter, cujus facta ante mentio, sibi proposuit, aut aliis proposita dissolvit. Et quia dissolvit, et quia dissolutiones illæ jam non exstant, conabor ergo alias (tametsi re ipsa fortassis easdem) tamen sermone et tractatu diversas, in medio ponere.

Primum igitur argumentum est: Si scripta illa sint Areopagitæ, cur Patres eo posteriores illorum non meminerunt?

Secundum. Eusebius Pamphili, qui libros a sanctis Patribus conscriptos recensuit, nullam ejus Operis a Dionysio Areopagita conscripti mentionem facit.

Tertium. Quomodo traditionum, quæ in Ecclesia progressu quodam et temporis longinquitate increverunt, particularis tenuisque descriptio in iis Operibus continetur? Magnus enim Dionysius, ut ex Actis patet, apostolorum æqualis fuit; quæ autem hic liber complectitur, descriptio sunt traditionum, quæ sensim in Ecclesia post id tempus invaluerunt, Incredibile est igitur, imo male confictum, eas quæ diu post magni Dionysii mortem succreverunt traditiones, existimare a Dionysio conscriptas.

Quartum. Quomodo hic liber mentionem facit epistolæ sancti Ignatii? Nam Dionysius apostolorum effloruit temporibus; Ignatius autem sub Trajano martyrii certamen decertavit. Qui et paulo ante mortem epistolam illam, cujus hic liber meminit, conscripsit. Hæc sunt quatuor antiquissima contra libros Dionysii argumenta. Quibus ita respondeo.

Ad primum dico, Patres Dionysio posteriores nominatim ejus scriptorum non meminisse, quia illis vel non libuit, vel non licuit. Nam quibus ignoti fuerunt, non licuit (nec enim in omnium venire manus potuerunt); quibus noti, non libuit. Quid autem causæ? Primo, quia libros illos (quemadmodum auctor ipse optaverat et postulaverat) noluerunt vulgo esse notos, sed tantum penes pontifices reperiri. Secundo, quia scriptores antiqui præter Scripturam sacram vix ullos citabant nominatim auctores; aut si faciebant, id fere necessario, et ad revincendos hæreticos faciebant. Ac proinde, cum eæ, quas Dionysius tractavit, materiæ, ut de cœlesti, de ecclesiastica hierarchia, de divinis nominibus, etc., nihil fere aut parum adversus regnantes tum hæreses facerent, ac tota fere certamina circa Scripturas sacras versarentur, et eæ utrinque in adversarios densissimæ intorquerentur, nihil loci inferioribus auctoribus relinquebatur. Quin et S. Athanasius, quarto seculo scriptor, Arianos reprehendit, quod præter auctoritatem Scripturarum ad alios quoque auctores præsidii causa converterentur. Nec ipse quidem usus fuisse reperitur, nisi forte si ipsi adversarii aliquos magnæ auctoritatis viros pro se usurpassent. Ita enim Origenem et Dionysium Alexandrinum ab illis, ut suæ opinionis, vindicatos eripuit, docuitque non Arianis illos favere, sed catholicis.

Ad Secundum (quod fere est prioris corroboratio) respondetur, libros illos latuisse Eusebium, aut noluisse propter dictam superius causam evulgare. Nam quod aliqui dicant eum fraude id fecisse, convitium puto. Neque enim, quamvis eos habuissent, uti illis catholici voluissent. Quid enim ibi tam clarum pro Christi æterna divinitate, quod non multo clarius in Scripturis sacris contentum sit? Certe in tanta divinarum Scripturarum utramque in partem copia nimis putidum visum est, etiam ipsi Athanasio, ut jam dixi debiliora tela perquirere. Nam nec beatum Irenæum, Filii cum Patre æternam coexsistentiam clarissime professum, libro *Adversus hæreses* II, cap. 55, et alibi, citaverunt.

Quod autem respondent quidam, quamvis Eusebius non meminerit, tamen Origenem et Dionysium

Digitized by Google

Alexandrinum meminisse, haud mihi placere potest ea responsio. Nam quod citatur homilia 1 Origenis *in Joannem*, nullius est ponderis, cum istæ *in Joannem* homiliæ non Origenis, sed incerti sint auctoris, quippe in quibus Manichæorum et Arianorum, qui post Origenem exorti fuerunt, fiat mentio. Quin et in ipsa eadem homilia, ubi citatur Dionysius Areopagita, hoc est in caput primum Joannis; uno in loco Ariani refutantur, in altero Manichæi. Unde liquet primo, istam homiliam non esse Origenis; secundo, ex auctoritate inde sumpta nihil solidum effici, cum nec cujus sint auctoris, nec quantæ antiquitatis, facile sciri possit.

Quod vero etiam dicitur S. Dionysius Alexandrinus Origenis discipulus Scholia in Dionysium Areopagitam scripsisse, et auctoritate probatur S. Maximi, vana est probatio. Nec enim dicit sanctus Maximus eum scripsisse Scholia **549** in Dionysium Areopagitam, sed in Dionysium sibi cognominem. Tales autem fuerunt multi. Nam et fuit Dionysius Corinthiorum episcopus; et Dionysius papa Romanus, ambo insignes scriptores, et quidam fortasse alii : ita ut non possit certo dici sanctus Maximus de Areopagita loqui; et ego contra possim ex eodem S. Maximo probare planissime, ipsum de alio quam de Areopagita ibi scribere.

Nam verba S. Maximi in Scholiis ad cap. 5 *De cœlesti hierarchia*, ubi explicat illa verba : *Cœlestes substantias*, sunt hæc : *Τὰς ὑπερτὰς οὐσίας*. Τί δήποτε, μιᾶς οὐσίας εἶναι πάντας τοὺς ἁγίους ἀγγέλους λεγούσης τῆς Ἐκκλησίας, ὁ θεῖος Διονύσιος πολλὰς ὀνομάζει δυνάμεις; Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς Σχολίοις, οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν αὐτοῦ συνώνυμον, οὕτω λέγει, ὅτι ἀγέννητον εἴωθε καλεῖν ἡ ἔξω σοφία, πᾶσαν ἀόρατον φύσιν, ὁμοίως καὶ οὐσίας, τὰς ὑποστάσεις. Κἀκ τούτου φησὶν, ὅτι κατὰ τοὺς ἔξω εἰρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς. *Cœlestes substantias. Cur porro, cum Ecclesia omnes sanctos angelos dicat ejusdem esse essentiæ, divinus Dionysius multas nominat virtutes? Magnus Dionysius igitur Alexandriæ episcopus, ille orator, in Notis quas fecit in B. Dionysium sibi cognominem, ita dicit, solitam esse profanam sapientiam, ingenitam appellare omnem naturam invisibilem, et similiter essentias, subsistentias. Atque ex hoc dicit S. Dionysio tales voces ex more Scriptorum profanorum abusive usurpatas esse.*

Cur autem S. Maximus in his verbis per *B. Dionysium sibi cognominem* non videatur intelligere S. Dionysium Areopagitam, hæ sunt præcipuæ rationes.

Prima. Si Areopagitam intellexisset, potius, ut fert scriptorum consuetudo, sic locutus fuisset : In Notis quas scripsit in hunc ipsum Dionysium, agebat enim tum de Dionysio Areopagita.

Secunda. Quia sanctus Maximus in sua Apologia pro scriptis Areopagitæ, sive in Præfatione ad sua in Dionysium Scholia, cum respondet ad illam adversariorum objectionem : « Quod nec Eusebius Pamphili, nec Origenes scriptorum Dionysii meminerint; » sine dubio, si scivisset Dionysium Alexandrinum Origeni æqualem, et Eusebio superiorem, conscripsisse Scholia in Areopagitam, nullo modo reticuisset, sed dixisset : Quamvis Origenes et Eusebius non meminerint Areopagitæ, tamen sanctus Dionysius Alexandrinus, qui uno prope sæculo vincit Eusebium, et ætate vixit Origenis, non tantum ejus meminit, sed etiam in eum Scholia conscripsit. Qua responsione procul dubio cunctis adversantibus ora conclusisset. Atqui nihil tale dixit, sed fassus est neque Origenem, neque Eusebium, neque ullum antiquiorum Patrum fecisse librorum Areopagitæ mentionem : tantumque pro excusatione attulit, Origenem vix auctorum quatuor meminisse : Eusebium autem non tantum præteriisse A Areopagitam qui Athenarum episcopus fuit, sed etiam Hymenæum et Narcissum suæ regionis scriptores, qui Hierosolymis sacerdotes fuerunt. Verba S. Maximi contra objicientes, nullam librorum Areopagitæ nec ab Origene nec ab Eusebio factam mentionem, sunt hæc : Πρὸς οὓς λεκτέον, ὡς πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος οὐκ ἐλθόντα περὶ χεῖρας οἰκείας. Καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηοχέναι, μᾶλλόν γε μὴν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθιστάναι μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα. Καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ, καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας, ὡς Ὑμεναίου καὶ Ναρκίσσου τῶν ἱερασαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγὼ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ὑμεναίου. Καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος, πλὴν δύο καὶ μόνων ἐπιστολῶν, ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων. Ὁ γὰρ Ὠριγένης οὐκ οἶδα εἰ πάντων, μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη. Διάκονος δέ τις Ῥωμαῖος, Πέτρος ὄνομα, B διηγήσατό μοι πάντα τὰ τοῦ θείου Διονυσίου σώζεσθαι κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκην ἀνατεθειμένα. *Adversus quos dicendum, Eusebium quidem quamplurima omisisse, quæ ad manus ejus non pervenerunt. Etenim nec prorsus omnia se collegisse ait : quin potius profitetur, libros, qui ad se non pervenerunt, numero esse superiores. Et sane multos memorare possem, quos minime habuit, et hos quidem suæ regionis, ut Hymenæi et Narcissi, qui Hierosolymis sacerdotes fuerunt. Ego quidem sane in aliquos Hymenæi libros incidi. Sed nec Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duarum duntaxat epistolarum, sed nec aliorum plurimorum. Nam Origenes, nescio an omnium, vix sane quatuor mentionem facit. Verum diaconus quidam Romanus nomine Petrus mihi narravit, omnia divini Dionysii Opera Romæ in scriptorum sacrorum bibliotheca asservari.*

Ex his etiam patet, auctoritatem, quæ affertur C quasi ex scriptis Origenis (de qua supra dixi) esse inutilem; siquidem non fuisset eam præteritus sanctus Maximus, cum et occasio esset, et urgeret necessitas, atque, ut dicitur, *hic Rhodus, hic saltus.*

Tertia. Si Dionysius Alexandrinus tantæ eruditionis vir et sanctitatis, commentarios in Areopagitam fecisset, sane sanctus Maximus eos subinde citasset; nisi forte dicantur ii commentarii in aures tantum ejus venisse, non in manus.

At enim, si is, in quem Dionysius Alexandrinus perscripsit Scholia, non est Dionysius Areopagita, quis est ergo ille, inquies, vocatus a Maximo beatus et sanctus Dionysius? Respondeo, videri esse S. Dionysium Corinthiorum **550** episcopum, illustrem secundi sæculi scriptorem, qui, ut Eusebius et Hieronymus testantur, « tantæ eloquentiæ et industriæ fuit, ut non solum suæ civitatis et provinciæ populos, sed et aliarum urbium et provinciarum, epistolis erudiret. » Hæc enim sunt D ipsissima verba S. Hieronymi in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, cap. 20, ubi et scripta ejus recenset.

Confirmat porro hanc responsionem, quod idem sanctus Maximus in eadem præfatione apologetica scribat, hunc Dionysium Corinthiorum episcopum fecisse in scriptis suis mentionem Areopagitæ. Verba Maximi sunt hæc : Μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ Διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων ἐπίσκοπος, καὶ Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους ἐπιστολῇ αὐτοῦ. *Meminit vero Areopagitæ Dionysius antiquus Corinthiorum episcopus, et Polycarpus in sua ad Athenienses epistola.*

Nota autem, hic nec Dionysium nec Polycarpum dici meminisse scriptorum, seu librorum Areopagitæ, sed tantum, Areopagitæ : ut ne quis in errorem ducatur pro eodem illa accipiendo, cum distent longissime. Aliud est enim meminisse Areopagitæ, aliud meminisse scriptorum ejus.

Digitized by Google

Quæ est igitur mentio Areopagitæ, quam fecit Dionysius Corinthius? nempe illa quam refert Eusebius lib. III *Historiæ*, cap. 4, in fine, Dionysium Corinthiorum episcopum memorasse, Dionysium Areopagitam fuisse primum episcopum Athenarum.

Cur autem Dionysius Alexandrinus Scholia scriberet in S. Dionysium Corinthiorum episcopum sibi cognominem, permagna causa fuit. Nam hæretici illius scripta corruperant, iisque ad suos errores abutebantur. Quod ne dicere gratis videar, vide ipsa ejusdem Dionysii Corinthii verba id conquerentis apud Eusebium lib. IV *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 22. Quare Alexandrinus ut eum partim explicaret, partim defenderet (plurimi enim flebat ejus auctoritas) necesse habuit in eum Scholia conscribere. Itaque nec Origenes, nec Dionysius Alexandrinus, quod quidem certo asseri possit, meminerunt librorum Areopagitæ, nec aliquid inde citarunt.

Sed neque sanctus Gregorius Nazianzenus. Is est enim tertius, quem nonnulli proferunt : cujus et locum istum producunt ex oratione ejus Εἰς τὰ γενέθλια, ante medium : Οὕτω μὲν οὖν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἃ καὶ τοῖς Σεραφὶμ συγκαλύπτεται, καὶ δοξάζεται τρισὶν ἁγιασμοῖς εἰς μίαν συνιοῦσι κυριότητα καὶ θεότητα. Ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. *Sic nimirum Sancta sanctorum* (indicant mysterium Trinitatis scilicet) *quæ a seraphinis conleguntur, et glorificantur tribus sanctificationibus in unam dominationem et deitatem coeuntibus. Quod et alius quidam eorum, qui ante nos fuerunt pulcherrime et sublimissime philosophatus est.*

Ubi per ista verba, *Quod et alius quidam*, etc., existimant indicari, Dionysium Areopagitam, cap. 7 *De cœlesti hierarchia*, sub finem ita de seraphinis scribentem : Οἱ δὲ τὴν πολυύμνητον ἐκείνην καὶ σεβασμιωτάτην ἀνακράζουσι θεολογίαν· Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, Κύριος Σαβαώθ. Πλήρης πᾶσα ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ. *Hi autem* (seraphini) *celebratissimam illam et augustissimam Dei laudem magna voce clamant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth : plena est omnis terra gloria ejus.*

In quibus quidem verbis non potest dici Dionysius pulcherrime et sublimissime philosophatus, cum nude tantum referat ex Isaiæ VI quid seraphini in cœlo faciant, seu quomodo laudent Deum ; sed bene quod proxime subjungit idem Dionysius, se illas seraphinorum voces atque laudes explicuisse in libro *De divinis hymnis*, et quantum satis esset, pro virili sua de iis dixisse. Unde perquam est probabile, Nazianzenum incidisse in librum illum *De divinis hymnis*, et pulcherrimam atque sublimissimam de seraphinis, eorumque vocibus Dionysii philosophiam demiratum esse.

Quamvis autem hoc sit, ut dixi, perquam probabile, tamen haud est penitus certum ; præsertim cum Nazianzenus in verbis supra positis videri possit non ad Dionysium Areopagitam, sed ad magnum Athanasium, qui etiam ante ipsum fuit, respexisse : atque eo magis, quod ipsius verba verbis Athanasii in oratione super ista verba, *Omnia mihi tradita sunt*, Matthæi II, cernantur quam simillima.

Verba sancti Athanasii : Τὸ γὰρ τρίτον τὰ τίμια ζῶα ταῦτα προσφέρειν τὴν δοξολογίαν, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, λέγοντα, τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τελείας δεικνύντα ἐστίν· ὡς καὶ ἐν τῷ λόγῳ *Κύριος* τὴν μίαν οὐσίαν δηλοῦσιν. *Quod enim tertio ista excellentia animalia proferant glorificationem dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus, in hoc tres perfectas personas demonstrant ; sicut et in voce*, Dominus, *unam essentiam declarant.*

Quid est autem, inquiet aliquis, in quo Athanasius super hac re pulcherrime et sublimissime philosophatus dicitur ? Respondeo in eo, quod ibidem ex hac triplici sanctificatione, seu voce, *Sanctus, sanctus, sanctus*, uniformiter et eodem tono sive pari virium contentione a seraphinis pronuntiata, collegerit S. Athanasius trium personarum æqualitatem. Ejus verba sunt : Καὶ οὐδαμοῦ τις τῶν θεσπεσίων προφητῶν, τῶν μάλιστα καταξιωθέντων τῆς τοιαύτης θέας, ἀπήγγειλεν **551** ἡμῖν, ὅτι ἐν μὲν τῷ ἅπαξ εἰπεῖν, τὸ Ἅγιος, μεγάλῃ τῇ φωνῇ, ἐν δὲ τῷ δευτερῶσαι ἥσσονι, ἐν δὲ τῷ τρισσεῦσαι ὑποβεβηκότως· καὶ κατὰ τοῦτο τὸν πρῶτον ἁγιασμὸν Κυριολογοῦντα, τὸν δὲ δεύτερον ὑποτάσσοντα, καὶ τὸν τρίτον κατώτερον τιθέντα. *Nec quisquam omnino sanctorum prophetarum, eorum maxime qui tali vise dignati sunt, nobis annuntiavit angelos, dicendo semel* Sanctus, *magna voce usos ; iterando autem, minori ; triplicando denique, submissa. Neque item dixit quisquam, sanctificationem primam Dominum celebrasse, deinde secundam subjecisse, tertiam vero inferius posuisse*, scilicet personas, quæ sanctificantur. Id est : Nemo dixit, per primam vocem *Sanctus* significari et laudari Dominum, per secundam autem celebrari ei subditum, per tertiam vero inferius positum. Quod scilicet dicebant Ariani, nempe Patrem esse Dominum, Filium esse inæqualem Patri, Spiritum esse creaturam, quod est inferius positum esse.

Hæc itaque pulcherrima et sublimissima Athanasii contra Arianos philosophia et argumentandi solertia fuit, quod e loco Isaiæ cap. 6, et Joannis in Apocal. cap. 4, ubi dicuntur seraphini clamasse : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum*, ut apud Isaiam ; vel, *Dominus Deus omnipotens*, ut apud Joannem, quod, inquam, viderit primo, clamorem illum nihil esse aliud quam laudem et honorem Dei ; deinde, eum clamorem ter repetitum, tres designare SS. Trinitatis personas ; tertio, istius clamoris triplicis æqualitatem (nec enim prophetæ ullius meminerunt distinctionis, aut in voce aut in tono) significare honoris et laudis æqualitatem ; et postremo, ex hac honoris et laudis æqualitate tribus attributa personis, earumdem quoque personarum inter sese æqualitatem designari ; ac proinde nec Filium dicendum minorem Patre (quod volebant Ariani) nec Spiritum sanctum infra ponendum, sive inter creaturas relegandum.

Athanasii porro acumen imitata et æmulata est B. Ruperti subtilis acrimonia, qui lib. III *De Trinitate*, cap. 15, ita ex eodem, unde Athanasius, Isaiæ loco ratiocinatur : « Quam pulcher, inquit, quam stabilis ! Nullus inæqualis tenor in verbis ! quam certus ! qui hic sunt gradus ? nullum momentum incrementi aut decrementi in vocibus istis, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus, Isaiæ VI. Unde ergo gradus suos accepit inimica hæresis ? Nam ac si concentus ille cecinisset : Sanctus, sanctior, sanctissimus, et pluraliter addidisset, domini et dii, non singulariter Dominus et Deus ; ita sibi gradus fecit, maxime per os Arii, ut diceret Spiritum sanctum magnum quidem, sed Filium Spiritu sancto majorem, et Deo Patre minorem. Unde, inquam, gradus istos accepit impia et serpentina hæresis, nisi ab ipso colubro patre mendacii, quem de conceptu illo manus Domini propter dissonantiam ipsius eduxit et foras misit ? » Hæc Rupertus, qui ex eodem Spiritus sancti fonte, ex quo Athanasius ante biberat, sibi hausit, et nobis tradidit.

Propter laudatam igitur Athanasii doctrinam dici posset Nazianzenus non ad Dionysium, sed ad Athanasium potius respexisse. Verum sunt, qui vim faciant in illis Nazianzeni verbis : Ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται : *Ab alio quopiam e majoribus sapienter dictum est*, Athanasium autem non posse dici unum e majoribus respectu Nazianzeni, qui vivente adhuc Athanasio fuit episcopus.

Quibus responderi potest, illud, οἱ πρὸ ἡμῶν, quamvis vulgo et sæpissime idem sit quod *majores*,

Digitized by Google

tamen stricte ac rigide capiendo nihil sonare aliud quam *qui ante nos*, scilicet fuerunt aut scripserunt. Fuit autem Athanasius multos annos ante Nazianzenum, et multis annis ante illum scripsit et defunctus est.

Quare Jacobus Billius interpretum princeps, ita Nazianzeni verba Latine reddit : *Quemadmodum et alius quidam ante nos philosophatus est.* Nicetas quoque Græcus interpres verba illa intellexit de S. Athanasio, non de S. Dionysio Areopagita.

Haud tamen inficior, videri subinde non modo Nazianzenum, sed et ipsum Athanasium scriptis B. Dionysii Areopagitæ usum esse atque adjutum, adeoque ambos ex eodem illis bibisse fonte. Loca Nazianzeni complura colligit modo laudatus Billius, ut ante indicavi, quæ retulit in c. 23, lib. I suarum *Observationum sacrarum.*

Ex Athanasio autem unicum gratia exempli proferam, tum ut ne sim longior, tum ut aliorum industriæ materiem relinquam. Est autem et libro *De communi essentia Patris, Filii et Spiritus sancti*, in fine, ubi decantatam ab Areopagita angelicorum ordinum subordinationem his verbis repræsentat : Ὥσπερ δὲ καὶ τάξεως διαφορὰν ἐν ταῖς ἄνω δυνάμεσιν ἔγνωμεν, οὕτω καὶ στάσεως καὶ γνώσεως· οἱ μὲν θρόνοι καὶ τὰ χερουβὶμ καὶ τὰ σεραφὶμ ἀμέσως παρὰ Θεοῦ μανθάνουσιν, ὡς πάντων ἀνώτερα, καὶ Θεῷ πλησιάζοντα· ταῦτα δὲ διδάσκει τὰ κατώτερα τάγματα, καὶ οὕτως ἐφεξῆς τὰ ἀνώτερα διδάσκει τὰ κατώτερα. Τὸ δὲ κατώτερον τάγμα εἰσὶν οἱ ἄγγελοι, οἱ καὶ τῶν ἀνθρώπων ὄντες διδάσκαλοι. *Quemadmodum autem et ordinis discrimen in supernis virtutibus cognovimus, sic et stationis atque cognitionis ; throni quidem et cherubim et seraphim nullo medio discunt a Deo, tanquam omnium supremi, et Deo vicini : hi* **552** *vero docent inferiores ordines, atque ita deinceps superiores doctrinam cum inferioribus communicant. Infimus autem ordo sunt angeli, qui et hominum sunt magistri.*

Hæc desumpta existimo e libro Dionysii *De cælesti hierarchia*, cap. 7, hoc est ex eodem unde et sua Nazianzenus desumpsisse dictus est.

At enim cur neuter vel minimam Areopagitæ mentionem fecit?

Respondeo primo, quia nec sancti Ignatii martyris, nec Clementis Romani, nec Polycarpi, nec Athenagoræ, nec Irenæi, nec Theophili, nec Justini, nec Gregorii Thaumaturgi, quorum tamen exstabant et nunc exstant Opera, mentionem fecerunt : hoc est quia non fuit illis in more alios auctores citare nominatim ; neque in scribendo eam pati moram, quæ ad citandas aliorum auctoritates necessario adhibenda foret ; sed si quid e veteribus forte legerant scriptoribus, id sibi acquisitum, suis efferebant verbis. Nisi forte, ut ante dixi, ipsi adversarii essent refutandi ; tum enim et nominandi erant, et tam ipsorum, quam aliorum quos ipsi pro se allegabant, verba nonnunquam producenda : ut Origenis, Dionysio Alexandrini, Theognosti ab Athanasio. Secum enim facere Origenem et Dionysium Alexandrinum, contendebant Ariani, et nullum antiquorum iis vocabulis usum esse, quibus concilii Nicæni Patres, uterentur. Quare Athanasius pro se Theognostum produxit ; et Origenem ac Dionysium Alexandrinum, quos adversarii produxerant, in suas partes traxit.

Respondeo secundo, ut ante insinuavi, improbasse Athanasium in Arianis, quod præter sacras Scripturas, et pias rationes humanas, alia firmamenta e veteribus scriptis conquirerent. Ita enim scribit in epistola de sententia Dionysii contra Arianos, sub initium : « Si igitur confidunt, *inquit*, iis quæ sentiunt et dicunt nudam hæresim proferant, ac si quid pro ejus defensione vel e scripturis, vel ex aliqua ratione humana, quæ quidem pia sit, demonstrare possunt, demonstrent ; sin ejusmodi habent nihil, taceant. » Ita ille.

Nihil ergo mirum, si ab eo abstinuerit sanctus Athanasius quod reprehendebat in aliis. A

Itaque ad secundum argumentum supra positum, sic videtur respondendum : Quamvis demum sexto sæculo maxime celebrata fuerint scripta Dionysii, et citata nominatim, tamen non inde sequi antea non fuisse, cum paulo ante ostensum sit, præcipuos Patres a citandis nominatim antiquioribus Patribus abstinuisse. Et quidem, nisi Eusebius ex composito catalogum confecisset scriptorum ecclesiasticorum, valde multorum exstincta prorsus fuisset memoria : et tamen eo etiam confecto, non paucorum interiit ; partim quod eum latuerint (nec enim nancisci omnes potuit) partim quod sciens volens, ut ipsemet fatetur lib. IV *Histor.*, c. 24, præterierit ; partim denique, quod interdum auctores nomina sua suppresserint, de quibus ita idem Eusebius lib. V *Histor.*, cap. 26 : « Atque aliorum plurimorum, quorum nec nomina recensere nobis possibile est, libri ad nos pervenerunt, orthodoxorum quidem et B ecclesiasticorum, ut cujusque declarat in sanctam Scripturam interpretatio, sed tamen nobis ignotorum, propterea quod non ascripta sint eorum, qui conscripserunt, nomina. » Ita ille ; reddidi enim Græca de verbo.

Præterea duæ aliæ rationes pro latebris scriptorum Dionysii, præ scriptis aliorum afferri possunt. Una, quod ipse auctor latere illa voluerit, et tantum inter episcoporum sacerdotumve manus versari : altera, quod materiem continerent sublimiorem atque obscuriorem quam a plerisque capi posset.

Ad tertium argumentum, quod de traditionibus allatum est, quæ videntur post S. Dionysii tempora sensim in Ecclesiam inductæ, non autem ejus ævo fuisse usitatæ, respondetur, ita videri quidem adversæ parti, nobis autem non sic. Restat ergo, ut pars adversa bonis rationibus probet merito sic videri, et insuper ostendat, quænam ex iis traditionibus aut cæremoniis tempore sancti Dionysii C non fuerint. Nam de omnibus quidem nemo, ut opinor, tam invercecundus reperietur qui dicere ausit. Quia vero in supra posito apud Photium argumento nulla vel traditio vel cæremonia speciatim producta est, liberi a responso speciali sumus. Nam ad ea quæ recentiores quidam objecerunt, seorsum respondebimus : nunc iis tantum, quæ Theodoro presbytero objecta sunt conjunctim respondemus.

Ad quartum igitur supra allatum, de citato in Dionysio operibus loco sancti Ignatii ex epistola ejus ad Romanos, quæ fuit scripta sub Trajano, cum tamen Dionysius apostolorum efloruerit temporibus responderi potest, non minus Ignatium apostolorum efloruisse temporibus quam Dionysium, et quidem Ignatium vita excessisse prius Dionysio, cum ille sub Trajano, hic autem sub Adriano Trajani successore excesserit, aut certe et hic et ille sub eodem Trajano, sed Ignatius undecimo Trajani imperatoris anno, Dionysius autem ultimo, hoc est imperii ejus vigesimo, et Adriani primo. Verum pressius et dilutius aliter respondebo. D

553 Quærebat igitur quartum argumentum : Quomodo hic liber Dionysii mentionem fecit epistolæ sancti Ignatii ? Respondeo, non fecisse mentionem.

Atqui, inquies, in libro *De divinis nominibus*, cap. 4, reperiuntur ista verba : Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Scribit autem et divus Ignatius : Amor meus crucifixus est.* Hæc autem sententia reperitur in epistola ejus ad Romanos paulo ante mortem scripta.

Respondeo in epistola quidem Ignatii reperiri, sed in Dionysio non reperiri. Dico enim et contendo, et mecum non pauci, ista verba in illo Dionysii loco nequaquam a Dionysio ipso scripta esse, sed ab aliquo nesciente et rerum ignaro impudenter et inepte in ipsum Dionysium intrusa. Quod ego quidem probabo, ut opinor, tam evidenter, ut

Digitized by Google

nullus deinceps (æquus sit modo hujusce disceptationis, et eorum quæ proferam, judex et æstimator) dissentire ullatenus aut in dubio remanere possit. Laborarunt quidem et alii in hoc nodo dissolvendo, sed conabor in præsentia, Deo adjuvante, clarius aliquanto et explicatius, quam adhuc quisquam fecerit, nodum hunc enodare.

Verba igitur illa sanctissimi Ignatii intrusa esse in illum beati Dionysii locum, non autem ab auctore ipso primitus ibi collocata, sic probatur.

Primo, quia sine illis Ignatii verbis multo melius cohæret sancti Dionysii oratio, quam cum illis. Nam cum intendat probare tam ex Vetere Testamento, quam ex Novo, atque etiam ex aliis auctoritatibus, nomen ἔρωτος, seu *amoris*, locum habere et usurpari in rebus divinis; si verborum Ignatii citationem sustuleris, tum videbis uniformiter et conjunctim currere primo testimonia Veteris Testamenti, deinde Novi, postremo aliorum. Probat enim primo ex Proverbiis et e libro Sapientiæ; tum ex loco Pauli ad Galatas, si non expresse et nominatim, saltem virtute, rei ipsius, quæ per amorem fit, repræsentatione; postremo ex Hierothei præceptoris sui auctoritate.

Et quidem, quod primo ac præcipue intendat Scripturæ sacræ locis id probare, patet ex iis, quæ ante ibidem velut præmunitionis loco posuit, ut cum dixit: Καὶ μή τις ἡμᾶς οἰέσθω παρὰ τὰ Λόγια τὴν τοῦ ἔρωτος ἐπωνυμίαν πρεσβεύειν. *Et nemo nos putet contra sacras Scripturas amoris nomen allegare.* Et rursum paulo inferius, dum ad Scripturarum allegationes se accingit, ita habet: Πλὴν ἵνα μὴ ταῦτα εἰπεῖν δοκῶμεν, ὡς τὰ θεῖα Λόγια παρακινοῦντες, ἀκουέτωσαν αὐτῶν οἱ τὴν ἔρωτος ἐπωνυμίαν διαβάλλοντες. *Verum ut ne hæc dicere videamus, velut divinas Scripturas pervertentes, audiant illas ii, qui amoris appellationem cavillantur.* Mox ergo et continenter subdit illas Scripturas quæ *amoris* nomen usurparunt, hisce verbis (ponam enim in medio ejus verba sine testimonio Ignatii, ut oculis ipsis cernatur melior et sapientior connexio orationis sine illo, quam cum illo); hisce, inquam, verbis sequentibus ita subdit Scripturarum testimonia: Ἐράσθητι αὐτῆς, φησὶ, καὶ τηρήσει σε. Περιχαράκωσον αὐτὴν, καὶ ὑψώσει σε. Τίμησον αὐτὴν, ἵνα σὲ περιλάβῃ. Καὶ ὅσα ἄλλα κατὰ τὰς ἐρωτικὰς θεολογίας ὑμνεῖται. Καὶ ἐν ταῖς προεισαγωγαῖς τῶν Λογίων εὑρήσεις τινὰ λέγοντα περὶ τῆς θείας σοφίας· « Ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς, » ὥστε τοῦτο δὴ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα μὴ φοβηθῶμεν. Μηδέ τις ὑμᾶς θορυβείτω λόγος περὶ τούτου δεδιττόμενος· ἐμοὶ γὰρ δοκοῦσιν οἱ θεολόγοι κοινὸν μὲν ἡγεῖσθαι τὸ τῆς ἀγάπης καὶ τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα. « *Ama illam, inquit Scriptura, et conservabit te. Aggeribus circumda illam, et exaltabit te. Honora eam, ut te amplectatur* [a]. » *Et quæcunque alia amatoris in Scriptura sermonibus celebrantur. Atque in primis Scripturæ institutionibus aliquem invenies de divina sapientia dicentem: « Amator factus sum pulchritudinis illius, » ita ut hoc ipsum amoris nomen non reformidemus* [b]. *Neque vero quemquam perterreat sermonis geminatio; mihi enim videntur theologi commune existimare charitatis et amoris nomen.* Hactenus verba Dionysii.

Quæ quis non videt optime inter se cohærere? ac multo melius, quam si inter citationes duarum Scripturarum, sive duorum testimoniorum divinorum, una interferatur citatio humani testimonii, ex Ignatio scilicet decerpti? Nam prudens quidem sane et alicujus ingenii et judicii scriptor, volens aliquid probare e Scripturis et e Patribus, nunquam sic sua disponet argumenta, ut primum argumentum e Scriptura proferat, secundum ex aliquo sanctorum Patrum, tertium rursus et quartum e Scriptura, deinde rursum e Patribus: sed omnes A Scripturas simul et primo congeret, deinde sanctorum Patrum aliorumve scriptorum auctoritates inducet; præsertim si eum in scopum tendat, ac verbis id præseferat (quemadmodum hoc loco facit Dionysius) se ostensurum e Scripturis vocem aliquam recte in sermone de rebus divinis usurpari. Jam autem idiota quispiam, cum hæc Dionysii legeret, ac meminisset etiam Ignatium in Epistola ad Romanos usum eadem voce (licet in alia significatione) ipse ad marginem illius loci adnotavit ipsa verba Ignatii, quæ postea in textum intrusa sunt inter duo Scripturarum testimonia, et proxime ante locum e libro Sapientiæ: Καί τοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα τοῦ τῆς ἀγάπης. Γράφει δὲ καὶ ὁ θεῖος 554 Ἰγνάτιος· Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Et quidem visum est quibusdam nostris sacris scriptoribus etiam divinius esse amoris nomen quam charitatis. Scribit porro et sanctus Ignatius: Amor meus crucifixus* B *est.*

Nota hic porro, sanctum Dionysium in superioribus Scripturæ citationibus usum editione Septuaginta Interpretum, ac proinde nos quoque veterem interpretationem in Latinis secutos, non autem Hieronymi sive usitatam, eo quod Græcis non respondeat in omnibus. Nam in loco e Proverbiis editio usitata habet sic versum 8: *Arripe illam, et exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* Et Sapient. VIII, 2, sic: *Amator factus sum formæ illius.*

Nota secundo, per theologos sanctum Dionysium intelligere scriptores sacrarum Litterarum, cum dicit superius: *Videntur enim mihi theologi commune existimare charitatis et amoris nomen*, sive ἀγάπης καὶ ἔρωτος, propterea quod auctores Scripturarum indiscriminatim jam uno utantur, jam altero, nec unum altero divinius existiment. Ac proinde illa verba, quæ jam dixi intrusa, non possunt esse C Dionysii, cum in illis dicatur theologos aut scriptores sacros divinius putasse nomen ἔρωτος, *amoris*, quam ἀγάπης, *charitatis*: est enim hoc falsum. Nam si divinius putassent sæpius in sacris Litteris usurpassent, seu in Vetere seu in Novo Testamento. Atqui fecerunt contrarium, et sæpissime vero ἀγάπης, usi sunt, rarius voce ἔρωτος. Unde in Novo Testamento ne semel quidem reperitur vox ἔρως, vox autem ἀγάπη ex numerato plusquam nonagies. In vetere autem ἀγάπη et ἀγαπάω creberrime, et quidem in Cantico canticorum (ubi maxime locus) semper, ne semel autem vox ἔρως aut ἐράω.

Atque hæc, opinor, causa est, quamobrem aliqui Dionysio objecerint, uti eum in rebus divinis voce non divina, sed profana, ipse autem valde operose se defenderit, et testimonia e SS. Scripturis collegerit in quibus tamen nec vocem ipsam ἔρως invenerit, sed tantum nomen appellativum D ἐραστής, et verbum ἐράομαι in imperativo, ubi quidem sanctus amor significetur. Nam pro amore profano et carnali bis invenio nomen ἔρως in Vetere Testamento usurpatum, semel Proverbiorum VII, 18: Ἐλθὲ, καὶ ἀπολαύσωμεν φιλίας ἕως ὄρθρου· δεῦρο, καὶ ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι. *Veni, et fruamur amicitia usque ad auroram: veni, et involvamur amore.* Vulgata editio habet: *Veni inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies*, et semel Proverb. XXX, 10: Ἅδης, καὶ ἔρως γυναικῶν, καὶ γῆ οὐκ ἐμπιπλαμένη ὕδατος, καὶ ὕδωρ καὶ πῦρ, οὐ μὴ εἴπωσιν· Ἀρκεῖ. *Infernus, et amor mulierum, et terra non repleta aqua, et aqua et ignis, non dicent: Sufficit.* Hæc omnia de amore impuro et insatiabili proferuntur.

Secundo probatur, testimonium Ignatii intrusum in Dionysium, et non ab illo conscriptum. Quia

[a] Prov. IV, 6, 8. [b] Sap. VIII. 2

Digitized by Google

si Dionysius illud usurpare voluisset, non modo in medio testimoniorum e Scriptura non posuisset, sed nec auctoritati sancti Hierothei præceptoris sui, quem pluris omnibus secundum apostolos faciebat, præposuisset, aut saltem post illa verba posuisset. Τί δὲ ὅλως οἱ θεολόγοι βουλόμενοι, ποτὲ μὲν ἔρωτα καὶ ἀγάπην αὐτόν φασι, ποτὲ δὲ ἐραστὸν καὶ ἀγαπητόν; *Quid autem uno verbo sibi volunt theologi, qui eum* (Deum scilicet) *modo amorem et charitatem appellant, modo amabilem et dilectum?* Ubi per theologos intelligit Dionysius apostolos et alios scriptores sacros, et respicit quidem ad Epistolam sancti Joannis primam, cap. IV, 8: Ὁ μὴ ἀγαπῶν, οὐκ ἔγνω τὸν Θεὸν, ὅτι ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστίν. *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est;* et rursum versu 16: Ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστί· καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν Θεῷ μένει, καὶ ὁ Θεὸς ἐν αὐτῷ. *Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Cum igitur is, qui ea verba Ignatii, *Amor meus crucifixus est*, intrusit in Dionysium, existimarit ibi sub nomine *amoris* intelligi Christum, hic potius ea debeat ponere, quam ubi prius posuit, scilicet inter loca sanctæ Scripturæ, et extra locum suum. Quod autem male id existimarit, e proxima ratione plenum fiet.

Tertio. Illa beati Ignatii verba nullo modo ad id probandum, quod intendebat Dionysius, accommodata sunt. Intendebat enim ostendere, nomen ἔρως, a sacris scriptoribus in bonam partem accipi pro charitate seu dilectione spirituali; at vero in epistola Ignatii nequaquam sic accipitur, sed pro concupiscentia et amore terrestri, quem dicit in se esse crucifixum, hoc est mortuum, nec se amare jam aliud quam Deum, exstincto penitus omni igne concupiscentiæ, et rerum terrenarum desiderio. Quod ex integra patebit Ignatii sententia, quæ sic habet: Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, ὕδωρ δὲ ζῶν ἀλλόμενον ἐν ἐμοὶ ἔσωθέν μοι λέγει· Δεῦρο πρὸς τὸν Πατέρα. *Amor meus crucifixus est, nec est in me ignis rei ullius terrenæ amans, sed aqua viva insaliens interius mihi dicit: Huc ad Patrem,* ubi secundum membrum explicatio est prioris, ita ut idem verbis diversis bis dicatur; semel per affirmationem. Qualibus sententiis plenus est in sacra Scriptura liber Proverbiorum, verbi gratia, cap. IV, 13 et sequentibus: *Tene disciplinam: ne dimittas* 555 *eam. Custodi illam; quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transeas per illam. Declina et desere eam.* Et ibidem cap. V, 8: *Longe fac ab ea viam tuam: et ne appropinques foribus domus ejus.*

Quarto. Ignatii sententia similis est illi sententiæ Pauli ad Galatas VI, 14: Ἐμοὶ κόσμος ἐσταύρωται. *Mihi mundus crucifixus est,* id est nihil mihi cum mundo. Ad illam igitur respexisse videtur Ignatius, et pro κόσμος posuisse ἔρως, alio quidem verbo, sed eodem sensu, sunt enim unum idemque: Nihil mihi cum mundo, et: Nihil cum amore mundi.

Quinto. Si sanctus Dionysius legisset epistolam beati Ignatii ad Romanos, et laudare ejus testimonium voluisset, fecisset procul dubio quod in Hierotheo fecit, atque integrum Ignatii locum laudasset, non vero eam partem omisisset quæ pro eo maxime faciebat, et ubi verbum ἐρῶ sine controversia in bonam partem capitur, atque ad Deum refertur. Nam totus locus sic habet: Ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ διὰ Χριστὸν ἀποθανεῖν. Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, etc. ut prius citavi. Quæ verba Joannes Brunnerus in sua epistolarum Ignatii pia et accurata *paraphrasi* hoc modo, et eodem quo nos sensu reddidit, his verbis: « Vivus enim prudensque hæc scribo, meos esse amores, meas delicias, mori propter Christum. Quidquid enim præter hunc usquam fuit amabile aut gratum, mihi crucifixum est, et morte Christi deletum: neque alius in me superest ignis, qui aliud quidquam vel amet vel desideret. Aqua autem in me vivida eructans sic monet, et sic alloquitur: Age, ad Patrem, age. » Ita Brunnerus, vir pius et æterna sapiens, qui ab hæreticorum castris, ubi annos multos clarus in paucis militaverat, ad Christiana signa conversus, meliora sub Christo stipendia meruit, et Græcas litteras, sanctamque linguam Friburgi Brisgoviæ in principe gymnasio professus est. Itaque *amor* in illa Ignatii sententia non Christum significat, non amorem sanctum, sed amorem concupiscentiæ et terrenorum, non autem æternorum desiderium, quod ipse quidem martyrii jam candidatus, et totus ad cœlum aspirans, in se exstinctum prædicabat. Nam et multa his conformia in iisdem ad Romanos litteris ex spiritus fervore est elocutus, ut sunt illa: « Jam disco demum pro eo vinctus nihil mundanum, nihil vanum concupiscere. » Et paulo inferius: « Ignoscite, amabo: quid mihi expediat, novi. Nunc incipio Christi esse discipulus, cum eorum, quæ videntur et quæ non videntur, nihil æmulor, ut Jesu Christo potiar. » Et alia multa ibidem ejus generis.

Jam satis, ut opinor, factum est argumentis illis quatuor antiquissimis theologi; nunc aliquot præcipuis recentiorum Scriptorum oppugnationibus pro virili repugnandum.

Oppugnat Abrahamus Scultetus sancti Dionysii scripta rationibus duodecim, quarum ego vanitatem (ne nimis se amet, neu Calvinistarum plausus veritatem putet) statui palam prodere.

Prima ejus ratio est: « Stylus horum librorum non est simplex et sincerus, sed argutus nimis et inflatus, et affectatus, et parum apostolicus. »

Ad eam respondi supra in secundo argumento pro altera sententia, ubi ostendi, stylum respondere materiæ, et sublimem esse in re sublimi. Audiat hic porro nostrum et suum Augustinum simili in re, simillimo utentem stylo, et obmutescat. Igitur in lib. *Soliloquiorum*, c. 31, sic inter alia: « Soli quidem tibi Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, et superinenarrabilis, et superinscrutabilis, et superinaccessibilis, et superincomprehensibilis, superintelligibilis, superessentialis, superessentialiter exsuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem intelligentiam, omnem essentiam supercœlestium animorum: quam neque dicere, neque cogitare, neque intelligere, neque cognoscere possibile est etiam oculis angelorum. » Vide ibi plura, quæ diceres aut e Dionysio, aut ex eodem certe Spiritu hausta et scripta.

Secunda. « Eusebius et Hieronymus, diligentissimi librorum inquisitores, non faciunt mentionem aliquam horum librorum, nec ullus alius admodum antiquus auctor. »

Et huic respondi superius, cum argumenta Theodoro presbytero objecta refellerem. Vide ibi ad primum.

Tertia. « Laurentius Valla indicat, fuisse suæ ætatis doctissimos viros, qui judicaverint eos libros esse Apollinaris. »

Respondeo, Scultetum hæc verba sumpsisse ex Erasmo in c. XVII Actorum apostolorum, et reticuisse subsequentia ejusdem Erasmi verba, ubi eam sententiam improbat. Subdit enim Erasmus: « Tametsi duos ejus nominis commemorat Hieronymus, alterum Hierapolitanum episcopum, qui floruit sub M. Antonino II, alterum Laodicenum in Syria episcopum; neutri tamen hujusmodi quidquam tribuit Operum. Neque enim, opinor, hæc Apollinari hæretico tribuenda. » Sic ille. Quod si hæretico non sunt tribuenda, multo minus alteri

Digitized by Google

Apollinari catholico et sancto : nec enim esset talis viri, fingere se Pauli discipulum, comminisci facta esse, quæ nunquam facta sint, nimirum se interfuisse 556 apostolorum cœtui ad funus Deiparæ, et alia similia.

Atque ut ipsamet tela adversariorum in ipsos convertamus, secunda ipsorum ratio contra tertiam militat hoc modo : Eusebius et Hieronymus diligentissimi librorum inquisitores nullam faciunt mentionem horum librorum ab Apollinari scriptorum, nec ullus admodum antiquus auctor, ergo non sunt ipsius. Videsne, Scultete, tuis te retibus irretiri ? Deinde ipse Erasmus ad Catalogum S. Hieronymi de scriptoribus ecclesiasticis abjudicat illos Apollinari, et cum multi fuerint Dionysii inter scriptores ecclesiasticos, probabilius censet ab uno illorum scriptos. Quid jam valet tua ratio, Scultete, ex Erasmo fallaciter prompta? Possem pluribus ; sed frustra lux major ad tantam hominis cæcitatem.

Quarta. « Guilielmus Crocinus, memoria Erasmi Londini hunc auctorem explicans, ingenue coram auditoribus professus est, sibi non videri id opus esse Dionysii Areopagitæ.

Quam putida ratio ! et quam arundineo innixa baculo auctoritas ! Albusne an ater fuerit iste crocinus qui ista crocitavit, quis novit ? Tempus perdam, si plus respondeam.

Quinta. « Materies scripti, inquit, idem demonstrat. Nam in *hierarchia cœlesti*, cœli supellectilem et angelorum subsellia non modo vane, sed etiam falso enumeravit, et de iis pene inventarium confecit. »

Quid hic magis miremur, hominisne stupidam inscitiam, an effrontem meretricis impudentiam ? quippe qui nec voces, quibus utitur, intelligat ; et de rebus, quas non capit, velut censor aut judex decidat. Quis unquam regis filios in aulæ regiæ numeravit supellectili ? quis de illis inventarium aliquando confecit ? quis inventarii nomine comprehendit ? Atqui Dionysius tantum angelos, eorumque ordines et officia descripsit, quorum nihil nec in supellectili continetur nec in inventario scribitur. Et quam humilia ista de sublimissimis ! quam vilia de nobilissimis ! Nescio an iste homo, dum illa scriberet, de movenda forte supellectili domestica, aut scribendo rerum suarum inventario (in quo et uxorem et utriusque sexus liberos comprehenderat) cogitaret. Docendus est videlicet minister Silesius, quid supellectilis, quid inventarii nomine veniat. « Supellectilis nomine (ut inquit Paulus) continentur mensæ, trapezophori, delphicæ, subsellia, scamna, lecti inargentati, culcitræ, toralia, mappæ villosæ, vasa aquaria, pelves, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, vasa ænea, vulgaria, id est quæ non proprio sunt loco attributa : præterea, capsæ, armaria, vitrea, escaria, poortia (*sic*). » Hæc Sipontinus ex 23ff. de supellectile legata. Nulla ibi personarum, nulla liberorum mentio. De inventario item sic vetus Glossarium : « Inventarium dicitur quidam libellus, in quo omnia bona, quæ apud aliquem inveniuntur, conscribuntur. » Repertorium appellat Ulpianus aliquanto Latinius, ubi de administratione et periculo tutorum, L. Tutor, sic scribit : « Tutor ; qui repertorium non fecit, quod vulgo inventarium appellatur, dolo fecisse videtur, nisi forte aliqua necessaria et justissima causa allegari possit cur id factum non sit. » Aliqua ergo debuisset Scultetus proferre a Dionysio enumerata, quæ aliquam saltem cum his, quæ dicta sunt similitudinem repræsentarent. Atque ista quidem inscitia et stupore non contentus, addit multo majorem impudentiam, dum dicit : « Et angelorum subsellia non modo vane, sed etiam falso enumeravit. » Itane vero ? Heus tu, ostende alterutrum : vel quod vane, vel quod falso. Enumera, si potes, aliquid vel solidius vel verius.

Probat igitur in hunc modum : « Apostolus II Cor. XII, 4, ista et hujusmodi reliqua omnino ἄρρητα esse dicit. Irenæus lib. II, cap. 55, istos hierarchiarum scriptores delirare scribit. Augustinus in *Enchiridio* ad Laurentium, cap. 58, affirmat se nescire ordines angelorum et eorum differentias. Nec sequuntur Dionysium in angelorum distinctione Gregorius Magnus, Bernardus, et alii. Franciscus quoque Patritius, qui *Panarchias* suæ libro I, multo ex veterum scriptis ad stabiliendas hierarchias Dionysiacas emendicat, dubitanter volens nolens de auctore hierarchiarum pronuntiat. » Ita ille.

Videamus nunc membratim ejus vanitatem et impudentiam. Citavit Paulum, Irenæum, Augustinum, Franciscum Patritium. Ibimus per singulos. Pauli locus II ad Corinthios XII, 4, est : « *Quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* » Quid ibi, amabo, contra Dionysium ? Atqui ista sunt, inquies, et reliqua hujusmodi, quæ scripsit Dionysius. Qui probas ? quis tibi dixit esse ista ? Nihil probat, et sibi vult credi, homini nempe vanissimo, et ex mendaciis (ut passim in Notis meis illi ostendo) impudentissimis conflato. Quid hoc vanius ? Adde, Paulum loqui de verbis quæ audiverit, et quæ loqui non liceat ; Dionysius autem non de verbis loquitur, sed de rebus scribit, et ordinum angelorum nomina, quæ in sacris Scripturis omnia continentur, enumerat. An vero tantum fuit mysterium, scire illorum ordinem et significationem, ut neque Dionysio, neque Paulo, neque Joanni, neque ulli apostolorum aut discipulorum inspiratum 557 fuerit ? Atqui Dominus Deus dedit apostolis intelligentiam Scripturarum.

Quid ergo magni, si Dionysius a magistro suo Paulo petierit, quid sibi vellent ista angelorum nomina, quorum et ipsemet in suis epistolis, et alii sacri scriptores in divinis Litteris meminerunt ? si, et quis esset inter eos ordo, et quæ singulorum officia poposcerit et didicerit ? Et sane, si ista Sculteti ratio vel hilum valeret, plus contra S. Joannis Apocalypsim, quam contra Dionysii scripta faceret. Multo enim ibi alia et majora et captu difficiliora, quam in Dionysio memorantur : quæ si dixisset Dionysius, fuisset forte Sculteto locus major recordandi suæ supellectilis ; nempe cum audiret : *Et conversus vidi septem candelabra, et in medio septem candelabrorum aureorum*, etc. Cum, inquam, audiret *septem candelabra*, Apoc. I et *clavem David*, cap. 3 et *sedem positam in cœlo*, et *in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et coronas aureas*, cap. IV, et *librum* et *citharas*, et *phialas aureas*, cap. V, et *arcum*, et *gladium*, et *coronam*, et *stolas*, cap. VI, et *palmam*, et *thronum*, et *templum*, cap. VII, et *tubas*, et *thuribula*, et *incensa multa*, cap. VIII, et alia in aliis. Cum hæc, inquam, vel similia in Dionysio audiret, tum majori jure sua illa de cœli supellectile et inventario deblateraret. Nunc autem cum illa in Apostoli scriptis legantur, quid dicet ? Licuit beato Joanni tam multa et tam recondita de cœlo et cœlestibus referre, et mundo patefacere : sancto Paulo autem non licuerit pauca quædam, eaque ad Scripturarum intelligentiam spectantia, Dionysio Areopagitæ a se converso, et discipulo suo, enarrare ? Quid ita ? *Quia audivit arcana verba*, inquit, Scultetus, *quæ non licet homini loqui* [c]. Egregie vero. Applica, Scultete. Nec facis, nec potes. Quis enim risum teneat, si ea ipsa esse dicas quæ Dionysius enarravit ? Qui enim probes ? Sin alia esse dicas, nihil facis. Potuisse autem Dionysium e Scripturis novem colligere angelorum ordines, vel ex ipso

[c] II Cor. XII, 4.

Digitized by Google

Gregorio Magno patet, qui id ipsum fecit homilia 34 *in Evangelia*. « Novem vero, inquit, angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro Eloquio, scimus angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim. Esse namque angelos et archangelos, pene omnes sacri Eloquii paginæ testantur. Cherubim vero atque seraphim sæpe, ut notum est, libri prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus apostolus ad Ephesios enumerat, dicens : *Supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem* [d]. Qui rursus ad Colossenses scribens ait : *Sive throni, sive potestates, sive principatus, sive dominationes* [e]. » Deinde colligit numerum hoc modo : « Dominationes, inquit, et principatus, ac potestates, tam ad Ephesios loquens descripserat : sed ea quoque Colossensibus dicturus, præmisit thronos, de quibus nedum quidquam fuerat Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, id est principatibus, potestatibus, virtutibus atque dominationibus, conjunguntur throni, quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum angeli atque archangeli, cherubim atque seraphim adjuncta sunt, procul dubio novem esse angelorum ordines inveniuntur. »

Ex his omnibus e Gregorio Magno allatis patet, eum nihil aliud voluisse, quam probare novem esse ordines, non vero inter illos describere et distinguere hierarchias, ac proinde nihil esse mirum, si aut ipse, aut S. Bernardus eum secutus, et quidam forte alii qui angelos per hierarchias non distinxerunt, alium sint ordinem, re minus accurate examinata, amplexati. Nam in confesso est omnibus, longe res tractari exactius ab iis qui methodice et per præcepta materiam aliquam tractant, definiunt, dividunt (quod fecit Dionysius Areopagita) quam ab iis qui populariter et oratorio more ad virtutem alios exhortantur : quemadmodum fecisse constat Gregorium homil. 34 *in Evangelia*, et S. Bernardum serm. 19 *in Canticum canticorum*. Aliud est enim sermones et homilias, aliud libros διδαχτικούς scribere.

Quare qui hos scripserunt, ut illi scholasticorum principes, Joannes Damascenus apud Græcos, Thomas Aquinas apud Latinos, non alium statuerunt ordinem quam eum quem in Dionysio nostro invenerunt. Damascenus quidem in libro *De fide orthodoxa*, cap. 8, Thomas autem 1 p. qu. 108, art. 5 et 6, et post alios cuncti ad unum doctores scholastici. Hæc autem tacuit Scultetus vel ex inscitia, vel ex malitia : nec dubium, quin etiam ex impudentia. Jam vero S. Dionysii Areopagitæ ordinem omni alio meliorem, ac propterea merito et a Damasceno, et ab Aquinate, et ab omnibus scholasticis usurpatum ex eodem probabo doctore, a quo illum primus accepit Dionysius, nempe a doctore gentium Paulo Dionysii olim gentilis magistro. Et sic probo : De quatuor primis ordinibus, hoc est de seraphim, de cherubim, de thronis et de dominationibus, inter omnes omnino liquet. Nam cum Dionysio Areopagita etiam Gregorius, et Bernardus, et alii consentiunt, nempe illos esse omnium primos ; de duobus etiam postremis ordinibus, **558** hoc est, de archangelis et angelis, perinde constat. Restat igitur de tribus tantum ordinibus controversia, hoc est, de virtutibus, potestatibus et principatibus, sintne in cœlo hoc ordine, quemadmodum Dionysius constituit, sive, an supra archangelos proximi sint principatus, et supra hos sint potestates, et supra potestates emineant virtutes, deinde dominationes, sicut in cœlesti hierarchia. Ecce igitur locus Pauli ad Ephesios cap. 1, 19 et seqq., ubi tali utitur gradatione de Christo ad summam in cœlo gloriam elevato : *Qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Quo in loco cum agat Paulus de Christi ascensu in cœlum, non potest quispiam, nisi extreme stolidus, quin ab inferioribus incipiat, et gradatim ad superiores ordines ascendat, dubitare. Et tamen audet Scultetus (qua est impudentia) ore improbo effutire, Dionysium angelorum subsellia (sic ille vocat angelorum ordines) non modo vane, sed etiam falso enumerasse?

Aliam ejus impudentiam (de illa enim satis) videamus. Ea in illis verbis renidet : « Irenæus, inquit, lib. II, cap. 55, istos hierarchiarum scriptores delirare scribit. » Quid ad hanc impudentiam addi potest? Mentitur enim Scultetus, et insane delirat. Nam ne verbo quidem, nec ibi, nec alibi de hierarchiis angelorum Irenæus, tanquam illas improbans, agit : imo directe eos impugnat, qui relictis angelis, archangelis, et aliis angelorum ordinibus triginta Æonas in cœlo ponebant, et quasi novos deos. Quin et expresse admittit et memorat ibi aliquot ordines angelorum, nempe principatus, dominationes, virtutes, angelos, archangelos. Proferam ipsa Irenæi verba, quo erubescat, si potest, canina Sculteti impudentia. Agens igitur Irenæus contra Marcionem et Valentinum in illo ipso capite jam citato, et asserens unum esse verum Deum, non duos, non plures, sic ait inter alia : « Ipse Dominus omnium, et neque præter ipsum, neque super ipsum, neque mater quam illi admentiuntur ; nec Deus alter quem Marcion affinxit ; nec Pleroma triginta Æonum, quod vanum ostensum est ; neque Bythus, neque Proarche, neque cœli, nec lumen virginale, nec Æon innominabilis, nec in totum quidquam eorum, quæ ab his et ab omnibus hæreticis delirantur ; sed solus unus Deus fabricator, qui est super omnem principalitatem, et dominationem, et virtutem. »

Ecce igitur eos quos vanitatis Irenæus arguit, et dicit delirare, nimirum Marcionem duos fingentem deos ; Valentinum triginta constituentem Æonas, et reliquos omnes hæreticos, nulla vel minima Dionysii aut hierarchiarum ejus facta mentione, nisi quod ordines aliquos nominavit, in quibus per principalitatem intelligit principatus, non tamen ut reprobans, sed ut maxime approbans ; sicut ibidem paulo inferius, cum dicit : « Hic Pater Domini nostri Jesu Christi per Verbum suum (qui est Filius ejus) revelatur et manifestatur omnibus quibus revelatur : cognoscunt enim eum hi, quibus revelaverit Filius. Semper autem coexsistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem et angelis, et archangelis, et potestatibus, et virtutibus, et omnibus vult revelare Deus. » Ita ibi. Sed idem Irenæus priori capite ejusdem libri, sive c. 74, eosdem refutans Valentinianos insinuat varios angelorum ordines, et inter ordines singulos discrimina, his verbis : « Præterea, si per ipsos ea quæ sunt super cœlos facta sunt, dicant nobis quæ sit invisibilium natura, enarrent numerum angelorum, et ordinem archangelorum, demonstrent thronorum sacramenta, et doceant diversitates dominationum, principatuum, potestatum, atque virtutum. Sed non habent dicere. Non ergo per eos facta sunt. » De hoc satis.

Aliud argumentum Sculteti est hoc : « Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 58, affirmat, se nescire ordines angelorum et eorum differentias. » Quid tum? an omnia scivit Augustinus? an quod ille nescivit, nullus scivit? Magni fuit ingenii, fateor, rarique judicii, imo et ejus quoque sancti-

[d] Ephes. 1, 21. [e] Cap. 1, 16.

Digitized by Google

talis, ut multa eorum quæ nesciret, illi crediderim revelata. Sed an Deus uni omnia? *Nunquid alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu?* etc. *An non unus atque idem Spiritus dividit singulis prout vult*[f]? Quid ergo mirum, si dederit Dionysio Pauli discipulo, et fonti aquarum viventium tam vicino, quod Augustino multis post sæculis exorto non dederit? Quin et hoc ipso loco, qui citatus est, ostendit se nescire Augustinus, an sol et luna et cuncta sidera vitam non habeant beatitudinis et societatis sanctorum capacem, et ignorare insuper, an plures sint in cœlo angelorum ordines quam quatuor, cum tamen supra e Scripturis sacris ostensi sint novem. Et quia forte hæc audientes desiderent ipsa Augustini verba in medio poni (nam sane mira sunt, et de sideribus alia nobis nunc certa fides est) illa ponam. Sic ergo **559** habet in Enchiridio ad Laurentium cap. 58: « Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam cœlestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo : Sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt; ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, utrum ad eamdem societatem pertineant sol et luna et cuncta sidera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur. » Ita Augustinus.

Quemadmodum ergo non propterea quod dicat Augustinus se certum non habere, an sidera vivant et intelligant et beatitudinis capacia sint, reprehendi quispiam potest, si doceat ea nec vivere, nec intelligere, nec beatitudinis capacia esse : sic neque propterea quod de angelicorum ordinum numero dubitet, imprudenter facere dicendi sunt, qui eorum numerum et distinctionem docent; multo minus autem, qui tam diu ante Augustinum docuerunt, et vel ex divina revelatione, vel ex apostolorum relatione acceperunt. Et si temerarium esset de cœlesti hierarchia et angelorum ordinibus librum unum conscribere, ut de rebus reconditis; quanto magis temerarium esset de ipso sanctissimæ et abstrusissimæ Trinitatis mysterio vel duodecim libros componere, quod S. Hilarius fecit; vel etiam quindecim, quod S. Augustinus? Addit Scultetus, Franciscum Patricium lib. 1 suæ *Panarchias* dubitanter volentem nolentem de auctore hierarchiarum pronuntiasse : quid autem pronuntiaverit, non explicat; sed satis intelligitur, eum secundum nos pronuntiasse. Unde quantus hominis stupor, ea proferre in medium quæ contra se faciant. Nam licet dubitanter, tamen contra Sculletum pronuntiavit.

Sexta ratio Sculteti est hæc : « In libro *De ecclesiastica hierarchia* multa scribit de templis, de altaribus, de locis sacris, de choro, de consecratione monachorum, de tonsura et ratione capitum; cum revera nihil horum fuerit temporibus Dionysii Areopagitæ : id quod demonstratum historice reperiet lector apud Rodolphum Hospinianum Tigurinum. » Ita ille suo more, nihil in particulari probans, et nequiter ad alios remittens.

Contra simile argumenti genus, talis erit propria et maxime conveniens, ut equidem arbitror, responsio : Ista omnia, quæ Scultetus e Dionysio protulit, revera fuerunt temporibus Dionysii Areopagitæ : id quod demonstratum veridice reperiet lector apud Cæsarem Baronium Soranum, et apud Robertum Bellarminum cardinales.

De hac solutione, sat scio, non conquereturcum pro uno reponam duos, et quidem tales contra talem, et eodem quo ipse utar argumenti genere. De templis tamen et altaribus, et locis sacris (non quod opus sit ad Sculteti refutationem, sed quod ad rudium atque infirmorum instructionem et confirmationem non parum habeat roboris ac ponderis) locum peregregium S. Petri Cluniacensis adversus Petrobrusianos hæreticos, idem olim, quod nunc Scultetus, delirantes valide intortum, hic libet ipsismet, ejus verbis repræsentare (is autem ante Sculletum quingentis annis vixit). « Quid enim? ait vir ille sanctus, nunquid per viginti quinque annos, quibus Romæ Petrus apostolus sedit, absque templo vel ecclesia, id est orationis domo, vel parvo saltem oratorio fuit? Nonne, ut gestorum veracium series narrat (si tamen præter divinum canonem gestis aliquibus assensum datis) primus ipse princeps apostolorum Petrus in urbe orbis capite templum Christo inter innumera gentilium templa construxit, et juxta quod beatus et magnus papa Leo nobili sermone pronuptiat tropæum crucis Christi, Romanis arcibus invexit? Nonne et nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissimis oratoria et altaria, qualia eo tempore fieri poterant, quæ ab eodem apostolo constructa et sanctificata (sicut per successionem fama consentiens ac celeberrima protestatur) in monumentum sanctitatis fidelibus ostenduntur, et ab eisdem fidelibus dulcissime ac devotissime deosculantur? Nunquid apud Arelatem (quam necdum per Dei gratiam vester sordidus error infecit) Pauli apostoli discipulus Trophimus (de cujus fonte, ut papa Zosimus scribit, omnes Galliæ fidei rivulos acceperunt) semper in campo aut in foro prædicavit, baptizavit, oravit? Nunquam domum orationis vel ipse habuit, vel alios habere instituit? Et unde tot sancti successores ejus hoc præsumere ausi sunt, quod ille non docuit, a quo fidei rivulos acceperunt? Sed ut de primis Galliæ nostræ apostolis, quos vestra impia fatuitas, et fatua impietas hactenus scire non meruit, aliquid plenius dicam (sicut ipsa testatur antiquitas, et a sanctis viris nobis relictæ tradunt historiæ) non solum nos, verum etiam omnes Christiani populi pusilli cum majoribus, senes cum junioribus, vestram insaniam irridentes, certissime tenent, quod Irenæus Lugduni, Crescens Viennæ, Ursinus Biturigis, Paulus Narbonæ, Saturninus Tolosæ, Anstremonius Arvernis, Martialis Lemovicis, Burdegalæ, et Pictavis; Fronto Petragoris, Eutropius Xantonis, Gratianus Turonis, Julianus Cenomannis, Parisiis Dionysius, Senonis Potentianus et Savinianus, Bellovaci Lucianus, Æduæ Andochius, Lingonis Benignus (et quis **560** omnes gloriosissimos fidei nostræ patres et apostolos enumerare sufficiat?), isti certe, isti, ubicunque nomen Domini annuntiaverunt, statim idolorum delubra, prout fas fuit, evertentes, aut novas ecclesias fundaverunt, aut ipsa templa in ecclesias converterunt : adeo ut hodieque in plerisque locis (sicut ipsi nostris oculis inspeximus) ecclesiæ vel basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata et consecrata, in memoriam antiquitatis et sanctitatis eorum, a fidelibus populis reservata monstrentur; quamque ridendi et detestandi sitis omnibus hominibus, quadam viva voce loquantur. Et ut ad Orientem et cæteras mundi partes transitum faciam, quis Illyricum, Græciam, Scythiam, nisi Paulus et Andreas? Quis Asiæ maximas partes, nisi Joannes et Philippus? Quis Persica regna cum proximis gentibus, nisi Simon et Judas? Quis Indicas partes et solis ortui contiguas terras, nisi Thomas et Bartholomæus? Quis totam Æthiopiam, nisi Matthæus, primi et novissimi apostoli Christi vetustæ superstitionis templa destruentes, novæ gratiæ ecclesiis implicuerunt? Ita universi veteris et novæ Legis auctores unanimi studio vobis adversantur; ut necesse vobis sit, aut tantis testibus acquiescere, aut sine Christo, prophetis, et apostolis Christianos fallaciter permanere. » Hactenus vir sanctus, et

[f] I Cor. xii, 8-11.

Digitized by Google

eujus non est dignus solvere calceamenta Scultetus.

Septima ratio : « Timotheum vocat filium, qui tamen illo si non major, certe par fuit pietate, auctoritate, doctrina. »

Addendum fuisset, *et ætate*, ut efficax fieret argumentum. Nam luce est clarius, solitos esse senes, appellare ætate juniores nomine filiorum. Sic in sacris litteris, sic in profanis auctoribus, sic in communi usu videmus. Timotheum porro longe Dionysio juniorem fuisse, ex eo liquet, quod Paulus ad eum jam episcopum Neronis temporibus scribens, insinuet eum etiam tum fuisse adolescentem cum dicit : *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Atqui Dionysius jam satis magnus natu erat, et (quod ad rem haud parum facit) permagna quoque auctoritate, sive quod fuisset ex Areopagitis, et Christi causa eos dereliquisset, sive quod ab ipso Paulo conversus, baptizatus et ordinatus fuisset. Itaque Dionysius Timotheum vocavit filium, ἅτε προβεβηκὼς αὐτὸν τοῖς ἔτεσι, καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ προέχων, *tanquam annis eum antegressus, et philosophia præcellens*, ut loquitur S. Maximus in scholiis ad cap. 2 *De cœlesti hierarchia*, super illis verbis, Σὺ δὲ, ὦ παῖ. *Tu vero, fili ;* idemque sentit ad eumdem locum Georgius Pachymeras. Deinde παῖς non tantum significat *filium*, sed etiam *puerum*, et quidem prima et principali significatione, sicut υἱός principaliter *filium*. Hinc Christus Dominus apostolos suos et discipulos, quos moribus similes pueris esse cupiebat, *pueros* appellabat Joannis xxi, 5 : *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* Unde etiam factum in primitiva Ecclesia, ut Christiani omnes vocarentur *pueri*, ob Christianam scilicet morum simplicitatem et suavitatem ; episcopi vero, aliique sacris officiis destinati, παῖδες ἱεροί, *pueri sacri*. Ita beatus Clemens Alexandrinus libro I *Pædagogi*, capite 2, Christianos omnes puerorum nomine compellat his verbis : Ἔοικεν δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἡμῶν, ὦ παῖδες ὑμεῖς, τῷ Πατρὶ αὐτοῦ τῷ Θεῷ. *Similis est noster Pædagogus, o vos, pueri, Patri suo Deo.* Et tamen ii ad quos scribit, nec ætate, nec judicio pueri erant (quibus tam alta non congruissent documenta), sed morum probitate et innocentia. Hanc significationem et responsionem ad dictum Dionysii locum admittit quoque et probat sanctus Maximus hisce verbis : Ἡ ἐπειδὴ τοὺς κατὰ Θεὸν ἀκαχίαν ἀσκοῦντας, παῖδας ἐκάλουν, ὡς καὶ Παπίας δηλοῖ βιβλίῳ τῶν Κυριακῶν ἐξηγήσεων, καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ Παιδαγωγῷ. *Aut quoniam pueros vocabant eos, qui piam simplicitatem et innocentiam sectabantur, quemadmodum et Papias indicat libro primo Dominicarum explanationum, et Clemens Alexandrinus in Pædagogo :* hoc est *simplices, sinceros, minime malos*, qualem fuisse Timotheum, antiqui, ut ait Pachymeras, tradiderunt. Sic enim in sua Paraphrasi Dionysiana : Ἢ τοὺς τὴν ἀκαχίαν ἀσκοῦντας παῖδας ἐκάλουν, καθὼς τινὲς παλαιῶν ἱστοροῦσι περὶ τούτου, ὅτι τῇ ἀκαχίᾳ ἐσεμνύνετο. *Aut simplicitatem exercentes, pueros appellabant, ut quidam veterum de hoc* (Timotheo) *retulerunt simplicitate ornatum fuisse.* Legi equidem sæpius et attentius utramque divi Pauli ad Timotheum Epistolam, si qua forte vestigia reperire indagando possem, quibus ad ingenii indolisque ejus notitiam, eademque via ad illius nodi, quem strinxerunt adversarii, solutionem pervenirem ; inveni tandem Timotheum in sacris quidem Litteris a puero versatum, sed ingenio atque animo satis pusillum ac perquam timidum, et qui onus pontificium, si per Paulum licuisset, perlibenter deposuisset. Quare et a Paulo identidem animari atque excitari debuit, et pueri more, quo modo cum unoquoque hominum genere conversandum sibi esset, edoceri. Et quia profanæ philosophiæ et extranearum litterarum rudis esset, ideoque a sæculi litteratis multum negotii ac molestiæ pateretur (quod Maximus et Pachymeras testantur), propterea et Pauli, dum viveret, et eo mortuo, Dionysii auxiliis indigebat. Cum ergo Paulus sub Nerone obierit, credibile est **561** Dionysium suos ad Timotheum libros sub consequentibus impp. ac præsertim sub Vespasiano, Tito et Domitiano, quorum primus annos decem, secundus duos, tertius quindecim regnavit, exarasse. Nam Galba, Otho, Vitellius, qui hos antecesserunt, non integros singuli annos exegerunt.

De timore et pusillanimitate Timothei, nonnulla in Notationibus ad Vitam sancti Polycarpi, cap. 7, ad finem adnotavi.[1]

Ex his denique facile colligi potest, quam sit probabile, Timotheum a Pauli obitu ad Dionysium Areopagitam, quem et ingenio maximum, et utraque scientia, tam sacra quam profana, eximium nosset, subsidii atque solatii causa se convertisse, ac pro ingenita simplicitate et modestia animi (quod etiamnum facimus, dum ad seniores atque doctiores scribimus, aut quidpiam petimus) ejus se filium aut puerum appellitasse ; qua proinde voce rescribens ad eum Dionysius etiam usus sit ; quamvis ad eam vocem interdum nomen *sancti* aut *sanctissimi* addiderit, ut qui sciret se ad episcopum et ad virum sanctum, tametsi juniorem et simpliciorem, scribere. Hinc et librum *De ecclesiastica hierarchia* sic ad eum exorditur : Ὅτι μὲν ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία, παίδων ἱερῶν ἱερώτατε, κ. τ. λ. *Quod nostra quidem hierarchia, o sanctorum puerorum sanctissime*, etc. Quia vero (ut est apud Job [6]) *derideturjusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diritum*, sive quia proclive est, ut justi et simplices facile a vanis hominibus derideantur atque contemnantur, cavit sedulo Paulus, ut ne in Timotheum illa caderent, partim eum laudando, partim ex suo et illius nomine litteras scribendo, partim expresse ejus despectum prohibendo. ItaqueEpistolæ Pauli ad Philemonem inscriptio conjunctum habet Timothei nomen, hoc modo : *Paulus vinctus Christi Jesu et Timotheus frater Philemoni dilecto*, etc. In priore vero ad Corinthios capite xvi, 10, laudat simul et commendat et a despectu tutum facit. *Si autem venerit Timotheus*, inquit, *videte, ut sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur, sicut ego. Ne quis ergo illum spernat : deducite autem illum in pace, ut veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus.*

Quibus in locis non possum quin mirer, et amem, et amplectar istam Apostoli benignitatem, et parandæ discipulo suo auctoritatis atque fiduciæ paternam curam ac sollicitudinem : quod et sanctus Joannes Chrysostomus in suis ad Pauli Epistolas Commentariis olim est admiratus. Ut autem cognoscatur, quanti sanctus Dionysius Timotheum (quamvis filium ob ætatem appellaverit) tamen propter eruditionis opinionem æstimaverit, legantur, quæso, quæ superius in Dionysii Vita perscripsi capite 23, ubi ejusdem sancti Dionysii modestia in medio ponitur. Nam ibi ea de Timotheo dicit, quæ vere digna sunt eo, qui fuit Pauli comes et discipulus. Eum enim esse facit, qui mereatur a Deo per angelos, edoceri et quidem veriora et clariora, quam ipse docuerit.

Octava ratio Sculteti est : « Multos majores præceptores hinc inde nominat, cum tempore veri Dionysii, præter apostolos vix unus et alter esset scriptor ecclesiasticus. »

Valde tenuis est hæc ratio, et telæ, quæ muscas vix teneat, similis. *Multos*, inquit. Peto, quos? aut quo modo nominet? Nisi enim *ego* (ut Ennii verbis utar) *adjuro curamve levasso*, hærebit illi aqua. Duos ergo nominatim præceptores suos laudat Dionysius, Paulum et Hierotheum, alios autem gene

[6] Cap. xii, 4.

Digitized by Google

ratim similibus utendo vocibus, *theologi nostri, patres nostri*, etc. Intelligit autem per theologos (ut in ipsius scriptis videre est) omnes qui de Deo et rebus divinis scripserunt, hoc est, prophetas, apostolos, et alios Scripturæ sacræ auctores; illi enim vere theologi, vere magistri et præceptores nostri: quo modo et sanctus Justinus philosophus eos appellat in *Apologia ad Antoninum Pium* post medium, his verbis: Ἵνα δὲ καὶ παρὰ τῶν ἡμετέρων διδασκάλων (λέγομεν δὲ τοῦ λόγου τοῦ διὰ τῶν προφητῶν) λαβόντα τὸν Πλάτωνα μάθητε, etc. *Ut autem et a nostris magistris* (*de doctrina prophetarum loquimur*) *accepisse Platonem intelligatis*, etc. Probat ibi Justinus, Moysen antiquiorem esse Platone, et hunc e libris ejus aliqua desumpsisse, dicitque se per *nostros magistros* intelligere *prophetas*. Idem Justinus *in Apologia ad senatum* sub medium, vocat Jesum, magistrum nostrum. Καὶ Ἰησοῦς ὁ ἡμέτερος διδάσκαλος ἐδίδαξε, etc. *Et Jesus magister noster docuit*, etc. Sic Dionysius libro *De cœlesti hierarchia*, cap. 2, theologos vocat Malachiam, Joannem evangelistam, Moysen, Salomonem, Isaiam, Osee, Davidem. Nam docens quomodo theologi divinitatem exprimant, ex iis omnibus exempla subjicit, et nulla ex aliis Scriptoribus inferioribus. Et cap. 3, postquam dixit: Ταύτας δὲ τὰς θείας ὁράσεις οἱ κλεινοὶ πατέρες ἡμῶν ἐμυοῦντο διὰ μέσων τῶν οὐρανίων δυνάμεων. *Has autem divinas visiones clari illi patres nostri a cœlestibus virtutibus edocti sunt.* Ne Scultetus dicat nullos fuisse claros Patres; qui sint illi quos intelligat, e subjectis exemplis ostendit, nempe dum Moysen, Lucam, Matthæum, **562** Isaiam, probationis causa producit. Vide Dionysium ibidem cap. 5 initio, et cap. 7 post medium, ubi in theologorum numero Davidem, Isaiam, Ezechielem recenset, itemque cap. 8. Et quia tam efrons est Scultetus, ut ea negare possit, nisi expresse dicat auctor, *Ezechiel theologus, Zacharias theologus*, et ita de aliis; age, et illum sic convincamus. Igitur cap. 8 *Cœlestis hierarchiæ* ita Dionysius: Ὁρᾷ τῶν θεολόγων εἷς ὁ Ζαχαρίας ἕνα τῶν πρώτων, ὡς οἶμαι, καὶ περὶ Θεὸν Ἀγγέλων. *Vidit Zacharias theologorum unus unum e primis, ut puto, et Deum circumstantibus angelis.* Et paulo post: Ἕτερος δὲ τῶν θεολόγων Ἰεζεκιήλ, *Ezechiel vero alius theologorum*, etc. Vide ibi et sequentibus capitibus plura. Sic *theologia* ab eodem Dionysio passim usurpatur pro *sacra Scriptura*, ut capite 2 *De divinis nominibus*, initio: Καὶ τί γὰρ ἄλλο μαθεῖν ἔστιν ἐκ τῆς ἱερᾶς θεολογίας, ὁπόταν φησὶ τὴν θεαρχίαν αὐτὴν ὑφηγουμένην εἰπεῖν· Τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. *Ecquid enim e sacra theologia discere licet aliud, cum ait divinitatem ipsam docentem dixisse: « Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus* [a].» Quamvis igitur Dionysius alios nullos habuisset præceptores nisi Hierotheum et Paulum apostolum, tamen de cæteris scriptoribus sacris seu Veteris seu Novi Testamenti dicere optimo jure poterat: *Præceptores nostri, patres nostri, majores nostri, theologi nostri*, etc. Ex quo vanissima ostenditur octava Sculteti objectio. Ad alias procedamus.

Nona est talis: « Citat sententiam Ignatii morituri sub Trajano, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. At Methodius Dionysium regnante Domitiano occisum esse scribit. »

Sic ille, cui sufficere posset hæc responsio: « At Ado Viennensis archiepiscopus Adriani temporibus Dionysium martyrio affectum scribit. » Ut enim ille uno teste probat, sic ego uno teste reprobo. Jam sumus ergo pares. Verum plenissime huic de Ignatii sententia objectioni jam respondimus in hac ipsa quæstione supra.

Decima ratio, sive decumana impudentia Sculteti, est ejusmodi. « Errat (inquit de sancto Dionysio) manifeste, quod docet oleo defunctos perfundendos et ungendos; monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem; unguentum baptismo ὁμοταγές esse, Inventum scilicet hominis, sacramento Christi. » Ita ille Pythagoreo more dicens, et non probans. Cui ego eodem more si respondero, et tria illa quæ intulit, sola negatione rejecero, quid indignum tali argumentatore fecero? Sed in aliorum gratiam plus dicemus, et ibimus per puncta singula.

Primo igitur, pro eo quod dicit de sanctissimo et doctissimo viro, et quidem de scribente certissima errat manifeste, reponendum censeo. Errat Scultetus et delirat manifestissime. Liceat enim sanctorum amatori in conviciatores sanctorum sic loqui. Nam scripsit sanctus Dionysius, quod suo tempore circa defunctos tam a se quam ab aliis fieri videbat: et quidem cur id fieret, hanc attulit optimam et bonis omnibus acceptissimam rationem, nimirum significari eum, qui ungitur, legitime certasse et certando excessisse. Scultetus autem pro audaci sua et impudenti contradictione quid affert? ne id quidem, quod pueri clamitant se in faba reperisse. Legant autem, velim, Christiani cæremonias a Dionysio de exsequiis mortuorum productas lib. *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 7, et earum mirabuntur antiquitatem juxta et sanctitatem sapientiæ plenissimam.

Secundum reprehensionis Sculteti punctum est, Dionysium docere monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ministerio esse excellentiorem. Contra quam doctrinam nihil rursus aliud affert, quam illa duo verba, « Errat manifeste, » cum ipsemet interim mentiatur multo manifestissime. Nam in primis non docet Dionysius monachatum ullo ministerio esse excellentiorem, nec est in eo verbum ullum quod hoc sonet: imo ponit monachatum extra ordinem omnium ministrorum et omnium sacrorum ordinum. Tres enim ponit sacros ordines, pontificum, sacerdotum, diaconorum, qui et initiantes seu sacra tractantes appellantur, inter quos nulla monachorum mentio: quippe qui nihil sacris in rebus officii habeant, ac proinde earum ministris seu administratoribus omnibus inferiores sunt. Deinde eos qui initiantur tantum, nec initiant, hoc est, laicos omnes ad Ecclesiam pertinentes, in tres classes partitur: in eos qui a sacrificiis excludantur, in eos qui illorum sunt participes et communem vitam degunt, in eos qui majorem perfectionem profitentur, hoc est, monachos. Quæ partitio reperietur in libro *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 6, ubi etiam docet Dionysius, primam classem (quæ est rudiorum et imperfectiorum) spectare ad curam diaconorum seu ministrorum, qui λειτουργοί appellantur; quorum est illos erudire et purgare; secundam vero, quæ est mediorum, et tertiam quæ est monachorum sive cultorum, ad sacerdotis munus pertinere: ejus enim est, et communem plebem seu fideles jam baptizatos, et viam conjugii jam currentes, docere et illuminare, et monachos vitam singularem et exactam castimoniam profitentes Deo **563** consecrare. Quid igitur sibi Scultetus voluit, cum mentitus est Dionysium docuisse monachatum esse ministerio excellentiorem? an forte Calvini minister ad suum ministerium respexit, atque ad conciliandam Dionysio invidiam, finxit eum præferre monachos ministris? Atqui tales ministros Areopagita penitus nescivit; atque etiam, si tales fortassis mille et quadringentis post se annis venturos prævidisset, haud grande tamen peccatum admisisset, si monachis, non dico iis qui nunc sunt, sed illis etiam qui tunc erant, et nihil sacri ordinis gerebant, postposuisset. Verum nihil tale de ministris locutus est Dionysius: apud quem ministri appellantur, qui nunc vulgo diaconi, sed

[a] Luc. xviii, 19.

Digitized by Google

illis monachos postponit : quos, ut ante notavi, in solis laicis velut classem præcipuam docet excellere. Et hæc opinor, sufficiunt ad detegendam hominis effrontis meretriciam impudentiam. Nam de monachis agam infra fusius, et ostendam, quantum sit inter illos de quibus egit Dionysius, et eos qui posterioribus sæculis fuerunt et nunc sunt, discrimen ; simulque ex eo discrimine argumentum sumam fortissimum pro libris Dionysii : nunc enim certum est confundendo insistere Sculteto.

Tertium igitur decimæ rationis ab eo allatæ membrum erat, « manifeste errare Dionysium, quod doceret unguentum baptismo ὁμοταγες, esse, inventum scilicet hominis sacramento Christi. » Quid hic respondeam? Non dicit ipse ubinam hoc Dionysius doceat, non profert verba, non urget illa, non conatur certam aut saltem aliquo modo probabilem deducere ex illis sequelam ; ita ut inverecunde abutatur et suorum simplicitate, quos sibi ut Pythagoræ vult credere, et doctorum virorum, quibus ad loca perquirenda non est otium, nimia patientia. Perquisivi ego si forte reperirem Dionysium alicubi dicentem, τὸ μύρον καὶ βαπτίσματος ὁμοταγές, *unguentum ejusdem esse aut similis cum baptismate ordinis aut dignitatis*, nusquam reperi, nec illa vox ὁμοταγές, in comparatione unguenti cum baptismo, usquam a Dionysio est usurpata ; sed bene cum de eucharistia egit, et ab illa ad unguenti confectionem transit (quod facit capite quarto *De ecclesiastica hierarchia* initio) ita scribit : Ἀλλ' ἔστι ταύτης ὁμοταγὴς ἑτέρα τελεσιουργία· μύρου τελετὴν αὐτὴν οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ὀνομάζουσι. *Sed illi* (sanctissimæ synaxi) *ejusdem ordinis finitima est altera sacra operatio : unguenti sacramentum eam vocant duces nostri.*

Dicit autem esse ejusdem ordinis, non quod sit idem sacramentum (aperte enim distinguit, et ab uno se dicit transire ad aliud), sed quod hæc unguenti confectio etiam spectet ad pontificem seu episcopum et quod ejus confectioni non intersint, nisi ii quibus etiam confectioni synaxeos licet interesse ; ac propterea excludantur catechumeni, energumeni, pœnitentes. Quæ duo expresse docet in eodem ipso capite 4, partim in ipsa ritus unguenti descriptione, partim in subjecta contemplatione. Verba Dionysii sunt hæc : Κατὰ τὸν αὐτὸν τῆς συνάξεως τρόπον αἱ τῶν ἀτελεύτων ἀπολύονται τάξεις. *Ad eumdem modum, quo in synaxi, ordines imperfectorum dimittuntur* (in confectione unguenti scilicet). Deinde paulo inferius de pontificis munere ita subdit : Εἶτα τὸ μύρον ὁ ἱεράρχης λαβὼν ἐπιτίθησι τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ, etc. *Deinde pontifex sumptum oleum sancto imponit altari.* Similia rursus habet in contemplationis progressu, ubi et rursum vocem ὁμοταγής usurpat, ita de eadem unguenti confectione scribens : Διὸ καὶ ταύτην οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν, ὡς ὁμοταγῆ καὶ ταυτουργὸν τῷ τῆς συνάξεως ἱερῷ τελεστηρίῳ ταῖς αὐταῖς εἰκόσιν, ὡς τὰ πολλὰ, καὶ μυστικαῖς διακοσμήσεσι καὶ ἱερολογίαις διετάξαντο. *Atque illum divini duces nostri velut ejusdem ordinis et efficacitatis cum sancto synaxeos sacramento, iisdem ut plurimum imaginibus et mysticis descriptionibus et sacris locutionibus ordinaverunt*, id est fieri constituerunt. Quæ verba Sculteto, si non tam socors et vecors fuisset, longe plus contra nos facere vidisset, quam ea quæ attulit. Ut enim apud nos pluris est eucharistia quam baptismus, ita pluris erat unguentum conferre cum eucharistia (quod facit Dionysius) quam cum baptismo. Verum perversæ fidei homo, et a veritate alienissimus : nec illam veritatem vidit, et familiare sibi mendacium sine labore invenit. Alioqui clamare et vociferari poterat : Ecce qui Jesum Christum in eucharistia præsentissimum dicunt, quo devenerint? Unguentum, opus hominis, ὁμοταγές Christo faciunt. Ecce hic ipsorum auctor non ὁμοταγές modo, sed etiam ταυτουργόν sacræ synaxi unguentum facit. Quod si ταυτουργόν, id est, ejusdem efficacitatis, seu idem efficiens, ergo unguentum perinde ac synaxis Christum efficit. Potuisset, inquam, homo ille, et secundum sectam suam debuisset vocem illam ταυτουργόν contra catholicos pro suis Calvinistis allegare, urgere, inculcare potius quam suum ὁμοταγής, quod ideo forte neglexit interpretari, ut plus in ea latere mysterii homines putarent, quam revera sit. Nam si tantum hoc voluit, quod in baptismi sacramento inter alias cæremonias etiam unguentum adhibetur, quid hoc magni est? Nec enim vel Dionysius vel Catholici propterea injuriam baptismo inferunt, sed honorem potius ac venerationem afferunt. **564** Nam eo spectant cæremoniæ rebus additæ, ut res ipsæ pluris fiant, magisque honorentur. Nec enim dicimus aut sine illis baptismum inefficacem esse, aut illas eamdem cum baptismo vim habere (absit hæc a nobis cogitatio ! inventum enim hominis, Dei constitutioni par non est) ; sed dicimus, propter mysticas significationes tam unguentum quam alias quasdam cæremonias recte ac merito quibusdam sacramentis adhiberi. Quas quidem significationes non existimo ullum bene compositæ mentis ac firmi constantisque judicii (si illas in ipso Dionysio legerit) posse ullo modo improbare : imo et admiraturum potius atque permagni facturum, nihil prorsus persuadeo. Sed ne vox illa ταυτουργόν non explicata, erroris cuipiam ansa sit, non eam vim habet, ut dicat id omne ab unguenti sacramento effici, quod ab eucharistia (sic enim non diversum, sed idem esset sacramentum) verum quod similes gratias conferat, quod animum illuminet, roboret ad cœlestium cogitationem, amorem, desiderium excusitet.

Undecima ratio Sculteti : « Libro *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, capite 1, præcepit Timotheo, ut non omnibus revelet sua scripta. Non sunt igitur apostolica. » Sic ille.

Atqui hoc jam non quæritur, an illa scripta sint apostolica necne, sed utrum illa scripta (qualiacunque sint) Dionysii sint, an cujuslibet alterius : nam et tu, o homo plene fallacia et dolo, hanc quæstionem post recensitos Dionysii libros sic proposuisti : *An libri recensiti sint Dionysii Areopagitæ ;* non vero illam : An scripta ejus sint apostolica. Cur ergo aliud infers quam quæris ; deinde, quin aliquid concludis quod clarum sit et ambigui expers? Nam vox *apostolica* ibi est ambigua : et quidem si in prima et propria significatione capis, ut scilicet scripta apostolica appellentur, quæ ab aliquo apostolorum scripta sunt, nugas agis, dum refutas quod nemo dicit ; hactenus enim fuit nullus, qui illa scripta apostolorum cuipiam tribueret. Sin ea vocas scripta apostolica, quæ apostolorum scripta sint ætate, injuriam facis apostolis, cum et ipsorum ætate nonnulla scripta sint ab hæreticis (contra quos suum Joannes scripsit Evangelium) quæ sic dici possent et deberent apostolica. Quid igitur tandem vocas apostolica? An scripta stylo apostolico? non audebit hoc dicere, ne videare bis cramben eamdem obtrudere. Nam si de stylo hic agis, prorsus actum agis, et quod prima ratione proposuisti reponis undecima. Prima enim tua ratio fuit de stylo parum apostolico, quam et nos refutavimus. Sin hoc forte vis dicere (es enim adjuvandus) non esse scripta spiritu apostolico, hoc est, fidei et salutis animarum et perfectionis Ecclesiæ cupido (hoc enim ipsum est, opinor, quod intendis, si quid novum intendis), at neque sic aliud quidquam nisi crassum et impudens mendacium effutis. Spirant enim certe ea scripta meram fidei et salutis animarum, et perfectionis Ecclesiæ ambrosiam. Id quod viri doctissimi juxta et sanctissimi, et qui incorruptum

Digitized by Google

virtutis gustum habebant, amplissime sunt contestati.

Verumtamen quomodo probas non esse in iis scriptis spiritum apostolicum? « Quia, inquit, præcepit Timotheo, ut non omnibus revelet sua scripta. » Imo vero spiritus ibi apostolicus elucet, dum sic Timotheum admonet, ut ne cum gentilibus, et aliis nullo adhuc sacramento initiatis, fidei nostræ altissima mysteria communicet, sed cum solis Christianis, et quidem illustratis, hoc est, baptizatis; quia scilicet, ut recte sanctus Maximus : Οὐ δεῖ τὰ ἅγια τοῖς βεβήλοις ἐκφαίνειν, οὐδὲ τοὺς μαργαρίτας τοῖς χοίροις ῥίπτειν, *non oportet sancta profanis ostendere, neque margaritas porcis projicere.* Quid? an hoc Evangelio et spiritui apostolico non est conforme? Atqui ipse Christus Dominus Matthæi VII, 6, dicit : *Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* Et sane ita futurum credebat Dionysius, ut si gentiles aut parum in fide fundati abdita Ecclesiæ nostræ mysteria legerent, ipsi ea tanquam villa et despicabilia pedibus conculcarent, hoc est contemnerent et irriderent, et in scriptores ipsos atque in talium doctores insurgerent, ac si possent etiam dirumperent. Quare hanc una prænonitione contentus, quam initio libri *De ecclesiastica hierarchia* adhibuerat, etiam c. 2, aggressurus sacri baptismatis cæremonias, productis in medium argumentis et exemplis, ab earum conspectu profanos arcet. Sic enim scribit : Ἐξῆς δὲ τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας ἐποπτεύσωμεν σύμβολα. Καί μοι μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ τὴν θείαν ἰέτω. Καὶ γὰρ οὐδὲ ταῖς ἡλιοτεύκτοις αὐγαῖς ἐν ἀσθενέσι κόραις ἀντωπεῖν ἀκίνδυνον· οὐδὲ τοῖς ὑπὲρ ἡμᾶς ἐγχειρεῖν ἀβλαβές. *Deinceps vero divina ex Deo generationis symbola inspiciamus. Et nemo mihi ad spectandum non initiatus accedat. Nam ut imbecillibus oculis radios solis ex adverso intueri non caret periculo, sic altiora nobis aggredi non vacat damno.* Quod etiam exemplis e Scriptura sacra prolatis probat, quæ videri illic possunt.

Eadem porro, qua Dionysius, cautione usus est beatus Clemens Alexandrinus libro I *Stromatum*, qui in hoc quoque Dionysium est imitatus, quod **565** libros suos sponte et de industria obscurius scripserit, et celare semina cognitionis, ut idem ipse loquitur, voluerit, et novis interdum vocibus usus sit : quo nimirum et laboriosius (ut in venatione) inventa veritas esset dulcior et gratior; et ab hominum petulantium, qui sancta non capiunt, ludibrio et cavillis remotior atque securior. Nec pigebit paucula Clementis verba indidem laudare, et quasi digitum, quod aiunt, ad fontem intendere. Ea sic habent : Σιωπῶ γὰρ, ὅτι οἱ Στρωματεῖς τῇ πολυμαθείᾳ σωματοποιούμενοι, κρύπτειν ἐντέχνως τὰ τῆς γνώσεως βούλονται σπέρματα. *Taceo enim, quod hi Stromatum libri, e doctrina multiplice unum in corpus coagmentati, celare artificiose velint cognitionis semina.* Et Paulo inferius : Τί δήποτ' οὖν ὧδε διατετάχθαι φίλον ἔδοξεν εἶναι τοῖς ὑπομνήμασιν; Ὅτι μέγας ὁ κίνδυνος τὸν ἀπόῤῥητον ὡς ἀληθῶς τῆς ὄντως φιλοσοφίας λόγον ἐξορχήσασθαι τοῖς ἀφειδῶς πάντα μὲν ἀντιλέγειν ἐθέλουσιν, οὐκ ἐν δίκῃ, πάντα δὲ ὀνόματα καὶ ῥήματα ἀπορῥίπτουσιν οὐδαμῶς κοσμίως, αὐτούς τε ἀπατῶντες, καὶ τοῖς ἐχομένοις αὐτῶν γοητεύοντες, etc. *Qua de causa igitur istos ita visum est componere commentarios? Quia magnum periculum est, hunc sane quam arcanum veræ philosophiæ sermonem iis enuntiare, qui imparce quidem volunt omnibus contradicere, idque immerito; cuncta vero et nomina et verba haudquaquam decenter projicere, et fallentes semetipsos, et sectatoribus suis illudentes.* Vide ibi plura.

Vocat ibi *veram philosophiam* (sicut et alii SS. Patres Græci) doctrinam Christianam : et *arcanum* A *veræ philosophiæ sermonem* appellat fidei nostræ mysteria : quæ Dionysius appellavit τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων, *Sancta sanctorum*, initio libri *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 1, ubi sic ad S. Timotheum : Ἀλλ' ὅρα, ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων, etc. *Sed vide, ut ne enunties Sancta sanctorum.* Ubi notandum ambos eadem voce ἐξορχεῖσθαι, id est *tacenda enuntiare*, usos esse, Dionysium et Clementem, ut hic videre est.

Idem porro ipsum, quod in Dionysio reprehendit Scultetus, approbarunt mille et ducentis, priusquam ipse natus esset, annis S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Basilius, S. Ambrosius, et alii. Nam eorum primus ante suas catecheses non modo eamdem præmisit de libris suis cautionem, sed etiam, si forte quipiam illos exscriberent, ipsam quoque ut exscriberent cautionem serio commonuit. Hæc sunt ejus verba : Τὰς τῶν φωτιζομένων κατηχήσεις τοῖς μὲν τῷ βαπτίσματι προσερχομένοις, B καὶ τοῖς τὸ λουτρὸν ἔχουσιν ἤδη πιστοῖς, εἰς ἀνάγνωσιν παρεχόμενος, μὴ δὸς τὸ σύνολον, μήτε κατηχουμένοις, μήτε ἄλλοις τισὶ τοῖς μὴ οὖσι Χριστιανοῖς. Ἐπεὶ τῷ Κυρίῳ λόγον δώσεις. Καὶ ἐὰν ποιῇς ἀντίγραφον, ὡς ἐπὶ κυρίου ταῦτα πρόγραψον. *Catecheses istas eorum qui illuminantur, accedentibus quidem ad baptismum, et iis qui jam baptizati sunt fidelibus, legendas exhibens, nullo modo communices cum catechumenis, neque cum ullis aliis nondum Christianis. Nam alioqui rationem Domino reddes. Et quidem si transcribas, hæc ipsa, ut in autographo, præpones.*

Locus autem Basilii libro *De Spiritu sancto*, capite 27, est longe pulcherrimus : quem, quod et alia nonnulla de baptismi cæremoniis attingat, integrum apponam, sed brevitatis causa Latine tantum, tametsi et Græca habeam ad manum, quæ sic verti : « Benedicimus autem et aquam baptismatis, et oleum unctionis, et eum præterea qui baptizatur. E quibus scriptis? Nonne a tacita et occulta traditione? Ipsam porro olei unctionem quis sermo scriptus edocuit? Et hominem ter immergi, unde sumptum? Alia item omnia, quæ circa baptismum fiunt, ut abrenuntiare Satanæ et angelis ejus, e qua scriptura sunt? Nonne ex illa minime evulgata et arcana doctrina, quam in quieto et nequaquam curioso silentio illi Patres nostri veneranda mysteria conservare edocti custodiverunt? Aut quid magnus ille Moyses sibi volebat, cum profanos quidem extra sacros cancellos statueret, prima vero atria purioribus permittens, solos Levitas dignos Dei cultores judicaret; mactationes porro et holocautomata et reliquum ministerium sacerdotibus assignaret; unum e cunctis electum in adyta admitteret, ac ne id quidem semper, sed unico tantum die quotannis, et illius quoque diei statam horam, qua illi fas ingredi esset, præscriberet? Nempe ut propter novitatem et insuetudinem admiratione tactus Sancta sanctorum inspiceret. D Probe enim sciebat, pro ea quæ pollebat sapientia, id quod tritum et captu facile est, promptum item esse contemni : id autem quod reductum est et rarum, naturaliter quodammodo magni fieri et studiose perquiri. Eodem igitur modo, qui certos Ecclesiarum ritus ab initio perscripserunt apostoli et Patres, occultatione et silentio suam mysteriis dignitatem servaverunt. Neque enim omnino est mysterium, id quod in populi et vulgi aures affertur. Atque hæc est ratio traditionis illorum quæ scripto non sunt prodita, ut ne scilicet dogmatum exercita cognitio propter consuetudinem vulgo fieret despicabilis. Nam aliud est dogma, aliud prædicatio. Dogmata enim silentur, prædicationes publicantur. Est autem et quædam silentii species ipsa Scripturæ obscuritas, sententiam dogmatum intellectu difficilem reddens, idque ad legentium utilitatem. »

Hactenus ille magnus Basilius, longe sane aliter,

Digitized by Google

quam villis Scultetus, ratiocinans; longe profecto melius, quam minister Calvinista, sapiens. Nam duo probat, quæ Dionysius in suis libris observavit: unum, ne mysteria evulgaret; **566** alterum, ut styli obscuritate illa communiret. Non opus est quidem in re tam clara, tam testata, pluribus testimoniis: aliquod tamen e Latinis, ne forte desideretur, hic subjicio: nempe sancti Ambrosii, e libro *De iis qui mysteriis initiantur*, capite 1: « Nunc de mysteriis, inquit, tempus dicere admonet, atque ipsorum sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandum nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur. »

Huc etiam facit (quod pene præterieram) Septuaginta interpretum in vertendis ex Hebræo prophetis affectata, Hieronymo teste, obscuritas. Nam epistola 117: « Unde conjicio, inquit, noluisse tunc temporis Septuaginta interpretes fidei suæ sacramenta perspicue ethnicis prodere, ne sanctum canibus, et margaritas porcis darent. Quæ cum hanc editionem legeretis, ab illis animadvertetis abscondita. » Ita Hieronymus.

Et ante hos omnes egregie Origenes homilia 1 *in Ezechielem:* « Confiteor, inquit, libenter, a sapiente fideli viro dictam sententiam, quam sæpe suspicio: *De Deo etiam vera dicere, periculum est.* Neque enim ea tantum periculosa sunt, quæ falsa de eo dicuntur, sed etiam quæ vera sunt, et non opportune proferuntur, dicenti periculum creant. Margarita vera est, » etc. Et quia ratio ipsa naturalis docet, quemadmodum non omnes omnium sunt capaces, ita nec omnibus ingeniis omnia scriptorum genera esse committenda aut permittenda (futura alioqui non paucis fraudi, non emolumento) hinc et profani philosophi, interque illos Plato et Porphyrius, et alii, dogmata veritatis abstrusiora, vel mysteria magis recondita, in vulgus efferri haud imprudenter vetuerunt. Quare Scultetus, in eo quod Dionysium reprehendit, manifeste et contra rationem, et contra omnem philosophiam, et contra sacram Scripturam facere convincitur. Ac si argumentum quidem ejus valeret sequeretur, nonnulla quoque sancti Pauli dicta, ea nimirum quæ eidem Timotheo cum solis doctis communicanda tradidit, non esse, aut parum certe esse apostolica. *Quæ audisti*, inquit, *a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* [1].

Duodecima et postrema Sculteti ratio est ista: « Postremo, inquit, prodit se satis manifeste in fine *Hierarchiæ ecclesiasticæ*, ubi inquit: Sancti præceptores nostri ex pristina traditione edocti ad nos derivarunt. »

Et hæc quoque ratio valde oscitanter ab eo producta est. Debuisset enim Scultetus, et qua de re ibi sermo esset aperire, et quomodo verba Dionysii aliter explicari non possent, ostendere; ac denique quam certo id, quod vellet, concluderetur, commonstrare: quorum homo socors nihil fecit. Agit ergo ibi Dionysius de baptismo parvulorum, docetque, traditione apostolorum licere parvulos baptizare. Nec enim dubium quin, circumcisione jam ablata et abolita, quæsitum fuerit ab apostolis, quid pueris atque infantibus (ut soleut multi in tenella illa et rudi ætate intermori) ad salutem facto opus esset, baptismusne illis adhibendus, et quomodo: respondisse autem apostolos, et tradidisse (uti docet Dionysius) illos esse baptizandos, maxime in mortis periculo. Ista autem traditio vocata est ab auctore nostro ἀρχαία παράδοσις, hoc est *prima seu primigenia traditio*. Nam cum ἀρχαῖος plura significet, ejus significationes pro subjecta materia capiendæ sunt. Inter alia vero (quod vel e Lexicis addisci potest) sicut ἀρχή *principium*, ita ἀρχαῖον *primum* significat, non modo vetus aut antiquum. Potest enim aliquid esse primum, nec tamen vetus aut antiquum; et item antiquum, et non esse primum. Verba igitur Dionysii de baptismo parvulorum loquentis sunt ista: Περὶ τούτου ταῦτά φαμεν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως εἰς ἡμᾶς προήγαγον. *De illo hæc dicimus, quæ divini initiatores nostri a prima edocti traditione ad nos provexerunt.*

Ista porro verba, θεοειδεῖς ἱεροτελεσταί, *deiformes* seu *divini initiatores;* et quæ paulo inferius; θεῖοι καθηγεμόνες, *divini duces*, nullis melius competunt quam apostolis, ac propterea de illis interpretatus est sanctus Maximus in Scholiis ad hunc locum. Possent tamen etiam intelligi de sancto Hierotheo (qui etiam Dionysii præceptor fuit) et de aliis Hierothei æqualibus, seu etiam de evangelistis Luca et Marco, aut de aliquibus e numero septuaginta duorum discipulorum, e quibus citat Dionysius sanctum Justum cap. 11 *De divinis nominibus*. Unde et sanctus Maximus beati Dionysii colligit antiquitatem.

Si igitur per illos divinos duces et initiatores intelligantur Hierotheus, Justus, Antipas, et similes, rectissime dicentur illi a prima traditione edocti, hoc est, a traditione apostolorum: nec opus erit ad Christum usque recurrere. Sin ipsi intelligantur apostoli, tum edocti dicentur a prima traditione, hoc est, a Christo, qui ipsos post resurrectionem suam, ut de multis aliis, sic et de baptismo plene edocuerit. Nam traditio non de rebus tantum antiquis dicitur, sed etiam de novis: ita ut nova Christi præcepta et documenta apostolis tradita, illo etiam ipso tempore quo tradebantur, recte revocarentur traditiones. **567** Unde et Paulus II Thessal. II, 14: *Itaque, fratres*, inquit, *state et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Quæ quidem traditiones non poterant esse tam antiquæ, quam illæ de quibus loquebatur Dionysius.

Hactenus de Sculteti objectionibus. Nunc ad alia quædam quæ ab aliis opponuntur aut apponi possunt, nonnihil attendamus.

Dicunt ergo nonnulli parum probabile videri, tempore sancti Dionysii Areopagitæ, qui convixit apostolis, tantam fuisse cæremoniarum in Ecclesia multitudinem, quanta ab auctore horum librorum adducitur.

Quibus ego respondeo, non satis videri ab illis examinatum esse atque perpensum, neque numerum earum cæremoniarum, neque qualitatem; imo nec apostolorum circa illas officii debitum atque curam. Nam ad eos certe spectavit, abolitis veteribus sacrificiis atque ritibus et cæremoniis, alia sacrificia, ritus et cæremonias vel a Christo instituta procurare ut fierent, vel suæ relicta dispositioni, præsertim quod ad ritus cæremoniasque attinet, instituere. Nec enim tam bene constare, tantique fieri res sacras absque cæremoniis, quam cum illis, tam ex ipso Vetere Testamento, quam ex Spiritus sancti unctione (qui ipsos omnia docuit) probe didicerant. Et de earum multitudine quid frustra et immerito arguimur? cum numero fere innumero plures in veteri Lege per unum Moysen, quam in nova per duodecim quatuordecimve apostolos constitutæ sint. Neque tamen illum tam familiariter cum angelo versatum esse crediderim, quam hos cum Christo: neque tanta, item Spiritus sancti gratia, quam eosdem, fuisse perfusum.

Adde porro eas cæremonias, quæ a Dionysio descriptæ sunt, esse numero perpaucas, et aliquorum duntaxat sacramentorum, non omnium, et eas quidem, ut illis initiis, perbreves et perfaciles: ut venerabilis eucharistiæ, et sacrorum ordinum; qui

[1] II Tim. II, 2.

Digitized by Google

bus non paucæ postmodum a variis pontificibus seu episcopis diversorum locorum additæ sunt, quemadmodum in pluribus sanctorum antistitum liturgiis et ritualibus libris videre est.

Denique omnes a Dionysio recensitos ritus (nam contemplationes, sive eorum explicationes, ab iis secernendæ sunt) facile vel uno foliolo comprehenderis. Nam baptismi quidem ritus duas duntaxat pagellas implent; eucharistiæ vero, unicam; unctionis autem, vix ac ne vix quidem mediam : trium porro ordinum, episcopi, sacerdotis, et diaconi, mediam tantum consecrationis monachi, nihilo plus, ritus exsequiarum, tantumdem, ita ut quinque pagellis omnes a Dionysio prolatas cæremonias, de quarum interim multitudine tot passim jactantur convicia, nullo negotio concluseris. Nec enim alias aut cæremonias aut ritus, præter ea quæ commemoravi, liber ille Dionysii continet. Atque ut ad ipsarum qualitatem cæremoniarum veniamus, atque a baptismo ordiamur, earum quidem sane, quæ præ aliis recentes videri possent antiquissimi Patres meminerunt, nempe abrenuntiationis, exorcizationis, exsufflationis, unctionis, et pro infantibus etiam sponsionis; hæc enim fere sunt quæ hæretici contemnunt, irridenl, cavillantur; et quibus probatis, velint nolint, causa cadunt.

Audiatur ergo Tertullianus, quid de abrenuntiatione et de quibusdam aliis baptismi referat cæremoniis. Libro *De corona militis*, capite 3: « Denique, inquit, ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius, in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit : inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus, » etc. Audiatur et Origenes homilia 12 *in Numeros* : « Recordetur, inquit, unusquisque fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit, et ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc usus sit verbis, et quid renuntiaverit diabolo, non se usurum pompis ejus neque operibus ejus, » etc.

Si plures libet audire, adeantur isti, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica prima, Basilius Magnus libro *De Spiritu sancto*, cap. 27; Ambrosius libro I *De sacramentis*, cap. 2, et lib. II, cap. 7; Chrysostomus homilia 21 *ad populum Antiochenum*; Hieronymus *in cap.* VI *Amos*; Augustinus libro I *De symbolo ad catechumenos*, cap. 1 et alii.

Quia vero beati Cyrilli verba doctrinæ et verbis sancti Dionysii Areopagitæ admodum sunt conformia, non pigebit illa hic referre. Sic igitur habent: Εἰσῆειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἶκον, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούσατε καὶ προτάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθαι τῷ Σατανᾷ. *Primo ingressi estis in porticum domus baptisterii, et stantes versus occidentem auuistis et jussi estis manum extendere, et tanquam præsenti abrenuntiare Satanæ.* Vide ibi plura de verbis abrenuntiationis, et de conversione ad ortum, et pronuntiatione symboli, et aliis, quæ omnia doctrinam sancti Dionysii veram et apostolicam confirmant.

568 De exorcizatione et exsufflatione, quæ pariter et junctim procedunt, eadem est ratio, idem SS. Patrum sensus, idem judicium. Vide eumdem Cyrillum in Procatechesi, sive præfatione ante catecheses, et priorem illo S. Cyprianum epist. 76 ad Magnum, de baptizandis Novatianis, sub finem, et Nazianzenum oratione in sanctum lavacrum, et pro multis vide sanctum Augustinum libro VI *contra Julianum*, cap. 5 : « Ecclesia, inquit, filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum et a principe mortis erueret. Quod in libro meo, cui velut respondes, a me positum est; sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi et a parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses. » Qua sententia etiam Scultetus sane judicatur exsufflandus.

Vide eumdem Augustinum lib. II *ad Valerium*, cap. 17, sed præcipue cap. 29, ubi exorcizandi et exsufflandi cæremonias docet esse in Ecclesia antiquissimas. « Neque enim, inquit, ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia Dei, parvuli baptizandi exorcizari et exsufflari. » Quasi dicat, sed multis retro sæculis, cum prima origo nisi ex apostolica traditione ostendi possit. Et paulo inferius ibidem post citatum Cyprianum et Ambrosium, sic ait : « Hos iste audeat dicere Manichæos, et antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, et ut dixi, exsufflantur parvuli, ut in regnum Christi a potestate tenebrarum, hoc est, diaboli et angelorum ejus eruti, transferantur. »

Jam de unctione in baptismo multi quoque veterum Patrum meminerunt : e Græcis quidem S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagogica 2 et 3; Chrysostomus homilia 6 *in Epist. ad Colossenses*, et alii; e Latinis autem Tertullianus libro *De baptismo*, cap. 7; Ambrosius lib. I *De sacramentis*, cap. 2; Augustinus serm. 206 *De tempore*, et alii.

Verba Cyrilli : Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω. *Deinde exuti, oleo peruncti estis, exorcizato, a summis capitis capillis usque ad ima.*

Verba Chrysostomi : Ἀλείφεται, ὥσπερ οἱ ἀθλητὰ εἰς στάδιον ἐμβησόμενοι. *Ungitur, ut athletæ stadium ingressuri.* Et paulo post addit, baptizandum aliter, quam olim sacerdotes, ungi; eo quod baptizandus ungatur per totum corpus, illi autem tantum in capite, et aure dextera, et manu.

Tertulliani verba : « Exinde digressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. » Alia testimonia omitto, ut quæ cunctis in promptu.

De sponsoribus autem idem Tertull. libro jam citato capite 18 : « Itaque, inquit, pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malæ indolis falli; » id est cum tanta non sit necessitas accelerandi parvulorum baptismum, et is differri possit, nullo scilicet urgente mortis periculo, quid necesse est eorum sponsores seu susceptores periculo objici, ne cum pro illis spoponderint, fidem non servent, nec eos, ut promiserunt, instituant, curamque salutis ipsorum gerant?

Post baptismi ritus in medio positos et mystice declaratos aggreditur Dionysius capite 3, ad ritus eucharistiæ seu sacrificii. Sunt autem nec multi, nec ab illo ævo alieni : cum et ab aliis, antiquissimis Patribus eorum fiat mentio, ut jam antea usitatorum, non autem ut recentissime usurpatorum. Vixit S. Justinus philosophus et martyr secundo Christi sæculo, et istorum rituum in Apologia ad Antoninum Pium imper. et filios commeminit. Edidi illos Græce et Latine ad ejus Vitam; quare hic omitto.

Sed Scultetum, verbis Dionysii contra ipsum Dionysium et matrem Ecclesiam improbe abutentem, quin suismet ipsum armis confodiam, omittere non possum. Certat enim ille ex eodem cap. 3 libri *De ecclesiastica hierarchia* deducere, Christum non esse vere præsentem in venerabili eucharistia, sed tantum figurate et symbolice, et his utitur verbis : « Quiscunque autem Dionysius iste fuerit, antiquus fuerit necesse est : quod ipsa ecclesiasticæ ordinationis forma docet, in qua illud observatione

Digitized by Google

dignum, quam Ecclesiæ orthodoxæ (sic honorat suam Calvini synagogam minister Calvinisticus) de eucharistia sententiam tuentur hodie, etiam Dionysii hujus ætate, circa controversiam apostolicam fuisse judicatam. »

Dicit ergo Scultetus Dionysium esse antiquum auctorem : nec hoc tantum, sed etiam id, quod de eucharistia docet, citra controversiam esse traditionem apostolicam. Concedo illi utrumque et perlibenter. Verum quod eamdem vult esse suam et Dionysii doctrinam, id sine pugna non conceditur : imo et stat occumbere potius, quam concedere. Quamvis autem nullum hic a tam levibus et plumeis (non enim dicam plumbeis, licet sint absque **569** acumine) telis ac sagittis, velut puerili emissis manu, vel minimi vulneris sit periculum, nedum gravis plagæ aut mortis : tamen ne aliquid sibi effecisse videatur, eorum propalabo vanitatem.

Igitur telum ejus primum, sive argumentum est hoc : *Totam actionem cœnæ sacræ nominat* (Dionysius) ἱερουργίαν συμβολικήν, *sacram actionem symbolicam*, ergo non est ibi præsens Christus.

Respondeo Dionysium in ipso initio capitis tertii *De ecclesiastica hierarchia* agere de appellatione hujus sacramenti, et totius actionis, et dicere, vocare illam κοινωνίαν τε καὶ σύναξιν, *communionem et synaxin*, et quidem ejus appellationis rationem reddere, ac nullis frequentius quam istis in hac materia uti vocabulis ; semel duntaxat, idque extremo illo capite appellare ἱερουργίαν συμβολικήν, *sacram actionem symbolicam ;* quo pacto vocatur omnis actio, quæ non est clara et evidens, sed tecta signis aliquibus, ita ut videri et intelligi absque fide aut signorum explicatione non possit. Quarum actionum aliquæ sunt pure symbolicæ, aliæ mistæ. Puræ symbolicæ sunt, quæ in se non continent id quod significant. Mistæ autem sunt, quæ continent id quod significant. Itaque confectio hujus sacramenti est symbolica mista, continens scilicet id quod significat, sive constans symbolis et signis, sed veritati conjunctis ; veritati, inquam, hoc est, Christo. Illinc et signa ipsa, quæ integrum una cum Christo subtus delitescente sacramentum constant, vocat Dionysius, ipso fatente Sculteto, τὰ ἀμφιέσματα συμβολικῶς τῷ Χριστῷ περικείμενα, *vestimenta symbolice Christo circumposita.* Cedo igitur jam Sculteto : Ista vestimenta in illa sacra actione præsentiane sunt, an non? Præsentia, inquis. Et Christo etiam circumjecta, an non? Jam, inquis, confessus sum. Bene habet. Igitur et Christus est præsens. Nec enim, si præsentia vestimenta cuipiam circumjecta coram spectentur aut circumposita, alteri quam præsenti circumjecta esse possent. Fateri, inquis, necesse est. Quare ergo huic doctrinæ tuis in scriptis contradicis? cur non relicta cœnula tua e solo pane et vino, ad magnam cœnam invitatus accedis? *Homo* enim *quidam fecit cœnam magnam, et invitavit multos.* Verum illud quidem, ais, sed ego uxorem duxi, et propterea non possum venire. Quomodo venire non potes? Ad siccum panem venire potes, ad Agnum non potes? Nescis, quod repletio panis pessima, ejus autem Agni optima, et illius Agni, qui tollit peccata mundi? et illius Agni, qui dicit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [k].

Sed ad Dionysium redeamus, qui non modo per verba superius posita indicat, in illo sacramento præsentem esse Christum, sed etiam per invocationem illius, tanquam ibi præsentis, certum id et exploratum facit. Verba enim ejus sunt hæc : *Sed, o tu divinissimum atque sacrosanctum sacramentum, circumjacentia tibi symbolice ænigmatum velamenta detegens, perspicue nobis ostenditor, et mentis nostræ oculos singulari atque inoperta luce perfundito.* Quæ invocatio, si solus ibi esset panis, sine vita, sine sensu, sine intelligentia (ut Scultetus et Calvinistæ volunt) sane perquam aliena et inconveniens foret : secundum nos autem, qui Christi in eo mysterio præsentiam agnoscimus et docemus, aptissima est et convenientissima. Quæ Christi præsentia etiam sub ejusdem capitis tertii finem confirmatur, ubi Dionysius, postquam egit de divisione ac distributione sacramenti, quæ fit a pontifice, tum ita subdit : Διαγράφει γὰρ ἐν τούτοις, αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τὴν νοητὴν ἡμῶν, ὡς ἐν εἰκόσι, ζωήν. *Describit enim in his, modo quodam sensibili sub aspectum adducens Jesum Christum, spiritualem nostram velut in imaginibus vitam*, etc. Sic superius in descriptione ipsius consecrationis dixerat : Καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων. *Et postquam sacras Dei actiones laudavit pontifex, conficit divinissima, et sub aspectum ducit jam laudata, per sancte proposita symbola*, id est, postquam memoravit quod Dominus in ultima cœna gessit, sive postquam hæc aut similia verba, Christi actionem referentia, pronuntiavit : *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens :* « *Accipite, et manducate ex hoc omnes,* » tum conficit divinissima, id est, consecrat, sive, verba ista consecrationis pronuntiat : « *Hoc est enim corpus meum* [l]. » *Et sub aspectum ducit jam laudata*, id est, hostiam consecratam ostendit populo sive Christum, seu Christi corpus, *per sancte proposita symbola*, id est, per apparentes et externas sacramenti species (nec enim Christus nisi media hostiæ consecratæ albedine conspicitur) spectandum populo exhibet. Et hunc esse sensum, patet ex eo, quod ista subobscurius dicta, ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων, postmodum **570** in ipsa contemplatione seu expositione clarius et brevius explicat istis verbis jam supra positis : Αἰσθητῶς ὑπ' ὄψιν ἄγων Ἰησοῦν τὸν Χριστόν. *Sensibiliter sub aspectum ponens Jesum Christum. Sensibiliter*, id est, per signa sensibus objecta ; sub quibus signis, uti velamentis aut vestimentis, subsistit Christus.

Urget denique Scultetus, panem et vinum vocari a Dionysio σύμβολα, εἰκόνας, et alia ejusdem sortis, sicque nihil aliud quam aerem verberat. Cum autem vult intelligi, nihil in sacramento esse aliud quam panem et vinum, ac pro sua perversa opinione Maximum et Pachymeram citat, improbe profecto ac perfide se gerit, ut clare ostensum venio. Dicit igitur : « Et consentiunt hoc loco fidelissimi interpretes Dionysii (utinam autem eorum sequeretur fidem, quos appellat fidelissimos!) Pachymeras Paraphrastes et Maximus Scholiastes, Græcus uterque. Sic enim Maximus, cap. 3 *Eccles. Hierar.* : Σύμβολα ταῦτα, καὶ οὐκ ἀλήθεια. » Sic ille.

Respondeo, verum esse, illa verba habere S. Maximum, sed longe alio sensu quam velit Scultetus. Nam dicit illa signa, quæ tantum extrinsecus parent, signa esse et non veritatem : quod et nos dicimus. Illa enim quæ extrinsecus parent, signa tantum sunt et non veritas : sed quod sub signis est, veritas est, et non signum : Christi caro est, et non panis ; Christi sanguis est, et non vinum.

Et quia Scultetus canina inverecundia Pachymeræ ausus est mentionem facere, proferam ipsa viri vere catholici verba, quæ habet in mysterio synaxeos proxime ante Θεωρίαν sive Contemplationem. Sunt igitur hæc : Καὶ πολλοὶ μὲν εἰς μόνα

[k] Joan. VI, 54, 55. [l] Matth. XXVI 26.

Digitized by Google

τὰ θεῖα παρακύπτουσι σύμβολα· ἅτε μὴ δυνάμενοι ὑψηλότερόν τι ἐννοῆσαι· αὐτὸς δὲ ἱεράρχης πρὸς ἐκεῖνα τὰ πρωτότυπα, αὐτὸ τὸ τοῦ Κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀνάγεται, πιστεύων ὅτι καὶ τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μετεβλήθησαν, τῷ ἁγίῳ καὶ παντούργῳ Πνεύματι. *Et multi quidem ad sola divina respiciunt signa, tanquam nihil valentes intelligere sublimius; at vero Pontifex ad ipsa prototypa, ipsum Domini pretiosum corpus et sanguinem erigitur, credens ea, quæ proposita sunt, in illa esse transmutata, virtute sancti et omnium opificis Spiritus.* Ecce igitur Pachymeras, diligentissimus ipso teste Sculteto, Dionysii interpres clare et aperte dicit *proposita*, hoc est, panem et vinum, in pretiosum Domini corpus et sanguinem esse transmutata. Quare horum alterutrum fuisse in Sculteto necesse est, aut cæcitatem mentis admirabilem, si ista non vidit; aut impudentiam intolerabilem, si vidit. Quippe qui tam manifeste auctorem contra se facientem pro se citaverit.

Quanta porro illi homini fides habenda sit, vel hinc ejus addiscant discipuli.

Ex eadem cæcitate et furore in Romanam Ecclesiam, post illa sancti Maximi verba : Σημείωσαι, ὅτι οὐ μόνον ὁ ἅγιος ἄρτος κεκαλυμμένος προετίθετο, ἀλλὰ καὶ τὸ θεῖον ποτήριον, ὅπερ νῦν οὐ γίνεται. *Nota, quod non solum sanctus panis obtectus proponebatur, sed et divinum poculum, quod jam non fit :* hæc subjunxit Sculletus : « Cur vero, inquit, Maximi tempore idem non fiebat? Nimirum quia βδέλυγμα Antichristi jam sedem Romanam occupaverat. » Sic ille. Quasi vero res catholicæ in eo consistant, ut vel hoc vel illo modo calix in altari proponatur, obtectus aut non tectus. Quid hoc ad substantiam facit sacramenti? Cæremonias enim, quæ sunt præter substantiam et necessitatem, quis nescit (nisi valde stupidus sit et excors) sine ullo salutis et fidei incommodo non tantum mutari et variari, sed etiam omitti ex pontificum et episcoporum dispositione et prudentia posse? Sed nimirum Sculteto nimis male affecto bilis egerenda erat. Utinam tota egesta sit, et vivat!

Nunc pro corollario in gratiam theologorum ponam in medio, quam variis modis hoc venerabilis sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum efferatur a sancto Dionysio Areopagita, cap. 3 *Ecclesiasticæ hierarchiæ.*

Nomina venerabilis Eucharistiæ apud Dionysium Areopagitam.

Τελετὴ τελετῶν, *sacramentum sacramentorum;* ἁγιωτάτη τελετή, *sanctissimum sacramentum;* θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή, *divinissimum et S. sacramentum;* θεία τῆς συνάξεως τελετή, *divinum synaxeos sacramentum;* σύναξις, *synaxis;* κοινωνία, *communio;* τῶν ἱερῶν κοινωνία, *sacrorum communio;* θεαρχικὴ κοινωνία, *divinissima communio;* θεαρχικὰ μυστήρια, *divinissima mysteria;* θειοτάτη εὐχαριστία, *divinissima eucharistia;* τὰ θειότατα, *divinissima,* absolute.

Ipsa autem actio sacra seu consecratio vocatur ibidem ἡ τῶν θείων ὑπερκόσμιος ἱερουργία, *divinorum supermundana operatio* seu *rei divinæ cœleste sacrificium; et* παναγεστάτη ἱερουργία *longe sanctissimum sacrificium; et* ἱερουργία συμβολική, *sacra actio symbolica,* ut supra exposui. Atque ista de hoc sacramento, ejusque ritibus satis.

571 Proximum illi apud Dionysium jungitur mysterium ritus unguenti, quod media pagella continetur, et meram sapit antiquitatem. Vide illud inter documenta nostra, et dignare eo esse contentus. Nihil enim peculiare video contra objici, præter id quod decima ratione ab Abrahamo Sculteto objectum, atque in ejus caput directe retortum est, ut supra videri potest. Transeo igitur ad caput 5 Dionysii *De sacris ordinibus.* Ritus ergo qui de illis

A a Dionysio traduntur, tam breves, tam simplices et tam concinni sunt, ut aperte clament, atque etiam convincant ab apostolorum se esse temporibus. Episcoporum ibi duntaxat et sacerdotum et diaconorum fit mentio, et horum quidem singulorum ordinum succincta ordinationis forma traditur, quæ hodieque a Græcis catholicis observatur, et in ipsa urbe Roma ac primæ sedis conspectu etiamnum (ut mihi testes oculati narrarunt) usurpatur. Hinc nihil contra productos ibi ritus neque a catholicis neque ab hæreticis immurmuratur. Itaque nulla hic mora. Progredimur ulterius.

Duo nunc tantum restant capita, quorum prius est de monachis, alterum de exsequiis. Et contra has et contra illos armantur hæretici. Pro utrisque igitur pugnandum singillatim.

De monachis tempore S. Dionysii Areopagitæ, qui qualesve fuerint.

B Unde nonnulli scripta S. Dionysii infirmare se posse arbitrati sunt, inde ego illa confirmare, et propria suo auctori facere quam maxime spero. Nam illi errore sane abrepti sunt, rati tales ibi monachos memorari, quales vel olim in silvis et montibus, vel nunc in cœnobiis et monasteriis cerni solent. Non ita res se habet. Magnum inter utrosque est discrimen. Et valde a vero deerravit Josephus Scaliger, cum existimavit Dionysium de eremitis aut cœnobitis, quales Pauli Antoniive sæculo fuerunt, sermonem facere. Unde et aerem verberat, cum hæc scribit in Elencho : « Ante Paulum nullus eremita fuit, nulli κοινόβιοι μονάζοντες in Christianismo. Eos sane non tacuisset, quotquot a Justino martyre viri ecclesiastici ad Cyprianum usque scripserunt. Neque tot examina monachorum potuerunt esse, quin (ut Tertullianus loquitur) aliquam contesserationem cum Ecclesiis atque episcopis haberent. Denique multa de illis apud scriptores ecclesiasticos testimonia exstarent. C At nulla exstant. Et vetustissimus scriptor Tertullianus satis aperit, suo ævo nullos eremicolas fuisse. Non sumus, inquit, silvicolæ et exsules vitæ. Monachatus igitur ignotum vitæ propositum prisco Christianismo. » Ita ille. Quibus ex verbis satis intelligitur, eum confundere eremitas et cœnobitas Antonianos aut similes, cum monachis et therapeutis S. Dionysii, ac proinde valde oscitanter legisse Dionysium, nec discrimen ullum expendisse. Dionysius enim de eremitis et cœnobitis ne γρῦ quidem. De monachorum item examinibus nullam cum episcopis contesserationem habentibus ne verbum. Imo vero docet, monachos populi urbani partem fuisse; docet a sacerdotibus eruditi et consecrari solitos; docet perfectioris vitæ episcoporum, sua pietate ac sanctimonia, æmulatores, exstitisse; docet monachos dictos, non quod soli habitarent, sed quod vitam singularem et curarum terrenarum expertem (qua quidem fieri posset) D unique Deo intentam agitarent; docet dictos etiam θεραπευτὰς ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας, *Therapeutas a puro Dei famulatu et cultu appellatos.* Atqui tales monachi, qui pars populi essent, et inter laicos recenserentur et degerent, qui non tantum episcopis, sed etiam sacerdotibus subessent, qui vel privatim in ædibus suis, vel communiter in collegiis vitam puram et castam ducerent, quibus denique in templo primus inter laicos locus et ordini ecclesiastico proximus esset assignatus (uti ex epistola ad Demophilum liquet), tales, inquam, monachi, neque Antonii tempore, neque post leguntur exstitisse; itaque prius. Atque ex hoc ego fortissimum duco argumentum pro libris Dionysii : quod scilicet illorum meminerit monachorum, de quibus tertio sæculo, et post illud nulla deinceps facta sit mentio; nempe quia primo tantum et secundo istud viguerit institutum. Unde autem sumptum? Certo ex Evangelio et ex aposto-

Digitized by Google

lorum Epistolis : ubi vitæ Christianæ perfectio continetur et commendatur, sive, cum Christus quærenti de vita æterna adolescenti respondit : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me* [m]. Et cum discipulis dixit : *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat* [n]. Sive cum Paulus ad castimoniam adhortans ait : *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est* [o]. Ex illo enim tempore, velut audito perfectioris vitæ classico et apostolica castitatis tuba cunctorum auribus insonante, plurimi ad castimoniam et vitæ puritatem a sæcularium negotiorum tumultu secretam aspiravere. **572** Quam qui externo habitu et professione certam faciebant, monachi vel cultores appellabantur ; alii autem tantum cælibes. Et horum quidem cælibum in utroque sexu non paucorum meminerunt secundi sæculi scriptores, ut notant ad Vitam S. Justini philosophi. Priorum autem, sive monachorum (quia scilicet nihil gentilium intererat, contra quos scribebant, eos nosse vel tales ritus scire) non meminerunt. Nam satis habebant ostendere, Christianos non esse impuros et incestos, quemadmodum ipsi eos criminabantur. Ritus autem consecrandi monachum, ut illo tempore, hic est : Sacerdos ante altare certas precationes pro consecrando, qui post illum rectus stat, ad Deum spargit ; quibus finitis, ad eum, qui consecrandus est, conversus petit, an rebus et curis sæcularibus nuntium remittat ; oportere enim ipsum vitam reliquo populo perfectiorem instituere : quod professum forma crucis signat, tondetque invocata sanctissima Trinitate, et veteri exutum veste, nova induit, salutat, et cum illo alii viri sacri, ac postremo sacra communione donat.

En omnis ritus, propter quem, quasi illo sæculo recentiorem, tantæ scilicet adversus scripta Dionysii turbæ concitandæ sunt. Quid vero unum in his, quæ dicta sunt, assignari potest, quod ab initio non fuerit, aut esse non debuerit ? An non oportuit eos, quibus inter congeneres laicos virtute excellendi studium fuit, quo et aliis prælucerent ac velut faces ad sui imitationem accenderent, aliquo extrinsecus habitu et instituti sui demonstratione distingui ? Nam et propterea variorum temporum ad hanc usque ætatem successu, tot ac tam varii et habitu, et moribus et regulis distincti hominum religiosorum ordines non modo ad Ecclesiæ splendorem atque ornamentum, sed ad ejusdem permagnam quoque utilitatem suscitati sunt. Quod si bonum fuit, aliqua in populo velut luminaria collucere, atque ab aliis distingui ; melius magisque in promptu formari ea distinctio potuit, quam et in attonsione comarum (in quibus præsertim apud Athenienses apud quos primæ et antiquissimæ nobilitatis per implexas crinibus aureas cicadas arrogatæ, signa futilia eminebant) et in pompæ luxusque vestium depositione, ubi fere hominum terrena et caduca sectantium vana se jactat insolentia ? Ritus autem et cæremoniæ, quas Dionysius Athenis natus, et Athenis datus episcopus refert, ibi potissimum aut natæ aut corroboratæ mea quidem sententia videntur. Accepisse enim a Paulo et Hierotheo, qui ibi prædicaverunt, et quos καθηγεμόνας, id est duces suos et præceptores appellat, crediderim. Adde cæremoniam tonsionis sive rasionis e Vetere Testamento, sicut alias nonnullas, videri derivatam ; sed causam et significationem esse eam, quam hic refert in Conemplatione Dionysius hisce verbis : Ἡ δὲ τῶν τριχῶν ἀπόκαρσις ἐμφαίνει τὴν καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον ζωὴν, οὐκ ἐπιπλάστοις σχήμασι τὸ κατὰ νοῦν δυσειδὲς ἐπιθετικῶς καλλωπίζουσαν· ἀλλ' αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς οὐκ ἀνθρωπικοῖς κάλλεσιν, ἀλλ' ἐνταίοις καὶ μοναχοῖς εἰς τὸ θεοειδέστατον ἀναγομένην. *Capillorum autem detonsio puram nec fucatam vitam declarat, non fictitiarum figurarum adjectione deformitatem mentis adornantem, sed ipsam in se ipsa, non humana, sed singulari et unica pulchritudine, ad id quod divinissimum est, adducentem.*

Nota item, de simplici tonsione loqui hic Dionysium, non de tonsura, ut jam loquuntur, clericali aut monachali in coronæ modum, tametsi illa etiam antiqua (unde et antiquitas horumce scriptorum intelligitur) et per verba illa, ἐπιπλάστοις σχήμασι, *fictitiis figuris*, et ἐπιθετικῶς, *adjective*, prorsus videri respicere ad comas Atheniensium, quas adjectis, ut dixi aureis cicadis adornabant. De quibus cicadis ago pluribus in notationibus ad Vitam sancti Hierothei. Ad vestis porro mutationem quod attinet, ex imitatione descendit cæremoniarum baptismatis, uti eodem loco insinuat sanctus Dionysius, dum sic scribit : Ἡ δὲ τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀποβολὴ, καὶ τῆς ἑτέρας λῆψις τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς ἐπὶ τὴν τελεωτέραν μετάταξιν ἐμφαίνει. Καθάπερ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τῆς ἐσθῆτος ἄμειψις ἐδήλου τὴν ἀπὸ καθαιρομένης ζωῆς εἰς θεωρητικὴν καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀναγωγήν. *Prioris autem vestis abjectio et alterius assumptio traductionem significat a media sacra vita ad perfectionem. Quemadmodum in sacra regeneratione vestis mutatio, vitæ, quæ expiabatur, subvectionem ad statum contemplationis et illuminationis demonstrabat.* De tonsione denique monachorum, sive eorum, qui perfectius ac sanctius vivendi genus profiterentur, quod dixi e Vetere Testamento derivatum, habeo mihi patrocinantem Isidorum Hispalensem episcopum, libro *De divinis officiis*, ubi hæc scribit : « Tonsuræ ecclesiasticæ usus a Nazaræis, ni fallor, exortus est, qui prius crine servato, denuo post magnam vitæ continentiam, devotione completa, caput radebant, et capillos in ignem sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ Domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab apostolis introductus est : ut qui divinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est sancti Dei crine præciso innoventur. » Vide ibi plura. Neque viris **573** tantum fuit ille resecandorum crinium mos usitatus, sed etiam feminis, iis nimirum, quæ rebus sæculi nuntium remittentes, sese Deo devoverent, idque primis sæculis, et ante B. Hieronymi tempora. Cujus moris in Syria et in Ægypto usurpati meminit idem Hieronymus epist. 48 ad Sabinianum. « Moris est, inquit, in Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint, et sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum. »

Atque ut ostendamus, magistri et discipuli, hoc est Pauli et Dionysii documenta tam inter se, quam cum Christi ipsius, ut supremi omnium magistri, doctrina concordare, observandum est ex illorum dictis duplicem colligi justorum, etiam laicorum, vitam : unam indivisam et uni Deo adhærentem, a teram divisam et in varia distractam ; et utriusque quamdam velut imaginem in illis Christi verbis repræsentatam : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [p] ; ita ut in Martha designetur vita divisa et sollicita curisque externis distracta, quæ et activa solet appellari ; in Maria autem simplex et indivisa, et uni illi, quod est necessarium, intenta ; et hæc est, quæ caret sollicitudine, et contemplativa dicitur. Ad hanc posteriorem hortatur Paulus, cum dicit : *Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo* [q]. Quibus in verbis illam denuntiat vi-

[m] Matth. xix, 21. [n] Ibid., 12. [o] I Cor. vii, 32, 33. [p] Luc. x, 41. [q] I Cor. vii, 32, 33.

Digitized by Google

tam, quam Dionysius ejus discipulus vocat ἀμέριστον καὶ ἑνιαίαν ζωήν, *individuam et singularem vitam*, eo quod scilicet ad divinam unitatem et Deo gratam perfectionem deducat (ut ibidem declarat) et quasi unum cum Deo faciat. Cum autem subdit idem Paulus : *Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*[1], vitam significat divisam et imperfectiorem, tanquam in multa distractam. Posteaquam igitur plures Pauli consilium secuti sunt viri feminæque, tum distingui eorum ordo, tanquam perfectior, a cæteris laicis, et utrorumque paulatim institui collegia, tam monachorum quam virginum cœpta sunt. Unde et initio secundi sæculi (quo tempore superstes adhuc erat Dionysius) virginum (quod Philippis in Macedonia erat) collegium salutat beatus martyr Ignatius. In epistola enim ad eos missa sic scribit : Ἀσπάζομαι τὸ συστημα τῶν παρθένων. *Saluto collegium virginum.* Et in epistola ad Heronem diaconum, dum salutari jubet Mariam, pudicissimam feminam, et, quæ in domo illius est, Ecclesiam, probabile est eum intelligere cœtum virginum, cujus illa fuerit moderatrix. De illa Maria pluribus ago in notationibus ad epistolam quæ ab Ignatio ad illam missa est. Sicut ergo virginum, ita et monachorum fuisse cœtus seu collegia, minime a vero alienum est, sed in urbibus primum et quæ ab episcopis et presbyteris dependerent, ut e Dionysio patet.

Quare quod Scaliger e Tertulliano contra afferebat, dicente : « Non sumus silvicolæ et exsules vitæ, » nihil adversum nos, nihil adversus Dionysium facit : cum is de monachis intra urbes habitantibus agat. Et tamen, quamvis etiam de monachis in eremo degentibus egisset Dionysius, nihil contra nos propterea Tertulliani locus faceret. Agit enim ille de tota natione Christiana, quam dicit non vitare urbes, non forum, non publicum, non commercia, etc., quod etiam nunc verum est, licet non pauci in eremo et solitudine degant. Sic sanctus Basilius magnus, licet sua ætate permultos sciret esse monachos, seque adeo ex ipsorum aliquando fuisse numero, negat tamen hominem esse animal monasticum, hoc est, ex genere et natura sua solitarium, sed civile et sociale; quemadmodum de Christianis Tertullianus ante dixerat. Basilii verba in regulis fusius disputatis, responsione ad interrogationem tertiam sunt hæc : Τίς οὖν οὐκ οἶδεν, ὅτι ἥμερον καὶ κοινωνικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, καὶ οὐχὶ μοναστικὸν, οὐδ' ἄγριον; *Quis igitur nescit hominem esse animal mite et sociale, ac minime solivagum, minimeque agreste?* Ex quo loco si quis vellet contendere, non fuisse sancti Basilii temporibus monachos, an non merito ridiculus censeretur? Ita et qui e loco Tertulliani. Ejus enim ibi scopus non erat alius, quam ut homines Christianos non esse reipublicæ inutiles comprobaret. Quod ut pateat verba ejus, vel quod elegantia sint, apponam. Sic igitur in Apologetico cap. 42 : « Sed alio quoque injuriarum titulo postulamur, et infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, ejusdem victus, habitus, instructus, ejusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ aut Indorum gymnosophistæ sumus, silvicolæ, et exsules vitæ. Meminimus nos gratiam debere Domino Deo Creatori. Nullum fructum operum ejus repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis, cohabitamus in hoc sæculo. Navigamus et nos vobiscum, **574** et militamus, et rusticamur et mercamur : proinde immiscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio. » Ita ille.

Quæ omnia non modo tunc vera erant, cum longe pauciores, quam postea, essent monachi eremicolæ, sed etiam nunc, cum plurima in silvis et montibus examina sunt monachorum, verissima censeri possunt. Quota enim est ista portio, quæ in silvis est, ad cæteros Christianos? De talibus tamen, ut dixi, non loquitur monachis Dionysius, sed de urbanis et eamdem cum reliquo populo Christiano Ecclesiam sive cœtum celebrantibus. Verum de his abunde; nunc ad exsequias defunctorum, quæ postremo loco inter cæremonias a Dionysio proferuntur.

De cæremoniis circa defunctos.

Non video autem in omnibus, qui circa defunctos fiunt ritibus, quid vel reprehendi, vel non fuisse Dionysii Areopagitæ temporibus, comprobari possit. Cum enim duo sint præcipue in iis ritibus, quæ parum fortasse placeant hæreticis, unctio scilicet, quam corporibus defunctorum adhibere perhibetur pontifex, et pro eorumdem animabus ad Deum deprecatio : facile est ostendere, utrumque suam a temporibus apostolorum antiquitatem vere meritoque arcessere. Nam unctio quidem Judæis et Christianis in Veteri et Novo Testamento quam usitata et pietatis plena fuerit, declarat S. Mariæ Magdalenæ diligentia in comparandis et primo mane afferendis, ad ungendum Christi corpus quod resurrexisse nesciebat, unguentis. Hoc igitur pietatis officium quo esset sanctius, et mysterii significantius (denotat enim, eodem teste Dionysio, eum, qui ungitur, legitime certasse, et certando excessisse) ad episcopos aut sacerdotes translatum est. Jam vero precationum pro defunctis antiquissimam traditionem veterum Patrum, tam Latinorum quam Græcorum; clamant et asseverant testimonia. Tertulliani libro *De corona militis*, cap. 3, ubi inter consuetudines a traditione derivatas etiam hanc ponit : « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. » Cypriani epistola 66, ubi dicit episcopos antecessores suos censuisse, « ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. » Unde et subdit, pro Victore non offerendum, qui hoc fecerat. Sancti Cyrilli Hierosolymitani, catechesi 5 mystagogica, ante medium, ubi refert quorum fiat memoria in sancto sacrificio, et pro quibus offeratur, cujus hæc sunt verba inter alia : Εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων Πατέρων καὶ ἐπισκόπων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων (προσφέρομεν θυσίαν δηλαδὴ), μεγίστην δύησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. *Deinde pro defunctis sanctis patribus et episcopis et pro omnibus simpliciter, qui inter nos ante dormiverunt* (offerimus hostiam), *maximum advenire credentes animabus iis auxilium, pro quibus hæc offertur sancti et maxime horrendi sacrificii propositi deprecatio.*

Unde autem profluxerit, et quam antiqua sit hæc pro defunctis precandi in oblatione sacrificii consuetudo, arbitror equidem non credendum hujus ævi aut proximi sæculi hæreticis, seu Sculteto, seu Kemnitio, seu istius farinæ cuilibet; sed ei potius, qui mille ducentis ante ipsos annis vixit, eoque amplius, sancto, inquam, Joanni Chrysostomo tantæ sanctitatis et eruditionis viro, ut isti vix digni sint ejus lingere vestigia. Illi, inquam, in Pauli Epistolam ad Philippenses ita scribenti credendum est : Οὐκ εἰκῇ ταῦτα ἐνυπετέθη ὑπὸ τῶν ἀποστόλων, τὸ ἐπὶ τῶν φρικτῶν μυστηρίων μνήμην γίνεσθαι τῶν ἀπελθόντων. Ἴσασιν αὐτοῖς πολὺ κέρδος γενόμενον,

[1] I Cor. VII, 32, 33.

Digitized by Google

πολλὴν τὴν ὠφέλειαν. *Non temere hæc ab apostolis constituta sunt, ut in horrendis mysteriis memoria fieret eorum qui vita excesserunt. Quippe qui scirent magnum illis lucrum accedere, magnam utilitatem.* Et rationem ibidem affert, quam illic vide.

Hactenus de cæremoniis a S. Dionysio Areopagita productis (nec enim ille plures habet) satis dictum videtur : et clare quidem ostensum est, nullam e se, quæ non vel ad primum sæculum quo floruit Dionysius, vel ad secundum quo vitam sub Adriano terminavit, referri possit, nec refelli possit. Non vidi porro, nec visurum spero, qui tam clare, tam distincte argumenta nostræ partis, quæ pro Dionysii Areopagitæ scriptis attulimus, solvere possit, quam nos ea solvimus, quæ illi contra projecerunt.

Nam certe sextum argumentum nostræ partis, deductum ex ipsius auctoris, quo de agimus, scriptis, prorsus est insolubile. Produxit autem illud (jam mille fere anni sunt) S. Maximus martyr in suo ad Opera Dionysii Prologo, nec adhuc repertus est factionis adversæ quispiam, qui illi (quod quidem scire potuerim) responderit. Nam adversarii nostri instar militum imbellium, ac de viribus suis diffidentium, hæc relicta arce præcipua, et quam pro inexpugnabili merito judicarunt, ad alia quædam minus valida **575** munimenta se converterunt, quæ tamen ipsi nec quatefacere, nedum evertere potuerunt.

Hic ego finivissem, neque de germanis S. Dionysii scriptis verbum amplius addidissem ; nisi nuper, Insulis Flandriæ cum essem, vir clarissimus dominus Despretz mihi suam inspicienti bibliothecam, librum inter alios unum ostendisset a theologis Wittembergensibus anno Domini 1584 editum, cujus hæc erat inscriptio : « Acta et scripta theologorum Wittembergensium, et patriarchæ Constantinopolitani D. Jeremiæ, quæ utrique ab anno 1576 usque ad annum 1581 de Augustana confessione inter se miserunt, Græce et Latine ab iisdem theologis edita. » In quo libro cum indicasset nonnulla de S. Dionysii scriptis inter partes esse agitata, cepit me cupido ejus libri, qui non valde spissus esset, percurrendi, ac si quid pro nobis aut contra nos faceret disquirendi. Igitur deprehendi, magistros illos Wittembergenses, aliorum hæreticorum more, auctoritatem scriptorum S. Dionysii elevare, sed argumentis vulgaribus et sæpe refutatis ; patriarcham vero Constantinopolitanum permagni eosdem libros facere, et suam de sacramentis doctrinam viriliter inde propugnare. Sic enim ipse in primo suo responso ad Augustanam confessionem cap. 7 scribit : Τὸ δὲ τοῦ θείου μύρου μυστήριον οὐκ ἐμφέρεται μὲν ἐν τῇ θείᾳ Γραφῇ, παραδέδοται δὲ μὴν ὑπὸ τῶν μαθητῶν τοῦ Λόγου· καθὼς ὑπὸ τοῦ θείου Παύλου διδαχθεὶς ὁ ἱερώτατος Διονύσιος ἐν τοῖς ἱεροῖς αὐτοῦ συγγράμμασι παραδέδωκεν· ὃν δὴ ἄνδρα μετὰ τοὺς ἀποστόλους ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία γεραίρει. *Quod ad sacri unguenti mysterium attinet,* inquit, *in divinis quidem Litteris id non exstat, traditum tamen est a discipulis Verbi : sicut qui a divo Paulo institutus est sanctissimus Dionysius, in sacris scriptis suis tradidit ; quem quidem virum proximo secundum apostolos loco Dei Ecclesia veneratur.* Sic ibi.

Idem porro patriarcha pluribus aliis in locis honorificam ejusdem sancti Dionysii et rectæ ejus doctrinæ mentionem facit ; sed animadvertens tandem se surdis canere ; volensque etiam ipse, dum spem profectus nullam videt, receptui canere, sic illos, Wittembergenses theologos, sive e Calvini schola hæreticos affatur. « Unde igitur vos, inquit, rectius et melius vetere novaque Roma sapuistis, ut veterum theologorum scriptis relictis, vestra ista meliora potioraque duceretis? » Per novam Romam intelligit Constantinopolim, cujus erat ipse patriarcha. Sic enim a temporibus Constantini Magni imper. vocata est.

Denique ipsos rogat, ut desinant in posterum super iisdem de religione controversiis sibi negotium facessere : aliis vero in rebus, si velint, amicitiam colere ipsis per se licere. Ita ergo ii, qui sperabant Græcos hujus ætatis pro se suaque secta esse facturos, et adversus sancti Dionysii Areopagitæ scripta ipsis fauturos, adeo spe sua exciderunt, ut ipsimet vel de sua decedere sententia coacti sint, vel deinceps silentium tenere jussi. Postremo tam læva et infausta illis fuit hæc complurium annorum disputatio, atque etiam ipsius disputationis in lucem editio, ut eam ipsi postea in tenebras abdere, et quantum in ipsis fuit, omnia exemplaria supprimere sint conati. Sed quemadmodum in talibus usu venit, nulla tanta potuit adhiberi diligentia, quin aliquid in manus catholicorum emanarit. Nam amicus ille noster et familiaris unum sibi ex illis pretii magnitudine elicuit, nobisque perlibenter commodavit. Verum de sancti Dionysii scriptis (quæ tam a veteribus quam ab hodiernis Græcis approbata illique adjudicata habemus) in præsenti satis : nunc ad tertiam quæstionem accedamus.

—

QUÆSTIO III.

De Timotheo, ad quem scripsit S. Dionysius.

Tertia, quæ ad hanc S. Dionysii Vitam pertinet, quæstio est : An Timotheus, cui hi libri, de quibus superiori quæstione egimus, inscripti sunt, sit celeberrimus ille Timotheus Pauli comes et discipulus, an vero alius quispiam a Baronio aut ab alio quolibet propositus.

Hunc autem esse ipsum B. Pauli discipulum, tenuerunt Græci omnes, itemque Latini fere communiter, usque ad Baronium. Qui quidem Baronius vi unius argumenti, cujus non facile solutionem reperiebat, eo divertendum sibi putavit, ut alium requireret Timotheum quem in his libris affaretur, et cui ipsos dedicaret Dionysius. « Cæterum qui nos compellit, inquit, ut affirmemus auctorem ea scripsisse ad Timotheum Pauli discipulum, episcopum Ephesiorum? Nam germana et ab auctore illa operi *De ecclesiastica hierarchia* proposita est inscriptio : *Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter,* » etc. Sic ipse.

Ratio autem quæ negotium illi facessivit est ista : « In libris illis qui dicat leguntur Timotheo, reperitur una sententia ex epistola S. Ignatii ad Romanos paulo ante martyrium scripta. Atqui cum illa scriberetur epistola (nempe Trajani imp. anno decimo aut undecimo) jam mortuus erat Timotheus Ephesiorum episcopus, ut patet ex epistola ejusdem Ignatii ad Philadelphenses sub idem tempus **576** exarata, ubi illius meminit tanquam e vita egressi. Ergo stare hæc simul non possunt, scriptos esse hos libros a Dionysio Areopagita post mortem Ignatii martyris (quemadmodum citata ejus sententia tendentis ad mortem indicat) et dicatos esse Timotheo qui jam ante Ignatium excesserat. » Recte igitur vidit Baronius, oportere horum esse alterutrum, nempe vel alium requirendum esse Timotheum qui vixisset post Ignatium, vel certe illam Ignatii sententiam non fuisse in Dionysii Operibus, cum ea dedicarentur Timotheo, sed post esse additam. Verum quod ab ipsomet auctore additam dicit, in hoc quidem sane fallitur : nam ab alio quopiam imprudenter et imperite injectam esse vel intrusam, clare et fusæ

Digitized by Google

supra ostensum est. Quæstione II in responsione ad argumentum e Photio.

Aliud porro Baronii argumentum pro altero Timotheo est, quod auctor ipse in exordio commentarii *De ecclesiastica hierarchia* dicat: *Sacerdotii quidem nostri functionem, sanctissime fili Timothee*, etc., ac proinde alium quempiam juniorem Timotheum signare videatur. Quia nimirum Dionysius magnum illum Timotheum, Pauli antiquum comitem et discipulum, non appellaret filium.

Sed hujus argumenti solutio, ut hic repetenda non sit, videri potest supra quæstione II in responsione ad septimam rationem Sculteti.

Denique prorsus tenendum est eumdem esse Timotheum hunc cui libros inscripsit Dionysius, et illum Pauli discipulum, non autem duos diversos. Quod sic probari potest.

Primo. Nomen aliquod pluribus conveniens si absolute ponatur, pro principali significato accipiendum est. Sic apud profanos auctores Cæsar pro Julio Cæsare, Cicero pro M. Tullio oratore, Virgilius pro principe Latinorum poetarum. Sic apud sacros, S. Petrus pro apostolorum coryphæo, S. Paulus pro doctore gentium, S. Ignatius pro Ignatio Theophoro, episcopo et martyre, et de aliis similiter. Quare et Timotheus pro præcipuo Timotheo, Pauli scilicet discipulo. Nec refert quod presbyter appelletur, et non episcopus: nam pro eodem tunc accipiebantur presbyter et episcopus. Sic se quoque appellat ipse Dionysius Athenarum tunc episcopus, in illa ipsa inscriptione, qua librum illi dedicavit: Τῷ συμπρεσβυτέρῳ Τιμοθέῳ Διονύσιος ὁ πρεσβύτερος. *Timotheo sympresbytero Dionysius presbyter.* Et ipse Joannes evangelista scribens ad Electam, tacito episcopi et apostoli nomine, presbyterum se appellat.

Secundo. Ille Timotheus, ad quem scribit Dionysius, interfuit una cum apostolis et S. Hierotheo, et ipso Dionysio, exsequiis sanctissimæ Virginis Deiparæ, ut ipsemet auctor scribit libro *De divinis nominibus*, cap. 3. Quis autem Timotheus illis dignior exsequiis, quam apostoli discipulus et comes, magnus ille Timotheus?

Tertio. Tanti hunc, ad quem scribit, Timotheum Dionysius æstimat, ut illi de scriptis suis judicium committat, et secum ab illo, si quæ occurrerint meliora, communicari petat, imo etiam si in aliquo quidem a veritate aberraverit, ab eodem Timotheo corrigi postulet. Vide supra cap. 23 Vitæ, ubi Dionysio modestia sive animi demissio palam proponitur. Quare non est credibile Dionysium alii quam huic S. Timotheo tantum honoris atque laudis tribuisse.

Quarto. Cum Christiani omnes primo ævo pueri vocarentur, et qui sacra tractarent non tantum pueri, sed παῖδες ἱερoί, *pueri sancti* appellarentur, Dionysius Timotheum compellans cap. 1 *De ecclesiastica hierarchia*, παίδων ἱερῶν ἱερώτατε, inquit, hoc est, *sanctorum puerorum sanctissime.* Quod episcopo convenit.

Quinto. Indicat pluribus locis Dionysius se non aliquem affari inferiorem sacerdotem aut presbyterum, sed episcopum sive pontificem: ut libro *De cœlesti hierarchia*, cap. 9, cum ita eum affatur: Καὶ τοῦτο δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν ὑπομνήσομεν, ὅτι καὶ τῷ Φαραὼ, etc. *Et hoc etiam*, inquit, *tuæ pontificiæ sapientiæ commemorabo, quod et Pharaoni*, etc. Et libro *De ecclesiastica hierarchia*, capite 7, sub finem Contemplationis: Δεῖ δὲ τὴν σὴν ἱεραρχικὴν σύνεσιν μὴ χαλεπαίνειν ἐπὶ τοῖς πεπλανημένοις. *Decet autem tuam pontificiam sapientiam non iis succensere qui in errorem abducti sunt.* Quibus in locis ἱεραρχικὴ σύνεσις, *pontificia sapientia*, nihil sonat aliud quam ἱεράρχην, *pontificem* sive *principem sacrorum.* Est enim loquendi modus a respectu et veneratione magnorum virorum inventus. Quem SS. Patres tam Latini quam A Græci haud sane infrequenter cernuntur usurpare.

Sexto. Item Dionysius epistolam suam quamdam (ea est numero nona) ad Titum pontificem misit, in cujus principio mentionem Timothei facit, indicatque se librum *De divinis nominibus* ad eum scripsisse: jam autem cum nemo dubitet, quin Titus ille pontifex sive episcopus, idem ipse sit qui Pauli comes, et socius, et adjutor fuerit; quis etiam dubitare ausit, quin ille Timotheus, cujus ea in epistola meminit, et cui se explanasse divina nomina et theologiam symbolicam significat, **577** sit ille alter Pauli sodalis et discipulus? Atque adeo, si illi duo Pauli sodales et discipuli una in epistola conjunguntur, eccui dubium relinqui potest, quin et ipse scriptor epistolæ Dionysius, ille sit Dionysius Pauli apostoli tertius discipulus, qui in Areopago conversus est, qui Athenarum creatus episcopus, qui postea Francorum apostolus et fuit et semper est habitus? Illius porro epistolæ initium B est ejusmodi: Ὁ μὲν ἱερὸς Τιμόθεος, ὦ καλὲ Τίτε, οὐκ οἶδα, εἴ τινος τῶν διεγνωσμένων μοι θεολογικῶν συμβόλων ἀπελήλυθεν ἀνήκοος· ἀλλ' ἐν τῇ *Συμβολικῇ θεολογίᾳ* διηνυρινησάμεθα πάσας αὐτῷ τὰς τῶν Λογίων περὶ Θεοῦ δοκούσας εἶναι τοῖς πολλοῖς τερατολογίας. *Sanctus quidem Timotheus, o bone Tite, haud scio an cujusquam theologicorum symbolorum a me expositorum ignarus abscesserit: nam in* Symbolica theologia *cunctas illi sacrarum litterarum de Deo voces, quæ prodigiosæ plerisque videntur esse, enucleavimus*, etc. Cujus epistolæ, et stylus, et materies eumdem clamant esse auctorem tam superiorum librorum, quam harumce epistolarum.

Denique maneat et certum sit Timotheum, de quo his in libris agitur, non esse alium quam Pauli discipulum. Nec sententia illa Ignatii, « Amor meus crucifixus est, » quæ videtur ex ejus ad Romanos epistola desumpta, quidquam obstare potest, C cum clare supra ostensum sit, nunquam a sancto Dionysio in suis libris scriptam esse (quippe quæ neutiquam ibi quadret), sed ab aliquo imprudenter ad marginem libri ascriptam, et imprudentius a nescio quo in ipsum textum immissam esse.

Sed major aliunde exoritur difficultas, nempe ex locis Evangelii S. Joannis, quæ passim in scriptis S. Dionysii reperiuntur: quod Evangelium dicitur scripsisse jam reversus ab exsilio sub Nerva aut Trajano, tunc autem obierat Timotheus, nempe sub Domitiano aut Nerva. Quonam igitur modo ad illum scribens Dionysius verba usurpat illius Evangelii, quod necdum scriptum erat? Loca enim ex Evangelio Joannis sunt, partim libro *de Cœlesti hierarchia*, c. 15, ubi hæc leguntur verba: *Nescis* enim, inquit, *unde veniat, et quo vadat*, quæ verba reperiuntur Joannis III, 8, partim libro *De ecclesiast. hierar.*, cap. 2, ubi hæc habentur: *Si quis enim diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud* D *eum faciemus*; quæ inveniuntur Joannis XIV, 23. Et rursus eodem cap. 2, *Eccles. hierar.*, paulo inferius, hæc verba exstant: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*, quæ Joannis c. I, 12 et 13, totidem fere cernuntur verbis, nisi quod ibi etiam legatur: *neque ex voluntate viri*, quod a Dionysio omissum est.

Præterea cap. 3 ejusdem libri *De ecclesiastica hierarchia*, post medium, citatur locus e Joannis XIII, 10: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Et in libro *De divinis nominibus* multa sunt e S. Joannis Evangelio. Denique idem Dionysius eodem 3 cap. in recensione librorum sacræ Scripturæ, tam Evangelii quam Apocalypseos sancti Joannis meminit hisce verbis: Ἡ τὴν κρυφίαν καὶ μυστικὴν ἐποψίαν τοῦ τῶν μαθητῶν ἀγαπητοῦ καὶ θεσπεσίου, ἢ τὴν ὑπερκόσμιον Ἰησοῦ θεολογίαν τοῖς πρὸς θέωσιν

Digitized by Google

ἐκτεταδείως ὀφηγήσατο. *Aut occultam et mysticam visionem dilecti ac divini discipuli* (id est Apocalypsin) *aut supramundanam Jesu theologiam idoneis ad divinitatem adipiscendam exposuit*, id est Evangelium, quod explicat Christi Jesu cœlestem divinitatem, et ab ea incipit, dicens : *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum.*

Respondeo, verum quidem esse, sanctum Dionysium libris suis *De cœlesti hierarchia* atque etiam *De ecclesiastica*, extremam manum imposuisse post scriptum ab Joanne Evangelium, ut prolata jam modo loca convincunt; at non perinde constare (quod tamen ad argumenti victoriam est necessarium) prius quam illud primo conscriberetur, mortuum fuisse sanctum Timotheum, cum de ejus obitu variæ sint sententiæ, et certa ex omnibus nulla. Nam quidam sub Domitiano, alii sub Nerva, quidam sub Trajano mortuum ferunt. Quare ex incerto id quod longe est certius, confutari non debet. Est autem longe certius libros Dionysii, vivente adhuc Timotheo, scriptos esse, cum in iis ipsum alloquatur Timotheum libro *De divinis nominibus*, cap. 3, et in memoriam reducat quæ facta sint in sanctissimæ Deiparæ exsequiis, quodque ipse Timotheus illis præsens aliquas hymnorum partes in ejusdem Virginis laudem decantatorum retinuerit.

Cum autem, ut probabilissimum, nobis teneatur, S. Timotheum sub Nerva occisum (quod fusius probatum est in Vita S. Polycarpi, cap. 7 *Notationum*), diu autem post usque ad Adriani tempora superstes fuerit Dionysius, dicendum est eum libros suos rudius et imperfectius ab initio scriptos vivente adhuc Timotheo, post autem eo mortuo perfectos et correctos, nonnullis additis ac mutatis edidisse. Quod adeo neque mirum, neque novum videri debet, ut sæpe et ab aliis antiquis Patribus olim sit factum, et hodie a novis scriptoribus non raro fieri animadvertamus **578**. Nam sanctus Justinus philosophus, cum in primordio suæ conversionis brevem tractatum ad Græcos (quem *Elenchum* vocaverat) edidisset; postea eamdem retractans materiam, absolutum opus sub nomine *Παραίνεσις πρὸς Ἕλληνας, Cohortatio ad gentiles*, emisit, ut in ejus Vita notavimus. Tertullianus, item aliquod breve opusculum *adversus Marcionem*, juvenis effuderat; postea vero aliud copiosius elaboravit; quod ipsum cum quidam subreptum in lucem mendosissime emisisset, idem Tertullianus a se repertum emendavit atque auxit; sic enim de illo suo opere scribit libro I *Adversus Marcionem* initio : « Si quid retro, inquit, gestum est nobis adversus Marcionem, jam hinc viderit. Novam rem aggredimur ex vetere. Primum opusculum quasi properatum, pleniore postea compositione rescideram; hanc quoque nondum exemplariis suffectam, furto tunc fratris, dehinc apostatæ, amisi; qui forte descripserat quædam mendosissime, et exhibuit frequentiæ; emendationis necessitas facta est : innovationis ejus occasio aliquid persuasit. » Origenes quoque ea, quæ junior in Canticum canticorum scripserat, ita fuse et accurate natu grandior pertractavit, ut nihil a quoquam eo in genere scriptum sit, quod cum illis in comparationem venire possit. Apollinaris item Laodicenus suum adolescentis *in Osee prophetam* brevem *Commentariolum*, pleniore ac succulentiore commentario ætate provectior commutavit. Idem se fecisse in illum ipsum prophetam sua in præfatione contestatur Hieronymus, nimirum quæ levia et jejuna juvenis scripserat, hæc triginta post annis maturiora exactioraque edidisse. Quid de S. Augustino loquar? qui complures e libris suis rudiores et inabsolutos longo post tempore in manus resumpsit, auxit, expolivit. Quos ne mihi necesse sit omnes commemorare, eo libro comprehensos invenies, quem *Retractationum* in sera ætate composuit.

A Ita igitur et S. Dionysium sua postremis annis retractasse, et aliunde nonnulla præsertimque e B. Joannis Apocalypsi et Evangelio, adjecisse, nobis non sine causa persuademus : quippe qui apostolum illum et Christo in paucis dilectum discipulum plurimi faceret, et divina ejus scripta (quæ in lucem proditura, Deo prædicente, cognoverat) avidissime exspectaret. Ex aliis vero, quæ primæ compositioni enm adjecisse partim rogatu amicorum, partim adversariorum objectu crediderim, duo sunt potissime. Unum quidem cap. 3 *De ecclesiastica hierarchia* in contemplatione seu expositione sacramenti synaxeos, nempe recensio illa librorum sacræ Scripturæ, tam Veteris quam Novi Testamenti, per circumlocutionem fuse explicata, quæ incipit ab illis verbis : Πᾶσα μὲν γὰρ ἱερὰ καὶ ἀγιόγραφος δέλτος, *Omnis quidem sacra Scripturæ liber.* Quam recensionem induxit ex occasione modulationis Psalmorum, quæ adhibetur in sancto sacrificio, B sed præcipue eorum rogatu, qui libros sacræ Scripturæ ab aliis internoscere cupiebant. Nam ea quoque de causa S. Melito secundi sæculi scriptor, catalogum eorumdem librorum contexuit, ut nos in Vita ejus ostendimus. Alterum, quod ob quorumdam objectiones scriptis suis posterius inseruisse illum opinamur, est illa de baptismo puerorum atque infantium, adversus gentilium irrisiones responsio; quæ ad calcem libri *De ecclesiastica hierarchia* reperitur, plane extra locum suum, hoc est, in capite septimo et ultimo; ubi de mysterio exsequiarum agitur, cum proprius ei locus esset in capite secundo, ubi scilicet ex professo tractatur de sacramento illustrationis, sive de baptismo. Sed quod liber ille jam totus ante descriptus esset, quam vel baptismus ille puerorum in frequenti usu esset, vel quam ea objectio menti occurreret, propterea ejus quæstionis tractatio ad extremum illum librum adjecta est. Quin ex ejusdem loci verbis, si C quis attendere voluerit, clare cognoscet Dionysium ea non prius scripsisse, quam Timotheus recepto eodem libro quæstionem illam moverit.

His super hac tertia quæstione jam pertractatis, venit in manus meas Flavii Lucii Dextri Chronicon, et una Francisci Bivarii viri doctissimi in eum Commentarius. Hi prorsus novam inducunt de Timotheo, cui libros suos dedicarit sanctus Dionysius, opinionem. Tenent enim illum Timotheum non esse eum ad quem S. Paulus duas scripserit epistolas, sed esse Eugenium Marcellum S. Dionysii Areopagitæ discipulum (sive illum de quo scripsimus in Vita S. Dionysii, cap. XXI) qui agnominatus fuerit Timotheus. Quam opinionem priusquam refuto, videtur aliquid de illius auctoribus brevissime præmittendum.

Itaque ille Flavius Lucius Dexter est auctor sane antiquus, et S. Hieronymo æqualis, qui etiam ipsum aliquando hortatus est, ut scriptores ecclesiasticos in ordinem digereret, quod et Hieronymus fecit, librumque *De viris illustribus* ipsi D. Dextro dedicavit, ut testatur proœmium *Hortaris Dexter*, etc. Ipse item Dexter Chronicon omnimodæ historiæ conscripsit, quod paucis ante annis in lucem edidit Franciscus Bivarius, **579** aut potius aliquam ejus partem, eam scilicet quæ Hispaniæ Ecclesias attingit; nam fere eo omnia referuntur.

Cum autem fuerint ambo Hispani, tam Dexter, quam Bivarius, ipsi res Hispaniæ ecclesiasticas summa diligentia perquisiverunt et illustrarunt. Quod utinam plures alii in notationibus fecissent, ac res suarum nationum in publicam utilitatem evulgassent! tum et pulcher veritatis candor, et insignis Ecclesiarum sanctimonia, et veræ animarum divitiæ, multo clarius mundo innotescerent. Fatebor equidem nonnulla in eo Chronico ex amore patriæ, ut fit, sive ab auctore ipso, sive postea ab aliis, terræ Hispaniæ attributa esse, quæ videantur aliis nationibus vel æque vel æquius attribui posse

Digitized by Google

et debere; tamen quin opus ipsum sit Dextri (esto aliqua aliunde adjecta sint, aut aliquantulum variata), non video qui possit prudenter a quoquam negari. Quare hoc nobis in Dextro faciendum erit, quod in Hieronymo, Augustino, aliisque Patribus fieri concessum est, nempe ut si quid sit improbabile, refutetur; si quid intrusum, denotetur; alioqui maneant auctoribus opera sua, nec ob paucas alienas opiniones omnia abjudicentur. Facit ergo contra nos apud Dextrum in Chronico ille locus ad annum Christi centesimum, et Romæ octingentesimum quinquagesimum primum, ubi legitur: « Dionysius Areopagita dicat Eugenio Marcello, dicto propter ingenii excellentiam Timotheo, libros *De divinis nominibus*. » Quæ verba, uti jacent, difficulter admitto esse Dextri, propter absurda quæ in illis continentur; magisque existimo ita fuisse a Dextro conscripta: « Dionysius Areopagita dicat Timotheo libros *De divinis nominibus*. Nam certe illa intermedia, Eugenio Marcello, dicto propter ingenii excellentiam Timotheo, » putide, et ad vindicandam Eugenio Toletano episcopo inscriptionis illorum librorum gloriam, videntur injecta. Et quamvis daremus verba illa esse Dextri, tamen minime concederemus dextre ideirco esse dicta. Quid enim minus dextre dici potest, quam illud: *Dicto propter ingenii excellentiam Timotheo?* Nec enim Timotheus ingenii excellentiam sonat, sed *honorem Dei*: est enim τιμὴ *honor*, non autem *ingenium*. Deinde cur alia atque alia M. Marcello agnomina? Si primo *Eugenius*, cur deinde *Timotheus* appellatur? Nam *Timothei* quidem jam dixi non convenire magisque post ostendetur. *Eugenius* autem ubi aut a quo est appellatus? Si Romæ et a patre suo, utpote Romæ præfecto, certe potius *Nobilis* vocatus esset Romano nomine, quam *Eugenius* Græco. Nec dici videtur posse id familiæ Marcellorum fuisse gentilitium nomen, nullis videlicet apparentibus, ubicunque demum quæsieris, ejus rei vestigiis, et (quod plus est) more Romano contra stante. Ac proinde magis credibile fuerit, auctorem illum tres Evangelii in Hispania præcones in unum confudisse, *Marcellum*, *Eugenium*, *Timotheum*. Cunctos enim in Hispania fuisse, habemus partim in ipso Dextro, partim in aliis scriptoribus. In Dextro quidem ad annum Christi 64, his verbis: « S. Paulus ad Hispanias veniens, secum fert Philemonem, Timotheum, aliosque discipulos: » ubi quis dubitare possit quin Timotheum Ephesiorum episcopum intelligat, uti et Philemonem illum ad quem una exstat Pauli Epistola? De Marcello item constat, non tantum e Dextro, qui ad annum Christi 50 scribit, Petrum Christi Vicarium Hispanias adiisse, *multis eum comitantibus, M. Marcello, Eugenio, Apollinari Ravennate*, etc., sed etiam e Methodio in martyrio sancti Dionysii Areopagitæ. *Tunc*, inquit, *S Dionysius Marcellum in Hispaniam misit*. Denique et de Eugenio liquet tam e veteribus monumentis Dionysiani cœnobii apud Parisios, quam ex Actis ejusdem martyris a Stephano Leodiensi episcopo ante multa sæcula, ut in Vita scriptum est, recognitis. Vide ibi caput XXI. Quod vero is Eugenius sit idem qui Marcus Marcellus, nec in illis Actis, nec in monumentis Dionysianis, nec in ipso Eugenii tumulo (cum tamen in tumulis nunquam fere propria omittantur nomina) nec alibi denique, quam in Dextro ullum apparet vestigium. Nam Joannes Mariana, rerum Hispanicarum diligentissimus explorator, libro IV *De rebus Hispaniæ*, cap. 4, cum ad Eugenii Toletani pervenit tempora, fatetur Hispanos nullo alio niti argumento, cur putent Eugenium esse eumdem cum Marcello, aut cum Philippo Marcelli socio, quam quod in antiquis scriptoribus nulla reperiatur Eugenii mentio, et de Philippo et Marcello nesciatur quid gesserint. « Sunt qui putent, inquit, Philippum quemdam a Clemente in Hispaniam episcopum amandatum, aut certe Marcellum, quem Philippo socium Dionysius adjunxit ex Gallia (ut Michael Syngelus est auctor) Eugenium ipsum fuisse, atque hoc quidem nomen ab ingenita nobilitate manasse; alterum autem a parentibus accepisse. Quod cum affirmant, nulla meliori conjectura nituntur, quam quod Eugenii nulla mentio exstet in antiquorum scriptis; Philippus et Marcellus quid rerum in Hispania gesserint, penitus lateat. » Sic ille. Credibile est igitur Dextrum, ubi recensitos **580** reperisset multos sanctorum, qui temporibus apostolorum peragrassent Hispaniam, interque alios M. Marcellum, et Eugenium, et Timotheum; credibile est, inquam, ex causa omissæ distinctionis, eum existimasse unicum esse qui tres erant. Alioqui enim, si a fidelibus (ut vult Bivarius pag. 30) est appellatus *Eugenius*, idque ob generis sui splendorem, quod esset ex familia et domo Neronis; quomodo Christiani ad eum scribentes, non eo nomine illum appellarunt quod ipsi dederant? Nam SS. Nereus et Achilleus ad eum scribentes, nulla *Eugenii* mentione, sic tantum inscripserunt: « Nereus et Achilleus servi Christi Jesu, fratri et condiscipulo Marcello æternam salutem. »

Quibus ille respondens, hanc usurpavit inscriptionem: « Marcellus servus Christi sanctis confessoribus Nereo et Achilleo. »

Ipsas eorum litteras si quis requirat, inveniet tomo III Surii, in *Actis* eorumdem *martyrum*

Ad eumdem Marcellum scripserunt et alii; sed hoc modo: « Eutyches, Victorinus et Maro, servi Domini nostri Jesu Christi Marcello. »

Ita nimirum in Actis Nerei et Achillei et aliorum, perpetuo *Marcellus*, nunquam *Eugenius*, nunquam *Nobilis* appellatur, neque in Græcis neque in Latinis exemplaribus.

Præterea pervetustus Auctor, qui S. Petri apostoli martyrium et sepulturam descripsit (cujus verba referuntur apud Vincentium Bellovacensem in *Speculo historiali*, lib. IX, cap. 25) non aliter quam Marcellum appellat. « Marcellus quidem frater, inquit, statim corpus sanctum propriis manibus de cruce deposuit, et lacte ac vino optimo lotum, et aromatibus conditum, diligentissime sepelivit. Ipsa autem nocte cum ad sepulcrum ejus vigilaret, et ardenti ipsius desiderio fleret (statuerat enim in vita sua non separari a doctoris sui sepultura) stetit ante eum B. Petrus, et ait: Frater Marcelle, non audisti vocem Domini dicentis: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos? Ne ergo quasi mortuum videaris sepelire et flere, sed quasi vivus viventi et gaudenti congaudere, relinque mortuos sepelire mortuos suos, tu autem, ut per me didicisti, vade et annuntia regnum Dei. » Sic ibi. Quæ non est dubium quin de S. Marcello Petri discipulo dicta sint: præsertim cum ipse Dexter ad annum Christi 100 notet, illum peregrinationum S. Petri individuum comitem exstitisse, et ex familia domoque Neronis fuisse; ita ut facile illi fuerit talem magistro suo curare sepulturam.

Deinde nomen *Eugenius* esse proprium, sicut et *Timotheus*, ex eo patet quod ab omnibus, uno excepto Dextro, semper solitarie ponantur, S. Eugenius, S. Timotheus; quod non fieret, si essent appellativa. Quemadmodum S. Ignatius martyr agnominatus est quidem *Theophorus*, sed quod absolute appelletur *Theophorus*, vix reperitur. Et tamen non legimus nomen *Theophori* alteri cuipiam, vel ut nomen vel ut agnomen, adhæsisse, sicut Eugenii et Timothei multis fuerunt nomina propria.

Sed esto, S. Marcellus fuerit agnominatus *Eugenius* (de quo tantum elucidandæ veritatis causa nunc disputo) id ipsum pro nobis facit qui dicimus illum agnominatum esse *Timotheum*. Facilius enim esset credere M. Marcellum fuisse agnominatum *Timotheum*, si non fuisset agnominatus antea *Eugenius*. Quid enim attinebat, post datum illi agnomen Eu-

Digitized by Google

genii, dare etiam postea agnomen *Timothei?* præsertim cum alii plures sub ea tempora nomine isto vocarentur, aut vocati essent *Timothei*. Deinde si S. Dionysius in libri sui inscriptione alium voluisset designare Timotheum, quam illum Pauli notissimum comitem et discipulum, sane addidisset vel nomen ipsum ejus proprium, vel aliquid aliud, quod ambiguitatem appellationis tolleret; vocando autem absolute *Timotheum*, nullum sane alium voluit designare, quam eum qui inter Timotheos appellatos præcipuus fuit, et in ore omnium.

Est et alius locus in eodem Flavio Dextro ad annum Christi 200, et Romæ 971, his verbis: « Exstat quædam epistola, quæ circumfertur ad Marc. Marcellum Toletanum præsulem, quem vocat filium et Timotheum, id est Deo honoratum. Nam alter Timotheus, cum epistola hæc est scripta, jam in vivis esse desierat. »

Quæ verba mihi persuadere non possum esse Dextri, sed potius hominis plani et ignari, qui volens omni modo persuadere, eumdem esse M. Marcellum, et Timotheum illum ad quem scribit Dionysius, putidissime hæc coagmentavit. Adverto autem, aliam hic dari interpretationem nominis Timotheus, quam prius. Dicebat enim prius dictum Timotheum *propter ingenii præstantiam*, cum dicere debuisset, *ob pietatis præstantiam*: nunc Timotheum interpretatur *Deo honoratum*, cum interpretari deberet, *honorandum Deum*. Differunt enim Τιμόθεος et Θεότιμος, cum prius active, posterius passive capiatur. Est enim Θεότιμος *Deo honoratus*, *valde honorandus*, sicut περίτιμος, μεγαλότιμος ἰσότιμος, et alia ejusdem sortis, sive quotiescunque **581** pars τιμος est finis compositi; tum enim tales voces sunt passivæ significationis. Aliter autem et e contrario res habet, cum est initium compositi: tunc enim activam, ut dixi, habent significationem. Unde τιμόπολις Euripidi est is qui honorat civitatem, seu, qui ornamento est civitati, non autem qui ab ea honoratur. Sic σωτίπολις Aristophani, *servator civitatis*. Sic φιλόπολις *amator civitatis*. Et ita de aliis. Itaque alterutrum dicendum est, vel addita hæc esse ad Dextrum, vel Dextrum nescisse litteras; posterius dicere non ausim, igitur prius. Alia, quæ in supra dictis verbis insunt absurda, prætereo. Hoc autem passim toto libro constat, eum Chronici auctorem, seu e libris Hispaniæ ecclesiasticis compilatorem, plus nimio genii suæ addictum, aliena multa in jus suum (si jus dici potest) et in propositas suæ celebrandæ patriæ laudes pertraxisse. Hactenus de Dextro: jam ad solvenda argumenta Francisci ejus commentatoris (quem agnosco virum doctum, et proposito suo defendendi Dextri ingenue solerterque insistentem) accingamur.

Primum erat de S. Timotheo, quem dicit sub Domitiano imp. mortuum. Id nego verum esse. Probavi enim in Notationibus ad Vitam S. Polycarpi, cap. 7, sub Nerva imp. esse mortuum, nempe id attestante B. Polycrate, secundi sæculi scriptore, et ejusdem Ephesinæ Ecclesiæ, cujus fuit ipse Timotheus, pontifice; qui haud dubie ea quæ de Timothei excessu scripsit, ex ipsis illius Ecclesiæ tabulis exscripsit. Nam moris tum fuit Ecclesiis (qui mos hodieque perseverat) episcoporum suorum notare et successiones singulorumque ingressus et obitus, nec annos tantum, sed etiam dies interdum ipsos sacris mandare tabulis. Miror proinde Bivarium trahere Polycratem in suas partes; imo et illud quoque magis demirer, ipsum vocare Polycratem discipulum S. Joannis apostoli, cum inter eos unum fere interfuerit sæculum.

Neque item in eo assentiri Bivario possum, quod Timothei Vitam, quæ exstat apud Metaphrastem, putet esse eam quæ scripta sit a Polycrate, cum valde inter se differant: et ista quidem nonnulla contineat, quæ multis post Polycratem sæculis contigerunt, ac præterea de tempore genereque mortis non prorsus consentiat. Itaque nego S. Timotheum tunc fuisse mortuum cum B. Dionysius libros suos primo composuit; sed tunc tantum, quando illos post S. Joannis ab exsilio reditum, et post scriptum ab eodem Evangelium et Apocalypsim (quæ ipse ardenter desiderabat, ut ejus data ad ipsum epistola declarat) accuratius relegit, et locis illius apostoli et novi evangelistæ, partim velut gemmis quibusdam ornavit, partim velut fortissimis argumentis corroboravit. Nam et hoc frequentissime fieri scimus, ut, si post editionem alicujus operis quidpiam novi vel a pontifice maximo, vel ab aliquo alio præcipuæ auctoritatis viro constituatur, aut in lucem edatur, quo nostra firmari possint, ea perquam avide arripiamus, atque in alteram editionem immittamus.

Neque magnopere nobis curæ est, supersitne adhuc is cui liber primo dicatus fuerit, an jam obierit. Si quis igitur argumentari velit ex eo, verbi gratia, quod in illo citetur statutum aliquod pontificium abhinc tribus duntaxat quatuorve annis editum, non potuisse eum librum vel Baronio vel Toleto, exempli causa, dedicari, qui aliquanto ante fuerint mortui, certe infirmum ac vanum fuerit argumentum: nam prima libri dedicatio, quæ fuit multo ante illud statutum, illo adveniente nihil mutata est. Ita in Dionysii operibus accidit: illis enim aliqua postmodum adjecta sunt, et fortasse etiam variata, sed libri dedicatio eadem mansit, et non variata. Quis porro, si ætate vixisset Dionysii, et libros ante evulgatum Joannis Evangelium edidisset, aliud faceret quam fecit Dionysius? quis, inquam, post Evangelium jam evulgatum impetrare a seipso posset, ut opus suum non retractaret, nec illud, advocatis e novo tanti apostoli Evangelio auxiliis, melius faceret? Alioqui insipiens sane esset et haberetur, si id negligeret. Talis igitur fuisset et haberi debuisset S. Dionysius, si aliter quam fecit, fecisset. Quod vero et usitata fuerit antiquitus librorum retractatio, sit etiam illa M. Tullii in epistolis ad Atticum testificatio. Is enim cum aliquando librum quemdam suum placere eidem Attico intellexisset, eum illi postea misit retractatiorem, et dixit: « Quod te Erotem non sine musculo exspectare dicis, gaudeo eam rem non fefellisse exspectationem tuam. Sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius, et quidem ipsum ἀρχέτυπον creberis locis inculcatum et refectum. » Sic ille lib. XVI *Ad Atticum*, epistola 3. Ita omnino et Dionysius noster fecit. Opuscula sua crebris locis Evangelii et Apocalypseos Joannis inculcata et refecta emisit. Erat enim ante inventam typographiam ea librorum retractatio, ut longe facilior, ita multo frequentior.

Quin ego ipse, nisi typographiæ mea **582** committere statuissem, aut potius si nulla fuisset typographia, multis jam annis Vitam hanc sancti Dionysii et quasdam alias in lucem exire permisissem, quas nunc edo longe retractatiores. Denique ipse Flavius Lucius Dexter omnimodam Historiam suam (ut ipsemet est auctor) primo emisit, et sancto Hieronymo dedicavit non admodum locupletem, postea autem « multis locis, ut ipsemet scribit, auctam locupletatamque » rursum edidit, atque in ea tempus mortis ipsius Hieronymi descripsit, et quædam alia, quæ post ejus mortem acciderunt. Sic autem locupletatam dedicavit alteri, nempe Paulo Orosio, presbytero Tarraconensi. Faciamus igitur (quod fieri potuit, et forte debuit) Dextrum non mutasse epistolam dedicatoriam; an ex eo, quod in isto opere fieret mortis sancti Hieronymi, et aliorum qui post eum fuerunt, mentio, bene sequeretur, illum Hieronymum, cui liber ille dedicatus legeretur, non esse sanctum Hieronymum presbyterum, sed aliquem alium eo nomine esse requirendum? Minime gentium. Cur ergo idem in

Digitized by Google

Dionysio non dicimus, quod in Dextro dici potest? Ecquis enim est, aut fuit, aut erit (seposita Dextri auctoritate) qui audita inscriptione, *Ad Timotheum*, non statim illum intelligat Timotheum, qui absolute et non aliter quam Timotheus appellatus sit? præsertim si argumenta omnia, quæ contra objici possunt, commode diluantur? Atqui et ab aliis ante nos, saltem ex parte, atque a nobis etiam aliquoties et quidem plenius id est factum. Et, quæso, judicet sincerus lector, utrum sit probabilius : Dionysiumne Areopagitam librum suum *De Divinis nominibus* scripsisse anno vitæ suæ centesimo primo aut secundo, an vero aliquanto ante tempore composuisse, seu prima, quod aiunt, manu corpus ipsum libri exarasse (nempe anno ætatis circiter septuagesimo, quo integriores illi vires erant, et quo ipse vivebat et vigebat Timotheus), sed demum anno ætatis plus minus centesimo, id tantum, quod facilius erat, perfecisse, hoc est accepta jam et perfecta utriusque tam Apocalypseos quam Evangelii sancti Joannis historia, locis inde assumptis adauxisse et locupletasse : præsertim cum ipsi fere libros nostros, non minus quam parentes liberos, adamemus ; et cum eorum profectum et perfectionem, magis subinde quam illi, tam diurno quam nocturno studio procuremus. Neque vero omnis ætas, ut liberis gignendis, sic libris edendis est idonea. Hinc recte M. Varro, cum de quiete a scribendo cogitaret, « Annus me, inquiebat, octogesimus admonet, ut vasa colligam. Si enim homo bulla, quanto magis senex? » Quod autem dixi, Franciscum Bivarium in ea esse sententia, ut teneat Dionysium libros suos scripsisse anno ætatis suæ centesimo primo, id probatur ex istis ejus verbis in Commentario ad Dextrum, anno Christi centesimo, pag. 202 : « Ad calcem, inquit, monere necessum est, non ideo hoc anno centesimo egisse Dextrum de libris Dionysii, quasi eo anno scripti sint; constat enim, post centesimum decimum martyrio S. Ignatii celebrem scriptos fuisse ; sed quia semel de Dionysio et Marcello Eugenio sermonem inierat, placuit hoc de illis inserere, præsertim quia non dixit hoc anno id accidisse, sed per hoc tempus, nimirum principio secundi centenarii annorum Christi Domini. » Ex quibus verbis necessario colligitur, Dionysium illos libros scripsisse anno ætatis suæ centesimo primo aut secundo. Nam Dionysius viginti quinque annorum erat tempore passionis Christi (ut ipsemet de se scribit Dionysius in epistola ad Apollophanem) ita ut Christus Dionysium ætate, ut summum, annis novem antecederet; tot enim fere, et non plures, intersunt inter vigesimum quintum Dionysii, et trigesimum tertium aut trigesimum quartum Christi.

Si ergo Dionysius scripsit libros *De divinis nominibus* post annum Christi centesimum decimum, ut vult Bivarius, certe scripsit anno ætatis suæ centesimo secundo : nam annus centesimus undecimus Christi, est Dionysii centesimus secundus. Jam vero cui potest videri probabile, Dionysium libros illos scripsisse anno ætatis suæ centesimo secundo? Ætas illi scilicet librorum fecunda est. Et si librum *De divinis nominibus* scripsit anno ætatis suæ centesimo secundo, librum *De mystica theologia* quoto? nam hunc scripsisse post illum, prorsus liquet ; cum capite tertio libri *De mystica theologia* ita scribat : *In libro autem* De divinis nominibus, *quomodo bonus appelletur* (Deus scilicet) *quomodo ens, quomodo vita, sapientia, virtus, et alia, quæ ad divinorum nominum pertinent intelligentiam, diximus.* In hasce videlicet salebras se indunt, qui unam beati Ignatii martyris sententiam alio, quam oporteat, sensu capiunt, et qui male intrusam esse in Dionysium, non autem a Dionysio scriptam, non intelligunt. Et hæc est, quam idem Bivarius pro secundo adversum nos argumento, velut inexpugnabilem machinam, admovet; de qua mox dicam.

A Prius enim mihi ab illo quiddam concedi volo, quod juste recusare non potest. Nam cum Dexter **583** ad annum Christi centesimum notet Dionysium per hoc tempus dicasse librum *De divinis nominibus* Timotheo : ipse Bivarius illud *per hoc tempus* vult non significare illo restricte anno, sed posse ad undecim annos in tempus posterum protrahi, ita ut idem sit atque si diceret, anno Christi centesimo. Igitur ab illo vicissim peto, ut sicut ipse protrahit ad undecim annos in tempus posterius, ita mihi liceat ad undecim annos in prius retrahere : nimirum, ut *per hoc tempus* significet undecim annis ante Christi centesimum, qui erit Christi octogesimus nonus, et Domitiani sextus, atque ita nihil prorsus obstabit, quin et liber ille *De divinis nominibus* potuerit esse dicatus Timotheo Pauli discipulo, prima scilicet compositione et dedicatione; cum satis constet, longe post (etiam ipsius confessione Bivarii) mortuum esse Timotheum. Nam loca
B Evangelii Joannis et Apocalypseos post libri retractationem esse addita, jam ostendi : nec obstare locum Ignatii, jam ostendam, aut digitum saltem, quod dicitur, ad fontem intendam.

Secundum igitur argumentum Francisci Bivarii est, quod S. Dionysius cap. 4 *De divinis nominibus* citet Ignatium ex Epistola ad Romanos scripta undecimo Trajani anno, Christi autem centesimo decimo vel centesimo undecimo. Cui argumento hic non respondebo, quia prius responsum est. Vide supra quæstionem 11 in responsione ad quartum, et in Commentario nostro ad Ignatii epistolam, atque etiam in Notationibus ad Vitam : illis enim locis clare ostendimus, ex illo Ignatii loco nullum desumi posse contra libros Dionysii argumentum : quandoquidem illam sententiam, « Amor meus crucifixus est, » non scriptam esse a Dionysio (cui nihil potuisset) sed intrusam in Dionysium ab homine sensus illius ignaro, monstratum est.

Quod autem a Bivario affertur de periculo, quod
C sanctorum libris immineat, si liceat aliquid proprio Marte ex illis sine alicujus antiqui codicis testimonio abradere; respondemus, nos proprio Marte non abradere, sed omnino abradendum ratione convincere. Eam, si dignetur ipse legendis nostris, sicut nos suis legendis libenter dedimus, aliquid vacui temporis tribuere, locis jam citatis inveniet.

Alia rursus bina argumenta ex ipsis Dionysii petita libris profert in medium. Primum est, quod cum Dionysius sexcenties, ut ipse ait, alloquens Timotheum, referat ex utraque Pauli ad eum Epistola sententias, nunquam dicat, *ut recte tibi Paulus scripsit*, aut simile quidpiam. Respondeo, aliam librorum qui ad multos spectant, aliam epistolarum quæ singulos tangunt, esse rationem. In libris qui ad omnes diriguntur, non est moris, eum cui librum dedicamus crebro alloqui, imo a plerisque
D omnibus, etsi bona se offerat occasio, tantum in præfatione seu dedicatoria epistola fit : in epistolis autem, quæ ad unum exarantur, id liberalius fit. Quæ igitur Dionysius ad Timotheum scripsit, libri sunt, non epistolæ. Respondeo secundo, salva Francisci Bivarii pace, rare aut nunquam Dionysium citare sententias Pauli ex Epistolis ad Timotheum, tunc scilicet cum alloquitur Timotheum, longe abest ut sexcenties. Et quod dicit citari locum ex 1 ad Timotheum 1, 17 : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili*, etc., valde audacter dicit, cum id non possit in Dionysio ostendere. Sed cum *Rex sæculorum* sit unum e divinis nominibus, illud quoque explicat S. Dionysius, cap. 5, sed nec citato Paulo, nec allatis ejus verbis. Tantum enim sic dicit : Διὸ καὶ βασιλεὺς λέγεται τῶν αἰώνων, ὡς ἐν αὐτῷ, καὶ περὶ αὐτὸν πάντα, τοῦ εἶναι, καὶ ὄντος καὶ ὑφεστηκότος, καὶ οὔτε ἦν, οὔτε ἔσται, οὔτε ἐγένετο, οὔτε γίνεται, οὔτε γενήσεται. *Hinc et rex sæculorum dicitur*, inquit, *quod*

Digitized by Google

omnibus in eo et circa eum existentibus et subsistentibus, ipse neque fuit, neque erit, neque genitus fuit, neque gignitur, neque gignetur; sed unde habetur, inquies, vocatum esse *Regem sæculorum*, nisi ex Paulo? Respondeo, haberi ex libro Tobiæ cap. XIII, 6, ubi Tobias senior sic loquitur : *Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timore et tremore confitemini illi : Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris.* Et ex Joannis Apocalypsi capite XV, 13 : *Justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.* Neque item magis citatur Paulus ad Timotheum in libro *De cœlesti hierarchia* capite secundo, quod tamen dicebat Bivarius. Denique si quis attente Dionysium legat (quem ego ad ejus Vitam conscribendam, et trahenda inde documenta non solum terque quaterque, quod aiunt, volvi et revolvi, sed eo etiam sæpius) nunquam inveniet in iis locis, quæ profert Bivarius debuisse Dionysium Timotheo dicere, *ut recte tibi Paulus scripsit*; nec enim ubi ullatenus congrueret, quandoquidem in illis locis totus sit vel in doctrina, vel in disputatione; et nulla ibi fiat mentio Timothei. Quomodo igitur induceret, *ut recte tibi scripsit?* tales enim allocutiones tum haberent locum, si Dionysius allato Pauli ad Timotheum loco, eum moneret hortaretur ve ad quidpiam præstandum, ut fieri solet in epistolis, aut cohortationibus; quemadmodum et fecisse reperitur **584** beatus martyr Ignatius in epistola sua ad Ephesios, cum citaret Pauli ad eosdem verba : *Et sitis*, inquiebat, *quemadmodum Paulus vobis scripsit* [a], *unum corpus, et unus spiritus; quoniam et vocati estis in una spe fidei.* Si autem Dionysius in epistola ad Demophilum aut ad alios citet Pauli verba ad Timotheum, sane hoc nihil ad rem. Nec enim potest dicere scribens Demophilo, ut tibi, Timothee, recte scripsit Paulus; esset enim inepta apostrophe. Sin scriberet, ut recte ad Timotheum scripsit Paulus, tum id pro nobis faceret, non pro Dextro, neque pro Bivario.

Secundum argumentum est, quod Dionysius Timotheum semper vocet filium, lib. *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 1 : « Sanctissime fili Timothee, » et ad calcem ejusdem libri : « Ista, fili, tam multa, » et lib. *De cœlesti hierarchia* c. 2 : « Tu autem, o fili, » etc., et lib. II *De divinis nominibus*, c. 2, parte 1 : « Nemo autem, inquit Bivarius, sanæ mentis sibi persuadebit, Dionysium filii nomine unquam illum Timotheum vocitasse, qui ipso Dionysio antiquior discipulus, et Ephesinus episcopus erat; quem ita nimirum Paulus, honoraverat, ut sex epistolas sub suo et ipsius simul nomine inscripserit, etc. » Ita Bivarius. Quem quidem hoc loco miror modestiæ (quam alias satis videtur adamare) fines excessisse. Itane vero? tam multi et tanta doctrina viri, qui sane, ut plus non dicam, Bivario in litteris seu sacris seu profanis nihil aut non multum cedunt, tam multi, inquam, et tanti viri, qui sibi persuaserunt et comprobarunt Timotheum in illis locis vocari filium, sanæ mentis non fuerunt? Imo vero valde metuendum est, ne id dictum (tametsi a docto et probo viro dictum) tamen quia non omnibus horis, ut vulgo dicitur, sapimus, non videatur a sana mente dictum : Ecquomodo autem non vidit vir prudens, a multis viris sapientibus et sanctis isti argumento esse responsum? Quomodo etiam morem illum usitatissimum præ oculis non habuit, qui hodieque perseverat, ut admodum senes (talis enim erat judicio Bivarii Dionysius, dum scriberet de divinis nominibus, hoc est centum et duorum annorum) juniores ætate appellent filios, et hi similiter illos appellent patres. Jam autem Timotheus respectu Dionysii erat admodum juvenis, quippe qui Neronis tempore vocetur adolescens, et ad quem scribens Paulus dicat : *Nemo adolescentiam tuam contemnat* [a'] : tum autem Dionysius duplam circiter illius ætatem exegerat.

Secundo, filiorum appellatione censetur discipuli, et patrum nomine magistri. Ita sanctus Dionysius Alexandrinus, cum libros *De natura* inscriptos, Timotheo cuidam dedicaret, eum filii nomine compellavit, uti apud Eusebium Cæsariensem cerni licet libro VI *Historiæ ecclesiasticæ*, cap. 26, editionis Græcæ. Timotheus igitur in philosophia et sæculi disciplina, cujus rudior erat, atque etiam in subtiliore theologia (his enim adversus philosophos fidem nostram oppugnantes opus erat) Dionysium habebat pro magistro; et illum absens per epistolas consulebat. Nec enim parum periculi a philosophis et sæculi sophistis Ecclesiæ imminebat. Hinc et Paulus cautum Colossensibus volens : *Videte*, inquiebat [b], *ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Tertio, cum Timotheus satis esset natura timidus et pusillanimis (quod in notationibus ad cap. 7 Vitæ sancti Polycarpi ex ipsomet Paulo probavimus) non tantum doctore scientiæ, sed etiam magistro virtutis et constantiæ indigebat. Miror autem, Bivarium non didicisse ex Pauli Epistolis, et e sancti Joannis Apocalypsi, qualis fuerit sanctus Timotheus; ut a pueritia quidem pro ingenii modo in sacris versatus litteris (quippe matre Christiana natus) atque etiam insigni pietate et sanctimonia præditus; ita ad res magnas animi interdum nimis pusilli, et duce atque incitatore indigentis. Nam quod utriusque nomine tot Epistolas scripsit Paulus, quodque eum sæpius et impense commendavit, hoc non erat quod magna valeret præ aliis auctoritate Timotheus, sed ut valeret. Nam et sanctus Chrysostomus, in Pauli Epistolis longe omnium oculatissimus, ideo illum conjunxisse sibi in inscriptionibus Timotheum scribit, ut ei auctoritatem conciliaret, quemadmodum videre est in secundæ Epistolæ ad Corinthios commentariis.

Tertium argumentum Bivarii contra nos (quod tamen in adversarios valide repulsum, integram nobis pariet victoriam) est illud, nempe, majoris semper fuisse auctoritatis apud discipulos Timotheum, quam Titum; utpote quem Paulus plus honoraverit. Atqui Dionysius scribens ad Titum non vocat eum filium, multo igitur minus sic debuit vocare Timotheum.

Respondeo, auctoritatem tribus rebus potissime et usitatissime comparari : primo ab ætate; et hoc modo senes majoris sunt auctoritatis quam juvenes : secundo, rerum in nobis sitarum excellentia, ut scientiæ et virtutis et egregiorum facinorum : tertio ex honore et dignitate extrinsecus adveniente. Hic autem honos vel expenditur rerum magnarum **585** commissione, ut gubernatione urbium, administratione provinciarum, ejusque modi aliis : vel familiaritate alicujus et gratia apud magnos. Ego autem censeo et assero, hisce tribus primis modis fuisse Titum majoris auctoritatis quam Timotheum, plusque illum, præsertim intrinsecus, momenti ad auctoritatem habuisse, quam hunc. Primo igitur plus Tito auctoritatis erat ab ætate; quod satis potest e Pauli Epistolis et ex infra dicendis colligi.

Secundo a scientia, prudentia, aliisque virtutibus ad Ecclesiæ gubernationem spectantibus : ut non magnopere egerit magistri commendatione; Paulus autem frequenter ejus auxilio. *Cum venisset autem Troadem*, inquit Paulus [c], *propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum; sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.* Ecce igitur quanto Titi absen-

[a] Cap. IV, v. 4. [a'] I Tim. IV, 12. [b] Cap. IV, v. 8. [c] II Cor. II, 12.

Digitized by Google

tia impedimento fuerit Paulo, quo minus Troade annuntiaret Evangelium, quia videlicet Titus Pauli erat interpres, ut quæ una lingua Paulus, ille loqueretur altera : et si qua Paulus obscuriora et diviniora effatus esset, hic, ut talium intelligens mysteriorum, clare et evidenter efferret. Atque ut Apostolo Titi absentia, magno mœrori, sic præsentia magnæ consolationi fuit. *Nam et cum venissemus*, inquit, *in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra : sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi* [v]. Et paulo inferius [x] : *In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.* Et v. VIII, 6 : *Ita, ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam.* Et quidem quod pluris Titum Apostolus fecerit quam ipsum Lucam evangelistam, inde etiam probatur, quod eodem ipso capite dicat, se mittere cum illo Lucam. Igitur rogat Titum, misit autem Lucam. *Gratias autem Deo*, inquit v. 16, *qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi : quoniam exhortationem quidem suscepit ; sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias : non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*, etc. Et rursus capite XII, 17 : *Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos? Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?* An etiam ex his non patet, quanti Paulus Titum fecerit? Veritus est enim dicere se illum misisse, sed tantum rogasse, aut, ut supra innuit, exhortatum esse ut iret, Corinthum scilicet : Lucam vero non se rogasse dicit, ut iret, sed simpliciter misisse. Deinde si pluris eos facimus, magisque illis confidimus, quibus plura et majora committimus ; commissa est Timotheo Ephesus, sed Creta Tito : nempe illi urbs una, huic autem integra et multis plena urbibus insula. Et ille quidem Ephesi futurus erat sub Joannis evangelistæ umbra : hic vero aliis insulæ episcopis instar umbraculi.

Adde, multo duriores ad fidem recipiendam fuisse Cretenses quam Ephesios. Hinc Paulus amborum magister, diversos sciens illorum populorum mores, huic quidem scribens tantum dicit : *Increpa in omni patientia et doctrina* [y] ; Tito autem [z] : *Increpa illos dure, ut sint sani in fide.* Iis igitur omnibus superior fuit Titus. Fateor proinde plus elaborasse Paulum, ut conciliaret Timotheo auctoritatem, sive scribendo litteras suo et illius nomine, sive alias impense commendando (magis enim indigebat) verum plus est habere a se auctoritatem, quam ab alio accipere. Nec quod duas ad Timotheum litteras scripserit, unicas ad Titum, idcirco pluris illum quam hunc fecit. Nam cum eæ litteræ sint ad instructionem scriptæ, potius indicant (et re vera sic fuit) majori eguisse instructione Timotheum quam Titum ; alioqui enim Silvanus, qui extra Pauli litteras fere est ignotus, et ad quem nihil a Paulo est scriptum, semper tamen Timotheo prælatus ab ipso Paulo legitur : ut II Cor. I, 19 : *Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me et Silvanum et Timotheum, non fuit* est *et* non, *sed* est *in illo fuit.* Et I Thess. I sic habet Pauli inscriptio : *Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium*, etc. Itaque ruit Bivarii fundamentum de majori auctoritate Timothei quam Titi.

Atque ex dictis etiam colligi potest, cur Dionysius Timotheum potius vocaverit filium quam Titum : nec enim Titus tam juvenis tamque egens consilii atque disciplinæ fuit, quam Timotheus. Denique ad Titum unicam seu epistolam seu libellum scripsit Dionysius : qui si unicum etiam librum scripsisset ad Timotheum, nempe illum *De mystica theologia*, nihilo magis inveniremus Timotheum ibi appellatum filium, quam in libro ad Titum. Quare uti in dicto libro *De mystica theologia* Timotheum non vocavit filium, ita nec Titum in alio. Quod si tam multos ad Titum scripsisset quam ad **586** Timotheum, forsitan et illum peræque filium appellasset quam Timotheum.

Jam audienda sunt alia Bivarii verba et fortiter refutanda : nec forte homines nostræ sententiæ suis terrificis deterreat dictis, dum rursus repetit : « Nemo autem sanæ mentis credet, Timotheum illum apostolorum comparem, qui Pauli ad ubera nutritus, et lacte doctrinæ perpetuo, dum ille vixit, edoctus, eo de medio sublato, disciplinæ Dionysii deditum fuisse, ejusque factum discipulum, et vivente quoque apostolo Hierotheum Athenis primum, deinde in Hispania docentem sedulo audivisse. » Sic ille. Age igitur ; demus hoc gratis, nemo sanæ mentis credat, Timotheum Pauli socium et discipulum, illo mortuo deditum fuisse disciplinæ S. Dionysii Areopagitæ : cedo nunc cujus mentis ille futurus sit, aut amentiæ potius, qui credat, Titum S. Pauli interpretem, et Græcæ insulæ episcopum ab eodem Apostolo constitutum, mortuo illo, se dedisse in sequelam, non dico Dionysii (quod ne quidem de Timotheo dicimus, sed tantum a Dionysio nonnulla edoctum esse) sed ejus qui Dionysii fuit discipulus, nempe Eugenii. Igiturne Titus, mortuo Paulo (juxta Dextri et Bivarii sententiam), secutus est Eugenium Dionysii discipulum : et Timotheus non potuit sequi ipsum magistrum Dionysium? Fac vero æquales fuisse Titum et Timotheum (non fuit tamen, ut ostendimus) sed fac fuisse ; utrum jam est minus credibile? Timotheumne secutum esse Dionysium? an Titum secutum esse Dionysii discipulum? Hoc tamen posterius audet Dexter scribere, nec reformidat Bivarius defendere.

Quæ cum faciant, absit tamen a me, ut eos dicam non sanæ mentis, hoc tantum dicam, non satis prudentis et consideratæ fuisse! Verba Dextri ad annum Christi 220 sunt ista : « Titus cognomento Justus, episcopus factus, secutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetania, ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur. » Atqui ille est Eugenius Dionysii discipulus, a Dionysio creatus episcopus, ab eo in Hispaniam missus. Illum ergo secutus est Titus scilicet. Quando autem? fortasse nobis ex Equilino suggeret aliquid Bivarius, unde colligi possit. Sic ergo Bivarius ad dictum Christi annum 220 Commentario 3 : « Petrus, Equilinus episcopus, inquit in cujus opere, velut in totius vetustatis apotheca, immensum mihi thesaurum semper invenio, libro septimo Catalogi, capite 118, dum Vitam sancti Titi, Pauli apostoli discipuli, scribit, illud inter alia narrat, quod Paulus Titum Cretensem episcopum ordinaverit, ipsumque Cretæ dimittens abiit ; post duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo et fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone, corpusque ipsius una cum Luca evangelista sepelivit. » Quando igitur, inquam, Titus Eugenium secutus est ; an statim sepulto Pauli corpore? hoc dici non potest : quia episcopus fuisset secutus simplicem sacerdotem, et necdum episcopum. Nam Eugenius demum sub Clemente a S. Dionysio in urbe Arelatensi factus est episcopus, cum Titus multis ante annis ab ipso Paulo, ut dictum est, creatus esset insulæ Cretæ episcopus. An tum igitur Titus jam senex in episcopatu, et totius Cretæ moderator novum secutus est episcopum? Nemo credet (audeo

[v] II Cor. VII, 5. [x] Vers. 13. [y] II Tim. IV, 2. [z] Cap. I, v. 13.

Digitized by Google

hic dicere) sanæ mentis. Quando igitur tandem? Uno verbo, nunquam. Ita enim plane sentiendum est, nec Timotheum unquam secutum esse Dionysium, nec Titum item Eugenium; indecens enim utrumque, sed tamen hoc posterius magis indecens. Quid igitur de S. Timotheo dicimus? Nihil scilicet aliud, quam in rebus difficilioribus, magisque arduis consuluisse Dionysium, virum maximo ingenio, prudentia, scientia, ac præsertim philosophica et theologica, atque enim ob ætatem et Areopagi nomen, præcipua auctoritate præditum; hunc autem illius et aliorum gratia libros eos, quos habemus in manibus, exarasse. Aliud est enim, aliquid ab altero per epistolas aut libros scriptos discere, aliud, eum sequi tanquam discipulum. Prius de Timotheo et de Tito dicimus (ad utrumque enim scripsit Dionysius) posterius de utroque pernegamus. De Tito tamen secuto Eugenium tanquam discipulum, videntur Dextri verba necessario esse accipienda; quandoquidem eodem modo de utriusque tam Pauli quam Eugenii sequela solent et procedant; dicit enim: « Secutus primo Paulum, mox Eugenium. » Atqui Paulum, ut discipulus et inferior, sequebatur, sic ergo et Eugenium.

Quod si forte tantum virum fuisse velit aliquis Eugenium, ut sequi potuerit eum Titus; eo etiam modo sequetur illud absurdum, quod cadere posse in hominem sanæ mentis non credit Bivarius. Nam si Eugenius fuerit major Tito, fuerit etiam procul dubio saltem æqualis Timotheo. Quod si Eugenius æqualis fuerit Timotheo, non poterit sane Dionysius Eugenium Timotheo æqualem magis filium appellare, quam ipsummet Timotheum. Addam et illud, quod mihi in præsentia succurrit, pro nostra sententia argumentum, Timotheum **587** et Titum fuisse discipulos S. Pauli, cujus fuit et Dionysius; Eugenium autem non sancti Pauli, sed Petri fuisse discipulum et sectatorem, ipsius autem Dionysii exiguo tantum tempore: quare cum certum sit, ipso confitente Bivario, Dionysium scripsisse ad Titum Pauli discipulum, credi quoque pronissimum est, eumdem Dionysium ad alterum ejusdem Pauli discipulum Timotheum illos scripsisse libros qui exstant, præsertim cum in Epistola ad Titum Timothei faciat mentionem. Græce item scripsit Dionysius, non Latine: ex quo longe probabilius fit ad Græcos scripsisse, quam ad Eugenium hominem Romanum, qui et an Græce sciverit, incertum est. Nam totam ætatem suam vel in Italia trivit (utpote Romanus, quod Dexter et Bivarius docent) vel in Gallia, vel in Hispania: de his enim liquet; Græciam autem si aliquando viderit, non liquet. Quamvis enim negare nolim, Græce eum scire potuisse, tamen an sciverit, et ita sciverit, ut libri Græce scripti potuerint ei dedicari, haud equidem scio. Jam autem si quis forte cuipiam restet in re tam comprobata scrupulus, et stans a Bivario, majorem adhuc Tito reputet Timotheum, atque idcirco non magis hunc debuisse filium appellari, quam Titum; auctor ego illi sum, ut illam totius vetustatis apothecam, de qua superius actum est, et in qua immensum sibi thesaurum semper se invenire profitetur Bivarius, ingrediatur, videatque an non talem tantumque ibi faciat Titum Equilinus episcopus, ut vix ei comparari possit Timotheus. Nam eum quidem sane scribit clarissimis ornatum esse parentibus, et retro usque ad Minoa regem Cretæ, ipsius refert genus, itemque admirabili prorsus ac divina vocatione ad Christi agnitionem accessisse memorat; cujus etiam passioni, resurrectioni, ascensioni in cœlum adfuerit, unaque cum discipulis Spiritum sanctum in se corporaliter descendentem receperit.

Quæ si vera sunt, ut credere videtur Bivarius, certe in dubio relinqui non potest, quin Titus et longe senior sit Timotheo, et aliquot item annis grandior ipso Dionysio (cum enim Dionysius tempore passionis fuerit tantum viginti quinque annorum, Titus minimum viginti novem, ex eodem Equilino fuisse colligitur) ut proinde a Dionysio non perinde vocari filius potuerit, quam Timotheus. Qua de re vide Equilinum libro VII Catalogi, capite 108, ubi dicit Titum viginti annos natum, et Homeri carminibus, philosophorumque libris apprime deditum, excepisse de cœlo vocem, quæ commonebat, ista profana studia ipsi deinceps esse relinquenda, et animæ saluti providendum: novem vero post annis eumdem, lecto Isaiæ libro, tam suæ quam aliorum salutis jam cupidiorem, missum ab avunculo suo Cretæ proconsule Hierosolymam, ibique in Christi venisse notitiam. Ea igitur annos viginti novem Titi ante Christi passionem; quos nec Dionysius æquavit, nedum Timotheus.

Ex his, ut opinor, satis fuisse causæ apparet, quamobrem S. Timotheus vocari a B. Dionysio puer aut filius potuerit, et non item Titus: quippe qui utroque fuerit natu major, tam ipso Dionysio, quam Timotheo. Quare cum jam argumentis contra nostram communemque sententiam objectis abunde responsum sit, et hæc tertia quæstio sufficienter, ut mihi quidem videtur, explicata; nunc transibo ad quartam et postremam.

—

QUÆSTIO IV.

De corpore Sancti Dionysii Areopagitæ; utrum illud sit in urbe S. Dionysii prope Lutetiam an Ratisbonæ in Bajoaria.

Haud parvum facit ad nomen et gloriam alicujus sancti, inter claros nobilesque populos de ejus olim decertatum esse hodieque decertari corpore. A pietate enim populorum, et ab æstimatione sanctarum reliquiarum, ejusmodi inter Christianos exoriri solent certamina. Sic igitur inter Francos et Germanos, sive potius, inter duorum celeberrimorum cœnobiorum viros religiosos, unius in urbe S. Dionysii haud procul Parisiis, alterius Ratisbonæ in Bajoaria, olim viguit et nunc viget de sancti Dionysii Areopagitæ sacro corpore non mediocris, contentio. Nam illi se semper possedisse et possidere; hi vero istos olim quidem possedisse, sed nunc se possidere, totis viribus pugnant. Ratisbonenses enim translatum ad se dicunt, tempusque et modum et commoditatem ostendunt, aut certe conantur, quoad possunt, ostendere.

Nam aiunt tempore Arnulphi imper. hoc est sub annum Christi 890, a Gisalberto uno ex imperatoris proceribus (qui specie admissi sacrilegii in cœnobium Sancti Dionysii ex composito relegatus fuerit) devinctis sibi ex amica et liberali consuetudine monachis, ac semel hilari convivio exceptis, vinoque et somno sepultis, sanctum illud corpus clandestine subreptum esse, atque ad imperatorem deportatum: qui imperator illud Ratisbonæ in cœnobio **588** beati Emmerani (quod esse ornatissimum cupiebat) deposuerit. Quin et quadrata quæ-

Digitized by Google

dam saxa ibidem servari ferunt, in quibus hoc epigramma litteris Romanis majusculis inscriptum sit :

DIONYSIUS AREOPAGITA HIC REQUIESCIT, SUB ARNULPHO IMPER. ET OTTONE REGE, SUB EUBULONE ABBATE MONASTERII S. DIONYSII, GISALBERTUS FURATUS EST QUINTO NONAS JULII. FURTO SUBLATUS HUC VENIT PRIDIE NONAS DECEMBRIS, TEMPORE TUTONIS EPISCOPI.

Post quæ verba sic subdit Joannes Aventinus libro quarto suorum Annalium : « Is Gisalbertus procerum locupletissimus fuit : ex composito sacrilegii condemnatur : de industria monasterium divi Dionysii deportatus, libenter a monachis recipitur : cum quibus frequenter bene victatus (nam et habebat quod dabat, et dabat nemo largius) longe gratior factus est. Ubi satis fidei sibi haberi videt, sumptus affatim suppeditans, dubiam cœnam, vinum studiose optimum monachis et contubernalibus omnibus monasterii, regio luxu apparat : in noctem protrahit convivium; illisque omnibus vino somnoque sepultis tum Gisalbertum sacrilegium perpetrasse litteris proditum est. Quin etiam ostenditur diploma datum divi Haimerami mystis a Leone IX pontif. max. qui coram oratoribus Galliæ Reginoburgii, in æde D. Haimerami, in re præsenti scrinia et monumenta universi ejusdem fani perscrutatus litem diremit, sententiam dixit, tantum cœlitem e Gallia furto sublatum, imper. Arnulpho traditum, in Bajoaria Reginoburgii situm esse pronuntiavit. Gallos, nisi mentiri desinant, devovet. Etquid satis est, cui hæc parum sunt? Ego cum pertinacibus digladiari nolim. Nam istis testimoniis non credere, complorata perditaque est impudentia. » Sic ille.

Itaque præcipuum, et quo ut validissimo nituntur, argumentum est, quod exardescente sub annum 1052 ea controversia, tandem ad Leonem IX pontificem hujus litis decisio delata sit, is vero secundum Ratisponenses (apud quos tum ipse erat) judicarit. Nam et diploma ejusdem pontificis proferunt, in quo disertis verbis corpus S. Dionysii illis adjudicatur. Quod cum exstet etiamnum, et a pluribus recitetur (nam et Baronius in suum tomum undecimum *Annalium*, et Severinus Binius in tomum tertium *Conciliorum*, ubi de Leone IX pontifice illis sermo est, retulerunt) operæ pretium non videtur etiam huc inducere (46).

589 Diploma hoc, seu constitutionem, ut vocat Baronius, Leonis IX papæ, in veteribus pontificum Romanorum scriptis Antonii Augustini aliquantum mendosam se reperisse scribit. Fuit ille Antonius Augustinus scriptor Hispanus, et Ilerdensis episcopus vita et doctrina insignis, sed auctor admodum recens, qui undequaque pontificum scripta et constitutiones corrasit. Baronius porro post adductam illam papæ constitutionem vicissim affert, quæ contra afferant Franci ac præsertim Rigordus, antiquus scriptor natione Gothus, regis Francorum chronographus, qui sub Philippo Augusto Francorum rege, et sub ejus filio Ludovico floruit, et de gestis ejusdem Philippi librum edidit. Non dirimit tamen nec discutit litem Baronius, sed tanquam longo in opere fessus, atque ad extrema anhelans, tantum hanc de sancti Dionysii corpore altercationem ei comparat, quæ inter Cassinenses et Floriacenses de beati Benedicti sacro pignore multa intercessit sæcula. Ego vero, qui labores meos, ut in longe minori itinere exercitus, ad enucleandas penitus antiquissimorum sanctorum Vitas proferre longius possum, statui hanc ita controversiam elucidare, ut qui honorare ac venerari tam sanctum **590** ac tam salutiferum pignus velit, cognoscere ex scriptis nostris possit, ubi illud potissimum sibi requirere debeat.

Ac pro Ratisponensibus quidem, præter ea quæ superius in medio sunt posita, et unius forte atque alterius novi scriptoris auctoritatem, nihil admodum reperio quod adjicere possim. At pro Francorum causa permulta occurrunt, quæ aperiendæ et asserendæ veritatis gratia depromere habeam. Cum enim isti fortius pro se nihil attulerint, quam litteras, quas prætendunt, pontificias; valerent eæ profecto permultum, si tales esse constaret, ac non potius fictitiæ aut subreptitiæ a magnis viris haberentur : valerent, si ex archivo Romano emanassent, ibique a Baronio ejus accuratissimo perscrutatore inventæ essent, non autem ab eo desumptæ, quem sit probabile de Ratisponensi officina mutuatum. Nam qui primus omnium illas epistolas in lucem protulit (quod quidem ego post diligentem inquisitionem scire potuerim) fuit Joannes Aventinus scriptor hæreticus, qui centum circiter ante annis scripsit; post illum autem (haud scio tamen an ex illo) Antonius Augustinus, de quo supra; certe ex Antonio Augustino Baronius ut ipsemet fatetur : e Baronio autem, ut pleraque alia sine alio judicio, Severinus Binius, qui et in tomos *Conciliorum*, ut indicavi supra, immisit. Contra illas porro epistolas primo facit, quod narrat Rigordus in libro *De gestis Philippi Augusti*, ad annum ejus quintum, et recitatur quoque a Baronio, tomo XI Annalium, Christi anno 1052, nempe jussam ab Henrico I Francorum rege inspici et aperiri capsam sancti Dionysii, præsentibus regni proceribus, et hoc esse factum anno Domini 1050 inventumque ejusdem sancti corpus præter ossa duo e collo, quæ data fuerant Ecclesiæ Vergiacensi, et unum e brachio, quod Stephanus III pontifex Romam olim asportaverat. Verba Rigordi sunt hæc : « Iste Henricus rex auditis rumoribus, quod in Alemannia, in civitate Ratispona, in abbatia S. Emmerani martyris inventum fuit quoddam corpus, quod dicebant esse Dionysii Areopagitæ, misit nuntios suos ad Henricum imper. cum litteris suis, ut diem elevationis illius protelaret, quousque per certos nuntios, utrum corpus hieromartyris Dionysii Areopagitæ Athenarum archiepiscopi, discipuli apostoli Pauli in Francia, in ecclesia, quam Dagobertus fundaverat, esset, vel non plenissime certificarentur. Quo audito, imperator misit magnos viros et sapientes in Franciam ut plene rei veritatem agnoscerent. Visis nuntiis imperatoris, Henricus rex convocavit archiepiscopos, episcopos et barones totius regni, et cum Odone charissimo fratre suo ad ecclesiam Beatissimi martyris Dionysii misit. Facta autem oratione, allata sunt tria vasa argentea Dionysii, Rustici et Eleutherii coram omni populo, diligentissime sigillata : et aperto vase B. martyris Dionysii, totum corpus ipsius cum capite inventum est, exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in ecclesia Vergiacensi, et osse quodam de brachio, quod Stephanus papa III secum ad Romanam portavit Ecclesiam, et posuit in ecclesia, quæ hodie Schola Græcorum vocatur. Hoc videntes universi populi, cum lacrymis et suspiriis puras manus levantes ad Dominum, Deo et beatæ Mariæ virgini et sanctis martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. Tunc nuntii, qui missi fuerant, ad imperatorem citissime revertentes, super his quæ viderant, et audierant, imperatorem plenissime certificaverunt. Hoc fuit factum tempore Leonis papæ IX, anno Domini ML. »

Sciebant igitur cœnobitæ Dionysiani, quid, et quantum, et quibus datum a se esset e reliquiis S. Dionysii, antequam id diploma pontificium a Ratisponensibus ederetur : nempe minimum ossa tria, unum pontifici, duo ecclesiæ Vergiacensi, et quidem ante annum millesimum quinquagesimum. Quomodo igitur fieri potest, ut fuerit integrum, ex-

(46) Vide *Patrologiæ Latinæ* tom. CLXIII, in Leone IX.

Digitized by Google

cepta unica minima particula manus dextræ, duobus annis post, hoc est anno Domini millesimo quinquagesimo secundo, ut litteræ Ratisponenses præferunt.

Præterea cum ab iisdem cœnobitis Dionysianis ex anno illo Domini 1050 quo visitatæ fuerunt sancti martyris reliquiæ, et aperta coram omni populo sacra theca, sacræ tectæ inventæ; cum, inquam, cœperit illius diei solemnitas quotannis deinceps celebrari, et *Detectio corporis B. Dionysii* appellari (quemadmodum et in hodiernum diem appellatur et celebratur) quomodo pontifex Stephanus (siquidem diploma illud contra illos fecit) non illis eadem opera efficaciter istius festivitatem solemnitatis interdixit? Quomodo nec ullus posteriorum pontificum prohibuit? Nam hodieque ad Nonam Julii eam solemnitatem, nullo vetante, nullo repugnante, celebrant. Quin et Nicolaus II pontifex, Stephani IX jam laudati successor, in bulla, quam tertio pontificatus sui anno edidit, manifeste indicat, sancti Dionysii corpus in illo sæpius nominato ejusdem martyris cœnobio requiescere. Exstat illa bulla apud Jacobum Dublæum libro II *Antiquitatum abbatiæ Sancti Dionysii*, capite 9. Quin et Nicolai II successor Alexander II in sua item bulla data **591** anno quarto sui pontificatus. Indictione IV, idem prorsus indicat hisce verbis: « Quapropter notum facimus præsentibus et futuris omnibus, videlicet regibus et ducibus, principibus et dominatoribus, seu cunctis apostolicæ sedis fidelibus, quod venerabilis abbas Rainerius et monachi monasterii Beati Dionysii martyris, ubi ipse sanctus in corpore requiescit, nostram præsentiam adierunt, supplicitier postulantes, quatenus privilegia eidem monasterio a domino Dagoberto Francorum rege, ipsius loci fundatore concessa, » etc. Vide Dublæum ibidem, cap. 10. Si igitur Stephanus IX sancti Dionysii corpus cœnobitis Dionysianis abjudicasset; qua ratione, amabo, proximi ejus duo successores adjudicarent? denique nullo unquam tempore cessarunt reges Galliæ, ne quidem post illas, ut quidem appellant, Stephani litteras, ad S. Dionysii reliquias, tanquam in illo Dionysiano cœnobio præsentes, adire, et opem a regni sui patrono et tutore exposcere. Hinc anno millesimo centesimo nonagesimo, Philippus Augustus rex Francorum ad Terræ sanctæ recuperationem profecturus, prius ad S. Dionysium, opis impetrandæ gratia, profectus est. De quo, is qui tum vivebat, Rigordus sic scribit: « Ideo Christianissimus rex ante corpora sanctorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii humiliter super pavimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo et beatæ virgini Mariæ et sanctis martyribus et omnibus sanctis se commendavit. Tandem cum lacrymis ab oratione surgens, sportam et baculum peregrinationis de manu Guilielmi Rhemensis archiepiscopi, avunculi sui, apostolicæ sedis legati devotissime accepit. » Deinde anno millesimo centesimo nonagesimo primo, regina ipsa de mariti profectione et protectu sollicita, pari pietate ad eadem sacra pignora oratum una cum regni proceribus accedit; et dum hic regina orat, tum ibi rex Acconem, urbem Palæstinæ munitissimam, obsidet, et se dedere coactam capit. Rem ita narrat idem Rigordus: « Eodem anno, inquit, octavo Kal. Septembris consilio domini G. Rhemensis archiepiscopi, et Adelæ reginæ, et omnium episcoporum, corpora beatissimorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii, cum purissimis vasis argenteis, in quibus diligentissime sigillata continebantur, sunt extracta, et super altare posita, adjunctis ibi aliis corporibus sanctorum in eadem ecclesia quiescentium, ut ibi fideles ad tam sanctum spectaculum convenientes, cum gemitu et suspiriis, pro sancta Terra liberanda, et pro rege Francorum et universo comitatu suo puras manus cum Moyse levantes, ad Dominum preces funderent: quia non in armorum potentia, sed in Christi virtute et miseratione Christiani confidunt; nec in se, sed in Deo virtutem faciunt, superantes populos infideles, et ad nihilum redigentes inimicos crucis Christi. Sequenti vero festo B. Dionysii, aperto vase argenteo, in quo corpus sacratissimi Dionysii martyris continebatur, assistentibus venerabilibus episcopis Silvanectensi et Meldensi, et Adela, Francorum regina, et multis abbatibus et viris religiosis, totum corpus ipsius cum capite, ut prædiximus, est inventum, et universis Dei fidelibus, qui de longinquis partibus, orandi causa, convenerant, devotissime demonstratum. » Vide ibi plura.

Præterea anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, cum Innocentius IV pontifex ob Friderici imp. violentiam, ad S. Ludovicum in Franciam confugisset, idemque Ludovicus eo tempore gravissimum in morbum deposita valetudine incidisset, ipse et serenissima ejus mater Blancha regina ab Odone Sancti Dionysii abbate poposcerunt, uti sacratissima corpora Dionysii, Rustici et Eleutherii, « quorum patrociniis (ut verbis utar Nangii) tota gaudet regio, regni stat potentia, de crypta, in qua quiescebant (quo suis precibus regi sanitatem a Domino impetrarent) sine cunctatione educerent, propalamque collocarent. Rex siquidem post Dominum et sacratissimam Virginem matrem (ut idem loquitur Nangius) in ipsis, utpote in suis et regni sui advocatis et protectoribus, confidentius sperabat: nec immerito. Quid enim posset Dominus B. Dionysio denegare, qui eidem in carcere propter fidem catholicam retruso dixerat: *Dilectio et benignitas quam habes, semper pro quibuscunque petieris, impetrabit.* » Denique, ut breviter comprehendam, quæ pluribus idem auctor persequitur, educta sunt in lucem præsentibus Carolo Noviomensi, et Petro Meldensi episcopis, ac propalam venerationi exposita sanctorum martyrum Dionysii et sociorum corpora; quæ cum solemni in processione et supplicatione populi deportarentur, ex ea statim hora revalescere rex sanctus cœpit, et brevi tam ad incolumitatem et prosperitatem regni, quam ad Terræ sanctæ subsidium (in quod et opes omnes et vitam ipsam ardenter posthac impendit) penitus convalescere. Quis nunc igitur dubitare potest, quin etiam tunc ipsum revera sancti Dionysii sacrum corpus in Francia et in dicto cœnobio esset, atque idem ipsum et non aliud a beato Ludovico et sanctissima ejus matre coleretur?

Secundo. Litterarum Ratisponensium auctoritatem valde infringit Otho Frisingensis, episcopus bonus et antiquus, **592** et fidei veritatisque studiosissimus scriptor, quem merito Bellarminus « insignem nobilitate, pietate et doctrina » prædicat, quippe Henrici IV imperat. nepotem, Henrici V sororium, Conradi regis fratrem uterinum, Friderici I imper. patruum, qui totam hanc nobilitatem, ut monachus fieret Cisterciensis, volens lubens Deo submisit. Christus vero eum primo abbatem, dein episcopum esse volut. Is ergo, licet causæ illi non deessent, quamobrem Ratisponenstibus magis faveret quam Francis (si favori quidem contra veritatem locus esset), nam et Germanus erat, et Leopoldi ducis Bajoariæ, ubi Ratispona est, frater; tamen hanc Ratisponensium fabulam ita perstrinxit, ut irridere eos, non ipsis credere videretur. Ita enim scripsit libro sexto Chronici, cap. 11: « Dilexit vero (Arnolphus) præ cæteris regni sui locis metropolim Bajoariæ Ratisponam. Unde et muros ejus ampliavit, monasteriumque Sancti Emmerani pluribus ornamentis adornavit, ac largis possessionibus locupletavit. Tradunt ibi, scriptumque monstrant, quod prædictus rex sanctum Dionysium a Gallis ad prælatum monasterium transtulerit. Quod utrum ita sit, ipsi viderint. » Ita ille quasi dicat: Ego autem non credo. Nam si credidisset, eodem quo superius sermone

Digitized by Google

utens dixisset, *præcipue sancti Dionysii corpore e Galliis traducto honoravit*, aut certe simili quopiam sermonis genere usus esset. Is autem Otho longe est fide dignior quam aut Aventinus, aut Crantzius, quos quadringentis saltem annis antecessit.

Tertio. Witichindus, qui annis minimum sexcentis eosdem Aventinum et Crantzium scribendo anteivit, et illis litteris Ratisponensibus integro sæculo antiquior fuit; is, inquam, Witichindus libro I *Gestorum Saxonicorum* scribit, Carolum Simplicem Francorum regem, adversus quem sui principes tum rebellaverant, misisse manum sancti Dionysii ad Henricum Saxonicorum regem (nempe anno Domini 920), amicitiæ ejus sibi conciliandæ gratia. Verba ejus sunt hæc : « Quando vero rex Rhenum transiverat ad dilatandum super Lotharios imperium suum, occurrit ei legatus Caroli, et salutato eo verbis humillimis, Dominus meus, inquit, Carolus regia quondam potestate præditus, modo privatus, misit me ad te, demandans quia nihil ei ab inimicis circumvento jucundius, nihil dulcius esse possit, quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, fama virtutum tuarum consolari. Et hoc tibi signum fidei et veritatis transmisit, protulitque de sinu manum pretiosi martyris Dionysii auro gemmisque inclusam. Hoc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui et amoris vicarii, » etc. Vide supra cap. 29, Vitæ ipsius S. Dionysii.

Jam si verum est quod Ratisponenses asseverant, totum se corpus sancti Dionysii accepisse ab Arnulpho rege Bajoariorum, sub annum Domini circiter 890 (nam sub id tempus regnabat), unde habere potuit Carolus Simplex annis triginta post manum illam, quam ad Henricum imper. misit? Si e Francia (inde enim se mittere indicat) ergo non totum corpus, excepta minima manus particula, jam Ratisponæ erat : sin Ratispona habuit, et in Saxoniam transmisit, quomodo centum post annis eoque amplius, hoc est anno 1052 (ut ipsi aiunt Ratisponenses) decerni potuit, integrum apud eos corpus esse? cujus multæ partes in varia loca transportatæ jam erant, manus in Saxoniam, os brachii Romam, alia ossa in Burgundiam, et aliæ alio ejusdem sacri corporis reliquiæ? De quibus vide Antiquitates abbatiæ S. Dionysii in Francia l. I, c. 30.

Quarto. In iisdem Ratisponensium litteris furtum illud, sive potius nefarium sacrilegium, quo ad se translatum Dionysii corpus ferunt (si quidem res vera esset) verbis mollibus et vanis, molestamque consolationem afferentibus, et imperatoria pietate excusatur; cum tamen satis constet, eum longe impiissimum fuisse : quem et impii Herodis morbo ob sua flagitia periisse, cuncti fere scribunt historici. Luithprandus certe vir « ob eruditionem et prudentiam multæ, ut ait Bellarminus, auctoritatis » (is est quem Berengarius imperator legatum misit ad Constantinum imp. Græcum) libro I *Rerum ab Europæ imperatoribus ac regibus gestarum*, ita de Arnulpho per lethale poculum a sensibus alienato scribit : « Credo autem Arnulphum regem justa severi judicis censura hujusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res, dum imperium hujus ubique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur : sacræ virgines vi opprimebantur, conjugatæ violabantur. Neque enim ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros et debacchationes. Sed et mulieres in eodem publice prostituebantur. » Et paulo inferius de morte ejus turpissima sic subjicit : « Profectusque in propria, turpissima valetudine exspiravit. Minutis quippe vermibus, quos pediculos aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem, quod præfati vermes adeo scaturirent, ut nullis medicorum curis minui possent. » Sic ibi. Et nihilominus illæ supra positæ litteræ **593** volunt, ut rex Franciæ congaudeat apostoli sui gloriæ, « qui tam devotum furem sui corporis habuit, auro utique et topazio meliorem. » Idem absurditatem! Et quidem post tanta flagitia et sacrilegia litteris ad posteritatem exarata non erubuit scriptum illud Ratisponense de illo hæc enuntiare : « Qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare. » Baptista item Egnatius libro III *Romanorum principum*, ejusdem Arnulphi scelera et scelerum pœnas ita quam brevissime perstrinxit : « Quia adversus Nortmannos res egregias prime gessit, mox in rapinas, templorumque spoliationes conversus, justa numinum ira plectitur. Nam et prior illum felicitas deseruit et brevi pediculari morbo confectus obiit. » Simillima reperies apud Jacobum Wimphelengium in *Epitome rerum Germanicarum* capite decimo quinto; sic enim scribit : « Arnulphus, septimus a Carolo Magno imperator, primo quidem strenue sumptis armis Nortmannos rebelles perdomuit verum mox in ecclesiasticos sæviens, Dei nutu pediculari morbo, quem Græci φθειρίασιν vocant, brevi consumptus est, relicto filio Ludovico successore. Non invenimus quempiam filios filiorum suorum vidisse, aut feliciter tandem mortuum, qui clerum, qui Ecclesiam, qui Dei ministros persecutus damno vel contumeliis eos affecisset. » Ita ille. Quibus omnibus succinit Jacobus Pino in *Serie Romanorum imperatorum*, his versibus :

Arnulphus subit, egregias qui gessit in ipso.
Auspicio imperii res strenuus; inde rapinas
Sectatus, spoliat templa et donaria divum :
Unde luit pœnas, consumptus Numinis ira
Vermiculis, nonum interea dum clauditur ævum,

id est, exspiravit exeunte nono Christi sæculo, sive sub annum Domini nongentesimum.

Quinto. Quomodo potuit tanti Francorum apostoli corpus, tanta semper cura custoditum, tanta populorum veneratione cultum, tanti a cunctis Francorum regibus æstimatum, aut insciis aut dissimulantibus Sancti Dionysii cœnobitis e crypta sua erui, e monasterio educi, e regno efferri, ut nullus omnino ad quemquam Francorum rapti sui apostoli rumor aut murmur emanaret? nullus verbum unum faceret? Nam fingere, omnes prorsus religiosos illius cœnobii ita vino somnoque fuisse obrutos sepultosque, ut quid domi gereretur, nescirent; ut claves ad tanti subreptionem thesauri vel ultro offerrent, vel a se tolli non persentiscerent, nimis vanum, nimis ridiculum est. Adde vero, quod caput est, extremæ id nequitiæ et improbitatis videri, audere aliquem tantum et tam horrendum sacrilegium attentare; nimirum id quod aliquo in regno tam sacrum, tam religiosum sit, id quod tanto cultu et veneratione celebretur, id quo nihil pretiosius, nihil sanctius inter cunctas ejus gentis reliquias habeatur, justis tam longi temporis successoribus sine causa subfurari.

Quin et hoc fortassis minime contemnendum aliquis judicaverit, totam Ratisponensium de hac ad se translatione fabulam, ortum habere et principium ab hominis nequam et sacrilegi dicto et jurejurando; cui potius creditum sit dicenti illud corpus, quod Ratisponam afferret (si quid tamen attulit) esse corpus sancti Dionysii, quam omnibus simul religiosis Dionysiani cœnobii id sancte pernegantibus, atque apud se esse palam monstrantibus, imo et externis regibus ac principibus id profitentibus. Vide supra caput 27 Vitæ, ubi verba sancti Eduardi regis Anglorum, scripta anno Domini millesimo quinquagesimo nono, laudavi, in quibus dicit, sanctum Dionysium apud Anglos quidem celebris memoriæ nominari, apud Francos autem coli

Digitized by Google

et haberi. Si ergo apud Francos erat anno millesimo quinquagesimo nono, quomodo decerni potuit, anno millesimo quinquagesimo secundo fuisse olim in Germaniam translatum, atque etiamnum esse Ratisponæ? Maneat proinde, ut longe probabilius, dictum S. Dionysii corpus in Francia potius esse, quam uspiam alibi: et hic sit quæstionum finis.

EXCERPTA

EX

MARTINI DELRIO

VINDICIIS AREOPAGITICIS.

594 *Cum pleraque adversariorum argumenta, quæ ad Operum S. Dionysii auctoritatem elevandam objiciunt, fuse satis et accurate a reverendo P. Petro Halloix, quæstione II, quæ est de scriptis S. Dionysii, soluta et refutata sint, ne iisdem repetendis lectori nauseam moveamus, ex* Vindiciis Areopagiticis *R. P Martini Delrio ea duntaxat argumenta et antiquorum testimonia proferemus, ad quæ Halloix compendii causa lectorem remittit: et sane tantum ponderis habent ad hæc Opera S. Dionysii vindicanda, ut nemo prudens amplius de iis dubitare posse videatur.*

EX CAPITE VIII.

Qui factum, ut tot annis hæc Opera Dionysii latuerint.

Id nunc superest ambiguitatis: vix enim quibusdam credibile visum, tot sæculis B. Dionysii Areopagitæ, tam clari et apostolici viri libros occultari potuisse; atque suspectum est, eos tam subito ex adeo diuturnis tenebris et abditis latebris emersisse. Nec nova quæstio est, nec intacta D. Dionysii vindicibus, causas peridoneas reddiderunt. Prima est Suidæ et Anastasii Bibliothecarii, quam his verbis Joannes Saracenus proposuit epist. ad Odonem S. Dionysii abbatem: « Quia catholici obtestatione S. Dionysii erant obstricti, ne imperitæ multitudini, sed solis doctis sua scripta, quasi multorum capacitatem excedentia, revelarent: doctis autem paulatim deficientibus (culpa eorum maxime, ut reor, qui prælationes ecclesiarum suis quibuscunque conferunt, litteratos respuunt) quibus committerent, non habuerunt. Forsitan etiam inde Hieronymus excellentissimum Areopagitam, inter ecclesiasticos scriptores non connumeravit, quia ejus libros, tanquam eminentes, non putavit ad communem notitiam deputatos.» Sic ergo hæc prima causa, caligo et obscuritas scriptionis, quam pauci poterant dispellere, et intelligentia penetrare. Hinc enim nata paucitas describentium et legentium raritas; quam secuta socordia et neglectio contemnentium non intellecta, ut fieri videmus, et Juliano Apostatæ beatus Nazianzenus exprobravit. Semper aliquos fuisse qui libros noverant, ex sequentibus patebit; quare non omnibus, sed plerisque ignoti latuerunt, quod minus mirandum, cum plerisque scriptoribus sciamus accidisse. Porro D. Dionysii obtestatio illa continetur *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 1, in principio et fine; *De divinis nominibus*, cap. 1; *De mystica theologia*, cap. 1.

Ubi nota, S. Dionysium passim Timotheo inculcare, ut solis antistitibus sui similibus hæc scripta communicaret; et tanquam arcana quædam sacra vulgo inaccessa atque intemerata servaret. Quod non mirabitur, quisquis non ignarus est, quam studiose in Ecclesia primitiva sacramentorum et sacrarum cæremoniarum religionisque mysteria, nondum initiatis ac profanis hominibus abscondi soleant, ne pateret sanctum canibus, aut porcis spiritales margaritæ projicerentur [a]. Quare cum Origenes, Eusebius atque S. Hieronymus, scriptorum ecclesiasticorum catalogum texentes, nullam Operum sancti Dionysii mentionem faciant, non inde sequitur, hæc Opera tunc nondum exstitisse, aut ex ignoratione ab ipsis omissa fuisse; quin potius eadem religionis studio siluisse putandi sunt, ne dum ipsorum catalogi ad omnium passim manus devenirent, si in iis horum (quos Ecclesia ipseque Dionysius non secus ac mysteria quæ in ipsis accuratissime explicantur, rudioribus abscondi cupiebat) mentio fieret, curiosis ansa præberetur, ipsos, uti in vetitum semper nitimur, studiosius investigandi, et consequenter tam eos quam sacra mysteria **595** in iis contenta, contra præceptum Domini et mentem Ecclesiæ, profanis et impuris hominibus propalandi.

Hæc autem videtur mihi fuisse ratio verissima et probabilissima, cur in communem scriptorum catalogum olim sancti Dionysii Opera non fuerint recensita. Confirmat hanc opinionem meam epistola Nicolai papæ ad Carolum Calvum, cujus meminit Baronius t. X, anno Christi 878. Cum enim Joannes Scotus Erigena Athenis studuisset, et ibidem, uti curioso erat ingenio, exemplar aliquod Græcum S. Dionysii investigando nactus esset, sua manu clam descriptum secum in Gallias detulit, et a se Latine interpretatum Carolo Calvo dedicavit ac publicavit. Hoc intellecto, Nicolaus pontifex Maximus, quod nimirum sub regis Galliæ patrocinio S. Dionysii Opera, quæ hactenus in Ecclesia tanquam sacrum quoddam κειμήλιον apud sacros antistites asservabantur, publici juris facta essent ægre tulit, uti par est, se inconsulto et minime requisito id factum et ausu temerario tentatum esse, et Carolum regem his verbis admonuit: « Relatum est apostolatui nostro, quod Opus beati Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes Scotus genere, nuper in Latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti, et nostro judicio debuit approbari, » etc. Quibus verbis pontifex maximus haud obscure significat, ista Opera esse S. Dionysii Areopagitæ, neque sine peculiari et expressa pontificis Romani approbatione evulgari debuisse. Haudquaquam sane id regi Galliæ scriptu-

[a] Matth. VII, 6.

Digitized by Google

rus, si Ecclesia, uti cæterorum Patrum opera, ita et hæc ad manus passim omnium devenire voluisset. Unde patet, quam frivolum sit argumentum istud negativum, quo adversarii potissimum nituntur, nimirum : S. Hieronymus, aliique veteres non faciunt mentionem operum S. Dionysii Areopagitæ, ergo sunt supposititia. Licet enim per se argumentum istiusmodi ab auctoritate negata secundum logicos nil concludat; quis non videat, multa magis istud affirmari ex eo, quod tam multæ suppetant rationes, cur prædicti auctores hæc Opera sancti Dionysii in communem catalogum non retulerint?

Aliam quoque causam reddit idem Anastasius Bibliothecarius, cum testatur veram esse Græcorum sententiam, perhibentium, libros Dionysii ab antiquis hæreticis per multa sæcula occultatos esse donec per quemdam Petrum Romanum (ut auctor Maximus) ex Bibliotheca Romanæ Ecclesiæ (quæ fida semper custos fuit exemplarium optimorum) deprompti, in Græciam fuerunt asportati; et sic paulatim vulgo innotuerunt, quos prius pauci Græci noverant, Latini vix ulli. Neque mirandum est, auctorem Græcum Græcis a Latina Ecclesia manifestatum; quia, qui principio Atheniensium, postea Parisiorum fuit episcopus, a B. Petro in Gallias missus; ubi corpus, ibidem et libros suos, martyrio functus, dereliquit, qui Romam e Galliis portati. Auctores qui Corinthiorum quoque episcopum putarunt fuisse, videntur cum altero Dionysio Coriuthio confudisse. Verisimillimam hanc veterum hæreticorum perfidiam mihi faciunt tria. Primo, quia nunc Lutheranos et Calvinistas videmus tanto eosdem niti libros ex hominum manibus eripere, et oblivione sepelire. Secundo, quia libros hosce non invenio ab ullis hæreticis citatos, usque ad tempora Monothelitarum, qui primi his abusi ad suum errorem stabiliendum, ut patet ex concilio Romano sub Martino I et Constantinopolitano in Trullo, tempore Constantini Pogonati imperatoris, de quibus postea. Tertio, quia scribit idem Anastasius sua in Areopagitam Præfatione : « Virum (ut vocat) magnum et apostolicæ vitæ præceptorem, Constantinum philosophum totum hunc codicem B. Dionysii memoriæ commendasse, et quantum utilitatis ejus medulla haberet, solitum auditoribus commendare, et dicere : Quod si sanctos, videlicet priores institutores nostros, qui hæreticos vix', et quodammodo cum fuste decollaverunt, Dionysium contigisset habere, acuto procul dubio gladio eos trucidassent; innuentem profecto hujusmodi dicto, quia quorum os laboriosius, et fortasse tardius, facilius et velocius obmutescere fecissent. » Quod de Arianis etiam Michael Syngelus martyr, in martyris nostri *Encomio* testatus fuit : et de nostri temporis Novantibus testari possunt, quotquot Dionysium legerunt, et eorum hæreses cognoverunt. Ideo nunc isti tam multa mohuntur, ut hunc nobis omni acutiorem gladio divinum sermonem extorqueant : sed, ut dici solet, non est facile clavam Herculi extorquere.

Tertiam causam reddunt Suidas et Pachymerius, petitam a philosophorum (quos hæreticis Tertullianus Patres assignat) ambitione. Hos enim, perspecta librorum Dionysii profunditate et sapientia, præcipue Proclum, pro viribus eos occultasse, et ex illis celebriores sententias usurpasse pro suis, ut ipsi tam præclarorum sermonum auctores haberentur. Idem usu venisse principio Evangelii S. Joannis, magnus Basilius conqueritur. Idem de Dionysii et aliorum veterum libris deplorat Marsilius Ficinus *De religione Christi*, c. 22, sic scribens : « Ego certe reperi præcipua Numenii, Philonis, Plotini, Jamblichi, et Procli mysteria, a Joanne, Paulo, Hierotheo, Dionysio Areopagita accepta fuisse. Quidquid enim de mente divina, angelisque et cæteris ad theologiam spectantibus, magnificum dixerunt, manifeste ab illis usurparunt. »

Idem ab antiquo quodam Græco in Scholiis sancti Maximi ms. Codicis Dionysiani, observationis in morem adnotatum fuisse, animadvertit Lansselius his verbis :

Ἀπὸ Σχολίων τινὸς φιλοπονωτάτου ἀνδρός.

Ἰστέον, ὡς τινες τῶν ἔξω φιλοσόφων, καὶ μάλιστα Πρόκλος, θεωρήμασι πολλάκις τοῦ μακαρίου Διονυσίου κέχρηται, καὶ αὐταῖς δὲ ξηραῖς ταῖς λέξεσι. Καὶ ἔστιν ὑπόνοιαν ἐκ τούτου λαβεῖν, ὡς οἱ ἐν Ἀθήναις παλαιότεροι τῶν φιλοσόφων σφετερισάμενοι τὰς αὐτοῦ πραγματείας, ὡς ἐν τῇ παρούσῃ ἀπομνημονεύει βίβλῳ, ἀπέκρυψαν, ἵνα πατέρες αὐτοὶ ὀφθῶσι τῶν θείων αὐτοῦ λογίων· καὶ κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ νῦν ἀνεφάνη ἡ παροῦσα πραγματεία πρὸς ἔλεγχον τῆς αὐτῶν κενοδοξίας καὶ ῥαδιουργίας. Καὶ ὅτι σύνηθες αὐτοῖς, τὰ ἡμέτερα σφετερίζεσθαι, διδάσκει ὁ θεῖος Βασίλειος εἰς τὸ, *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος*, ἐπ' αὐτῆς τῆς λέξεως οὑτωσὶ λέγων· « Ταῦτα οἶδα, πολλοὺς τῶν ἔξω τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας μεγάλα φρονούντων ἐπὶ σοφίᾳ κοσμικῇ, καὶ θαυμάσαντας, καὶ τοῖς ἑαυτῶν συντάγμασιν ἐγκαταλέξαι τολμήσαντας. Κλέπτης γὰρ ὁ διάβολος, καὶ τὰ ἡμέτερα ἐκφερομυθῶν πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ ὑποφήτας. » Καὶ οὗτος μὲν οὕτως. Τοῦ δὲ Νουμενίου τοῦ Πυθαγορικοῦ προφανῶς λέγοντος· τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων; οὐδεὶς ἀρνήσασθαι δύναται, οὐχ ἡμετέρου, ἀλλὰ τῶν ἐναντίων ὄντος, ὡς μαρτυρεῖ καὶ Εὐσέβιος ὁ τῆς Παλαιστίνων Καισαρείας καθηγησάμενος, ὅτι οὐ νῦν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς Χριστοῦ παρουσίας σύνηθες τοῖς ἔξω σοφίας τὰ ἡμέτερα κλέπτειν.

Ex Scholiis diligentissimi cujusdam viri.

Sciendum, aliquos externos philosophos, et maxime Proclum, sæpe usum fuisse speculationibus B. Dionysii, quinimo meris etiam ipsis dictionibus. Unde ex hoc suspicari liceat, antiquiores Athenis philosophos, hujus opera sibi vindicantes, sicut in præsenti libro commemorat, occultasse, ut ipsi divinorum ejus librorum auctores ac patres viderentur; at divina dispensatione nunc præsens opus demonstratum est, ad ipsorum vanitatem et nequitiam redarguendam. Familiare autem ipsis fuisse, nostra usurpare, divinus docet Basilius in illud : « In principio erat Verbum, » ita super ea dictione disserens : « Hæc novi multos ex iis qui exsortes verbi veritatis in mundana sapientia gloriantur, et admirari, et scriptis suis inserere audere, diabolus enim fur est, et nostratia suis interpretibus per fabellas insusurrat. » Et hic quidem sic. Hæc autem Numenio Pythagorico aperte dicente : Quid enim est Plato, nisi Moyses Attice loquens? nemo negare potest, cum is noster non sit, sed adversariorum, prout etiam testatur Eusebius Cæsareæ Palæstinæ episcopus, quod non tantum modo, sed etiam ante Christi adventum pro more habuerint profani sapientes nostra furari.

EX CAPITE IX.

Argumentum ex ipsis Dionysii libris petitum, ad probandum γνήσια esse Opera.

Nunc *aspice num mage sit nostrum penetrabile telum*, geminum duntaxat, sed bono præmunitum chalybe, et probe amentatum, sumptum ex pharetra rectæ argumentationis, exactum cote Lydia, quam prudentiores critici semper hujusmodi controversiis dirimendis adhibuerunt. Nihil est in opere toto, quod indicet, illud falso ascribi B. Areopagitæ; sed omnia contrarium suadent. Judicium de libri auctore pendet, a stylo, materia, methodo, et aliorum testimoniis. Testimonia sequentibus capitibus proferentur; cætera illa isto capite sunt expendenda. Si stylum aspicis, nihil illo sublimius, nihil antiquitatem et ævum apostolicum, et philosophiæ sacræ energiam æque spirat : nec negant adversarii. Methodus simplex est, et quali priores illi scriptores ecclesiastici utebantur, mysticam theoriam practicæ commiscens, plus artis occultans, quam præseferat. Si materiæ dignitatem,

Digitized by Google

et theologicæ tractationis sublimitatem, profunditatem, mysteria abditissima perpendas; invenies esse doctrinam revelatam, cœlestem, verbis grandibus æqualem, et Pauli discipulo dignissimam. Nam Lutherus, Wittakerus, et Scaliger eam reprehendentes, non magis intellexerunt quam ego Japonicas vel Æthiopicas litteras : phreneticis sunt similes, qui cæteros desipere, se solos sapere arbitrantur, et pronuntiant. Jure optimo Syngelus martyr nostrum nuncupat ἐν θεολόγοις θεοσοφώτατον, ἐν ἱεράρχαις πανιερώτατον, ἐν μάρτυσι λαμπρότατον, et alia hujusmodi, per singulos **597** Dionysii libros discurrens.

Optarem legi disertissimum illud Syngeli *Encomium*, quod unum deberet Novantium petulantiæ et superbiæ retundendæ sufficere. Deinde ipsemet auctor libri, et quis sit, et suum ævum apertissime manifestat, ac se B. Pauli atque Hierothei discipulum profitetur, *De divinis nominibus*, cap. 2 et 3, se funeri B. Mariæ virginis interfuisse scribit, ejusdem lib. cap. 3, item se, Christo patiente, admirabile illud solis deliquium, cum Apollophane sophista, observasse, *epist.* VII *ad Polycarpum*, cujus eclipsis etiam Phlegon, Eusebius, Maximus, Syngelus, et alii meminerunt. A Carpo in Creta exceptum se hospitio tradit, *Epist. ad Demophilum*, cujus Carpi mentio apud Apostolum II Timoth. IV, 13. Timotheum docet suum magistro Paulo condiscipulum fuisse, *De divinis nominibus*, cap. 4. Ejusdem rogatu opus *De ecclesiastica hierarchia*, et alterum *De divinis nominibus* composuit, cap. 2, *De divinis nominibus*. Scribit Epistolas ad B. Joannem evangelistam, prædicens illi liberationem ab exsilio, et mutuum conspectum, *epist.* X *ad Titum* Timothei condiscipulum suumque epist. IX, ad quem etiam B. Paulus scripsit; item ad Polycarpum episcopum Smyrnæorum, cujus ætas patet, quia meminit illius Apollophanis sophistæ, epist. VII. Polycarpi etiam meminit B. Ignatius, et B. Irenæus docet beati Joannis fuisse discipulum. Scribit Cajo therapeutæ epistolas quatuor, quem Cajum B. Lucas nominat Actor. XIX, 29, et ad eum S. Joannes tertiam canonicam Epistolam misit, et forte meminit ejus Paulus ad Rom. XVI, 23. Utitur etiam solis testimoniis illustrium illius sæculi virorum, ut S. Pauli apostoli, et quem Hispanum fuisse nonnulli autumant, Hierothei, locis citatis; et beati Bartholomæi apostoli, *Mysticæ theologiæ* cap. 1, et Justi Joseph, cap. 2 *De divinis nominibus*, cujus fit mentio in Actis cap. I, 23; sancti Ignatii martyris, ut ante dictum; et Clementis philosophi, qui sive fuit Actius Clemens, ad quem scribit Plinius Junior, ut censet Baronius; sive Clemens Romanus papa, ut vult Pachymerius in *Paraphrasi*, constat eum valde doctum fuisse philosophiæ, ex ejus epist. ad Jacobum fratrem Domini; et nihil est quod cogat nos ad Clementem Alexandrinum confugere. Citat itaque Clementem aliquem Stromateo antiquiorem, cap. 5 *De divinis nominibus*. Sed etiam cap. 3 *ecclesiasticæ Hierarchiæ* indicat, suo adhuc tempore solitos in Ecclesia fideles, uno præcinente, omnes subsequentes canere, sine chororum alternatione, quam primus beatus Ignatius Antiochiæ introduxit, et sub Constantino imperat. in omnes Ecclesias fuit ista consuetudo derivata, ut ex Basilio Magno et Socrate historico Gilbertus Genebrardus notavit tom. II Chronographiæ, sæculo I. Sunt et alia hujus generis non pauca eodem spectantia, sed ista veritatis studioso sufficerent.

Quid ad ista redargutor? os hominis! jactat magno hiatu, ista omnia fictitia esse καὶ ὑποβολιμαῖα. Nobis favet præsumptio, et onus probandi in illum transfert, qui temeraria contentione nititur adeo clara testimonia solis suspicionibus infirmare. Gravissime et verissime cardinalis Baronius pronuntiavit : « Indignum ac nefas esse suspicari, tam sublimem, ac excellentem, et mente divinitus illustrata theologum, cœli cardines perambulantem, angelorum choros pervestigantem, Divinitatis thronum adeuntem, et secreta rimantem, ipsum, in quam, tanquam ludionem in scena, superinducta larva ludere, aliumque ab eo qui esset voluisse mendaciter fingere, alias mentiri personas, multaque falsa voluisse componere, quæ ut vera certoque vellet ab omnibus accipi, idque magno gloriæ suæ detrimento. Nam immortalem illam, quam sibi ex suis divinis plane scriptionibus gloriam comparasset, proprio occultato nomine, et alieno superinducto; inaniter prodigere visus esset; quam si, quod decet sapientem dixerimus contempsisse; certe multa mentiri, sapientis non fuit, ejus præsertim, qui cœlestia ac divina pertractans, a levissima quoque opinione mendacii procul debet abhorrere. » Hactenus ille, tot tam evidentes atque prægnantes rationes addacens, atque in unum congerens, ut nemo sanæ mentis amplius refragari debeat.

EX CAPITE X et seqq.

Testimonia Patrum; et primum ex beato Ignatio martyre.

Guillielmus Budæus, sui temporis Ἑλληνικῆς σοφίας diligentissimus, oræ exemplaris Græci Dionysii Areopagitæ, multa Patrum testimonia ascripserat, quibus inducebatur ut germana hæc sancti patris opuscula censeret; quæ loca nobis Guillelmus Morellius in Græcis typographus Regius, editione Parisiensi anno M. D. LXII exhibuit, quo tempore puer illis operam litteris dabam. Cogor hic illa nunc repetere, ut clarius appareat pertinacia adversariorum; sed addam illis alia multa. Cæterum Budæana testimonia quædam aperta sunt, quædam obscuriora; quæ ultima in sequentibus comprehendam. **598** Dividam enim probationum ex testimoniis agmen in multos velut manipulos testium, propter eorum multitudinem. Hæc testimoniorum probatio semper visa fuit orthodoxis sufficere, etiam in fidei quæstionibus decidendis; quas semper in conciliis videmus terminari majorum traditione, et catholicorum Patrum sententia. Hac ego nitor, et pluris facio quovis novitio acumine. Venio ad rem.

Budæus primo nitebatur nonnihil obscura, sed verisimili ex beati Ignatii scriptis conjectura, item ex scriptis Nazianzeni, Hieronymi et Chrysostomi. Volebat ex hoc opere quædam desumpsisse beatum Ignatium martyrem epistola ad Trallianos, cum scribit : « Etenim tametsi vinctus sim, et intelligere possim τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς ἀγγελικὰς τάξεις, καὶ τὰς τῶν ἀρχαγγέλων, καὶ στρατιῶν ἐξαλλαγὰς, δυνάμεών τε καὶ κυριοτήτων διαφορὰς, θρόνων τε καὶ ἐξουσιῶν παραλλαγὰς, αἰώνων δὲ μεγαλότητας, τῶν τε χερουβὶμ καὶ σεραφὶμ τὰς ὑπεροχὰς, τοῦ τε Πνεύματος τὴν ὑψηλότητα, καὶ τοῦ Κυρίου τὴν βασιλείαν, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἀπαράθετον, » etc., quibus verbis appareat, non tantum ad tradita a B. Dionysio allusisse, sed et jam ipsum loquendi modum observasse. Nam *res supercœlestes, et angelicos ordines, et archangelorum et exercituum differentias, virtutum et dominationum discrimina, thronorum et potestatum distantias, sæculorum vero magnificentias, seraphim et cherubim excellentias*, describsit Cœlestis Hierarchiæ cap. 7; *Spiritus sublimitatem, Domini regnum, et præter omnia omnipotentis Dei incomparabilitatem* divine proposuit libro *De divinis nominibus*, cap. 12. Ex quibus duo colligo, priore loco blasphemum fuisse Lutherum, qui non veritus dicere, de his scribentem Dionysium fuisse delirum senem, et merum somniatorem, cum tamen videamus eadem omnia a beato Ignatio confirmari : posterius vero, hanc temporis apostolici doctrinam fuisse, sensum et loquendi modum; et, cum Ignatius tantum ea per-

Digitized by Google

strinxerit, quæ Dionysius tam fuse explicavit, non hunc ab illo sumpsisse, sed ab hoc potius mutatum illum debere judicari.

Testimonia ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo et Chrysostomo.

Ex his etiam arguebat Budæus. arbitratus divum Hieronymum libro II *Adversus Jovinianum*, seriem angelicorum ordinum ex Dionysio nostro accepisse, his verbis : « Quare in regno cœlorum archangeli sunt, angeli, throni, dominationes, potestates, cherubim, et seraphim, et omne nomen quod nominatur, non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro? Sine causa diversitas nominum est, ubi non est diversitas meritorum. Archangelus utique aliorum minorum angelorum est archangelus : et potestates, et dominationes habent alia per quæ exerceant potestatem, et in quæ subjecta dominentur. » Si dicas, ex ipsomet Paulo mutuatum Hieronymum ; quoad nomina facile assentiar, non quoad illam subordinationem quam addidit, et propter quam subdit : « Hoc in cœlis est, hoc in mysterio Dei, ne nos solito more irrideas atque subsannes, si imperatores posuerimus, et præfectos, et comites, et tribunos, et centuriones, et manipulos, et reliquum militiæ ordinem. » Non arbitror alio respexisse, quam ad tradita et uberrime explicata a beato Dionysio toto libro *De cœlesti hierarchia*, præsertim cap. 6.

Sanctus Gregorius Theologus lib. Εἰς τὰ γενέθλια, in hanc sententiam scripsit : « Et ita quidem Sancta sanctorum, quæ a seraphim conteguntur, et glorificantur tribus sanctificationibus quæ in unam dominationem atque deitatem coeunt : quemadmodum alius quispiam majorum et pulcherrime philosophatus est, et sublimissime. » Quis iste? non Isaias, non enim vocaret « alium quempiam majorum. » Nicetas in Admotat. de B. Athanasio accepit ; sed neque hunc vix defunctum videtur sic appellaturus. Verisimilior est Budæi sententia, volentis significari beatum Dionysium Areopagitam, qui merito sic vocetur, et pulcherrime ac sublimissime de his fuit philosophatus *Cœlestis Hierar.*, cap. 7. Sane Gregorium Nazianzenum fuisse non modo assiduum lectorem, sed imitatorem studiosum nostri Dionysii voluit vir optimus et doctissimus Billius Prunæus, abbas S. Michaelis, lib. 1 *Observation. sacrar.*, cap. 23, cui Græcarum litterarum gustum, credo, quivis concedet.

Certe propter sublimitatem scriptorum istorum, B. Chrysostomus in ultimo *Sermonum* suorum libro (sic eum citat Anastasius Bibliothecarius in epist. ad Carolum regem) Chrysostomus, inquam, vocavit nostrum Dionysium πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, *volucrem cæli*, eo quod *penna haud metuente solvi*, adusque thronum Divinitatis, supra cherubim et seraphim se, divinæ gratiæ favonio sublatus, sustulerit.

Testimonia ex Origene et Dionysio Alexandrino.

Inter opera Origenis Adamantii tomo II exstant aliquot orationes in varia Novi Testamenti loca. Earum prima scribitur : « *In ipso enim*, ut os loquitur **599** divinum, *vivimus, movemur et sumus* [b]; et, ut ait magnus Dionysius Areopagita, esse omnium est superessentia et divinitas. Locum habes apud nostrum *De cœlesti hierarchia*, cap. 4 : Τὸ γὰρ εἶναι πάντων ἐστὶν ἡ ὑπὲρ τὸ εἶναι θεότης. Si quis neget hanc Origenis homiliam esse, antiquissimi sane scriptoris esse non negare potest, cum eam pro Origeniana Rufinus, vel quis alius ex Græco verterit. Potuit recentior interpres, ut scimus non raro factum, aliqua Origeni de suo addidisse; nam in ea mentio fit Arianorum, qui Origene sunt juniores : saltem erit alicujus anonymi Patris antiqui.

[b] Act. XVII, 28.

Eodem ferme quo Origenes vixit tempore, beatus Dionysius Alexandrinus floruit, juxta nonnullos Origenis auditor : hunc in ista Dionysii Areopagitæ opuscula scripsisse scholia, testantur Anastasius Sinaita patriarcha Antiochenus, in libro quem vocat Ὁδηγόν, et Maximus martyr in cap. 5 *Cœlestis hierarchiæ* : « Unde refelluntur, qui Dionysio Alexandrino hæc opuscula tribuere conati. » Sed cur Eusebius horum Dionysii Alexandrini scholiorum non meminit? Secutus institutum suum, ne vel sic Areopagitæ libros indicaret. Mala mens se prodidit quia tacuit Alexandrini Dionysii scripta, in quibus Arius tot annis ante damnationis præjudicio multabatur; contra diligenter meminit illorum scriptorum, in quibus contra Sabellium acriter disputans visus fuit qui quibusdam catholicis Arianismo favere, non malitia, sed incauto in adversarium fervore, ut eum accusat Magnus Basilius epistola 41 ad Maximum philosophum, quæ incipit : « Animorum imagines. » Habueruut ergo Dionysius Alexandrinus, et qui illum secuti Anastasius et Maximus hos libros pro Areopagiticis. Nam si Alexandrinus Dionysius illos habuisset pro libris Dionysii Corinthii, Anastasius et Maximus id minime reticuissent : nunc satis indicant quod dixi. Inter Dionysium quoque Alexandrinum, et Dionysium Corinthium, non intercesserunt centum anni, ut non sit verisimile in hujus libros illum scholia composuisse. Cesset itaque suspicio de Dionysio Corinthio auctore, quem S. Dei martyrem, incredibile est sic voluisse sub larva Christi Ecclesiam ludificari. Quamvis autem Dionysii Corinthii forent opera, censerentur antiquitate plus quam mille et quadringentorum annorum : sed non sunt ejus, ut dixi. Denique Eusebius et Hilduinus testantur, Dionysium Corinthium in epistola ad Athenienses nostri Dionysii mentionem fecisse cui veritus fuisset ascribere, de quibus tum facile revinceretur.

Ex B. Cyrillo Alexandrino, et B. Maximo monacho et martyre.

Vix Græcia nobis doctiorem dedit beato Cyrillo Alexandrino : hunc ex libris beati Dionysii Areopagitæ quædam mutuatum, testatur Liberatus Afer, cujus verba dabo infra. Mihi curæ non fuit loca in divo Cyrillo quærere, quia Græcis exemplaribus careo, et Latinis non satis confido; quoniam gnarus sum, hæreticos interpretes more solito in beati Cyrilli versione se gessisse. Magna quoque Cyrilli operum pars interiit, in quibus quæ Liberatus dici contineri potuerunt.

B. Maximus monachus, philosophus et martyr, Capitum theologicorum sermone 57, adduxit ex Areopagita nostro locum : « Quod autem bono prorsus privatum est, id nusquam ullo pacto vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest; » habes eum *De divinis nominibus*, cap. 4, § 20 : Τὸ δὲ κατὰ πάντα τρόπον τοῦ ἀγαθοῦ ἐστερημένον, οὐδαμῇ οὐδαμῶς οὔτε ἦν, οὔτε ἐστὶν, οὔτε ἔσται, οὔτε εἶναι δύναται. Idem scholia in omnes Dionysii Areopagitæ libros scripsit, quæ textui subjunximus. Idem in disputatione contra Pyrrhum Monothelitam, patriarcham Constantinopolitanum, qua illum ex hæresi ad fidem catholicam convertit, Dionysii nostri epist. ad Caium θεραπευτὴν laudavit. Idem in *Ecclesiastica mystagogia* hos libros Areopagitæ adjudicat. Fuit autem Maximus iste vir summus; cujus sanctitatem res gestæ, cognitionem divinæ et humanæ sapientiæ illius temporis scriptores omnes merito celebrarunt, et libri plurimi ab eo conscripti testantur; quorum multos Photius retulit, plures Baronius *Annal.* tom. VIII, anno Christi 657, ad quem te, lector, remitto. Ejusdem Maximi nuper opuscula multa contra Monothelitas ex versione Francisci Turriani nostri prodierunt, quæ necdum legi. Vide infra.

Digitized by Google

Testimonia duorum Anastasiorum, et cujusdam incerti Athanasii.

Anastasii Sinaitæ testimonium ἐν τῷ Ὁδηγῷ jam ante laudavi: qui vixit Justiniano I imperatore, sanctimoniæ et doctrinæ laude clarissimus, et invicta Ecclesiæ contra sui temporis hæreticos columna, ut docent Theophanes, Evagrius et alii. Accedat ejus alterum quoque testimonium ex lib. VII in *Hexaemeron* his verbis Latine redditum ab Herveto: « Celeberrimus ergo, et rerum divinarum mysta apostolicus, Dionysius, dicit in sua sapientissima theologia, quod Deus Græce dicitur Θεός, ex 600 eo quod θεωρεῖ, contemplatur, et aspicit, Dominus autem Κύριος, ex eo quod κυριεύει dominetur. » Quod ex capite 12 *De divinis nominibus* non modice immutatum, uti § 2: Διὸ καὶ κυριότης παρὰ τὸ κῦρος, καὶ τὸ κύριον, καὶ τὸ κυριεῦον. Θεότης δὲ, ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια, καὶ ἀγαθότητι παντελεῖ πάντα περιθέουσα καὶ συνέχουσα, καὶ ἑαυτῆς ἀποπληροῦσα, καὶ ὑπερέχουσα πάντα τὰ τῆς προνοίας αὐτῆς ἀπολαύοντα. Id est: *Quapropter dominatio Græce a* κῦρος *derivato nomine, idem est quod firmum ac firmans seu ratificans. Deitas autem Græce* θεότης, *idem est atque omnium conspicax providentia, omnigena bonitate cuncta circumspiciens continensque, et se ipsa complens, atque transiliens universa quæ ipsius providentia fruuntur.*

Anastasius autem Nyssenus prolixas quasdam in sacram Scripturam quæstiones composuit, alias longe a brevioribus aliis, quæ B. Anastasio Alexandrino solent ascribi. In illis multa veterum loca citavit, et inter ea quædam testimonia nostri B. Dionysii Areopagitæ, unum prolixum q. 32, quod ita vertit Gentianus Hervetus: « Ex Dionysio, de iis qui sancte dormierunt: Ego autem recte novi divina sequens Eloquia; quod datam sibi sortem habebit unusquisque. Adversus ipsum enim conclusit Deus, inquit Dominus, et referret unusquisque per corpus, prout ea sunt quæ gessit, sive bona sive mala. Quod autem justorum quoque preces etiam in hac vita, nec solum post mortem, in eos tantum operantur qui sacris digni sunt precibus, divinorum Eloquiorum sacræ nos docent traditiones. Quid enim Sauli profuit Samuel? Quid populo Hebræo profuerunt prophetæ preces? Divinus itaque pontifex est, ut sacra dicunt Eloquia, enuntiator Dei justificationem. Est enim angelus seu nuntius Domini Dei omnipotentis. Didicit certe ab Eloquiis a Deo datis, quod iis qui sancte vixerunt, lucidissima et divina vita redditur pro meritis a justissima et divina libra, per bonitatem despiciente Dei clementia et benignitate maculas quæ illis ab humana infirmitate inustæ sunt; quandoquidem, ut divina dicunt Eloquia, nullus est mundus a sorde. Hæc quidem novit pontifex esse promissa a veris Eloquiis; petit autem ut hæc fiant, et iis qui sancte vixerunt sacræ reddantur retributiones, simul quidem semetipsum benigne conformans ad imitationem Dei, non secus aliis quam sibi ipsi dona poscens ac gratias, sciens item promissiones Dei esse infallibiles, præsentibus etiam aperte declarat, illa quæ ab ea jure sacro postulantur, prorsus eventura illis qui secundum Deum vitam consummarint. Neque enim pontifex, interpres et enuntiator divinæ justificationis, ea poterit quæ non sunt Deo jucundissima, et divina ab eo dari promissa, petere (quamobrem hæc non sunt promissa profanis qui dormierunt) non solum quod a vatis seu interpretis ordine recederet, et quod insolenter et arroganter esset ausurus aliquid ex iis quæ pertinent ad principium, non motus a principe sacri imperii, sed etiam quod sanctum votum non assequetur a justo Eloquio, ipse quoque, ut est consentaneum, audiens: *Petitis, et non accipitis, quoniam male petitis* [c]. » Ecce unum ex locis, propter quæ tam infensis animis novi isti Aeriani in hæc Dionysii scripta feruntur; quia vident, de oratione pro fidelibus defunctis, de justa retributione, et de meritis bonorum operum, et de pontificia dignitate ac munere sibi præscribi. Habes capite 7 *De ecclesiastica hierarchia*: Ἐγὼ δὲ, ὅτι μὲν ἀμοιβαίαν ἕξει τὴν ἀποκλήρωσιν ἕκαστος, εὖ οἶδα, τοῖς Λογίοις ἀκολουθῶν. Ἀπέκλεισε γὰρ, φησὶν ὁ Κύριος, καθ' αὐτοῦ, καὶ κομίσεται ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακόν. Ὅτι δὲ καὶ τῶν δικαίων αἱ προσευχαὶ κατὰ τὸν τῇδε βίον, μήτιγε μετὰ θάνατον, εἰς τοὺς ἀξίους ἱερῶν εὐχῶν ἐνεργοῦσι μόνον, αἱ τῶν Λογίων ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσιν ἀληθεῖς παραδόσεις. Ἦ τί πρὸς τοῦ Σαμουὴλ ὁ Σαοὺλ ἀπώνατο; τί δὲ τὸν τῶν Ἑβραίων λαὸν ὤνησεν ἡ προφητικὴ προσευχή; Εἰ mox: Ὁ θεῖος ἱεράρχης ἐκφαντορικός ἐστιν, ὡς τὰ Λόγιά φησι, τῶν θεαρχικῶν δικαιωμάτων· ἄγγελος γὰρ Κυρίου παντοκράτορος Θεοῦ ἐστι. Μεμάθηκεν οὖν ἐκ τῶν θεοπαράδοτων Λογίων, ὅτι τοῖς ὁσίως βιώσασιν, ἡ φανοτάτη καὶ θεία ζωὴ κατ' ἀξίαν ὑπὸ τῶν δικαιοτάτων ζυγῶν ἀντιδίδοται, παρορώσης ἀγαθότητι τῆς θεαρχικῆς φιλανθρωπίας τὰς ἐγγενομένας αὐτοῖς ἐξ ἀνθρωπίνης ἀσθενείας κηλῖδας, ἐπείπερ οὐδεὶς, ὡς τὰ Λόγιά φησι, καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ Ἱεράρχης οἶδεν ἐπηγγελμένα πρὸς τῶν ἀληθῶν Λογίων, αἰτεῖ δὲ αὐτὰ γενέσθαι, καὶ δωρηθῆναι τοῖς ὁσίως βιώσασι τὰς ἱερὰς ἀντιδόσεις, ἅμα μὲν ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀγαθοειδῶς ἐκτυπούμενος, καὶ τὰς ἑτέρων δωρεὰς ὡς οἰκείας ἐξαιτῶν χάριτας, ἅμα δὲ καὶ τὰς ἀψευδεῖς ἐπαγγελίας εἰδὼς ἐσομένας, καὶ τοῖς παροῦσιν ἐκφαντορικῶς ἐμφαίνων, ὅτι τὰ παρ' αὐτοῦ κατὰ θεσμὸν ἱερὸν ἐξαιτούμενα, πάντως ἔσται τοῖς κατὰ θεῖαν ζωὴν τετελειωμένοις Οὐ γὰρ ἂν ὁ ἱεράρχης, ὁ τῆς θεαρχικῆς δικαιώσεως ὑποφήτης, ἐζήτει ποτὲ τὰ 601 μὴ τῷ Θεῷ προσφιλέστατα, καὶ πρὸς αὐτοῦ δοθῆσεσθαι θειωδῶς ἐπηγγελμένα. Διὸ τοῖς ἀνιέροις οὐκ ἐπεύχεται ταῦτα κεκοιμημένοις, οὐ μόνον ὅτι τῆς ὑποφητικῆς ἐν τούτῳ παρατραπήσεται τάξεως, καί τι τῶν ἱεραρχικῶν αὐθάδως τολμήσει, μὴ πρὸς τοῦ τελετάρχου κεκινημένος, ἀλλ' ὅτι καὶ τῆς ἐναγοῦς εὐχῆς ἀποτεύξεται, πρὸς τοῦ δικαίου Λογίου καὶ αὐτὸς οὐκ ἀπεικότως ἀκούων· *Αἰτεῖτε, καὶ οὐ λαμβάνετε, διότι κακῶς αἰτεῖτε.*

Percutiuntur et alio silice ex alveo Dionysiano novatores nostri, quem jacit idem Anastasius quæst. 32, non addito loco libri, sed laudato simpliciter Areopagita, de his verbis: *Est enim a ratione alienum, et absurdum, instituti ac scopi vim non attendere, sed dictiones. Estque hoc proprium non eorum qui divina volunt intelligere, sed eorum qui nudos admittunt sonos, et eos, usque ad aures suscipiunt extrinsecus, non transeuntes, neque volunt scire quid ea dictio significet, et quo modo eam oporteat declarare per alias quæ æqualem vim habent et sunt significantiores dictiones: affecti sunt autem erga elementa et lineas, quæ non possunt intelligi, syllabasque et dictiones ignotas non transeuntes ad intelligentem eorum animæ facultatem, sed foris resonant in eorum labris et auribus.* Quis Apelles adversariorum sapientiam spirantiore penicillo quivisset depingere? quis acrius interpretes sensum omnem mysticum repudiantes condemnavit? Invenies apud nostrum Dionysium hæc omnia libro *De divinis nominibus*, capite 4: Ἔστι μὲν γὰρ ἄλογον, ὡς οἶμαι, καὶ σκαιὸν, τὸ μὴ τῇ δυνάμει τοῦ σκοποῦ προσέχειν, ἀλλὰ ταῖς λέξεσι. Καὶ τοῦτο οὐκ ἔστι τῶν τὰ θεῖα νοεῖν ἐθελόντων ἴδιον, ἀλλὰ τῶν ἤχους ψιλοὺς εἰσδεχομένων, καὶ τούτους ἄχρι τῶν ὤτων ἀδιαβάτους, ἔξωθεν συνεχόντων, καὶ οὐκ ἐθελόντων εἰδέναι, τί μὲν ἡ τοιάδε λέξις σημαίνει, πῶς δὲ αὐτὴν χρὴ καὶ δι' ἑτέρων ὁμοδυνάμων καὶ ἐκφαντικωτέρων λέξεων διασαφῆσαι, προσπασχόντων δὲ στοιχείοις καὶ γραμμαῖς ἀνοήτοις, καὶ συλλαβαῖς, καὶ

[c] Jac. IV, 3.

Digitized by Google

λέξεσιν ἀγνώστοις, μὴ διαβαινούσαις εἰς τὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν νοερὸν, ἀλλ' ἔξω περὶ τὰ χείλη καὶ τὰς ἀκοὰς αὐτῶν διαβομβουμένας, etc.

Idem Anastasius quæst. 6, posterioris exemplaris, ex Dionysio Areopagita *de iis qui sancte obdormierunt* ista descripsit: *Dico ergo, sacras Scripturas sequens, quod omnino sunt utiles in hac vita sanctorum preces, hoc modo: Si quis donum desiderans, et ad ejus participationem religiose affectus, tanquam suam agnoscens exiguitatem, quempiam sanctorum adeat, rogetque, ut sibi adjutor et precator accedat; ex eo omnino capiet, quæ omnes exsuperat, utilitatem. Assequetur enim ea quæ petit divinissima dona, ipsum suscipiente divina bonitate, piaque ac religiosa sui agnitione, et in sanctos reverentia, et petitarum sacrarum petitionum laudabili desiderio convenientique et divino habitu. Est enim hoc quoque divinis judiciis constitutum, ut divina dona, iis qui digni sunt ut sint participes, decentissimo donentur ordine per eos qui digni sunt impertiri. Hunc si quis pulchre institutum aspernetur ordinem, et ad miseram elatus de se persuasionem, se idoneum existimet ut cum Deo habeat consuetudinem, et sanctos despiciat: quin etiam si Deo indignas et non sanctas postularit petitiones, et intensum divinorum non habeat desiderium, et sibi conveniens, propter seipsum excidet a stulta petitione.* Ex tertium telum pro suffragiis sanctorum, ut per eos ad Deum adeamus, et depicta clare superbia Calvinistarum, qui misera de se persuasione tumidi, hunc ordinem negotiandi cum Deo per familiares Dei, despiciunt ac despuunt. Ex tibi verba apud nostrum capite septimo *De ecclesiastica hierarchia:* Φημὶ δὲ, τοῖς Λογίοις ἑπόμενος, ὡς ὠφέλιμοι πάμπαν εἰσὶν ἐν τῷδε τῷ βίῳ τῶν ἁγίων αἱ προσευχαὶ, κατὰ τόνδε τὸν τρόπον· Εἴ τις ἱερῶν ἐφιέμενος δώρων, καὶ πρὸς μετοχὴν αὐτῶν ἕξιν ἱερὰν ἐχων, ὡς τῆς οἰκείας ἐπιγνώμων βραχύτητος, ἐλθὼν ἐπί τινα τῶν ὁσίων ἀνδρῶν ἀξιώσειεν αὐτόν οἱ γενέσθαι συλλήπτορα καὶ συνικέτην, ὠφεληθήσεται πάντως ἐκ τούτου τὴν πάσης ὑπερκειμένην ὠφέλειαν. Ἐπιτεύξεται γὰρ ὧν αἰτεῖ θειοτάτων δώρων, ἀποδεχομένης αὐτὸν τῆς θεαρχικῆς ἀγαθότητος, τῆς τε οἰκείας εὐλαβοῦς ἐπιγνωμοσύνης, καὶ τῆς ἐπὶ τοῖς ὁσίοις αἰδοῦς, καὶ τῆς τῶν αἰτηθεισῶν ἱερῶν αἰτήσεων ἐπαινετῆς ἐφέσεως. Ἔστι γὰρ καὶ τοῦτο τοῖς θεαρχικοῖς κρίμασι νενομοθετημένον, τὸ τὰ θεῖα δῶρα τοῖς ἀξίοις τοῦ μετασχεῖν ἐν τάξει θεοπρεπεστάτῃ, δωρεῖσθαι διὰ τῶν ἀξίων τοῦ μεταδοῦναι. Ταύτην οὖν εἴ τις ἀτιμάσειε τὴν ἱερὰν εὐκοσμίαν, καὶ πρὸς ἀθλίαν οἴησιν ἐληλυθὼς, ἱκανὸν ἑαυτὸν οἰηθείη πρὸς τὴν θεαρχικὴν ὁμιλίαν, καὶ τῶν ὁσίων ὑπερφρονήσοι· καὶ μήν, εἰ τὰς αἰτήσεις ἀναξίας τε Θεοῦ, καὶ μὴ ἱερὰς αἰτήσοι, καὶ τὴν ἔφεσιν τῶν **602** θείων εἰ μὴ σύντονον ἔχει καὶ ἑαυτῷ κατάλληλον, ἀποτεύξεται δι' ἑαυτὸν τῆς ἀνεπιστήμονος αἰτήσεως.

Inter Opera D. Athanasii Alexandrini patriarchæ, tomo XI, Commelinianæ editionis Græco-Latinæ, editus est libellus *Quæstionum breviorum ad Antiochum;* quem magni illius Athanasii non esse colligitur, quod in iis Ss. Epiphanius et Gregorius Nyssenus citentur, illo magno Athanasio juniores. Nec tamen idem videtur auctor cum illo Anastasio Nysseno, licet fortassis ad eumdem Antiochum uterque quæstiones scribat. Hic Athanasius quæst. VIII quærit, quot sint essentiæ et ordines angelorum. Et respondet ex D. quidem Nysseno, unam et eamdem esse essentiam, sicut etiam una est essentia cunctorum hominum: de ordinibus vero, esse novem, *angelos, archangelos, principatus, potestates, virtutes, dominationes, sex alis alata seraphim, multis oculis ornata cherubim, et thronos, sicut multum in Theologia valens Dionysius inquit:* Τάγματα δὲ, ὡς ὁ πολὺς ἐν Θεολογίᾳ Διονύσιός φησι, ἐννέα, ἅπερ εἰσὶ ταυτα· Ἄγγελοι, Ἀρχάγγελοι, Ἀρχαὶ, Ἐξουσίαι, Δυνάμεις, Κυριότητες, τὰ ἐξαπτέρυγα Σεραφὶμ, τὰ πολυόμματα Χερουβὶμ, καὶ οἱ Θρόνοι, perspicue ad libros *De cœlesti hierarchia* respiciens, sic enim ibi distinguuntur, cap. 6, licet alio paululum ordine. Fieri potest, ut iste Athanasius sit recentior aliquis episcopus Alexandrinus; cujus etiam sit *Liber definitionum*, in quo citatus Nyssenus; et *Liber dictorum et interpretationum parabolarum evangelicarum*, ubi citatur Gregorius Nazianzenus. Sed hæc ambigua sunt: patet, satis antiquum esse scriptorem, qui pro magno Athanasio receptus, et Epiphanio juniorem nullum citat.

Sophronii catholici, Monothelitarum hæreticorum, et schismaticorum Græcorum testimonia.

Temporibus Honorii et Joannis IV pontificum Romanorum vixit quidam Sophronius Hierosolymitanus, qui primus ferme se Monothelitis opposuit auctor *Prati spiritualis*, circa annum Domini 638. Hinc in epistola ad Sergium Constantinopolitanum patriarcham sic scribit: *Christi vero asserimus etiam esse virtutem illam, quæ dicitur nova et Dei-virilis operatio, non unam exsistentem, sed diversi generis ac differentiæ, quam ex Areopago, a Paulo egregio divinitus captus asseruit Dionysius.* Nomen innuit locum in epistola quarta *ad Caium θεραπευτὴν* in fine, de Jesu? Καὶ τὸ λοιπὸν, οὐ κατὰ Θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπεια κατ' ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνθρωπωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. *Quod reliquum est, neque secundum Deum* (subintellige hic et in seqq. *tantum*) *divina perficiens, neque humana secundum hominem; sed Deo homine facto, novam quamdam Dei-virilem operationem nobiscum conversatus ostendens.* Hunc locum pro se versutissimi tum temporis hæretici producebant, catholicis consentientes de epistolæ auctore Areopagita. Si non valet apud Calvinianos auctoritas catholicorum monachorum, valeat saltem sententia hæreticorum. Valeret, si non noceret Calvinismo. Enumerabo tamen hæreticos illos, ut constet de orbis tunc temporis de epistolæ illius scriptore consensa.

Tomo III *Conciliorum*, in synodo Romæ habita sub Martino I papa, secretario 3, pag. 121, exstat epistola illius Sergii Monothelitæ ad Cyrum patriarcham Alexandrinum, qua epistola recipit capitulum septimum Cyri, in quo hunc locum Dionysio Areopagitæ tribuebat. Pagina vero 123 ait Themistius hæreticus in Epistola ad Marcellinum presbyterum et Stephanum diaconum de operatione Christi: « Ideo Dei-virilem Dionysius Areopagita nominavit. » Idem asseruit Macarius patriarcha Antiochenus hæreticus in synodo habita Constantinopoli in Trullo, tempore Pogonati imperatoris, act. 2, in fine: « Ego, inquit, numerum non dico, sed Dei-virilem operationem ejus, secundum sanctum Dionysium. » Cyrus hæreticus in dist. cap. 7, dixerat se credere, « eumdem unum Christum, et unum Filium operantem Deo dicibilia et humana, una Dei et viri operatione secundum B. Dionysium, » d. tomo III pag. 120. In quibus verbis Cyrus contextum Dionysii depravasse, et *unam* posuisse, pro *nova*, a B. Sophronio convictus fuit, ut fatetur ipse Pyrrhus adhuc hæreticus, in libro contra dogmaticum Cyri volumen, his verbis: « Unum autem tantum capitulum reprehendit Sophronius reverendissimus, utpote testimonium beatæ memoriæ Dionysii falsantem permutatione unius vocis; in hoc congrua dicens prædictus vir et cauta, in quibus ille asserit; sed homine facto Deo, *novam* quamdam et Dei-virilem operationem nobis proferens. *Unam* enim secundum veritatem continebat denominatum volumen; sed non malitiose (absit!) juxta meum verbum; sed quoniam non potest aliter *nova* intelligi, nisi *una;* a sanctissimo Cyro hujusmodi vox posita est: quoniam per abnegationem sublimium unam B. doctor confessa unam construens, et hanc singulariter exprimens; quid aliud nisi unam confitens **603** operationem, ea

Digitized by Google

quod unius est Christus, per quoddam verbum luculentius tradidit? » Hactenus veternosus coluber Pirrhus, fatetur corruptelam, quam negare non poterat, convictus; sed ex crimine laudem quærit. Idem Pirrhus in disputatione cum B. Maximo monacho et martyre circa finem : Τί δὲ περὶ τοῦ ἁγίου Διονυσίου φαμὲν, ἐν τῇ πρὸς Γάϊον τὸν θεραπευτὴν ἐπιστολῇ φήσαντα [*leg.* φήσαντος] περὶ τοῦ Χριστοῦ· ... *καινήν τινα θεανδρικὴν ἐνέργειαν πεπολιτευμένος* ; Turrianus vertit : *Quid præterea dicemus de S. Dionysio, qui in epistola ad Caium cultorem de Christo dixit, exercuisse novam quamdam operationem Dei-virilem?* Habes quinque Monothelitas, et considera mihi, hanc sententiam de Dionysii Areopagitæ scriptis sæculo illo VII, in omnibus patriarchalibus sedibus, hoc est Ecclesia tota, fuisse indubitatam : nam Romæ id asserebant Martinus, Honorius, et Joannes; Alexandriæ Cyrus, Antiochiæ Macarius, Constantinopoli Sergius, Hierosolymis Sophronius.

Vide etiam quo pacto hodie hac in re, de libris dico Areopagitæ, cum Romana Ecclesia schismatici Græci consentiunt. Cum Stephanus Gerlachius, Martinus Crusius, et alii Lutherani Ubiquetarii Wittembergenses et Tubigenses, contra catholicos Germaniæ Jesuitas, et alios, unde suffragatores suæ sectæ conquirerent, juxta illud Virgilii [d] :

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo,

legationem miserunt ad Jeremiam patriarcham Constantinopolitanum, et postea per epistolam quæsierunt ab eodem, quænam esset totius Græciæ de hoc, de quo controvertit Scaliger, Dionysio et ejus operibus sententia. Ille per Theodorum Zygomalam scribam suum respondit in hæc verba, quæ ex libro primo Turco-Græciæ columna 97 desumpta, misit ad me noster Petrus Dujarricius Aquitanus : Ἀρεοπαγίτου βίον ἔγραψα, καὶ ἔπεμψα ὑμῖν, ὡς καλῶς μέμνημαι, καὶ, εἰ ζήτησας, αὐτοῦ εὑρήσεις. Ἡμεῖς δὲ, γίνωσκε, ὅτι θεῖον ἄνδρα τὸν τοιοῦτον ἔχομεν, καὶ μετὰ τοὺς ἀποστόλους Χριστοῦ ἡ Ἐκκλησία τιμᾷ, καὶ τὸ βιβλίον αὐτοῦ ἀποδεχόμεθα, καὶ πιστὰ τὰ ἐν αὐτῷ γεγραμμένα λέγομεν. Ait : *Areopagitæ vitam descripsi, et vobis misi, id quod bene memini, invenies etiam tu istic modo quæras. Scito, eum virum a nobis divinum haberi, et secundum post apostolos Christi ab Ecclesia honorari, librumque ejus a nobis probari, et fide digna, quæ in eo scripta sunt, duci.* Quid ad hæc Scaliger? cachinnabitur Lutheranos, quod Jeremiam potius, quam Genevenses et se consuluerint. Sed redeo ad nostros, hoc est antiquiores Patres.

Testimonia Theodori presbyteri, Sergii Tempsanensis et Antonii Melissæ.

Sophronio tres alii accedant, de quibus, quod ignoti, quid dicam aliud non habeo. In Photii Bibliotheca fit mentio Theodori presbyteri, qui quando vixerit, et quid aliud egerit, scripserit, nescio. Photius ait se legisse librum illius, quo solverat quatuor objectiones adversariorum (habes supra) et probaverat hæc monumenta divini et magni Dionysii germana esse, γνησίαν εἶναι τοῦ μεγάλου Διονυσίου τὴν βίβλον. Credant Calvinistæ Photio hæretico, tam docto quam impio, Romanæ sedis acerrimo adversario.

In concilio Lateranensi sub Martino I, consultatione 3, Sergius episcopus Tempsanensis agnoscit dictam epistolam *ad Gajum cultorem*, de qua supra, et illa ipsa verba quæ Cyrus in capitulo septimo proferebat, fatetur fuisse Dionysii Areopagitæ.

Antonius quidam monachus, cujus exstat liber vocatus *Melissa*, sæpe citat nostrum Dionysium. Lib. I, serm. 19 in fine ex eo profert hæc : *Non fieri potest, ut veniam consequantur illi, quos peccatorum non pœnitet;* et serm. 21 : *Veritas est Deus utpote unum, non multa, secundum naturam. Verum* A *quippe unum est, mendacium autem multiplex. Nam et Christus ait : Ego sum via, veritas et vita* [e]. Serm. 73 : *Silentium pro consensu haberi, docetur etiam proverbio.* Horum locorum nullum potui reperire in libris quos habemus : fieri potest, ut diligentiam meam fuerint frustrati. Libro II, sermone 3, citat hæc : *Qui ad purissimum accedunt sacrificium, perpurgatos esse oportet extremis etiam animæ phantasiis, et per similitudinem ipsi, quoad fieri potest, appropinquare.* Hoc exstat *Ecclesiast. hierarchiæ* cap. 3 : Τοὺς γὰρ ἐπὶ τὴν παναγεστάτην ἰόντας ἱερουργίαν, ἀποκεκαθάρθαι δεῖ καὶ τὰς ἐσχάτας τῆς ψυχῆς φαντασίας, καὶ δι' ὁμοιότητος αὐτῇ κατὰ τὸ δυνατὸν προσιέναι. Ne vero dubites hæc esse Areopagitæ, scito hunc Antonium, Dionysii nomen solitum ἁπλῶς nostro tribuere : aliorum vero Dionysiorum solere patriam adjicere, ut lib. II, sermone 45, affert ex Dionysio Alexandrino istud : « Fortis autem et accurata oratio, amaras etiam dicit esse dulcium causas, et laborum fructus esse voluptates. Nam sine labore nihil potest pulchri contingere; » et sermone 72, ex eodem Dionysio Alexandrino profert : « Irasci 604 apud nos eousque extenditur dum peccata sedet. Irascimini, inquit, et ne peccetis [f]. Et summum jus vitandum est, cum dicat Ecclesiastes [g] : Ne sis justus multum. » Denique scitum est apud theologos κατ' ἐξοχὴν Dionysii appellatione Areopagitam censeri.

Ex Elia Cretensi et Andrea Cretensi, testimonia.

Elias Cretensis disertos et accuratos Commentarios composuit in multas B. Gregorii Nazianzeni orationes, in quibus sæpius meminit nostri Dionysii, ut in *Apologet.* oratione I, fol. 59 et 75, dicit Nazianzenum vocem φωταγωγούς, *illuminantes*, ex Dionysii libris mutuatum, nempe *De ecclesiastica hierarchia*, cap. 5, § 2, et postea Elias fol. 451, perspicue alludit ad Dionysii libros hierarchicos, ita scribens : « Etenim quæ hic in Ecclesiis celebrantur, eorum quæ in cœlis celebrantur similitudines ac simulacra esse, sanctus Dionysius censet, nostramque hierarchiam post cœlestem hierarchiam collocans, comministram eam pronuntiat, illincque pro benignitate congruentes illuminationes accipere ait, his nimirum verbis utens. Hujus igitur nostræ congruentis deificationis causa benignus ille sacrarum cæremoniarum principatus, » etc., quæ cuncta licet legere d. cap. 5, a pag. 355, et cap. 8, a pag. 388, copiosius enarrata. Item in commentario orationis XIX laudat quæ Dionysius scripsit de ritu consecrandi sacerdotes, quæ nunc exstant d. cap. 5, pag. 364.

S. Andreas Hierosolymitanus, Cretensium episcopus et martyr, laudatus a Glyca, in oratione *De dormitione Deiparæ Virginis*, non solum secutus fuit narrationem nostri Dionysii de obitu Mariæ dominæ nostræ, sed et stylum ac verba conatus imitari; ut facile colliget, qui Græca verba Andreæ contulerit cum Dionysianis, tom. I, p. 539.

D *Testimonia Juliani Hierosolymitani, Epiphanii presbyteri, Glycæ et aliorum Græcorum.*

Sanctus Dionysius Areopagita libro *De divinis nominibus* cap. 3, in fine, sic scribit : Ἐπεὶ καὶ παρ' αὐτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις, ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα, καὶ αὐτὸς καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνελήλυθαμεν. Παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀοξέλφόθεος Ἰάκωβος, καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβύτατη τῆς θεολόγων ἀκρότης. Εἶτα ἐδόκει μετὰ τὴν θέαν ὑμνῆσαι τοὺς ἱεράρχας ἅπαντας, etc. *Quandoquidem apud ipsos quoque nostros a Deo afflatos sacrorum principes, quando nos quoque, ut ipse nosti, et multi ex nostris sacris fratribus, ad contuendum corpus, quod vitæ principium dedit, et Deum suscepit, convenimus. Aderat autem Dei quoque frater Jacobus, et Petrus, qui erat theologorum*

[d] Æneid. VII, 313. [e] Joan. XXIV, 6. [f] Ephes. IV, 26. [g] Cap. VII, 7.

Digitized by Google

suprema et antiquissima summitas. Visumque est, ut post illud spectaculum omnes sacrorum principes hymnum canerent, etc. Hæc ut vera verba de se loquentis Areopagitæ, magno consensu Græci Patres receperunt; et inde in Ecclesiam traditio antiquissima manavit, morti Deiparæ virginis omnes apostolos, et B. Dionysium ac Timotheum interfuisse. Tempore Chalcedonensis synodi, petentibus Marciano et Pulcheria, Julianus Hierosolymitanus episcopus id verbis hisce fuit testatus : « Tunc autem aderant cum apostolis, sanctissimus Timotheus apostolus et primus episcopus Ephesiorum, et Dionysius Areopagita : sicut hic ipse magnus testatur Dionysius, in his quæ de beato Hierotheo, qui ipse quoque tunc aderat, conscripsit ad D. apostolum Timotheum, sic dicens : Quandoquidem, » etc., subdit enim citata Dionysii verba. Hoc B. Juliani testimonium profert Euthymius historicus libro III, cap. 40, citatus a B. Joanne Damasceno orat. *De Dormitione Deiparæ* : et Nicephorus Calixtus idem refert libro XV *Hist.* c. 14. Eamdem auctoritatem et verba pro Areopagitæ gnestis amplectuntur etiam Epiphanius presbyter in orat. *De dormitione Deiparæ*, Simeon Metaphrastes, et Michael Syngelus in laude Dionysii, Maximus scholiis in Dionysium, Glycas lib. I *Annal.* et alii Græci in Cantico quodam de Deipara. Lege Petrum Canisium lib. V *Marialis* cap. 3, et Cardin. Baronium, tomo I *Annal.*, anno Christi 48, num. 8, ubi docte ostendit, hanc veram esse Dionysii sententiam.

B. Michaelis Syngeli et B. Joannis Damasceni sententia.

Beatus Michael Syngelus presbyter Hierosolymitanus, magna laude sanctimoniæ ac eruditionis, scripsit quædam tempore non Mauritii imperatoris, sed Ludovici Pii Hilduini ævo, quando a Theophilo Græcorum imp. iconomacho propter catholicam fidem multa pertulit, ut tradit Curopalata in Histor. et laudatur a Theodoro Studita lib. II, epist. 213. Hic ergo Syngelus eodem tempore, quo Methodius vitam et martyrium Areopagitæ scripsit, etiam ipse martyrii amore exæstuans, disertissimum ejusdem Dionysii Encomium composuit, quod Parisiis **605** Græce fuit excusum, hoc initio : Οὐρανίαν ὄντως, in quo multa laudat utriusque hierarchiæ, libri *De divinis nominibus*, epist. ad Caium et alia quæ sunt cuique ad manum.

Michaele paulo antiquior, et confessionis laude non ignobilior Joannes Manzer Damascenus vixit, clarum lumen ac sidus octavi sæculi, diligens lector et candidus laudator horum Dionysii librorum, habes libro I *De fide orthodoxa*, capite 12 : Ταῦτα μὲν οὖν ἐκ τῶν ἱερῶν μεμνήμεθα Λογίων, ὡς ὁ θεῖος ἐφη Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, ὅτι ὁ Θεὸς πάντων ἐστὶν αἰτία καὶ ἀρχὴ, τῶν ὄντων οὐσία, τῶν ζώντων ζωὴ, τῶν λογικῶν ὄντων λόγος. Quæ, licet alio ordine, invenies omnia *De divinis nominibus*, capite primo. *Hæ quidem a sacris oraculis sumus edocti, sicut ait divinus Dionysius Areopagita, Deum omnium causam esse et principium, eorum quæ sunt, essentiam, viventium vitam, et rationem utentium ratione*, etc. Idem Joannes ejusdem Operis libro II, cap. 18, vocat « sanctissimum et theologiæ peritissimum. » Καθὼς δὲ, ait, ὁ ἁγιώτατος καὶ θεολογικώτατός φησι Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης, Πάσας ἡ θεολογία, ἤγουν ἡ θεία Γραφὴ, τὰς οὐρανίας οὐσίας ἐννέα κέκληκε. *Sicut autem sanctissimus et theologiæ callentissimus ait Dionysius Areopagita : Universe theologia, id est sacra Scriptura, cœlestes essentias novem esse dixit.* Sunt deprompta ex libro *De cœlesti hierarchia*, capite 5, sub fin. Tertium profert locum in lib. *De iis, qui in fide obierunt* : Ἔφη τοιγαροῦν ὁ παλὺς τὰ θεῖα καὶ βαθὺς Διονύσιος ἐν τῇ περὶ τῶν κεκοιμημένων μυστικῇ θεωρίᾳ, οὕτωσὶ λέξας, ἵν' ἐκ τῶν αὐτοῦ θείων καὶ σεβαστῶν λόγων πρὸς ἐναργῆ ἀπόδειξιν ἐφάψωμαι Ὅτι δὲ καὶ τῶν δικαίων αἱ προσευχαὶ...

Ait rerum divinarum magnus ac profundus scrutator Dionysius, in mystica de dormientibus contemplatione, sic loquens, ut ejus divinis et venerandis sermonibus demonstrationem delibem : « Quod autem justorum preces, » etc. Locus Dionysii habetur cap. ult. *De ecclesiastica hierarchia*, quem supra ex beato Anastasio Nysseno totum exhibui eumdem laudante ; ideo nec illum repeto, nec quartum addo testimonium Damasceni, ex oratione *De dormitione beatæ Mariæ virginis*, ubi confirmat nostri Dionysii narrationem, de qua etiam supra ; quam historiam quoque beatus Michael Syngelus eleganter dilatavit in præfato S. Dionysii Encomio.

Ex Simeone Metaphraste et Theodoro Prodromo testimonia.

Beatus Simeon Metaphrastes, celeberrimus apud Græcos (cujus auctoritate synodus Florentina œcumenica sub Eugenio IV, sess. 7, utitur) multus est in horum librorum commendatione, confirmans eos B. Dionysii Areopagitæ esse. Primum in Dionysii Vita, quam habemus in Surii tomo V, die 11 Octobris ; ubi etiam materiam librorum 3 quam videmus in istis nostris, producit. Deinde ejusdem Surii tomo IV in oratione *De dormitione Deiparæ* ait : « Per nubem autem ejus venerandos congregat discipulos, ut veneraudum ejus corpus mandarent sepulturæ. Ne autem videatur inane, quod dictum est de congregatione apostolorum, quæ facta est in dormitione Virginis, satius fuerit ea summatim addere quæ a Dionysio Areopagita dicuntur in III libro *De divinis nominibus* ad Timotheum. » Librum pro capite seu sectione usurpat, et subdit verba Dionysii, quæ habemus superius.

Adjungo Theodorum Prodromum, qui diu posterior, vixit temporibus imp. Andronici Junioris ; sed adjungo, quia recensens gravissimos aliquos et antiquissimos atque sanctissimos Patres Græcos, quorum scriptis Ecclesia sint illustrata primum locum tribuit nostro beato Dionysio Areopagitæ : huic subdit magnum Athanasium, et Basilium, et utrumque Gregorium, et Ephræm Syrum, et Joannem Chrysostomum, et Cyrillum Alexandrinum, et Maximum nostrum, et Joannem Climacum, et Nilum ; denique his quos dixi omnibus subdit, ut eorum consortio dignum, Simeonem Metaphrasten ; quare et illi ipse nunc associetur.

Ex Suida, et Joanne Sycopolitano, et Gregorio Petricio.

Suidas ille, quisquis fuit cujus exstant utilia collectanea, qui vixit post annum Christi millesimum, agens de nostro Dionysio, facit illum B. Pauli discipulum, et Atheniensium episcopum, et ex eo narrat historiam de eclipsi visa Heliopoli, patiente Domino, cum adesset Apollophanes, et citat epistolam nostri Dionysii ad Polycarpum, quæ multorum manibus teritur ; in qua verbotenus omnia continentur quæ Suidas retulit. Postea subjicit omnem materiam libri *De divinis nominibus* ad Timotheum. Agnoscit etiam libros hierarchicos, et *Mysticam theologiam*, et epistolas quas habemus omnes, et inter eas *ad Caium*, **606** et *ad Demophilum*, quos ambo vocat *Therapeutas*. Citat etiam Encomium Michaelis Syngeli, de quo jam egimus.

Multi Prologum, qui præfigitur beati Maximi Græcis Scholiis, volunt non esse Maximi, sed junioris cujusdam Joannis Sycopolitani ; nec sane convenit admodum cum Maximi stylo, qui pressior est et simplicior. In hoc Prologo respondetur quibusdam argumentis adversariorum, qui conantur hos libros Dionysio Areopagitæ adimere, quæ nos argumenta jam solvimus, et Prologum Maximo tribuimus, cum plerisque, cui arbitror non adimendum propter haud magnam styli discrepantiam. In eodem Prologo subditur index omnium Dionysii quæ nunc exstant Operum, et præterea

Digitized by Google

multorum quæ interciderunt, quorum in nunc existantibus facta habetur mentio, quæ nihil opus nunc iterum recensere.

Denique typis prodierunt Epigrammata varia Georgii Patricii, cui Mitylene patria, in laudem librorum beati Dionysii, *De cœlesti hierarchia*, *De ecclesiastica hierarchia*, *De divinis nominibus*, et *De mystica theologia*.

Ex Euthymio monacho Zigabeno.

Vixit tempore Alexii Comneni, sæculo undecimo, inter Græcos sui ævi eruditissimus et diligentissimus, ut patet ex libris qui exstant; nempe *Commentariis in Psalmos* omnes, et *in quatuor Evangelia*, et *Panoplia* contra hæreses, in quo opere multa satis ampla loca nostri Dionysii adducit, ut Areopagitæ illius Magni. Dabo nonnulla ex versione Francisci Zini. Ait parte I *Panopliæ orthodoxæ fidei*, titulo 2: « De Patre, Filio, et Spiritu sancto distincta simul atque conjuncta divinitatis ratio; Dionysii Areopagitæ ex capite de unita distinctaque theologia: Patrem quidem esse fontem, ut ita dixerim, divinitatis; Filium autem, et Spiritum, fecundæ divinitatis, si ita dicendum est, germina divinitus pullulantia, et flores quodammodo, et essentia præstantiora lumina, ex sacris libris accepimus: sed quonam pacto hæc sint, nec eloqui possumus, nec intelligere. » Nonne sunt ista? Ὅτι μὲν ἔστι πηγαία θεότης ὁ Πατήρ· ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ Πνεῦμα, τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα, πρὸς τῶν ἱερῶν Λογίων παρειλήφαμεν· ὅπως δὲ ταὐτά ἐστιν, οὔτε εἰπεῖν, οὔτε ἐννοῆσαι δυνατόν, *De divinis nominibus*, cap. 2. Vides, quam hæc germana sint nostri Dionysii, cujus Græcam grandiloquentiam vix ulla sermonis Latini facundia plene queat exprimere; quod ex cæteris æque patebit.

Item, ex capite primo libri *De divinis nominibus*: *Quamobrem in omni fere theologica disceptatione summam divinitatem sancte celebratam cernimus; tum ut monadem et unitatem, propter simplicitatem unitatemque impartibilitatis ipsius naturam exsuperantis: ex qua tanquam unifica potestate unum efficimur, dividuisque nostris diversitatibus supra mundanum modum copulatis, in monadem deiformem, unionemque Deum imitantem, colligimur: tum autem Trinitatem, propter fecunditatis essentiam superantis in tribus personis expressionem, ex qua in cœlo et in terra paternitas omnis exsistit et nominatur.* Hæc et reliqua, quæ subdit omnia, exstant in nostro, pagina 341. Ὅθεν ἐν πάσῃ σχεδὸν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ, τὴν θεαρχίαν ὁρῶμεν ἱερῶς ὑμνουμένην· ὡς μονάδα μὲν καὶ ἑνάδα, διὰ τὴν ἁπλότητα καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερίας, ἐξ ἧς ὡς ἑνοποιοῦ δυνάμεως ἐνιζόμεθα, καὶ τῶν μεριστῶν ἡμῶν ἑτεροτήτων ὑπερκοσμίως συμπτυσσομένων, εἰς θεοειδῆ μονάδα συναγόμεθα, καὶ θεομίμητον ἕνωσιν· ὡς τριάδα δὲ, διὰ τὴν τρισυπόστατον τῆς ὑπερουσίου γονιμότητος ἐκφανσιν, ἐξ ἧς πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς ἐστι καὶ ὀνομάζεται, etc.

Item ex cap. 3 *De mystica theologia* istud: *In eo libro quem* De theologicis institutionibus *inscripsimus, quæ sint affirmantis theologiæ præcipua declaravimus: quomodo divina bonaque natura una dicatur et trina; quæ in ipsa Patris, quæ Filii notio; quid significet Spiritus sancti theologia: qua ratione ex incorporeo individuoque bono intima bonitatis lumina vullulent, et a cœterna cum ipso pullulatione in ipso, et in seipsis et inter se mansione sic exeant, ut ab ea nunquam discedant.* Habentur Græce tom. II: Ἐν μὲν οὖν ταῖς *θεολογικαῖς* Ὑποτυπώσεσι τὰ κυριώτατα τῆς καταφατικῆς θεολογίας ὑμνήσαμεν· πῶς ἡ θεία καὶ ἀγαθὴ φύσις, ἑνικὴ λέγεται, πῶς τριαδική· τίς ἡ κατ' αὐτὴν λεγομένη πατρότης τε καὶ υἱότης· τί βούλεται δηλοῦν ἡ τοῦ Πνεύματος θεολογία· πῶς ἐκ τοῦ ἀΰλου καὶ ἀμεροῦς ἀγαθοῦ, τὰ ἐγκάρδια τῆς ἀγαθότητος ἐξέφυ φῶτα, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐν ἀλλήλοις συναϊδίου τῇ ἀναβλαστήσει μονῆς ἀπομενήκεν ἀνεκφοίτητα.

Sequuntur apud Euthymium duo loci ex cap. 2 *De divinis nominibus*. **607** Prior talis est: *In unione divina, sive natura illa essentiam superante, conjuncta quidem sunt et communia unicæ principalique Trinitati: exsistentia essentiam superans, divinitas divinitate superior, bonitas bonitate præstantior*, etc., ex illo: Ἐπὶ τῆς ἑνώσεως τῆς θείας, ἤτοι τῆς ὑπερουσιότητος, ἡνωμένον μὲν ἔστι τῇ ἐναρχικῇ Τριάδι καὶ κοινὸν, ἡ ὑπερούσιος ὕπαρξις, ἡ ὑπέρθεος θεότης, ἡ ὑπεράγαθος ἀγαθότης, ἡ πάντων etc. Posterior autem ex ejusdem cap. principio: *Nullus bonus, nisi solus Deus* [h]. *Hoc et alibi a nobis expensum ac demonstratum est, omnes semper denominationes Deo dignas non per partes, sed in tota, perfecta, integra, et plena divinitate in sanctis celebrari libris, et omnes ipsas individue, absolute; et præter omnem discriminis observantiam, integra ratione universæ integritati perfectæ et totius divinitatis attribui*, et quæ sequuntur multa. Οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. Τοῦτο μὲν οὖν καὶ ἐν ἄλλοις ἐξετασθὲν ἡμῖν, ἀποδέδεικται, τὸ πάσας ἀεὶ τὰς θεοπρεπεῖς θεωνυμίας, οὐ μερικῶς, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ὅλης καὶ παντελοῦς καὶ ὁλοκλήρου καὶ πλήρους θεότητος, ὑπὸ τῶν Λογίων ὑμνεῖσθαι, καὶ πάσας αὐτὰς ἀμερῶς, ἀπολύτως, ἀπαραπτώτως, ὁλικῶς, ἁπάσῃ τῇ ὁλότητι τῆς ὁλοτελοῦς καὶ πάσης θεότητος ἀνατίθεσθαι, etc. En quinque ex uno titulo testimonia. Vereor ne molestus sim, si ex eodem opere cætera omnia commemorem; sunt enim multa et magna nimis. Nam titul. 3 continentur fragmenta viginti et septem, metaphrastice citata ex libro *De divinis nominibus* et aliis operibus: unum titulo 5, sed titulo 7, duo ex eodem libro, unum ex epistola 4 *ad Caium*, unum ex libro *De theologicis elementis*, duo ex *cœlesti et ecclesiastica hierarchia*.

Cæterum parte II, titul. 18, refert epist. 5 Maximi ad Nicandrum, in qua locum illum beati Dionysii de Dei-virili operatione ex epistola *ad Caium* fuse explicavit: quæ explicatio quia pererudita est, et ostendit Maximi sapientiam atque eruditionem, cujus inscitiam Scaliger jactat se ostendisse, eam hoc loco ascribam, in Scaligeri gratiam, non Græce, quia careo exemplari, sed Latine ex versione Zini. Ait ergo: « Idem de actionibus dicere possumus, nec tamen ob id unicas divinorum Patrum de ipsis actionibus voces negamus (absit) quas vel sanctus et divinis in rebus explicandis excellentissimus Dionysius, vel sapiens Cyrillus, pronuntiavit; quibus divina simul et humana actio sic declaratur ut conjunctam atque unam esse appareat. Voces enim ab illis excogitatæ propter conjunctionem, et mutuam naturalium actionum inter ipsas omnino copulationem, sunt piæ et comprobandæ. Quemadmodum et illæ quæ gemmas declarant actiones propter differentiam in essentia naturaque subsistentem. Vox enim illa Theandrica, a doctore Dionysio composita quæ divinam humanamque significat, ut unica pronuntiatione duplicem naturæ duplicis actionem indicaret. Sapiens rursum Cyrillus unam conjunctamque dixit actionem, ut cognatam naturalium actionum copulationem doceret. » Et post pauca: « Quamobrem una, ut Cyrillus ait, conjunctaque utriusque actio, quæ demonstrata est, non aliter quam illa Dionysii Theandrica naturaliter actionum indicans copulationem, diversam et geminam earum rationem proprie demonstrat. » Idem Euthymius eodem titulo cap. 83 citat explicationem clariorem ejusdem loci Dionysiani, traditam a B. Damasceno contra Monothelitas, quæ est ista: « Beatus Dionysius Christum nova quadam thean-

[h] Luc. XVIII, 19.

Digitized by Google

drica actione usum dicit; quo quidem vocabulo non tollit actiones naturales, sed unam ex divina humanaque constantem actionem constituit. Sic enim et unam naturam novam, quæ ex divina atque humana constat, dixerimus. Quorum enim actio una, horum una et essentia, ut divini nostri Patres sentiunt. Sed cum vellet ostendere novum arcanumque modum, quo naturales Christi actiones patefactæ sunt, propter arcanam rationem, qua Christi naturæ vicissim inter se commeant; congrue consuetudinem etiam ejus, quantum ad humanitatem attinet, novam et admirabilem appellavit. Neque enim divisas dicimus actiones, neque naturas separatim agere, sed conjunctim utramque cum alterius societate agere, id quod est ipsius proprium, » etc. quæ subdit, usque: « Hoc igitur significat theandrica actio, cum Deus homo factus sit, humanam etiam ipsius actionem divinam esse, id est deificatam, et non expertem divinæ ejus actionis; itemque divinam ipsius actionem humanæ ipsius actionis expertem non esse; sed utramque simul cum altera spectari. Hæc autem loquendi ratio περίφρασις appellatur cum res duas una dictione complectimur. Quemadmodum enim, unam dicimus igniti gladii, tum incisam ustionem, tum ustam incisionem, cum tamen alia actio sit incisio, et alia ustio, et ab alia atque alia natura proficiscantur, nempe ustio ab igne, incisio autem a ferro; sic etiam cum unam dicimus Christi theandricam actionem, geminas duarum ipsius naturarum actiones intelligimus, divinitatis quidem ipsius divinam, humanitatis autem humanam. »

608 *Testimonia Nicephori Callisti, Georgii Pachymerii, et cardinalis Bessarionis.*

Nicephorus Callistus Xanthopulus *Historiam ecclesiasticam* conscripsit, sane diligenter, tempore Andronici senioris Palæologi, circiter annum Domini 1311. Hic lib. II, cap. 22, ex nostri Dionysii, quem Areopagitam vocat, narratione, dicto cap. 3 *De divinis nominibus*, recenset quæ in funere B. virginis Mariæ acciderunt. Sed cap. 21 sic de nostro loquitur: « Tanta autem fuit in Christum fides, ut non modo dignus divino lavacro esset, sed etiam ipsius Pauli manibus Atheniensium designaretur episcopus, mirificis prorsus atque divinis charismatibus pollens. Vixit is etiam familiarius cum divino viro Hierotheo, quorum utrique res summas Paulus (ut eis, in tertium cœlum et paradisum raptus, initiatus fuerat) de theologia, Deique verbi ratione scilicet, necnon cœlesti hierarchia, rerumque omnium absolutissima dispositione atque ordinatione, communicans tradidit, quas res Dionysius postea etiam in scripta retulit; qui vero verbo pietatis verique cultus magnifice prædicando magna usus est libertate, multosque annos in partibus occidentalibus Christum glorificans, ad multam venit senectutem, et pro ipso martyrii corona est cohonestatus. Ferunt autem eum caput suum, quod gladio resectum fuerat, in manibus gerentem ad duo millia passuum tulisse, ibique in quam inciderat, mulieri tanquam depositum tradidisse. Quæ autem ille scripta, sublimi rerum divinarum contemplatione, sententiis et elocutione admiranda prorsus, et excellentia, longeque ab iis, quæ pro hominum captu edita sunt, dissita composuerit, sic se habent.

Primum quidem opus *De divinis nominibus* scripsit tredecim capitibus, in quo ad centum quoque alia capita sunt adjecta divinæ sapientiæ plena.

Secundus ab eo liber scriptus est, cui titulum fecit *De cœlesti hierarchia*, capita habens quindecim.

Tertius *De ecclesiastica hierarchia* capitum septem.

Quartus *De arcana seu mystica theologia*, quinque capitum.

Reliquit etiam epistolas decem, quarum postrema evangelistæ Joanni, qui supra pectus Domini recubuit, est scripta. Atque hæc quidem ejus scripta etiam hodie circumferuntur.

Ipse quoque aliarum etiam lucubrationum suarum mentionem facit, quales sunt quæ ab eo *Theologicæ expositiones* sunt nominatæ. Item *Symbolica theologia*: præterea *De angelicis proprietatibus et ordinibus*, *Commentarius De anima*, *De justo et divino judicio*, *De divinis hymnis*; item: *De iis quæ vel intelligentia vel sensu deprehenduntur*, Commentarii autem isti omnino visi non sunt, neque nobis, neque his qui ante nos fuerunt, cogniti. » Tantum Nicephorus, cui de scriptis Areopagitæ plane consentit.

Gregorius Pachymerius sub Michaele Palæologo et Andronico circa annum 1260, paulo antiquior; cujus habemus Aristotelicas epitomas, et paraphrases Areopagiticas, in libros qui exstant omnes, ut et Maximi Scholia: reliquorum, quos ait non inveniri, nomina ponit: *Περὶ ἀγγελικῶν ἰδιοτήτων*, *Περὶ ψυχῆς*, *Περὶ δικαίου καὶ θείου δικαιωτηρίου*, *Περὶ θείων ὑμνων*, *Περὶ νοητῶν καὶ αἰσθητῶν*, *Περὶ θεολογικῶν ὑποτυπώσεων*, *Περὶ συμβολικῆς θεολογίας*.

Quoad superstites libros, his etiam Suidas consentit quantum ad inscriptiones; nam quoad capita variant, quod parum refert. Sic autem recenset libros Suidas: Πρὸς Τιμόθεον ἐπίσκοπον Ἐφέσου, καὶ αὐτὸν μαθητὴν Παύλου τυγχάνοντα, *Περ θείων ὀνομάτων βιβλία* ιβ'. et capitum subjicit inscriptiones. Πρὸς τὸν αὐτὸν Τιμόθεον ἑτέρα βίβλος, *Περὶ ἐκκλησιαστικῆς ἱεραρχίας*, κεφάλαια ιε'. Πρὸς τὸν αὐτὸν *Περὶ τῆς οὐρανίου ἱεραρχίας*, κεφαλ. ιε'. Πρὸς τὸν αὐτὸν, *Περὶ μυστικῆς θεολογίας*, κεφ. ε'.

Deinde recenset epistolas hasce: *Πρὸς Γάϊον θεραπευτὴν δ'. Πρὸς Δωρόθεον λειτουργὸν α'. Πρὸς Σώπατρον ἱερέα α'. Πρὸς Πολύκαρπον ἱεράρχην Σμύρνης α'. Πρὸς Δημόφιλον θεραπευτὴν α'. Πρὸς Ἰωάννην τὸν θεολόγον, τὸν ἀπόστολον, καὶ εὐαγγελιστήν, α'.* Ubi vides præteritam epistolam ad Titum episcopum, quam Maximus, Pachymerius et Nicephorus recognoscunt. Nam Maximi, sive Joannis Sycopolitani πίναξ similis est enumerationi Pachymerianæ; nisi quod addit loca Dionysii, ubi citat libros suos, qui non exstant.

Circa Christi annum 1371 vixerunt jam corruente Græcia, Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, et doctissimus cardinalis Bessarion, qui a Gaza dissensit, et majores suos sequens, hæc opera tribuit Areopagitæ. Nam lib. II *Defensionis Platonicæ* cap. 3, ita scribit: « Vir sanctissimus, Dionysius Areopagita, qui primus et summus Christianæ theologiæ auctor fuit, neminem ante se habuit rerum divinarum scriptorem, præter apostolum Paulum, et Hierothenm Athenarum pontificem, quibus ipse præceptoribus **609** usus est. » Sic ex Budæi codice Morellius. Quæro, quæ alia de divinis rebus Dionysii scripta laudarit hoc loco Bessarion, præter nostra? cujus ego in rebus istis judicium decem Gazis, et centum Scaligeris non vereor præponere.

Testimonia ex conciliis Græcorum.

Idem non per singulos tantum Patres, sed cunctim etiam per synodos possum probare. Nicæna synodus œcumenica prima, et princeps (ut sic dicam) universalium conciliorum, in canonibus uberioribus, quos ex nostris hominibus, Arabica seculi exemplaria, Pisanus et Turrianus ediderunt, canone XXXI, qui est de recipiendis ex hæresi redeuntibus, ita sanxit: *Et postquam hæc fecerit episcopus, vel sacerdos, in cujus manibus est, debet ungere eum oratione chrismatis, et ter signare signo crucis, ungendo et orando super eum orationem Dionysii Areopagitæ.* Instituerat ergo formulam aliquam orandi noster certe. Nam exstat cap. ultimo *De ecclesiastica hierarchia*, et ibi invenies.

Digitized by Google

In sexta synodo universali, quæ fuit Constantinopolitana tertia, tempore Agathonis papæ, et Constantini IV imp. anno 678, recipiuntur hæc opera pro Areopagiticis. Etenim actione 8, pag. 279, legitur : « Item relatum est aliud testimonium ex eodem codicillo sancti Dionysii episcopi Atheniensis et martyris, ex libro *Divinorum nominum*, et collatus similiter textus testimonii, continens ita : *Discreta est autem benignissima circa nos Dei operatio, per hoc quod secundum nos ex nobis integre vereque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, et operari, et pati, quantum humanæ ejus divinæ operationi congruunt, præcipua ac probabilia. His namque Pater et Spiritus nulla ratione communicant, nisi quis dixerit secundum benignissimam misericordiam, voluntatem (quæ abscissa sunt ex eodem testimonio ab eisdem) et per omnem sublimissimum et ineffabilem Dei operationem, quam operatus est secundum nos factus incommutabilis, eo quod Deus et Dei verbum.* » Citat locum e capite secundo : Διακέκριται δὲ τῆς ἀγαθοπρεποῦς εἰς ἡμᾶς θεουργίας, τῷ καθ' ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν ὁλικῶς καὶ ἀληθῶς οὐσιωθῆναι τὸν ὑπερούσιον Λόγον, καὶ δρᾶσαι καὶ παθεῖν ὅσα τῆς ἀνθρωπικῆς αὐτοῦ θεουργίας ἐστὶν ἔκκριτα καὶ ἐξαίρετα. Τούτοις γὰρ ὁ Πατὴρ καὶ τὸ Πνεῦμα κατ' οὐδένα κεκοινώνηκε λόγον· εἰ μήπου τὶς φαίη κατὰ τὴν ἀγαθοπρεπῆ καὶ φιλάνθρωπον βούλησιν, καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν ὑπερκειμένην καὶ ἄρρητον θεουργίαν, ἣν δέδρακε καθ' ἡμᾶς γεγονὼς ὁ ἀναλλοίωτος, ἡ Θεὸς καὶ Θεοῦ Λόγος.

Vis etiam aliquid ex nostris, in quibus vobis male complacetis, Decretis Gratiani? Lege cap. 6, quod incipit, *Omnis*, distinct. 38. Sed, ne nausees, scito idem haberi in concilio œcumenico Nicæno II quod fuit universale septimum; ubi traditur hierarchiæ nostræ essentia, posita in oraculis a Deo traditis, hoc est in veraci rerum divinarum scientia et cognitione, « quemadmodum magnus ille ait Dionysius. » Sic concipitur canon iste 11 : Οὐσία γὰρ τῆς καθ' ἡμῶν ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα Λόγια, ἤγουν ἡ τῶν θείων Γραφῶν ἀληθινὴ ἐπιστήμη, καθὼς ὁ μέγας ἀπεφήνατο Διονύσιος. Habes hodie cap. 1 *Ecclesiast. hierar.* nisi quod hodie καθ' ἡμᾶς pro καθ' ἡμῶν legitur, eodem sensu, et facili mutatione.

Testimonia ex conciliis Latinorum.

In Latinis conciliis sæpe multi Græci, ut in Græcis Latini interfuerunt; hæc enim conciliorum universalium conditio est : sed Latina voco, quia in Occidente celebrata; Græca, in Oriente.

Romæ in Laterano anno 660 celebratum fuit concilium sub Martino I papa : tunc Patres hæc opera pro germanis Dionysii Areopagitæ habuerunt, ut patet ex secretario 3, pag. 122. Nam ibi « Martinus sanctissimus ac beatissimus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ urbis Romæ dixit : Codicem S. Dionysii episcopi Atheniensis hi, quorum interest, actis deducant. Theophylactus primicerius notariorum sanctæ apostolicæ sedis dixit : Secundum jussionem vestræ beatitudinis offerens de venerabili bibliotheca sedis vestræ codicem beati Dionysii præ manibus habeo; quid præcipitis? Martinus sanctissimus ac beatissimus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ urbis Romæ dixit : Codex beati Dionysii suscipiatur, et de epistola, quæ ibidem deposita est, ad Gaium directa, locus ille ordinabiliter, de quo agitur, cujus mentionem fecerit Cyrus in suo capitulo ad approbationem novitatis ejus coram S. concilio relegatur. Et accipiens Paschalis notarius regionarius apostolicæ sedis, de Græco in Latinam linguam interpretatum ipsum testimonium, relegit, continens ita : Sancti Dionysii ex Epistola ad Caium directa, ad locum : *Etiam non secundum Deum divina operatus, neque humana secundum hominem; sed Deo homine facto, novam quamdam Dei-virilem*, id est θεανδρικήν, operationem nobis ostendens. » Postea **610** Martinus et cæteri Patres, tanquam Dionysii verba approbant; quæ hodie exstare in 4 Epistola *ad Caium*, jam crebro diximus.

Generalis synodus octava, sub Eugenio IV Ferrariæ, sessione 7, recipit Simeonis Metaphrastæ orationem de diva Dionysii Vita, in qua (ut dictum superius) hæc Dionysii nostri Opera, ut germana beati Dionysii Areopagitæ referuntur.

Testimonia Gregorii Magni et Martini I, Romanorum pontificum.

Venio ad Romanos pontifices Petri apostoli successores; quibus qui abnuit credere, Petro credere detrectat; sine quorum approbatione ne generalia quidem concilia certæ fidei habentur, si vero approbarint, Spiritum sanctum sanctis aspirasse dogmatibus confitemur.

S. Gregorius Magnus homilia 34 *in Lucæ Evangelium*, capite 15, ita scribit : « Fertur Dionysius Areopagita, antiquus videlicet et venerabilis Pater, dicere, quod ex minorum angelorum agminibus foras ad explendum ministerium, vel visibiliter vel invisibiliter mittuntur; scilicet quia ad humana solatia aut angeli aut archangeli veniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt. » Non citat ipsa Dionysii verba, sed doctrinam Dionysii, quam explicuit libro fere toto *De cœlesti hierarchia*, maxime cap. 7, 9 et 15. Dixit « fertur, » quia vel ipse Dionysium non legerat, vel quia liber vulgo Latinis nondum satis notus erat. Sane Gregorium non hæsitanter, sed assertive Dionysio opus illud tribuere, tenuit Adrianus I papa, ut videbitis infra.

S. Martinus I gloriosus martyr, in dicta Lateranensi synodo, secretario 1, citans varios Patres, etiam nostrum laudat his verbis, pag. 119 : « Dionysius egregius et molem carnalem eum habere prædicat, et pondus corporeum; et cum mole ac pondere corporeo, eum incedere super aquas, non infusis pedibus : et hoc in opusculis ejus *De divinis nominibus* docens, ait : *Ignoramus qualiter de Virgine is alia lege præter naturalem formabatur, et qualiter non infusis pedibus corporalem molem habentibus, et materiale pondus, deambulabat humidam et instabilem substantiam.* Atque iterum in epist. ejus ad Gaium scripta ait : *Et ad substantiam vere veniens supra substantiam substantiatus est, et super hominem operabatur, quæ hominis sunt. Et hoc ostendit Virgo super naturam pariens : et aqua instabilis terrenorum atque materialium pedum supportans pondus, et non obediens, sed supra naturam virtute sine diffusione consistens.* » Prior locus exstat capite secundo *De divinis nominibus* : Ἀγνοοῦμεν δὲ ὅπως ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων ἑτέρῳ παρὰ τὴν φύσιν θεσμῷ διεπλάττετο, καὶ ὅπως ἀόρόχμις ποσὶ, σωματικὸν ὄγκον ἔχουσι καὶ ὕλης βάρος, ἐπεπορεύετο τὴν ὑγρὰν καὶ ἄστατον οὐσίαν. Posterior item in epist. ad Caium 4 : Καὶ εἰς οὐσίαν ἀληθῶς ἐλθὼν, ὑπὲρ οὐσίαν οὐσιώθη, καὶ ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνήργει τα ἀνθρώπου. Καὶ δηλοῖ Παρθένος, ὑπερφυως κύουσα· καὶ ὕδωρ ἄστατον, ὑλικῶν καὶ γηρων ποδῶν ἀνέχον βάρος, καὶ μὴ ὑπεῖκον, ἀλλ' ὑπερφυεῖ δυνάμει πρὸς τὸ ἀδιάχυτον συνιστάμενον.

Demum secretario 3, pag. 122, sic loquitur : « Propterea hos vobis Dominus, ut cernitis, manifestavit per hoc testimonium B. Dionysii, quod in præsenti relectum est, falsidicos luculentius eos ostendens, ut et de his, quod a Domino dictum est, impleatur, quo ait : *Quando loquitur mendacium, de propriis loquitur : quia mendax est, et pater ejus*

i Joan. VIII, 47.

Digitized by Google

Mentita est enim iniquitas sibi [k], in his utique instabilibus exsistentibus ut instabilis. Nam B. Dionysio asserente sicut audivistis, dilectissimi fratres, novam quamdam Dei virilem operationem inter nos versatam, interque eorum apertissime contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo, novam, immutando, et unam pro nova asserendo Dei virilem operationem, quasi dixisse doctorem perhibens : Sergius autem in epistola de hujusmodi quæstione ad Cyrum scripta, tam immutationem novæ cum illo confirmans, et non solum hoc, sed et doctoris Dei-virilem amputans penitus vocem; et unam absolute in Christo Deo dogmatizans operationem : facientes dolum quasi novacula acuta, atque minime considerantes, quod in Psalmo scriptum est : *Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit occulta cordis* [l], et *cogitationes* talium hominum, *quoniam vanæ sunt* [m]; *vana enim locutus est unusquisque ad proximum suum : labia dolosa, in corde et corde locuti sunt mala : sed disperdet Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam, qui dixerunt : Labia nostra a nobis sunt, quis noster est Dominus* [n]? Nam si hæc in memoria retinerent, minime ad talem iniquitatem prosilirent, id est immutationem et interemptionem paternarum traditionum et dogmatum. » Hactenus S. papa Martinus. Quid ille nunc vobis diceret, hæretici? Si voculam unam tollere, et aliam substituere ex isto libro B. Dionysii, est immutare et interimere paternas traditiones; quid totum librum abolere, et de gnesio spurium facere; de sancto martyre et gravissimo Ecclesiæ doctore, larvam, simium, suppositilium? Videte an vos non ex illis, quorum labia dolosa, et lingua **611** magniloqua, frena nec a pontificibus, nec a synodis admittentes? Videte ne Deus a vobis requirat ista, ne vos discindat, qui novit occulta cordis et cogitationes abditissimas. Acutior est novacula vestra, quam Sergii et Cyri : unicum verbum illi, vos toi opuscula conscidistis. Verba porro Dionysii ex epistola ad Caium, de quibus agitur, exhibui superius, et habentur in fine dictæ epistolæ 4 ad Caium θεραπευτὴν quod *monachum* exponunt Maximus et Pachymerius, recte; sive *cultorem* veritatis cum Turriano, sive *medicum* cum Zino. Nam monachi præcipue divino cultui et animi sui medicinæ præcæteris vacabant, et sic a purgatrice ad illuminatricem, et ab hac ad unitivam vitæ spiritualis viam progrediebantur; ut desinatis tandem vestros corporum medicos cogitare.

Testimonia Agathonis papæ, Adriani I et Nicolai I.

Agatho papa in epistola ad Constantinum imper. Heraclium et Tiberium Augustos, in d. concilio Constantinopolitano tertio lecta, pag. 252, ita scribit : « Sanctus quoque Dionysius Areopagita episcopus Athenensis, in libro *Divinorum nominum*, cap. 2, similiter docet : *Discretum est autem a benignissima circa nos Dei operatione, hoc quod secundum nos ex nobis integre vereque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam, et operari ac pati quanta humanæ ejus et divinæ operationi congruunt præcipua ac probabilia. His namque Pater et Spiritus nulla ratione communicant; nisi quis dixerit, secundum misericordem et benignissimam ejus voluntatem, et per omnem sublimissimam et ineffabilem Dei operationem, quam operatus est, secundum nos factus incommutabilis, eo quod Deus et Dei Verbum.* » Locum habes hodie, et posui supra.

Adrianus papa I in scripto suo ad imper. Carolum Magnum *De colendis imaginibus*, prout habes in III tomo Conciliorum, p. 616, de nostro sic loquitur · « Sanctus Dionysius Areopagita, qui et episcopus Atheniensis, valde nimirum laudatus est a divo Gregorio papa, confirmante eum antiquum A Patrem et doctorem esse. Iste sub temporibus apostolorum fuit, et in Actibus apostolorum monstratur. Unde prædictis sanctissimis prædecessoribus nostris pontificibus, in sacris conciliis eorum, ejus confirmata sunt veridica testimonia pro sacrarum imaginum veneratione : inter cætera amplectentes ista ex epistola sancti Dionysii episcopi Atheniensis, quæ directa est ad S. Joannem evangelistam. » Et infra : « Quid mirabile, si Christus verax, et discipulos iniqui de civitatibus ejiciunt? Ipsi sibi digne judicantes, et de sacro scelerati interdicunt recedentes? In veritate et manifeste imagines sunt visibilia invisibilium. Nec enim in sæculis supervenientibus erit culpabilis ex ejus justitia respectus Dei. Item ejusdem, de cœlesti militia : Prædicta enim incorporea agmina diversis coloribus efficurantur, et compositionibus varios per colores tradidit, quatenus tacite per nosmetipsos per sacratissimas effigies ad simplices et incorporatos pia B mente transeamus. Etenim impossibile est nostra mente ad invisibilem et incorpoream illam pertingere cœlestis militiæ imitationem visionemque, nisi per elementorum poterimus per visibilem et invisibilem pulcherrimamque attingere effigiem, et visibiles odoriferasque imagines rationali traditione invisibiles præfulgi, » etc. Duo hæc loca invenies in nostro; unum epist. 10, alterum *Cœlestis hierarchiæ*, quam Adrianus sacræ Scripturæ more militiam vocat, cap. 1. Prioris verba sunt : Τί θαυμαστὸν, εἰ Χριστὸς ἀληθεύει, καὶ τοὺς μαθητὰς οἱ ἄδικοι τῶν πόλεων ἐξελαύνουσιν, αὐτοὶ τὰ κατ' ἀξίαν ἑαυτοῖς ἀπονέμοντες, καὶ τῶν ἁγίων οἱ ἐναγεῖς ἀποδιαστελλόμενοι, καὶ ἀποφοιτῶντες; Ἀληθῶς ἐμφανεῖς εἰκόνες εἰσὶ τὰ ὁρατὰ τῶν ἀοράτων. Οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, αἴτιος ἔσται τῶν ἐξ αὐτοῦ δικαίων ἀφορισμῶν ὁ Θεός, etc. Invenies hunc locum clarius a Dionysii interpretibus traditum, quam in pontificia epistola; cui quid solidum respondeant fidei Dionysiauæ desertores iconomachi, non video, cum C cernant hanc tam clare tribui Areopagitæ, et affirmari hunc eumdem scriptorem a sancto Gregorio Magno laudatum; et ab aliis sanctissimis pontificibus ejus libellos, de quibus controvertimus, in conciliis, quibus Spiritus sanctus præest, ut veridica scripta confirmari. Vel unicum istud testimonium homini catholico deberet sufficere. Alterius verba dicta pag. 3, tom. 1 sunt : Διὸ καὶ τὴν ὁσιωτάτην ἡμῶν ἱεραρχίαν, ἡ τελετάρχις ἱεροθεσία, τῆς τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν ὑπερκοσμίου μιμήσεως ἀξιώσασα, καὶ τὰς εἰρημένας ἀΰλους ἱεραρχίας, ὑλαίοις σχήμασι καὶ μορφωτικαῖς συνθέσεσι διαποικίλασα, παραδέδωκεν · ὅπως ἀναλόγως ἡμῖν αὐτοῖς, ἀπὸ τῶν ἱερωτάτων πλάσεων, ἐπὶ τὰς ἁπλᾶς καὶ ἀτυπώτους ἀναχθώμεν ἀναγωγὰς καὶ ἀφομοιώσεις. Ἐπεὶ μηδὲ δυνατόν ἐστι τῷ καθ' ἡμᾶς νοῖ, πρὸς τὴν ἄΰλον ἐκείνην ἀναταθῆναι τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν μίμησίν τε καὶ θεωρίαν, εἰ μὴ τῇ κατ' αὐτὸν ὑλαίᾳ χειραγωγίᾳ χρήσαιτο, τὰ μὲν φαινόμενα **612** κάλλη, τῆς ἀφανοῦς εὐ- D πρεπείας ἀπεικονίσματα λογιζόμενος, etc. Quæ cuncta Latine sunt satis clare reddita ab Ambrosio Camaldulensi, fidelius etiam ab ipso Joanne Scoto, qui Caroli Magni fere contemporaneus, in hunc modum vertit : *Propter quod et sanctissimam nostram hierarchiam, perfectissima sacrorum dispositio, cœlestium hierarchiarum supermundana imitatione dignam judicans, et dictas immateriales hierarchias materialibus figuris et formalibus compositionibus varificans, tradidit : ut proportionaliter nobis ipsis, a sacratissimis formationibus, in simplas et non figuratas ascendamus altitudines et similitudines. Quoniam neque possibile est nostro animo ad non materialem illam ascendere cœlestium hierarchiarum et imitationem, et contemplationem, nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione utatur, visibiles quidem formas invisibilis pulchritudinis*

[k] Psal. xxvi, 12. [l] Psal. 43, 22. [m] Psal. xciii, 11. [n] Psal. xi, 3-5.

Digitized by Google

imaginationes arbitrans, etc. Quo pacto possent ista probari nostris Iconoclastis?

Denique Nicolaus papa I ad Michaelem imper. perfidum epistola ita illum affatur : « Si adhuc placet aliquid de hoc nosse quod delectet, antiqui Patris et venerabilis doctoris Areopagitæ Dionysii ad Demophilum verba vobis recitari præcipite ; qui etiam in causa pietatis delinquentem sacerdotem nefas sancit a minoribus vel inferioribus judicari : ne fiat in Ecclesia Dei aliquid inordinatum, et status ejus in aliquo confundatur. » Hodie ista epistola inscribitur Demophilo therapeutæ (hoc est *monacho*, vide supra) et est epistolarum Dionysii numero octava : in qua continentur quæ citat Nicolaus : Οὐ θεμιτὸν ἱερέα πρὸς τῶν ὑπὲρ σὲ λειτουργῶν, ἢ τῶν ὁμοταγῶν σοι θεραπευτῶν εὐθύνεσθαι. *Nefas est sacerdotem a ministris, vel qui ejusdem tecum ordinis sunt therapeutis, judicari.*

Testimonia Liberati Afri, et Deusdedit episcopi Caralitani.

Produxi testes ex Asia et Europa, producam etiam unum ex Africa ; produxi ex continente, producam unum ex insula Sardiniæ. In omnes enim orbis partes, per terram et Oceanum, hæc sententia penetravit, et prævaluit.

Liberatus Afer in Breviario, de causa Nestoriana et Eutychiana cap. 10, ita scripsit : « Cyrillus quatuor libros scripsit, tres adversus Theodorum et Diodorum ; quasi Nestoriani dogmatis auctores, et alium de Incarnatione librum. In quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta testimonia, Felicis papæ Romani, Dionysii Areopagitæ Corinthiorum episcopi, et Gregorii Mirabilis Θαυματουργοῦ cognominati. »

Contra hoc testimonium duo possent ab adversariis objici. Primo, quod catholici quidam negarint hos libros esse D. Cyrilli ; ducti ea ratione, quia Cyrillus vivis hæc testimonia non objecerat ; ergo Cyrilli hoc opus non videri. Responderi potest, tunc demum objecisse, quia prius illorum non recordatus, postea in mentem venerunt ; item illis mortuis hoc opus composuisse, contra quos viventes non disputarat adhuc junior : disputavit autem contra discipulos eorum Nestorium ac Theodoretum.

Secundo potest objici, locum esse mendosum, et τὸ *Areopagitæ* inducendum. Velim consuli vetusta exemplaria ; fieri enim potest, ut locus mendosus minime sit, sed Liberatus in eorum errore fuerit, qui Dionysium Areopagitam censuerunt, post Atheniensem cathedram ad Corinthiam translatum, priusquam in Gallias migraret.

Adeodatus, sive Deusdedit venerabilis episcopus Ecclesiæ Caralitanæ insulæ Sardiniæ in synodo Lateranensi sub Martino I consultatione 3, sic locutus : « Verbum consummatum et breviatum accipiens a Domino vestra veneranda beatitudo compendiose pariterque diligenter, tam falsiloquium et novitatem, quam operati sunt apertissime Cyrus et Sergius adversus sanctos Ecclesiæ catholicæ Patres atque dogmata, per ea quæ prudentissime in præsenti allocutus est, nobis demonstravit, ostendens eos hæreticorum irretitos confessione, per hoc quod *unam* juxta exsecrabiles Themistium et Severum, Dei-virilem operationem esse denuntiant, et non mirificam in hoc atque mirabilem, quoniam in unione indivisa, duas unius ejusdem Christi Dei naturales operationes inconfuse ostendit, id est divinam et humanam, in approbatione verissima, Deum eumdem esse naturaliter et hominem ; quod utique, sicut beatus Dionysius ait, omnium est novitatum supereminens novum. Nec enim utriusque interemptionem, sed indivisam unitatem, per hanc compositam ejus vocem memoratus Pater edocuit. Veram namque unitionem ostendere voluit, sed non diminutionem quamlibet naturarum, quæ in uno Christo Deo substantialiter salvantur, aut naturalium ejus operationum, quas videlicet per propria scripta, quæ in præsenti relecta sunt, Cyrus et Sergius denegantes, et propterea sanctorum quoque Patrum adulterantes testimonia, merito a vestra apostolica pia sententia condemnati sunt, quos et nos consonanter cum ea propterea condemnamus : necnon et Pyrrhum Sergii successorem, quoniam et ipse nihilominus cum Sergio Cyrum recepisse dignoscitur, et studuit ei advocare in prænominato septimo capitulo et hoc cum in scripto testatur contra eum, quoniam immutavit **613** dictionem beati Dionysii, et quoniam juste reprehensus est pro hujusmodi immutatione a beatæ memoriæ Sophronio : ita enim scribit in unum dogmaticum ejus volumen Pyrrhus. Unum autem tantum capitulum reprehendit Sophronius reverendissimus, utpote testimonium beatæ memoriæ Dionysii falsantem permutatione unius vocis : in hoc congrua dicens prædictus vir, et cauta, in quibus ille asserit : *Sed homine facto Deo, novam quamdam Dei-virilem operationem nobis proferens ;* unam nempe secundum veritatem pro nova continebat denominatum volumen ; sed non malitiose (absit) juxta meum verbum, sed quoniam non aliter potest nova intelligi, nisi una, a sanctissimo Cyro hujusmodi vox posita est : quoniam per abnegationem sublimium unam beatus doctor confessionem construens, et hanc singulariter exprimens, quid aliter nisi unam confiteri operationem, eo quod unus est Christus, per quoddam verbum luculentius prodidit ? Ecce apertissime per suos sermones Pyrrhus et falsatam a Cyro dictionem beati Dionysii professus est, et reprehensum propterea eum merito ostendit, etc. » Agit de illo Dionysii loco epistola *ad Gaium* quarta, quo Monothelitæ depravato a se, et male citato, contra veritatem geminæ in Christo voluntatis abutebantur.

Testimonia ex Hilduino, Hincmaro, Anastasio Bibliothecario, et Hugone de Sancto Victore.

Hilduinus abbas monasterii B. Dionysii prope Lutetiam Parisiorum, ubi corpus beatissimi martyris creditur asservari (licet Ratisponenses contendant in suam civitatem dono Franciæ regum translatum, hodie in Sancti Emmerani nobili monasterio haberi) Hilduinus, inquam, ad Ludovicum Pium imper. Caroli Magni filium scribens, testatur, horum librorum scriptorem genere nobilissimum, et philosophiæ magisterio insignem, Athenis claruisse : ac probat ex apostolicis Actis ; et Aristarchi Græci chronographi epistola ad Onesiphorum primicerium, de situ Athenarum ; a quo dicit narrari « *ortum prosapiæ et doctrinam ejus, atque conversationis ordinem, seu ætatis tempus, nec non et ordinationem ipsius, et prædicationem, subrogationem etiam episcopi in locum suum, et adventum illius Romam.* » Ibi inter cætera de his libris ita scribit : « Cæterum de notitia librorum ejus, quos patrio sermone conscripsit, et quibus petentibus illos composuit, lectio nobis per Dei gratiam, et vestram ordinationem, cujus dispensatione interpretatos scrinia nostra petentibus reserant, satisfacit. Authenticos autem eosdem libros Græca lingua conscriptos, quando œconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, et cæteri missi Michaelis, legatione publica ad vestram gloriam compendio functi sunt, in ipsa vigilia solemnitatis S. Dionysii, pro munere magno suscepimus. Quod donum devotioni nostræ, ac si cœlitus allatum, adeo divina est gratia prosecuta, ut in eadem nocte decem et novem nonnullis virtutes in ægrotorum sanatione variarum infirmitatum, ex notissimis, et vicinitati nostræ personis contiguis ad laudem et gloriam sui nominis, orationibus et meritis excellentissimi sui martyris, Christus Dominus sit operari dignatus. » Post hæc Hilduinus Bedæ et Gregorii Turonensis de hoc Dionysio nostro lapsum os-

Digitized by Google

tendit ; et iis respondet, qui Bedæ ac Gregorii auctoritate conati fuerant istorum librorum alium Dionysium Corinthium facere auctorem. Denique idem Hilduinus in passione beati Dionysii Areopagitæ, quam ex Græcis se collegisse profitetur, ponit summam eorum quæ tractantur in libris quos hodie habemus, et quo habentur editi ordine.

Hincmarus episcopus Rhemensis, Hilduini discipulus, Carolo Calvo imperatori scribens, probat ea quæ Hilduinus ex Græcis scriptoribus tradiderat, testimonio beati Sanctini, qui primus Carnutensium, et postea Meldensium episcopus, et Dionysii Areopagitæ discipulus fuit, a quo ejus Acta atque martyrium, ex vetustissimis membranis se Hincmarus ait descripsisse, et exemplar Carolo Calvo transmittere. « Ut si quæ sunt (ait) eorum reliquiæ, qui negabant dominum et patrem nostrum, patronum vestrum Dionysium, esse Areopagitam, a beato Paulo apostolo baptizatum, et Atheniensium ordinatum episcopum, et in Gallias a beato Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio, et sanctæ sedis Romanæ attestatio, et Gallicana intimat contestatio, ratum, et in hac causa, quod longe ante nos dictum est, recognoscant : quia veritas sæpius exagitata, magis splendescit in lucem. » Tribus argumentis probat, quibus et nos usi, et utimur. 1. Græcorum testificatione, nempe legatorum Michaelis imperatoris, quibus addidi decurias aliquot Patrum. 2. Sanctæ Romanæ sedis attestatione, nempe per Anastasium Bibliothecarium, de quo statim, quibus adhuc clara testimonia Gregorii Magni, Martini I, Adriani I, Nicolai I et Agathonis. 3. Gallicana contestatione, nempe Hilduini, et, de qua postea, Ludovici imperatoris. Beati Sanctini de adventu beati Dionysii nostri in Gallias verba fuerunt : « S. Dionysius Areopagites egregia B. Pauli apostoli prædicatione, fidei veritate illuminatus, etc., per revelationem ordinata sibi commissa Ecclesia Romam venit, **614** etc., et a B. Clemente Petri apostoli successore, amabiliter et honorabiliter susceptus, post aliquod spatium temporis cum aliis ad eroganda divini verbi semina in Gallias est directus, qui prædicando, et sermonem confirmando sequentibus signis, Parisios, ducente Domino, pervenit : » ubi et martyrium perpessus; ideo (quod notavit Hilduinus) apud Græcos interrupta aliquandiu ejus memoria fuit.

Anastasius Bibliothecarius Romanæ sedis, cujus Historiam noster Joannes Busæus Moguntiæ curavit imprimi, ad eumdem Carolum Calvum epistolam scripsit, contra eos qui asserebant B. Dionysium, primum Parisiorum episcopum, non esse Areopagitam : et contendit, fretus Græcorum codicum et Latinorum auctoritate, eumdem esse, et Græco sermone celsa sua scripta contexuisse : quæ scripta (sodes) nisi hæc ipsa, quæ ab Erigena conversa in Latinum, jubente Ludovico, et a se correcta Anastasius Ludovici filio Carolo, cum passione B. Dionysii a se ex Methodio conversa, dedicavit? de quibus videlicet in alia ad eumdem Carolum epistola sic scripsit : « Notandum est, quod licet tantæ gloriæ tantæque scientiæ, sive antiquitatis iste S. Dionysius fuerit, nunquam tamen aliqua Opuscula eum edidisse, nisi fallor, quæcunque orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani pontifices, Gregorius, Martinus et Agatho, dictorum ejus in conscriptis suis mentionem fecerunt. » Et mox : « Unde ego veram esse Græcorum opinionem conjicio, perhibentium, libros ejus a prioribus hæreticis occultatos, donec longo post tempore, ex opusculis ejus, solus codex, qui nunc habetur, est Romæ repertus, cæterisque nondum juventis, in Græciam asportatus. » Sic ille : sed docui, quibusdam Græcis, etiam ante divum Gregorium papam, hæc Areopagitica opera fuisse cognita, illud verum est, post Gregorium communi consensu recepta, donec isti terræ filii, et cœlestium perduelles, antiquam illam anonymorum querelam tumida et gravi, sed ingrata et inutili coaxatione, in limo lacustri renovarunt.

Hugo de S. Victore, canonicus regularis, sui temporis tam clarum lumen, ut aliter Augustinus fuerit vocatus ; primus Latinorum ausus fuit explicationem *Cœlestis hierarchiæ* magni Areopagitæ, usus versione Joannis Scoti, et eam decem libris comprehensam dicavit Ludovico Francorum regi, filio Ludovici Grossi; et in Prolegomenon cap. 4, causam reddit, « cur theologus et narrator hierarchiarum et potestatum sacrarum Dionysium » (sic eum vocat) opus illud *Cœlestis hierarchiæ* sibi censuerit componendum. Claudat agmen Patrum Hugo: nam iis, quos subdam, a disputandi accommodatiore scholis ratione, *Scholastici* sunt vocati.

Testimonia Scholasticorum.

Petrus Lombardus, qui vulgo Magister sententiarum vocatur, in II libro, et eum secuti scholastici, pro indubitatis Areopagitæ operibus habuerunt; et ideo dicta ejus de hierarchiis cœlestibus, et de divinis proprietatibus et alia, pro ratis et summopere venerandis semper laudarunt : nec, præter Thomam de Vio, ipsorum legi ullum, qui de opusculorum istorum auctore vel leviter dubitarit. Patet eorum consensus (quem communem omnium vocat Dionysius Carthusianus Præfatione in nostrum) ex eo quod Alexander de Hales in p. II a quæst. 36; Albertus Magnus in 2 Sent., distinct. 9 et 10; B. Thomas in I part. q. 108 et passim; B. Bonaventura in dict. distinct. 9 et 10; Durandus, Scotus, Richardus, Gabriel, et alii ibidem, sine ullo addito, per antonomasiam, semper Dionysium vocarunt; neque sic vocaturi, neque tanti facturi, si pro incerto, dubio, vel supposititio habuissent. Eadem fiducia et reverentia S. Bonaventura, ejus imitatione et vestigiis hærens, eruditum librum *De ecclesiastica hierarchia* composuit, et sanctus Thomas edidit Commentaria in lib. *De divinis nominibus* ; ut etiam in hierarchiam angelicam Robertus Grosseteste Lincolniensis episcopus. Pro Areopagiticis etiam habuit Alfonsus de Madrigal, Tostatus episcopus Abulensis. Commentariis in Josue cap. x, q. 88.

Recollectio auctoritatum, singulis operibus D. Dionysii accommodata.

Quia controversia ista, quæ mihi cum Josepho Scaligero, ab auctoritate et antiqua præscriptione potissimum pendet; visum in libri calce suffragia per recapitulationem recolligere, ut æqui judices habeant uno intuitu, quod illos ad juste *Vindicias* addicendas vel abjudicandas queat permovere.

Pro Scaligero (qui se primum putat dubitasse) fuerunt olim quidem Græci, sed anonymi, incertum an catholici, an hæretici. In Francia quoque nonnulli, regnantibus Ludovico Pio et Carolo Calvo, sed et ipsi quoque anonymi. Avorum nostrorum memoria sepultum errorem effoderunt, et pro novo venditarunt, Theodorus Gaza et Laurentius Valla Grammatici, Desiderius Erasmus incertæ fidei, Cajetanus catholicus, sed Erasmo nimis credulus, Lutherus hæresiarcha cum suis, Calvinus alter hæresiarcha cum suis, et his annis **615** Josephus Scaliger, et Desiderius Heraldus. Rarum manipulum cernitis, et rorariorum.

Stat ex alia parte densa et invicta plane legio, robur triariorum, ex Asia, Africa, Europa evocatorum ; concilia universalia, pontifices Romani, patriarchæ, episcopi, doctores Ecclesiæ, theologi, historici, philosophi, omnes in terris olim celebres, nunc in cœlis multi gloriosi.

Horum nonnulli omnes, quos habemus Dionysii libros, alii quosdam ut germanos beati Dionysii Areopagitæ receperunt.

Omnes quidem libros receperunt, quotquot in

Digitized by Google

eos Scholia ediderunt, ut Maximus martyr et Pachymeres Græci; vel Latio donarunt, ut Scotus, Hilduinus, Anastasius Bibliothecarius, et alii : vel eorum pinacas contexuerunt, ut Joannes Sycopolitanus, Suidas, Simeon Metaphrastes, Nicephorus, et Hilduinus; vel qui ex professo affirmarunt esse Dionysii Areopagitæ, ut Theodorus presbyter, et iidem Anastasius ac Hilduinus, Guilelmus Budæus, Matthæus Galenus, Alanus Corpus, cardinalis Baronius, et noster cardinalis Bellarminus, quibus addere licet Jeremiam Constantinopolitanum, et alios complures; vel qui ex opusculis hisce promiscue testimonia desumentes, theologica axiomata inde comprobarunt, ut cum magistro sentent. SS. Bonaventura et Thomas, et reliqui scholastici omnes : item qui simpliciter scriptorum Areopagitæ meminerunt, vel ex incertis locis fragmenta quædam collegerunt, ut D. Cyrillus supra, Liberatus, SS. Sanctinus et Hincmarus, Anastasius Nyssenus, Antonius Melissa, Theodorus Prodromus, cardinalis Bessarion, et synodus Ferrariensis generalis VIII.

Certa vero et definita exstantium libellorum loca produxerunt plurimi. Exempli gratia : *De cœlesti hierarchia*, B. Ignatius martyr, S. Hieronymus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Dionysius Alexandrinus, S. Athanasius Alexandrinus, Origenes Adamantius, Michael Syngelus, S. Joannes Damascenus, Georgius Patricius, Euthymius Zigabenus, S. Gregorius Magnus, Adrianus I papa, Hugo de S. Victore, et Robertus, episcopus Lincolniensis.

De ecclesiastica hierarchia, Anastasius Nyssenus, Elias Cretensis, S. Michael Syngelus, S. Joannes Damascenus, Georgius Patricius, Euthymius Zigabenus, synodus Nicæna I, synodus Nicæna II, cap. *Omnes*, dist. 38, ex Decreto Gratiani, S. Bonaventura.

Ex libro *De divinis nominibus*, S. Ignatius martyr. S. Maximus martyr, S. Anastasius Sinaita, S. Andreas Cretensis Hierosol. episcopus, Glycas, Julianus episcopus Hierosolymitanus, Euthymius historiographus, S. Joannes Damascenus, S. Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, Epiphanius presbyter, S. Michael Syngelus, Græci in quodam de Deipara cantico, Georgius Patricius, Euthymius Zigabenus, synodus VI generalis, S. papa Martinus I, Agatho papa, divus Thomas de Aquino.

Ex libro *De mystica theologia*, Georgius Patricius, et Euthymius monachus ille Zigabenus.

Epistolarum omnium meminerunt, qui omnia recensent Opera; quorumdam vero sigillatim ac speciatim sequentes hoc pacto.

Epistolæ quartæ ad Caium Therapeutam, S. Sophronius episcopus Hierosolymitanus, S. Maximus, S. Michael Syngelus, S. Joannes Damascenus, Euthymius Zigabenus, synodus Lateranensis sub Martino I, S. Martinus papa I, Sergius Tempsanensis, Deusdedit Caralitanus. Hi omnes catholici, ex Monothelitis vero quinque habes, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium, patriarchas, et Themistium philosophum.

Epistolæ ad Demophilum Therapeutam, Nicolaus I papa.

Epistolæ ad S. Joannem evangelistam, Adrianus I papa. Satisne multi et probi? His igitur copiis fretus in aciem prodii : hac nube testium obumbratus, Salmonei fulmina, aut Claudiana tonitrua non formido. Testes produxi, qui multorum sæculorum, et totius orbis Christiani, prudentissimi, sanctissimi, sapientissimi fuerunt : multi in conciliis œcumenicis, Spiritu sancto inspirante, locuti : multi beatorum numero ascripti, martyriis et miraculis illustres, etc.

PETRI LANSSELII

SOC. JESU PRESB.

DE S. DIONYSIO AREOPAGITA

EJUSQUE SCRIPTIS

DISPUTATIO APOLOGETICA

616 Non est ut mirandum sit alicui, si post multas doctissimorum hominum lucubrationes, qui summa laude et ingenii gloria Vindicias Areopagiticas in lucem emiserunt, nos eamdem disputationem aggredimur. Nam ut omittam, quod singuli non omnia persecuti sint, quoque, ut ait cœlestium hymnorum Vates, *dies diei eructat verbum* [a]; sane pertinet ad editionem hanc nostram, quam ornatam suisque numeris absolutam esse cupimus, ut remoræ omnes exstinguantur, turbulentæ objectionum undæ placentur, quo recto cursu hic merciſm Atticarum cataplus, in Galliam a B. Dionysio invectus ad doctorum omnium intelligentiam appellat. Neque vero hic complectar omnia quæ in hoc genere dici potuissent : magnam partem objectionum, quas amantes novitatis solent opponere, S. Maximus, aliique exhauriunt, qui Dionysii Vitam summo judicio perscripserunt. Quorum docta monumenta quoniam sunt in manibus, et a nobis in hoc etiam Opere collocantur, hoc proinde loco silebitur de Apollinari, nihil dicetur de utroque Dionysio, tum Corinthio tum Alexandrino, nihil de iis minutis quasi tragulis, quas scioli homines et curiosi in communem jam omnium nationum opinionem conjiciunt, ne in illis otiose refellendis actum agere, et bis cramben recoquere videamur. Gravior mihi semper visa Turonensis Gregorii auctoritas, qua freti eruditissimi quidam hujus temporis theologi, fieri minime posse dicebant, ut is foret Areopagita Dionysius, quem homo Gallus, in Galliæ rebus versatus deque notissimis rebus memorans, sub Decio Lutetiam Parisiorum venisse confirmat. Eoque magis in ea ipsa re audiendum esse putabant, quod cum ejus narratione sententia Martyrologium vetus Romanum, ut ipsi quidem rentur, conspiret. Sancti viri locum e

[a] Psal. XVIII, 3.

Digitized by Google

Francorum Historia depromptum, quandoquidem A lubet excutere et examinare paulo subtilius, ad latebram totius difficultatis illuminandam, totum hic apponam. Ita igitur habet libro I, cap. 30 : « Hujus tempore septem viri episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia passionis sancti Saturnini denarrat : ait enim, sub Decio et Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur : primum ac summum Tolosana civitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt, Turonicis Gratianus episcopus ; Arelatensibus, Trophimus episcopus ; Narbonæ, Paulus episcopus : Tolosæ, Saturninus episcopus ; Parisiacis, Dionysius episcopus ; Arvernis, Stremonius episcopus ; Lemovicinis, Martialis est destinatus episcopus. »

Equidem hunc antistitem non agri modo Turonensis decus, sed totius Galliæ lumen, tanti facio, quanti par est eum, qui clarissimis monumentis gloriosi nominis famam obtinuit ; sed in hac re tamen non plus habet momenti ejus oratio, quam B illa ipsa passio Saturnini quam laudat, quamque in mæandris antiquitatis relegendis Helicen unam et Cynosuram sequitur. Atque hoc ipso introitu in disputationem videre mihi videor, quis eum flatus in erroris scopulos illiserit ; nam cum in ea Saturnini rerum gestarum historia, vidisset egregium illum Christi bellatorem sub Decio venisse in Galliam, existimavit etiam alios claros viros, quos deinde nominat, fidei duces et propagatores, eadem ipsa ætate Galliæ regnum vitæ innocentia et doctrina illustravisse. Itaque ut in tenebris micans et incertus, nullum profert Romanum pontificem totius Ecclesiæ gubernatorem, a quo illi primipili religionis ad triumphantem ubique impietatem coercendam sint dimissi. Sunt igitur duo quædam mihi obiter et brevissime ostendenda : in primis, fuisse plures, etiam ex iis quos enumerat Gregorius, Christianæ fidei buccinatores in Gallia, priusquam Decius imperii habenas moderaretur ; deinde, ne- C minem eorum scriptorum, qui Ecclesiæ nascentis memoriam posteritati transmiserunt, martyrumque natales dies collegerunt de B. Dionysio confirmasse, eum una cum Gratiano, Saturnino, cæteris in Galliam fuisse legatum : e quibus liquido, opinor, constabit, quam levis, atque falsa, quam inanis sit Gregorii Turonensis opinatio, 617 quam vanum denique sit ingeniosorum hominum commentum, qui antiquo Romano Martyrologio nisi ejus opinionem, robustioremque fieri existimant.

Utrumque vero ex iis scriptoribus, qui Martyrologia summa cura et labore concinnarunt, non est operosum ostendere. Nam ut a Gratiano inchoemus, vetus Romanum Martyrologium, et deinceps Ado 18 Octobris, nec quo tempore sit missus in Galliam explicant, nec socium B. Dionysii fuisse contendunt. Par utriusque silentium de Trophimo, quem alioqui discipulum apostolorum vocant. De illo vero hæc Adonis verba notari velim, cum de festivitatibus apostolorum, « Natalis, inquit, sancti Trophimi de quo scribit Apostolus ad Timotheum ; *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti* P. Hic ab apostolis Romæ ordinatus episcopus, primus ad Arelatem urbem Galliæ ob Christi Evangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut B. papa Zosimus scribit, totæ Galliæ fidei rivos acceperunt : qui apud eamdem urbem in pace quievit. » Idem confirmat in Chronico ætate sexta, anno Christi 59, Gaguinus libro IX de Carolo V rege scribens, hæc de Trophimo refert : « Arelatem regni Burgundorum primariam civitatem et caput fuisse, imperioque paruisse, certum est : quam, ut Gervasius scribit, Aram latam prisci appellabant ; nam in eo loco prope civitatem, qui Rocheta dicebatur, duæ columnæ exstructæ erant et super eas ara imposita, ubi quotannis ad Kalendas Maias frequens undique populus, humanas hostias pro sua sospitate mactare consueverat. Itaque tres juvenes publica pecunia emptos anno toto saginabant, quos constituto die ad ipsam aram immolabant, victimarum sanguine circumstantem populum aspergentes, quem ritum D. Trophimus, ex septuaginta duobus Christi discipulis illo ex Judæa missus, sustulit ; docens, non cruore mortalium hominum, sed Christi sanguine illos debere aspergi. » Hunc igitur, ad rudes animos religione imbuendos, sub Decio venisse in Galliam putemus.

Sequitur tertio loco Narbonensis antistes Paulus, de quo, si eadem vetustatis monumenta scrutari, et pervolutare Martyrologia velimus, sic reperiemus, nullam Decii mentionem, nullam cum Dionysio nostro in peregrinando societatem adhiberi. Vetus Romanum 22 Martii diserte ipsum discipulum apostolorum indigitat. Ado *De festivitate apostolorum* : « Natalis S. Pauli, quem beati apostoli ordinatum urbi Narbonæ episcopum miserunt. Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum proconsulem, virum prudentem, a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat, quique ab eodem sancto Apostolo, cum ad Hispanias prædicandi gratia pergeret, apud præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus sepelitur. » Illustrissimus Baronius hanc ipsam historiam purpura orationis convestivit et ornavit, quam huic panno minime attexo, hoc unum contentus ostendisse, tot sæculorum ætatumque judicio, Martyrologii testimonio, scriptorum illustrium consensione, Gregorii Turonensis opinionem abjectam et repudiatam fuisse.

Numerat deinde Saturninum, de quo etiam quid vetus memoria prædicet, videamus. Vetus quidem Romanum Martyrologium plane silet, nec in Vita quam Surius tomo VI posuit, discipulus fuisse Dionysii nostri dicitur ; quin Græcus scriptor nullus reperietur, qui dicat Saturninum sancti Dionysii socium, Tolosanum fuisse episcopum. Adde, neminem memorare, mortem illum occubuisse sub Fescennino Sisinnio, atque adeo, nisi me mea memoria fallit, non exstare apud ullum qui res veteres litterarum monumentis mandarit, ullam mentionem cujusdam præsidis Sisinnii, qui tempore Decii imperatoris floreret. Latini vero qui deinceps Saturnini meminerunt, cum in eadem vestigia sint ingressi, quæ palans ante Gregorius impresserat, non est mirum, si cum eodem de via deflexerint. Merito igitur illa ab Hilduino dicuntur pag. 69 : « Et quod Gregorius Turonensis, sicut in passione S. Saturnini legisse se dixerat, sub autumatione memoret istum ipsum tempore persecutionis Decii sub B. Sixto cum aliis sex episcopis, quorum vitæ vel passiones nequaquam ejus dictis in ratione temporum consonant, in has regiones fuisse di- D rectum. »

Quinto loco Dionysium nostrum recenset, quem, ut delectum Argivum virum, ad ipsam heroum classem Gallicamque expeditionem aggregat. Proferemus igitur Martyrologium, quod totum ab eo esse volunt. Ita vero habet 3 Octobris ; « *Athenis, Dionysii Areopagitæ, sub Adriano diversis tormentis passi, ut Aristides testis est in opere quod de Christiana religione composuit*, etc. » Et 9 ejusdem : « *Parisiis Dionysii episcopi cum sociis suis a Fescennio gladio animadversi.* » Ex his locis quidam existimarunt, quod e privatis eorum litteris coguovi, perspicue duos distingui Dionysios, notata loci et diei varietate. Sed, quod pace illorum sit dictum, vitreum illud est et fragile fundamentum, ex quo effici nihil aliud possit, quam solemnes dies festos qui et eidem varie consecratos. Neque vero est

P II Tim. IV, 20.

Digitized by Google

quod **618** Athenarum mentio conturbare ullius animum debeat : nam Athenis quidem S. Dionysium diem extremum obiisse, non civitatum imperiorumque Annales, non commemoratio ulla antiquitatis, non excellentium hominum commentarii significant ; liquido autem repugnant illi omnes, qui ejus Vitam scriptis illustrarunt suis, quos diligenter exceptos studioso Lectori suo loco proponimus. Quod si quis autem rationem exquirat, cur vetus Romanum Martyrologium, Beda et Ado agant 3 Octobris de Areopagita Dionysio, die vero 9 de Dionysio Parisiorum, cæcus sim et devius a ratione, si me putem in eo genere aliquid melius aut elegantius excogitare, quam quod præstitit clarissimus Baronius, undequaque magnus, de quo non dubitem id Laconum pronuntiare, Θεῖος ἀνὴρ οὗτος. Sic vero ille disputat : « Quod autem Beda et Ado de Dionysio Areopagita agunt tertia die Octobris, die vero nona de Dionysio Parisiorum, quasi hic sit diversus ab illo, dicimus a Græcis mutuatos exemplum, ea enim die Græci de Areopagita agunt, Romæ autem hac die ex antiquis Ecclesiarum monumentis agi solitum certum est, alia fortasse de causa. Sæpe enim accidisse vidimus, ut alia ratione Græci, alia vero Latini ejusdem sancti agant celebritatem ; imo inter ipsos Latinos eamdem invenies diversitatem, quod nimirum alii celebrent diem natalem, inventionis seu translationis ; alii, vel forte dedicationis Ecclesiæ ; qua etiam ratione de uno eodemque sancto iterum agi solemnitatem, facile invenies. Ad hæc si attentius considerentur quæ Beda et Ado ea die tertia Octobris dicant de Dionysio Areopagita, iidem nostræ potius favere videntur causæ, quam contradicere, cum testentur, sanctum Dionysium sub Adriano imperatore martyrium consummasse ; quo quidem tempore Atheniensi Ecclesiæ præfuisse Quadratum episcopum, et hujus præcessorem Publicum, Dionysii successorem, certum est ; id etenim Eusebius *Historiæ* libro IV, cap. 22, id etiam sanctus Hieronymus *De scriptoribus ecclesiasticis* in Quadrato, id denique cæteri historici ea tempora prosecuti testantur. Quin si fidem præstamus Hippolyti libello *De septuaginta duobus discipulis*, Narcissum discipulum Domini ante prædictos post Dionysium Athenis sedisse, dicere opus est. Quænam ergo causa esse potuit, ut Dionysio adhuc superstite, usque ad tempora Adriani tres episcopi, vel saltem duo, in ejus locum fuerint subrogati ? Haud equidem credendum est, talem tantumque virum, Ecclesiæ columnam, in maximis illis Ecclesiæ angustiis sedi nuntium remisisse, vitamque otiosam transegisse. Sicque nihil est quod convenientius dici posse videatur, quam (quod ejus acta significant) eum ad majorem provinciam subeundam a S. Clemente papa in Gallias amandatum ; quo exemplo factum apparet, ut et S. Polycarpus suorum discipulorum plerosque eodem ex Asia miserit, cum tam ingens ostium ad Evangelium propagandum patere videret, et in multa messe operarios esse perpaucos. »

Hactenus Baronius : qui cum S. Clementem nominat, fortissimum mea quidem opinione suggerit argumentum ad eamdem rem comprobandam. Neque enim in Vitis pontificum reperietur ab alio missum in Galliam Dionysium, quam a Clemente, qui idem publicus administer religionis, solusque Romani præses, pari consilio et auctoritate B. Dionysii communitones amandavit, a quibus Itali, Germanique, tum qui in Hispania sunt populi, fidei lucem exceperunt. Quos populos futili existimatione delusos, hactenus in summa ignoratione jacuisse necesse est, manentque omnem majorum traditionem esse putandam, anilia denique esse commenta quæ in archivis ecclesiarum, tabulariisque continentur, si Dionysius Areopagita, si qui ejus feruntur socii, numquam ad eas oras appulerunt. Atque hoc ipsum erit etiam, opinor, illustrius, si consideremus quid varia breviaria, quæ communem fidem nationum de tutelaribus sanctis conservant, de Dionysio deque ejus sociis repræsentent. Multos igitur communium precum codices seu breviaria diversarum ecclesiarum nobis concessit R. D. Florentius Vander Hare, canonicus et thesaurarius ecclesiæ collegiatæ Sancti Petri Insulis, vir diligentissimus veterum rerum indagator, idemque humanissimus, in quibus perspicue notari video in Galliam eos venisse. Breviarium Parisiense impressum anno 1492, Burgense anno 1502, Morinense 1519, Brugense 152., Rhemense 1549, Hildesimense 1516, ipsum asserunt a Clemente papa in Gallias missum, Parisiis capite diminutum. Hildesimense vero adjungit ei socios SS. Saturninum, Lucianum, Marcellum. Unde patet, Latinos etiam scriptores pervetustos censuisse, Saturninum longe ante Decii tempora, in Galliis fidem religionemque vulgasse. Parisiense quidem certe in Vita S. Eutropii asseverat, illum cum sancto Dionysio **619** venisse ; sed Burgense anno 1502 editum, rem omnem magnificentius explicat : sic enim S. Eugenii Vitam proponit ;

« Postquam B. Dionysium Paulus apostolus ad fidem Christi convertit, et Athenarum præfecit episcopum, Romam rediit, ubi non longe post martyrium sumpsit : cujus desiderio B. Dionysius illuc pergens, B. Petrum ac eumdem Paulum martyrio coronatos invenit, sanctumque Clementem apostolicæ sedis infula sublimatum reperit, cujus benedictione roboratus, apostolatuque ab eo totius Galliæ suscepto, cum pluribus coepiscopis et presbyteris et diaconibus Arelatensium civitatem usque pervenit. Comministros sibi traditos destinavit, videlicet B. Lucianum Belvacensibus, Marcellum Bituricensibus, aliosque quamplures suis in locis, Eugenium vero Toletum mittere studuit : prædictus itaque Dionysius cum sociis Rustico et Eleutherio urbem adiit Parisios, ubi illos contra incredulos dimicantes Fescenninus reperit, eosque multis afficiens tormentis, ad ultimum decollari jussit. Hi sancti viri S. Trinitatem confitentes, trinum pariter compleverunt martyrium. Interea dum hæc aguntur, B. Eugenius, cujus inclyta vita in Ecclesiis exstat bonorum operum forma, postquam gentilem populum Toletanæ provinciæ exemplo honestæ vitæ, catholica prædicatione, miraculorum confirmatione ad fidem Christianam convertit. »

Huic historiæ lucem feret splendida P. Joannis Marianæ e societate nostra animadversio, ex libro IV *De rebus Hispaniæ*, capite 4, circa annum Christi 97 : « Omnium per hæc tempora Eugenius primus Toletanus præsul occisus est. Missus fuerat in Hispaniam a Dionysio Areopagita (sic pro constanti traditur) ex Gallia ubi Evangelium propagabat : et Christi religione in ea provincia, ac Toleti præsertim, fundata ; studio Dionysium invisendi, in interiorem Galliam penetravit, cum a Sisinii præfecti satellitibus comprehensus, in vestigio est occisus, Corpus in Marcasium lacum conjectum, Gallia demum Christi sacris populariter imbuta, Herceldus vir primarius divino monitu in Diolum pagum lacui vicinum delatum, templo ejus nomini dicato coluit. Inde in templum Dionysiacum migravit, et rege Castellæ Alfonso, qui imperator est nuncupatus, ejus brachium primum Toletum relatum est, Ludovico VII Galliæ rege concedente in soceri regis gratiam, et Raymundi Toletani præsulis. Nam quo is tempore Eugenio III Romano pontifice ad Rhemensem episcopum conventum festinabat, ex itinere rem omnem de Hispanorum memoria obliteratam præsens exploraverat. Reliquum inde corpus nostra ætate a Carolo IX rege Galliæ, Philippo II Hispaniæ regi datum, atque in urbem Toletum invectum, principali ac vero incredibili apparatu ante viginti annos, majori religione colitur. Sunt qui putent, Philippum quemdam a Clemente in Hispaniam epi-

Digitized by Google

scopum amandatum, aut certe Marcellum, quem Philippo socium Dionysius adjunxit ex Gallia (ut Michael Syngelus est auctor) Eugenium ipsum fuisse, atque hoc quidem nomen ab ingenita nobilitate manasse, alterum autem a parentibus accepisse. Quod cum affirmant, nulla meliori conjectura nituntur, quam quod Eugenii nulla mentio exstet in antiquorum scriptis : Philippus et Marcellus quid rerum in Hispania gesserint, penitus lateat. Ex eo suspicantur, nominibus permutatis eumdem Eugenium et Philippum fuisse aut Marcellum. »

Quod vero dicat, Syngelum censere, S. Marcellum adjunctum S. Dionysio socium eumdem esse cum Eugenio, in Syngelo desideratur. Quare arbitror ipsum existimasse auctorem martyrii S. Dionysii fuisse Syngelum : alius tamen fuit, nimirum S. Methodius. Cuspinianus p. 423, in *Consules Cassiodori* affirmat, se legisse in vetustis annalibus anno Domini 121 : « Apud Parisios Dionysius episcopus martyrizatur. »

Sed hæc libasse de B. Dionysio sufficiat, ad infringendam Gregorii Turonensis auctoritatem; qui pergit, et his episcopis subnectit Stremonium, de quo Vetus Romanum, Ado, Beda, et, ut brevi dicam, omnes qui Martyrologia confecerunt, plane tacent. Martyrologium duntaxat Romanum Baronii ita meminit : « Arvernis Austremonii primi ejusdem civitatis episcopi : » quo tempore floruerit non dicit. Demochares p. 42 : « S. Astremonius seu Austremonius, quem inter Christi discipulos numerant. »

Extremo in loco ponitur Martialis. Et de tempore quidem quod hic venit in Gallias, nullum, quod sciam, prodit Martyrologium; observat autem Baronius, Petrum in Catalogo l. VI, c. 29, tradere, eum dudum obiisse anno tertio Vespasiani. Demochares pag. 43, ita scribit : « S. Martialis, unus ex septuaginta discipulis Domini, anno Domini 47 has quatuor sedes episcopales in honorem Dei et beatæ Mariæ virginis, Aniciensem, Ruthenam, Arvernam, Mimiatensem ædificasse ac dedicasse dicitur. Idem quoque sub nomine ac titulo B. Stephani protomartyris, quinque has ecclesias cathedrales, Lemovicensem, Bituricensem, Cadurcensem, Agenensem et Tolosanam construxisse fertur. Sunt et qui eidem tribuunt trium ecclesiarum episcopalium harum, Pictaviensis, Xantoniensis, Engolismensis in honorem sancti Petri apostoli erectionem. Nec desunt qui eumdem dicant ecclesiam Burdegalensem in honorem sancti Stephani ac sancti Andreæ apostoli consecrasse. »

Hæc propemodum mihi satis esse videbantur, ut ostenderem, Gregorii Turonensis **620** leviorem esse opinionem, quam ut receptam et contestatam omnium sæculorum ætatibus sententiam possit convellere. Sed quoniam tantum sub Decio, fide primum imbutam Galliam ornatamque significat, age nunc ostendamus, quod sumus jam ab initio pollicti, ante illam Decii imperatoris tempestatem multos claros et religione præstantes in imperio Gallicanos fuisse, quos Gregorius ut ignotos homines præteriit, et de quibus verbum nullum fecit. Non erit certe Gallis hominibus hæc inutilis aut ingrata commemoratio, cum videbunt, jam inde ab invento Christiano nomine, tam variis tamque odoratis flosculis coronatam fuisse Galliam, tot veluti stellis clarissimis distinctam, tot divini spiritus tubis resonantem.

Occurrunt mihi in primis Rhemenses archiepiscopi tres, magnæ viri auctoritatis et sanctimoniæ, sanctus Sixtus, sanctus Sinicius, sanctus Amantius, B. Petri apostoli discipuli, qui sub Nerone morte obita, gloriosissime triumpharunt, 1 Septembris.

S. Memmius Catalaunensis episcopus Romanus, beati Petri discipulus, hic apud Dionantum ædem beato Stephano consecravit, ubi et sanctus Maternus Tungrensis beatæ Mariæ alteram ædem dedicavit anno Domini 150. I. Placentius in Catalogo episcoporum Tungrorum, et Breviarium Rhemense pluribus de eodem agunt.

Sanctus Maternus episcopus Tungrorum, 14 Septembris, discipulus sancti Petri apostoli, de quo Demochares : « Sanctus Maternus anno Domini 101 oratorium via publica Christo Salvatori nuncupavit, apud Trajectenses et Tungros ædem Deiparæ Virgini consecravit, et anno 102 apud Huvos ad montis umbraculum, quem Mosa alluebat, ædem Virgini matri dedicavit. Deinde Dionantum profectus, ubi invenit sanctum Memmium episcopum Catalaunensem, ædem sanctæ Mariæ consecravit, alteram Memmius sancto Stephano. Ideo quoque Namurci destructo idolo, ædem beatæ Mariæ inscripsit, præter eas quas passim aliis in locis dicitur dedicasse. »

S. Regulus Silvanectensis episcopus, 30 Martii, discipulus sancti Joannis evangelistæ. Vide Petrum in Catalogo libro IV, cap. 15, de quo ita Demochares : « Silvanectensium episcopus primus B. Regulus, qui missam celebravit a beato Joanne evangelista edoctus, a beato Clemente confirmatus. Siquidem de eo legimus in Catalogo sanctorum capite decimo quinto, libro quarto, ad hunc modum : Regulus episcopus natione Græcus, Joannis evangelistæ apud Ephesum discipulus fuit. Quo in Patmon insulam relegato, Athenas veniens, Dionysio adhæsit, cum quo Romam perrexit, et una secum, et cum sanctissimis Rustico et Eleutherio, a beato papa Clemente ad Gallias prædicationis gratia destinatur, qui primum Arelatum devenit : ubi a sancto Dionysio Christi nomine invocato, idolum Martis destruitur, et multis conversis templum illud in honorem apostolorum Petri et Pauli consecratur. Missis ergo sociis suis ad diversas urbes, ipse Dionysius, sancto Regulo Arelatensis civitatis ordinato episcopo, Parisios accessit, ubi cum Rustico et Eleutherio martyrii palmam suscepit. Eodem autem die quo passi sunt, dum missam Regulus in Arelato celebraret, et nomina istorum martyrum inadvertenter in canone cum aliis sanctis recitasset, miratus quod dixerat, vidit in altari tres columbas ipsorum martyrum nomina conscripta in rostris habentes. Qua visione cognoscens sanctos per martyrium migrasse, commisso populo cuidam Felici episcopo, Parisios accessit, et a Christiana matrona olim Dionysii discipula Catulla nomine hospitio susceptus, martyres Christi eadem die qua visionem viderat, passos fuisse comperit, et super eorum corpora basilicam ædificavit. Inde Silvanectensem civitatem ire disponens, in villa Lauria idolum Mercurii baculo comminuens, populum convertit, et basilicam Dei Genitricis ibidem construxit. Et in civitate Silvanectensium ad sui ingressum idola corruerunt, et templum in honorem eatæ Virginis dedicavit, et omnem populum ad fidem sua prædicatione et miraculis conversum baptizavit. » Hæc ibi.

Sanctus Savinianus aut Sabinianus episcopus Senonensis, 31 Decembris, missus cum sancto Potentiano in Gallias a sancto Petro. Petrus *De natalibus* lib. I, cap. 25. Ado in Martyrologio : « Item apud Senonas, natale beatorum Sabiniani et Potentiani, qui a beatis apostolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii sui confessione illustrem fecerunt. »

Sanctus Peregrinus episcopus Antisiodorensis, 16 Maii, civis Romanus, a Sixto papa ad Gallias missus, sub Alexandro imperatore, martyr apud S. Dionysium in Francia quiescit. Vincentius lib. X, cap. 119; Antoninus pag. 1, titul. 7, cap. 5; Petrus in Catalogo lib. V, cap. 5; Ciaconius in Vita sancti Sixti anno Domini 129, dicit : « Peregrinus Roma missus in Galliam, unde ibidem fide firmata Romam rediit, ubi in loco eodem in quo Christus sancto Petro cum cruce apparuerat, supplicio affectus est. »

Sanctus Sanctinus episcopus Meldensis, 22 Septembris, a sancto Dionysio Areopagita episcopus

Digitized by Google

ordinatus. Petrus in Catalogo lib. VIII, cap. 108; Antoninus **621** parte I, tit. 6, cap. 8, et ante omnes homines hos Hincmarus cum agit de sancto Dionysio Areopagita.

Sanctus Nigasius aut Nicasius, episcopus Rhotomagensis, 11 Octobris, a beato Clemente in Gallias missus cum B. Dionysio, et cæteris, cujus rei fidem faciunt adhuc, inquit Demochares, et locus martyrii hujus percelebris et sacer, reliquiæ et templa sub hujus nomine clara a Rupeforti non multum distantia. Vide Baronium.

Sanctus Crescens aut Crescentius episcopus Viennensis, 27 Junii, beati Pauli discipulus et martyr. Vide Baronium ad hunc diem.

Sanctus Maximus aut Maximinus, episcopus Aquiensis, 8 Junii, qui cum sanctis Lazaro, Maria Magdalena, Martha sororibus, et Cedonio post ascensum Christi in cœlum, classe Massiliam appulit. Petrus in Catalogo libro V, cap. 101 et 102.

Sanctus Ursinus aut Ursinicus, episcopus Bituricensis, 9 Novembris: hunc quidam dicunt Nathanaelem. Petrus in Catalogo cap. 9, l. I, et cap. 41, libro X. Ado: « Item eodem die apud Bituricas sancti Ursini, qui Romæ ordinatus a successoribus apostolorum, primus eidem urbi destinatur episcopus: » sunt ipsissima verba sancti Gregorii Turonensis *De gloria* confessorum, cap. 80.

Sanctus Eutropius episcopus Santonensis, 30 Aprilis. « a B. Clemente episcopo, inquit Ado, directus in Gallias, » etc. Beatus Gregorius Turonensis *De gloria martyrum* cap, 56. « Eutropius quoque martyr Santonicæ urbis, a B. Clemente episcopo fertur directus in Gallias, » etc. Petrus Catalogo lib. IV, cap. 105. Brevjarium Parisiense dicit missum fuisse cum sancto Dionysio a B. Clemente.

Ne tibi, Lector, molestus sim, si diutius in reliquis te detineam, finem imponam, ubi nomina reliquorum sanctorum qui Gallias ante Decii tempora lumine fidei illustrarunt, indicaro. Tu de illis Baronium et alios consules.

Sanctus Taurinus Ebroicensis episcopus, 11 Augusti. Sanctus Lucianus Bellovaci, 8 Januarii. Sanctus Valerius Treverensis, 29 Januarii. Sanctus Julianus Cenomanensis, 27 Januarii. Sanctus Zacharias Viennensis, 26 Maii. Sanctus Martinus Viennensis, 10 Julii. Sanctus Verus episcopus Viennensis, 1 Augusti. De his, ut dicebam, omnibus nihil penitus dixit Gregorius, quorum tamen res nec parvæ nec obscuræ fuerunt, ut qui sanctos Ecclesiæ cœtus publicasque cæremonias multos annos sint moderati. Ergone de B. Dionysio quæ dixit, docti homines tanquam sibyllæ folium excipient, et verissima esse contendent? Quid quod multa sunt ab eo præscripta, quæ a choro intelligentium omnium repudiantur? Libro I *Miruc.* cap. 28, de apostolatu magni Petri, quem noster Dionysius *coryphæum et sublimem theologiæ verticem* nominat, sic habet: « Petrus apostolus, qui ab apostolis cæteris episcopus ordinatus, Romæ cathedram locavit. » Quod ita durum est, ut ni commoda expositione molliatur, ferri nequeat, cap 29: « Paulus vero, inquit, apostolus, post revolutum anni circulum, ipsa die qua Petrus apostolus passus. » An sectatores hac in re habet multos, qui contrariam omnibus prope historicis sententiam tueantur? Qua de re videndi eruditissimi viri Baronius et noster Deekerius. Libro I *Historiæ*, cap. 30, docet Sixtum pontificem Romanum, et Laurentium archidiaconum sub Decio passos. Atqui illi signiferi pietatis sub Valeriano Romæ in excelso et illustri loco purpurea trophæa posuerunt, quod Baronius clare e S. Cypriano demonstrat, et noster Mariana lib. IV *De rebus Hispaniæ*, cap. 10.

Nulli igitur mirum videatur, Illuminum hanc erroris S. Gregorii Turonensis, et aliorum posteriorum originem afferre. « Fieri enim potest, ut diximus, quod textum passionis ipsius sancti Domini ex authenticis scriptum non habeant, et ideo in hoc errent, quia et nos plures codicillos exinde vidimus, qui in quibusdam sensu videbantur concordare, sed litteratura admodum dissonare, in quibusdam autem nec sensu nec orationis tenore poterant sociari; quod manifestum est, hujus venerabilis et antiquissimi Patris vetusta longinquitate, et ignotæ atque peregrinæ linguæ, ubi de ejus notitia maxime scriptum erat, inscitia, seu devotione fidelium accidisse, qui non studuere ad priscas historias pro cognitione ejus recurrere, sed ea quæ auditu collegerunt, ut Gregorius Turonensis, non votivo errore fallens, videntes insignia magnifica atque innumerabilia per eum fieri, prout unicuique sensu abundavit, curaverunt scriptis committere; sic et de sanctorum apostolorum gestis ac passionibus factum legimus, et de aliis quibusque historiis Ecclesiæ necessariis manifeste comperimus. » Et paulo post: « Cæterum parcendum est simplicitati viri religiosi, Gregorii Turonensis episcopi, qui multa aliter quam se veritas habeat, æstimans, non calliditatis astu, sed benignitatis voto litteris commendavit. Patenter et quidem noscere possumus, non adeo quædam solerter eum investigasse, quin ei contemporalis **622** exsistens vir prudens, et scholasticissimus Fortunatus, qui plura et frequenter ad eumdem scripserat, hymnum rhythmicæ compositionis pulcherrimum de isto gloriosissimo martyre composuerit: in quo commemorat, eum a B. Clemente destinatum, sicut in Latinorum paginis didicit; de natione autem ejus, et ordinatione episcopatus mentionem non facit, quia linguæ Græcæ penitus expers fuit. »

Longius fuit hoc cum S. Gregorio Turonensi certamen, quippe Achilles adversariorum habitus fuit, turrisque belli; cæteri ut velites atque nudi, leviori contentione fundentur. Aiunt primo Nicephorum, qui nomina episcoporum, qui suas sedes reliquissent, cum accurate recenseret, de sancto Dionysio tacuisse; certum igitur, videri Athenis illum vita functum. Sed perfacilis huic est responsio; clare etenim ipse dicit plurimos se omisisse.

Secundo. Severus Sulpitius B. Martini discipulus, qui circa annum Domini 400 floruit, testis est; « persecutione demum quinta martyria in Galliis visa fuisse, serius trans Alpes Dei religione suscepta. » Atqui ad hoc tempus, ut vir clarissimus Nicolaus Faber scribebat, Dionysius Areopagita pervenire non potuit, nec ejus martyrium stare sub Domitiano vel Trajano, in quod tempus id rejiciunt qui diutissime vixisse volunt in Galliis si primum ibi quinta persecutione visi martyres fuere. Sane hoc telum quod acerrimum quidam putant, eruditissimi Fabri quasi armamento et auctoritate contortum, ita leve debileque judico, ut nihil videatur hebetius. Nam Severi quidem Sulpitii dictum, quod meo judicio Faber non comprobat, non potest non indoctæ plenum vanitatis temeritatisque videri, nisi opportuna explicatione condiatur. Quid enim? verum illud esse queat, ante quintam persecutionem, id est ante annum centesimum septuagesimum, nullos in Gallia martyres visos? Quid igitur faciemus generosissimis illis Ecclesiæ primæ proceribus, quos veterum historiarum fides discipulos apostolorum facit, qui variis in locis Galliæ de perfidia, immanitate, superstitione, gloriosissimos triumphos retulerunt? An forte martyres ii dici minime possunt, quorum in patiendo nobilitata constantia, ferri aciem, uncos, equuleos, et omne genus carnificinæ superavit? Cum ergo scribit Sulpitius, persecutione demum quinta martyria in Galliis visa fuisse, non vult dicere, nullos penitus fuisse martyres, sed tum primum velut

Digitized by Google

patefactis subito carceribus, illam immanem tyrannorum tempestatem fuisse effusam, qua Lugduni et Viennæ Vetius, Photinus, Irenæus, aliisque in locis innumerabiles, alii inter medios cruciatus coronati vixerunt.

Tertio. A Græcis fraudem eam manasse contendunt, qui cum ambirent regum Franciæ societatem, quos in bello potentissimos esse videbant, et eorum gratiam et munificentiam aucuparentur, sanctum Dionysium, quem in Gallia celebrari didicissent, finxerint esse Dionysium Areopagitam. Respondeo, gravem et non ferendam toti Græciæ fieri injuriam, in qua cæci omnes cupiditate fingantur, nullus patriæ veritatisque studiosus, cum nemo hactenus illam suorum levitatem inanitatemque arguerit. Deinde si beati Dionysii corpus in sinu Græciæ positum fuit, cur in tantis disertorum hominum monumentis nulla ipsius memoria, mirum potius silentium? cur nemini unquam imperatori e lipsanis ejus quidpiam concessum, aut Romæ ornandæ, qua in urbe magister ejus Paulus situs est, aut ad Byzantium aliudve oppidum e pio more cohonestandum?

Quarto. Cur Stephanus papa S. Dionysii beneficio sanitatem consecutus, os sacrum e brachio sumptum Parisii Romam detulit, exstructumque in ejus honorem templum Græcis monachis augusta religione celebrandum dedit? an non prius inquirendum fuit, num uspiam Athenis Areopagitæ Dionysii exuviæ conquiescerent, nisi foret illa communis et pervagata omnium regionum populorumque opinio, eum thesaurum, gaza omni et flavissis opulentiorem, Parisiis tantum reperiri?

Quinto. Cur perenni cum plurium sæculorum decursu, cum tot homines Græciam peragrarint, tot Græci, capta præsertim Constantinopoli, Romam venerint, Italiamque omnem suis scriptis referserint, nullus tamen sit inventus hactenus, qui corpus S. Dionysii coli in Græcia, Parisienses longe sua opinione deceptos esse diceret?

Sexto. Infinita prope miracula patrata sunt Dionysii nostri meritis et gratia apud Deum; evelli non potest aut excuti ex animo hæc opinio, Areopagitam hunc esse Dionysium, quem omnium ordinum homines legitimis honoribus celebrant. Estne verisimile, si alius quispiam sit Dionysius qui Lutetiæ Parisiorum præsederit, eum honore spoliari, laudem ejus transferri in alium, tot annis inter suos ignotum jacere? Nam tametsi sanctissimi viri qui cum Deo felicitate potiuntur, laudibus nostris et gratulatione non indigent, pertinet tamen ad divinæ mentis providentiam, ut cœlites, quorum reliquiæ in terris multa prodigia operantur, aliquo gaudio et humanissima voluptate non careant, quam ex hominum cognitione **623** et grati animi significatione percipiunt. Cur igitur tot sæculorum labentibus jam annis, hunc ignotum Dionysium esse voluisset, suppositititium autem cultu et honore perfrui?

Sed remota disputandi subtilitate, lubet in historiam intueri, quæ nuntia est vetustatis, abditarumque rerum testis. Sunt in manibus mediæ ætatis scriptores, qui res Galliæ hominum memoriæ consecraverunt, eoque excepti a doctis cupidius, quod Pithæi V. C. auspiciis lucem vident. Ii tanto ante, nisi refractaria esset hominum mens, dubitationem forte omnem et jactantem sese liberius contentionum libidinem sustulissent. Nam cum tempore Leonis papæ IX anno Domini 1050 Ratisbonæ in Germania corpus fuisset inventum, tacitæ religionis plenum et sanctitatis, quod nonnulli Dionysii Areopagitæ esse dicebant, mittuntur nuntii ab imperatore in Franciam, qui rescirent, num Parisiis in eo templo, quod Dagobertus ædificaverat, Dionysii corpus Areopagitæ D. Pauli discipuli esset, an non esset. Galliæ rex Henricus, imperatoris nuntiis comitatus, jussit adesse archiepiscopos, episcopos, et A barones totius regni cum Odone charissimo fratre suo, ad Dionysii martyris templum. Cumque preces demississime Deo obtulissent, allata sunt argentea vasa tria, Dionysii, Rustici, et Eleutherii sigillis munita, et in totius populi conspectu posita. « Et aperto vase beati martyris Dionysii, totum corpus ipsius cum capite inventum est (verba sunt Rigordi scriptoris) exceptis duobus ossibus de collo, quæ sunt in ecclesia Vergiacensi, et os quoddam de brachio, quod Stephanus papa III secum ad Romanam portavit ecclesiam, et posuit in ecclesia quæ hodie Schola Græcorum vocatur. Hoc videntes universi populi, cum lacrymis et suspiriis puras manus levantes ad Dominum, Deo et beatæ Mariæ virgini, et sanctis martyribus se commendantes, cum gaudio recesserunt. » Sed quid ego scriptorem unum commemoro? quotus quisque de Gallorum rebus gestis, et tam inclyti dominatus antiquitate quidpiam prodidit ad perennem hominum memoB riam, in quo non exstent nostri Dionysii haud obscura et expressa testimonia? Quoties in bello et in pace, publice, privatim, in omni fortunæ conditione S. Dionysius, ille, inquam, Areopagita Dionysius, invocatus, adfuit, seque mirabilem et Deo charum ostendit? Quin gentes quædam sunt in Gallia atque familiæ, veteri prosapia et illustri generis claritate omni vetustate corroborata, quæ hoc uno glorientur, quod a S. Dionysio Areopagita primæ fuerint sacro fonte ablutæ, ab eodem institutæ, et veri Numinis religione ornatæ. Facerem omnino injuriam religioni et veritati, si gentis Montmorantiorum amplissimum decus, et vetustæ pietatis clarissimum testimonium hic dissimulem, quæ pietas a sanctissimo nostro Dionysio in agro Parisino primum insita, subito mirabiliter effloruit, purpureasque veluti rosas omni gratia et amœnitate uberes in cœlum emisit. Stirps illius gentis fuit Lisbius, quem veterum historiarum Annales Parisiacæ urbis nobilissimum et splendidissimum virum C nominant, qui primus adventantem Lutetiam Parisiorum Areopagitam Dionysium excepit, ab eo primus Christi fidem et religionem hausit, eidem primus locum dedit ad pium templum exædificandum. Hujus principis et religiosissimi viri filius Visbius, sui parentis, et B. Dionysii gloriosum fatum litteris commendavit, quod opus Hilduinus ante octingentos fere annos, ut oculati testimonium fidum et ingenuum vehementissime commendabat. Atque ut omni posteritati nobilissimi viri pietas ad sempiternam hominum memoriam proderetur, omnium consensione tributum fuit, ut primus hæc Christianus Franciæ, Montmorantius diceretur: et posteri gentilitio in stemmate, sive insignibus familiæ, nota elogia duo ferrent, Gallicum unum: *Dieu aide au premier Chrétien*, hoc est, *Primum Christianum Deus juvet*: alterum Græcum, Ἀπλανής, *erroris expers*, quod Lisbius, Montmorantianæ familiæ progenerator, inter Gallos, tum devios a reD ligione, primus in agro Parisiensi lucem et veri Numinis cognitionem exceperit. Et quidem in clarissimam illam familiam, Dionysii nostri pietatem penitus insitam et illiminatam fuisse, qui postea consecuti sunt magni heroes, claris facinoribus et perenni catholicæ religionis propugnatione declaraverunt. Sciunt hoc omnes, et prædicant uno ore Galli, et etiamnum in Belgio nostro videmus ejusdem generis nominisque multos, qui partim armis inclyti, partim moderatores reipublicæ incredibili sapientia, consilio, fide, partim antistites præsidesque religionis, avitæ pietatis hunc ardorem in omnium luce atque prædicatione collocant. De quibus nihil dicam amplius, cum D. Raphael Beauchamp, pius et doctus Benedictinæ familiæ monachus Marchianensis, synopsim Lisbiacam in manibus habeat, ubi et de Lisbio rem omnem accurate et copiose, et Montmorantiorum familiæ decora persequitur. Quæ diserti hominis commentatio ad

Digitized by Google

veterem pietatem illustrandam idonea, propediem, opinor, lucem videbit.

624 Post argumenta tam multa, tamque illustria, quibus cœlo terraque faventibus, Areopagitam Hierophantem in Galliam deduximus, an exspectemus dum solum ipsum, dum parietes atque tecta vocem mittant et exclament, et hominum (ut modestissime dicam) plus nimio sibi tribuentium opinionem refutent? nihilne vetustissimum Græcorum templum exstructum Parisiis, nihil S. Dionysii carcer et defossa specus, nihil tot loca late sparsa, tum Dionysii nostri tum discipulorum ejus notata vestigiis, pietate, sanguine, laureisque ornata, ad fidem faciendam valebunt? Illustris mihi in hoc genere visa fuit oratio D. Bocherii, doctoris theologi Sorbonici omni genere litterarum exculti, quam integram hic tibi, Lector, repræsentandam putavi, ne si vel minimum ego commutavero, aliquid de tanti viri sapientia et elegantia demator: eoque faciam id libentius, quod clari viri disputationem doctor singularis Andreas Duvallius, Sorbonæ lumen, suo judicio comprobavit. Ille igitur a me super hac quæstione rogatus, ita per litteras respondit:

« Quod a me petis, imo flagitas, mi Lansseli, de utroque circa Areopagitam Dionysium (tuumne dicam an nostrum? sed verius nostrum atque tuum) problemate quid sentiam, altero, sitne hic noster, id est Parisiorum, idem qui prius Athenarum episcopus, altero, an γνήσια, quæ nomine ejus censentur opera atque scripta (quorum alterum ante annos septingentos agitatum ac decisum, sæculi nostri nonnullorum de rebus quantumvis claris dubitandi nodumve, ut dicitur, in scirpo quærendi κακόηθες renovavit; alterum dudum sopitum novatorum sibi a tali auctore jure metuentium sic recoxit impietas, ut peperisse videatur) facis tu quidem sic amice et familiariter, ut vicissim me fateri familiaritas jubeat, si judicium meum tantum quæris, perinde id me accipere, ac si aperito claroque sole quæras, noctemne anne diem esse putem. Sin ut lucis aliquid addam, perinde ac si jubeas, lychnum me soli admovere. Quippe qui in re tam longa sæculorum memoria tam acribus judiciis indagata, tot eruditorum ac sanctorum confessione, Græcorumque ac Latinorum consensu credita et probata, nec modo principum atque adeo imperatorum et regum, et qui in Oriente et qui in Occidente rerum potiti sunt, sed et pontificum Romanorum auctoritate suffulta et roborata, miraculis denique confirmata, quid multa? nullo non præscriptionis genere stabilita ac munita, Pyrrhonicum istud denuo seu ἀπορίας seu σκέψεως æmulari genus (nedum negare ἁπλῶς, et cornicum, ut dicitur, oculos configere) tam pervicacis animi esse potem, quam id probare velle amplius, inutilis operæ ac laboris. Maxime vero, ex quo post clara priorum sæculorum Ecclesiæ lumina, et quos Oriens tulit, Syngelos, Methodios, Metaphrastas, et quos Occidens Hilduinos et Hincmaros, a quibus hæc dudum tam accurate disceptata, discussa, decisa sunt, qui novissimo sæculo nostro prodierunt, Genebrardi, Galeni, Baronii, amplissimo vero Delrii, causam hanc sic illustrarunt, imo pervicerunt, ut quidquid istud amplius in utroque problemate controversiæ, seu potius φιλονεικίας et ambitiosæ contentionis erit, non tam ad id dissolvendum ratione aut judicio, quam sensu opus esse videatur. Plane, ut si iis qui negant vel dubitant me adjungam, tam in vitio futurus sim, quam si iis qui aiunt affirmantque, aliud nihil amplius egero, quam ut poetæ id usurpem:

..... Vitavi denique culpam,
Non laudem merui.....

HOR., *De arte poet.*, v. 267.

« Nisi vero, quod ad prius spectat, quod apud Anastasium S. R. E. bibliothecarium S. Methodius Constantinop. episcopus, apud Lipomanum B. Michael Syngelus, apud Surium Simeon Metaphrastes, magni illius Areopagitæ Vitæ scriptores, et cum iis Nicephorus (48), Græci omnes, ejusdem in Gallias adventum uno ore astruunt: et quod apud Hilduinum Tarasius patriarcha Constant. et ipse Græcus, sollicita adhibita inquisitione, id pro certo tandem ac comperto habet; et quod apud Hincmarum Hilduinum discipulum, ac Rhemensem archiepiscopum, Carolo Calvo regi scribentem sanctus Sanctinus Meldensis episcopus, S. Dionysii discipulus, et historiæ martyrii scriptor quam se idem Hincmarus ex vetustissimis membranis descripsisse, et exemplar ejus ad Carolum Calvum mittere ibidem scribit, hunc Areopagitam S. Pauli discipulum per revelationem ordinata sibi commissa Ecclesia Romam venisse, et a B. Clemente papa in Gallias directum fuisse, Parisiosque adeo venisse, disertis verbis ait: quodque iis amplius est, et superioribus belle quadrat, quod apud Eusebium (49) Dionysius Coripthiorum episcopus Dionysio Areopagitæ Publium, Publio Quadratum, qui utique ad Adriani imperatoris tempora pertinent, in episcopatu Atheniensi testatur successisse: non commisso utique magno illo apostoli Pauli ut doctrinæ sic sanctitatis discipulo, ut de statione decederet, nisi divina urgeret vocatio, uberioris in ea regione messis colligendæ causa, ad quam Græciæ orientisque ut eruditionis, sic pietatis divitias conferri præordinatum divinitus erat. Hæc, inquam, omnia tam exigui ponderis sunt, ut præ unius dormitantis aliquando, quod vel bono, id est quantumvis sagaci et attento, Homero accidat, Gregorii Turonensis dicto (pace tanti viri dixerim) qui ad **625** Decii tempora Dionysium nostrum refert, nihil debeant æstimari. Ut ei scilicet, quem viro, quantumvis erudito et sancto, in opere non tam longo quam multiplici et vario, fas fuit somnum obrepere, quemque adeo obrepsisse cum alia multa, tum Trophimi Arelatensis, qui Pauli apostoli discipulus fuit, in Actis apostolorum et secunda ad Timotheum Epistola memoratus, itemque Pauli Narbonensis, qui fuit Sergius Paulus proconsul a sancto Paulo baptizatus, et Martialis Lemovicensis, qui Stephani protomartyris consanguineus puerque ille fuisse traditur qui quinque panes hordeaceos et duos pisces in deserto habuit: missio ad hæc ipsa Decii tempora ab ipso relata clamat, quam sub ejusdem Clementis pontificatu fuisse, cum temporis quo vixerunt ratio, tum Martyrologia omnia docent, plus quam tot oculatissimis ac vigilantissimis Orientis et Occidentis luminibus credere sapientes homines oporteat.

« Quam enim verum sit, divinas istas de oriente in occidentem convehi debuisse merces, quamque de orientis pharetra promi quæ mittendæ de manu potentis in corda Gallorum sagittæ, id est Evangelici verbi prædicatores erant, ob idque id ita fieri Deo placuerit, præterquam quod id veri solis pendentis in cruce Christi, occidentem, atque adeo Galliam intuentis, in eamque oculos (nam et prædicatores oculi sunt) ab oriente dirigentis ac velut radios vibrantis, neque id tantum, sed et ejus qui Christum proxime referebat Petri de oriente in occidentem venire a Deo nominatim jussit, ut refert Metaphrastes, Galliamque speciali affectu complectentis mysterium exigebat, docent variis temporibus, varia Galliæ loca præter Dionysium istum, Christianæ sementis e Græcia et Oriente cultores missi, ut qui de Polycarpi Smyrnensis episcopi schola Lugdunum Irenæi, Augustodunum Andochii et Thyrsi: qui ex Attica Arelatem Ægidii, et qui in Hannoniam Belgicæ Galliæ provinciam de episco-

(48) Niceph. l. II, c. 21.

(49) Euseb. l. IV, c. 23.

Digitized by Google

patu Atheniensi Gisleni : quin etiam et qui ex Armenia, atque adeo de archiepiscopali fastigio, Tornacum Chrysolii, et qui Santonas Aquitaniæ urbem, de regio Persarum sanguine Eutropii, Græci videlicet sermonis et eruditionis omnes, evangelica nos face collustrarunt.

« Quod et in nostro Dionysio tanto illustrius, quod non ut episcopum tantum, sed et ut apostolicæ sedis legatum a S. Clemente missum esse, ostendunt ii quos ille ad diversa loca intra et extra Galliam episcopos destinavit. Quales S. Lucianus, S. Petri discipulus Bellovacum, S. Sanctinus, qui et Vitam ejus scripsit, Meldas episcopi missi. Qualis et Arelate missus ab eo Toletum in Hispaniam archiepiscopus Eugenius ejus discipulus, qui et ad invisendum aliquo post tempore magistrum suum Parisios veniens, ibidem martyr occubuit. Cujus etiam impetratæ nuper, concedente Carolo IX deque S. Dionysii cœnobio levatæ a Philippo II Hispaniæ rege reliquiæ regiis humeris in ecclesiam Toletanam anno 1565 magna celebritate, et regia pietatis significatione illatæ sunt.

« Ut ne interim paucula hæc omittam, quæ nec suo in hac causa pondere caritura esse non nemo, ut credo, fatebitur. Primum, quod S. Caraunum Dionysii nostri discipulum (Cheronem Galli dicunt) in agro Carnutensi in Gallia martyrem factum idque per latrones in via, dum ad magistrum invisendum iret (unde et monasterio, quod in ejus honore prope Carnutum constructum est, nomen *S. Caraunus de Via*) ad Domitiani tempora Martyrologia referunt, 28 Maii. Item et supradictum Lucianum, a Clemente cum Dionysio missum 8 Januarii. Deinde quod qui Athenis itineri se socium Romam primum, deinde in Galliam Dionysio dedit (50), S. Jon presbyter (Jonam Martyrologia 22 Sept. nominant) vir Græci ut sanguinis sic nominis, in Gallia pago Castrensium (vulgo *Chastres sous Montlehery*) martyr factus nominis illic sui memoriam, in monte qui Sancti Jonis dicitur, Græcanicæ utique missionis testem, usque nunc dereliquit. Amplius, quod de tribus antiquissimis Lutetiæ Parisiorum basilicis, quæ a S. Dionysio conditæ traduntur, quarum prima sub invocatione SS. Trinitatis quæ nunc collegiata S. Benedicti ecclesia; altera B. Mariæ matris Dei, quæ vulgo *Nostra Domina de Campis*, nunc Discalceatarum de Carmeli ordine virginum cœnobium; tertia S. protomartyris Stephani, quæ *Græcorum* hodieque dicitur : de tribus iis, inquam, duæ, prima et postrema, veritatis hujus signa non parvipendenda habent. Illa quidem per vitream antiquissimi operis fenestram, ubi verba hæc inscripta sunt : IN HOC SACELLO S. DIONYSIUS COEPIT INVOCARE NOMEN SS. TRINITATIS. Altera quod vel ipsum Græcorum etiam hodie superstes nomen, ejus a quo ædes illa condita est nationem ac genus prodit, non minus quam quod a Stephano papa, ob memoriam acceptæ in Gallia ad sancti Dionysii corpus de morbo difficili curationis (51), conditum Romæ sub invocatione S. Dionysii monasterium Græcis monachis, utique S. Dionysii gentilibus, ab eodem traditum est. Amplius vero, quod et illic pone altare majus antiquissimi operis oratorium, quod S. Dionysii fuisse tradunt, adhuc visitur. Ut taceam de carcere, deque loco tam cruciatuum in civitate, quam supremi extra urbem supplicii, exstructisque ibi totidem ecclesiis, quarum prima *S. Dionysius de Carcere*, altera *S. Dionysius de Passione*, tertia *Martyrum sacellum*, in eo qui olim *Mons Mercurii*, nunc *Mons martyrum* dicitur, **626** ac stupendis quæ in martyrio hoc acciderunt miraculis. Quæ si quis omnia ad Decii tempora, hoc est ad annum Christi 253, quo Decius imperare cœpit, differat, cum necesse sit, siquidem S. Dionysius primus fuit A Parisiorum episcopus ad hunc usque annum episcopo caruisse Parisios, ab eo merito quærendum erit : Qui, fiat, ut cum jam inde a tempore apostolorum, ex quo scilicet Savinianus, Potentianus et Altinus, qui de LXXII discipulis erant, a S Petro in Gallias missi, episcopalem sedem Senonibus primum (unde et primatus Senonensis) deinde Carnuti et Trecis posuerunt, ac per vicina totius illius regionis loca Parisiis, Aurelianis, Altisiodori, Niverni prædicando effusi sunt, fides Christi in Parisiensi territorio sic viguerit, et uno ejus vico, cui nomen *Christolium*, qui Parisiis duabus leucis distat, Agoardi et Agluberti, innumerabiliumque cum ipsis promiscui sexus Christianorum martyrium ipso S. Joannis Baptistæ die 24 Junii in Parisiensi Breviario celebretur : idque usque adeo antiquum (ac ipso etiam S. Dionysii in Galliam adventu prius) ut quasi ex vico hoc fides Christi in Gallia esse cœperit, datus sit per allusionem nominis ejus ad Christianismum proverbio locus, *Cresteil premier village* B *de Chrestienité*, hoc est, Christolium primus christianitatis vicus : qui fiat, inquam, ut longo tempore, intra quod Carnutenses sextum jam episcopum nomine Severum numerabant, hoc est ab anno 46 Christi, fundatæ vero Romanæ Ecclesiæ secundo, quo dictos Savinianum, Potentianum et Altinum in Galliam Roma Petrus misit, usque ad primum Decii annum ducentis ac septem annis, soli sine episcopo et pastore Parisii, et quidem sic ferventibus in ea religione Christianis, esse potuerint.

« Adde, quod nec id sine argumento est, quod qui sextus a S. Dionysio Parisiorum episcopus fuit, nomine Victorinus inter Patres Agrippinensis synodi, quæ sub Julio pontifice, anno 346 facta est, absens licet, fuisse memoratur (52). Nec id quidem absque significatione contractæ ex senio mœrnitatis, propter quam adesse non potuerit, in eo quod ipso non præsente, sed consentiente et mandante, synodi decreta dicuntur confirmari. Nam C cum ab anno 1 Decii, qui fuit 253, usque ad dictum annum 346 intersunt tantum 93 anni, ex quibus si demas 24 quibus Parisiis sedit Dionysius (quem centenario majorem obiisse ex historiis constat) reliqui sunt tantum anni 69, tum vero id certum, breviorem esse numerum hunc annorum, quam ut sequentibus quinque post Dionysium episcopis, qui fuerunt II Mello, III Massus, qui et historiam martyrii SS. Dionysii et sociorum scripsit, IV Marcus, V Adventinus, et VI Victorinus, possit sufficere. Idque pro ea, quam tum fuisse nascente adhuc Ecclesia pastorum longævitate, observat Baronius in Martyrologio et Annalibus in anno 76 et 109. Sic utique dispensante Deo, ut quæ ipsi longioris ætatis experimento didicissent ac vidissent, efficacius testarentur, ac posteris transmitterent. Quod et experimento in aliis Ecclesiis compertum : quale illud, quod Carnuti, qui post Aventinum, pri- D mum ejus sedis episcopum, qui anno 65 obiit, primi quinque fuerunt episcopi, II Optatus, III Valentinus, IV Martinus Candidus, V Avianus, VI Severus annos ducentos et septemdecim, hoc est ab anno 65 usque ad 280, quo Castor VII episcopus electus est, complevisse reperiuntur. Ex quo etiam intelligitur, quanto probabilius sit, numerum ducentorum 27 annorum, qui ab anno 119 qui primus Adriani fuit, quo et mortuus est Dionysius, usque ad 346 qui fuit synodi Agrippinensis, lapsi sunt, a quinque illis dicti Dionysii successoribus episcopis, et quidem VI illo, id est Victorino, defectæ jam, ut dictum est, ætatis viro, completum esse, quam ut eorum vita ad 69 annos restringi arctarique possit aut debeat.

« Nam quod nonnulli παραδοξότερον adhuc ad ipsa etiam Diocletiani tempora, qui Decio annis tri-

(50) Pet. de Natal., l. VIII, c. 106.
(51) Baron. ex Hilduino tom. II.

(52) Democh., l. II *Concil.*, tom. I.

Digitized by Google

ginta duobus junior est, Dionysium rejiciunt, ejusmodi sunt qui S. Piatum seu Piatonem, quem sub Diocletiano et Maximiano cum S. Quintino et sociis Roma in Belgium venisse, ac Tornaci passum esse constat (53), a S. Dionysio presbyterum factum, et ab eo Tornacum missum dicunt; inter quos mirum est esse Petrum in Catalogo, quod et in Breviariis quibusdam obtinuit, cum hoc nihil aliud, quam purum ac putum mendum sit, non aliunde forte natum, quam si quis per errorem pro Domitiano, sub quo fuit Dionysius, Diocletianum, sub quo Piatus, similitudine vocis deceptus, posuerit, mirabili certe ἀναχρονισμῷ cum alter altero ducentis annis junior sit, non alio hic remedio, quam simplici litura opus esse judicamus. Postremo, quod cum in eo, ut bene observavit illustrissimus Baronius, nec ipsa rerum suarum tam rigida æmulatrix et vindex Græcia reclamet, queraturve Gallis datum, quos audiens Areopagita Dionysio tam impense gloriantes, sic illis id concedit ultro, ut de eo ipsis etiam gratuletur, non factura utique, ni veritas cogeret; tanto magis a ratione alienum erit, si Galli ipsi tantum boni a se ultro ac gratis velint vel studeant amoliri.

« Quæ de priori problemate cum dicta sint, quo ad alterum, quod de vero librorum horum auctore est, quod sopiti etiam hic dudum anonymorum quorumdam per Theodorum Gazam, Laurentium Vallam, Erasmum et Erasmi sequacem Cajetanum primum, deinde per Lutherum redivivi facti, hodie etiam per novatores, maxime autem **627** Scaligerum cineres excitantur,

« Et veterem, *ut ait ille*, in limo ranæ cecinere queerelam, » (Virg., *Georg.* I, v. 378.)

ut suppositum Areopagitæ partum ut pseudo-Dionysium, et, ut loquitur Scaliger ὑποβολιμαῖον dicant: eodem utique spiritu ac schemate, quo sibyllinos olim de Christo scriptos versus (quos a D. Paulo tanquam γνησίους approbatos, ab iis quibus prædicabat legi jussos esse, gravissimus auctor est Clemens Alexandrinus (54) ab ethnicis, quod eorum se auctoritate premi a Christianis viderent, non tantum in dubium revocatos ex Valeriani imperatoris apud Vopiscum ad senatum epistola, sed etiam damnatos vetitosque Christianis fuisse ex Justino martyre constat (55). Quemadmodum et fictitios esse propterea sibi Cicero persuasit, quod rem minus ipsi gratam, quamque nec capere homo ethnicus poterat, continerent, venturum esse Regem, cui parere necesse esset omnes qui salvi esse vellent (56). Addo et, quo Vetus Testamentum Carpocrates, Cerdon, Severus et Manichæus; Evangelia Matthæi, Marci et Joannis idem Cerdon; Epistolas Pauli, Ebion; Machabæorum libros, Ecclesiasten, et quam strammeam pro sua modestia vocat, Jacobi Epistolam, Lutherus cum suis gregalibus rejicere præsumpserunt: quodque mirere non minus, quo etiam hodie S. Remigii testamentum, et Gregorii Magni Epistolas; et quo nihil sub sole illustrius terra vidit, Lateranense concilium, recentes quidam ex scriptis nati aristarchi, quibus dulce contra torrentem niti, templumque Dei replere fumo, falsi insimulant, unoque nomine id solemne hæreticis, ac novis semper id genus de abyssi puteo erumpentibus locustis, ut quam sibi quisque, id est furori suo Scripturam contrariam videt, hanc audeat impudentissime traducere, imo etiam expugnare, tantum abest ut propter ἀθυρογλώττου; istos, et symbola Dodonæa, fœtum hunc auctori suo, hoc est Areopagitæ Dionysio, dubitem asserere, ut hoc potius nec levi argumento ducar, quod tenebrionibus istis ac vere terræ filiis id non placeat negentque contentius, veram hanc ejus atque indubitatam prolem esse. Quippe tam dignam aquila hac, sive, ut loquitur Chrysostomus (57), πετεινῷ τοῦ οὐρανοῦ *quæ in arduis ponit nidum suum* [q], solemque firmis et immotis oculis intuetur, quamque propterea æmulari qui studeat, de eo id jure dici possit:

. . . . Ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Hor. *Carm.*, lib. IV, od. 2.

Quam dignus hic vicissim, cui probato ex hoc signo grandior illa aquila, imo aquilarum mater Paulus, qui sapientiam loquitur inter perfectos [r], sua arcana illa in tertio cœlo audita verba, quæ non licet homini, id est terram sapienti, loqui [s], huic jam non homini sed θείῳ, id est divino, ut loquitur Damascenus (58); et ut inter suos idem gentilis adhuc audiebat, θεοσόφῳ; ut vero idem Damascenus alibi vocat (59) ἀγωτάτῳ καὶ θεολογικωτάτῳ; ut Michael Syngelus et Andreas Cretensis, μεγάλῳ καὶ ἀγγέλῳ, denique ex omni parte γενναίῳ καὶ γνησίῳ ἀετιδεῖ, hoc est generoso ac germano aquilæ pullo, dicatur credidisse. Ut nec mirum esse debeat si quantum lucernam hanc ardentem ac lucentem oderunt ac fugiunt noctuæ hæ, tantum in ejus luce ac splendore qui filii lucis sunt, debeant exsultare.

« Nam quod hic forte quis objiciat, ex c. 13 *Cœlestis hierarchiæ*, auctorem hunc (licet id non tam suo, quam aliorum, ut ipse confitetur, sensu) supremi ordinis angelos ad inferiora hæc mitti sic negare, ut hoc quidquid est de missis apud Isaiam [t] seraphinis, non aliter quam vicaria per minores angelos, majorum personam gerentes, opera factum velit (scitum enim quod vix id theologorum schola probet, quippe reclamante non Scriptura tantum, quæ omnes administratorios spiritus in ministerium missos *propter eos qui hæreditatem capiunt, salutis* [u], esse ait; imo quæ Michaelem, Gabrielem et Raphaelem missos refert [v], quos de minoribus angelis esse nullo pacto dici potest; verum etiam de ratione ipsa, quæ nihil indignum angelis, quantumvis magnis, esse docet, quod vel in se angelorum creator et Dominus [x], angelus [y] ipse et apostolus [z] et missus nominatus [a], Jesus Dei Filius admiserit præterquam quod dici potest οὐχ ἁπλῶς istud, ἀλλ' ὡς ἐπὶ πολύ a Dionysio nostro dictum esse, cum certum sit, ut minores angeli superiorum personam aliquando agant, sicuti et gregales homines principum in theatro, nihil hoc prohibere, quin et magni angeli quemadmodum et principes suas ipsi per se obeant operas et functiones (nisi potius hoc totum, sicuti alibi, ut scis, in meo de arca testamenti syntagmate explico, non tam angelicarum ὑποστάσεων, quam rei angeli superioris, id est Christi passionis et sacrificii, signum ac mysterium est) absit ut hoc, quidquid est, tanti momenti esse debeat, ut fidem libris his, quasi Areopagitæ non sint debeat abrogare. Quasi vero, quod prophetis etiam accidere post divum Gregorium auctor est D. Thomas (60), ut cum non semper actu adsit eis Spiritus Dei, quædam sint quæ vel ignorent ipsi, ut de se Elisæus confitetur [b], vel de suo aliter quam res est (Scripturæ auctores hic excipio) citra spiri-

[q] Job XXXIX, 27. [r] I Cor. II, 6. [s] II Cor. XII, 2. [t] Cap. VI. [u] Hebr. I, 14. [v] Josue V; Dan. VIII; Luc. I. [x] Job XII. [y] Malach. III, 1. [z] Hebr. III, 1. [a] Joan. IX. [b] IV Reg. IV, 27.

(53) Petrus de Nat., l. II, cap. 36.
(54) *Strom.* l. VI.
(55) Just. *Orat. ad Anton. Pium.*
(56) Lib. II, *De divin.*
(57) *De sacerd.* l. IV.
(58) Damascenus *De fide*, etc., l. I, cap. 12
(59) Lib. II, *De fide* c. 18.
(60) Greg. *sup. Ezech.* D. Thom. 2-2, qu. 171, a. 2.

Digitized by Google

tus prophetiæ præjudicium interdum eloquantur, non huic simile hic aliquid, citra ejus, ex quo illa hausta mysteria sunt, Paulini spiritus injuriam ac diminutionem potuerit contigisse. Sed et absit hoc multo magis, ut pro iis, quæ hic tam multa et præclara sunt tantum sit apud nos Novatorum pondus, ut in eorum gratiam, propter ea quæ ipsi contra catholicæ Ecclesiæ fidem, de libero 628 arbitrio, de peccato originis, de Ecclesiæ hierarchia, ac primatu Petri, de fide atque operibus, de sacramento olei, de eucharistia et missæ sacrificio, de panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversione, de ejus in eucharistia adoratione, de vita monastica, de festis, de jejuniis Quadragesimæ, et aliis, de sacrarum imaginum in templis usu, de angelorum ac beatorum spirituum invocatione, denique de reliquiarum veneratione, garriunt blaterantque tam improbe; quorum omnium, ut et olim consubstantialis Ariani, tam pulchre hic causam perorata tam vident, vel ipsis, quam id male eos habeat quamque Areopagitica hæc arma horreant fatentibus, seque adeo, ut olim missione acsilentio. Eusebius, sic judicio suo et garritu velut sorex prodentibus ac mysterium aperientibus, Lutbero primum, qui delirum senem et merum somniatorem, auctorem hunc dicere non est veritus, deinde Calvino, ac novissimum Scaligero; propter hæc (inquam) scutum hoc, quod ignea talium vereque igne digna tela restinguat, hanc plusquam Phocionis securim, quæ infelices arbores has excaudicet ac rescindat, hoc fulmen quod absumat exstirpetque radicitus, hanc solem qui tenebras istas discutiat, et bestias has ad sua lustra remittat et compellat, denique hanc plusquam Herculis clavam quæ hydram hanc, ac renascentia novitatum capita tam potenter demetat ac conficiat, de manu vel utro abjicere vel eripi nobis pati debeamus. Cui rei si assentiar, aut vi fiat, non repugnem, non me eorum tantum qui tot sæculis floruerunt, ac libros hos sub Areopagitæ nomine citaverunt, sanctorum Patrum et scholasticorum, imo et conciliorum, quorum indicem Delrius tam pulchre ac diligenter texit, premat, damnetque auctoritas, sed et diligentissimi ac perspicacissimi nostri sæculi totius Græcæ sapientiæ indagatoris et arbitri civisque adeo et gentilis mei (ne domesticum hoc præjudicium sileam) G. Budæi censura reprehendat, qui Ignatios, qui Hieronymos, ac Chrysostomos fontem hunc sapientiæ delibasse, sic agnoscit, ut suas eos illinc de abditissimis rebus, et quas D. Paulo acceptas jure quis ferre debeat, sententias deprompsisse non obscure fateatur.

« Hæc habui, quæ tibi ut facerem satis de utroque a te proposito problemate non tam dicerem, quam aliunde pene hausta repeterem. Quæ si me fixum ac firmum eorum qui aiunt affirmantque, præ illis qui negant vel dubitant (ut aperte quod sentio loquar) probatorem laudatoremque dixero, tam jure id fecero, quam illorum erudita atque firma, horum jejuna ac plane nulla, seu argumenta seu momenta esse ratio ipsa monstrat. Vale, meque, ut facis amare perge, et sacrificiis commendatum habe Tornaci Nerviorum Kalendis Maii 1615. »

Hæc sapientis et copiosi theologi disputatio, non modo perspicue Areopagitam Dionysium Galliæ, sed ipsi Dionysio scripta sua vindicat, quæ pars erat nostræ disputationis secunda; quam necesse est constabilianus hoc loco atque firmemus, ne quem adhuc in errore versari patiamur. Sunt enim etiam in hac parte haud pauciores, mea opinione, inimicissimi sancti Dionysii hostes, obtrectatores invidi, bono alieno mœrentes atque virtute, qui Commentarios divinissime scriptos, quosque omnis mirata est antiquitas, apostolico spiritu et primigenia pietate indignos contendant. Lutherus jampridem, Beza, Calvinusque, tum qui deinde pullula A runt eodem satu bene multi, in eosdem non ridicule minus quam furenter declamitarunt. Nuperus scriptor in Batavia, Scaliger, cum se minime bypobolimæum dici et existimari velit, audet tamen nostrum Dionysium ὑποβολιμαῖον nominare. Iisdem in libris Illyricus genuinum infixit, Erasmus arrosit, Laurentius Valla carpsit, innumeri alii de grege novorum ἀλαζόνων, qui necessarium bellum indixerunt pietati, hæc quoque B. Dionysii monumenta repudiaverunt. Ego vero neminem posthac tam mente captum, tam præposterum, tam projectum ad audendum futurum puto, qui hos libros Areopagitæ Dionysio velit deripere, si modo animum, vacuamque malitia mentem, vel ad unicam rationem accommodarit. Nam cum horum Commentariorum scriptor Paulo præceptore glorietur atque Hierotheo, spectatorem se fuisse dicat exorientis Ecclesiæ, et tum primum ad orientem efflorescentis, si is non sit Dionysius Areopagita, quem doctor gentium ab inani superstitione revocavit, quem interpretem religionis esse voluit, Atheuisque episcopum; certe necesse est hominem fuisse monstrifico genere e diversissimis naturis conglutinatum; hinc virum sanctum, ingeniosum, moderatum, in theologia summum, qui mysteria cæteris hominibus arcana viderit, sapientiæ fontes aperuerit, cœlestium rerum admirabilitatem magnifico genere orationis et plane divino explicarit; hinc contra planum, malitiosum, γόητα, qui personatus quasi post siparium delitescens spectatorum animos deluserit, in cothurno alieno incesserit, cæca et inani imitatione e mustaceo lauream nescio quam petere voluerit, qui cum ψεῦδος probe sciret ἔξω τοῦ θείου χοροῦ ponl, tabulam tamen subornavit, mendaciorum indiguissima varietate et fœdissima sutela contextam. Hic autem illud Cassianum audiri velim. Cui bono? aut quid tandem eo ingenio vir et doctrina, e putida 629 illa fraude sperare potuisset? Atque C hanc rationem docte, ut solet, et elegantissimo judicio explicuit P. Leonardus Lessius societatis nostræ theologus, quem non ævo aliquo, sed clarissimis editis operibus jam eruditorum chorus agnovit. Illius sapientiam cum tanquam Pythium Apollinem super hac re consuluissem, breves literas ad me dedit, quas libens cum Lectore meo communicabo. Fuerunt autem scriptæ in hæc verba:

« Reverende in Christo Pater, pax Christi.

« Litteras reverentiæ vestræ datas Parisiis 14 Aprilis accepi 24 ejusdem. Miror, post patris Martini Delrio Vindicias Areopagiticas, adhuc superesse aliquos, qui de hoc opere dubitent, an auctori illi sit vindicandum; dissolutis enim adversariorum ratiunculis, tot profert veterum auctorum (inter quos multi summi pontifices, et viri sanctitate illustres) testimonia, quibus scripta illa S. Dionysio Areopagitæ tribuuntur, ut vix putem esse aliquod antiquorum Patrum scriptum, quod plu- D ribus testibus suo auctori possit vindicari. Mihi vero res adeo perspicua videtur, ut etiamsi ejusmodi testimonia minime suppeterent, non putem ei, qui attentius expenderit operis conditionem, de auctore ambigendum. Hac enim unica ratione facile convincetur, qua et ego, ex quo auctorem illum legi, convictus sum. Si opus illud non esset magni illius Dionysii Areopagitæ qui temporibus apostolorum vixit, sed alicujus posterioris, ut Dionysii Alexandrini, vel Corinthii, vel cujusdam qui aliquot sæculis postea temporibus Justiniani II circa annum Domini sexcentesimum nonagesimum vixerit, ut vult Scaliger; auctor ejus esset mendax, hypocrita, et impostor. Ait enim, præceptorem et institutorem in rebus divinis se una cum Timotheo habuisse S. Paulum, deinde S. Hierotheum, ut videre est lib. *De ecclesiastica hierarch.*, c. 2, part. I, et *De divinis nom.*, c. 3, et c. 7. Affert objectionem Elymæ magi tanquam æqualis et contemporanei.

Digitized by Google

De divinis nominibus cap. 8. Item cap. 3 ait se interfuisse cœtui apostolorum et fratrum, qui convenerant ad continendum corpus beatissimæ Virginis : ibidem adfuisse Petrum et Jacobum, ejusque rei Timotheum esse probe conscium. Hierotheum præceptorem ibi post apostolos excellnisse in laudanda divinitate : scribit epistolam ad Polycarpum, aliam ad Titum, aliam ad S. Joannem evangelistam in Patmo exsulantem, et in ea narrat sibi revelatam ejus liberationem et reditum in Asiam. Scribit ad Apollophanem, hortatur eum ad fidem Christi, et commonet eclipsis quam simul viderint in Ægypto tempore passionis Dominicæ; quomodo eam conspexerint, quæ verba inter se commutarint. Hæc et alia scribit ille auctor : quæ omnia falsa essent et meræ imposturæ, si iste non esset magnus Dionysius apostolis σύγχρονος, sed junior alius. Atqui prorsus incredibile est, auctorem illius operis voluisse tam fœde mentiri, et hominibus imponere; hoc enim non cadit in virum probum et sapientia conspicuum. Nam constat, auctorem illius operis tanta fuisse sapientia et rerum divinarum cognitione, ut summis theologis, ex quo in lucem prodiit, fuerit admirationi, et nemo post apostolos ei putetur præferendus, vel etiam æquandus; nemo de natura divina, ejusque perfectionibus et operationibus scripsit sublimius aut copiosius; nemo angelorum ordines, hierarchias, actus hierarchicos, omnemque dispositionem, præter illum nobis descripsit; nemo Scripturas sacras, earumque sensus arcanos, sublimius interpretatur. Ille nobis primus theologiam symbolicam et mysticam tradidit. Excidit tamen opus illud *De symbolica theologia*, et solum diversis locis ejus dat aliquod specimen; ex quo possumus conjicere quam admirabile et sublime opus illud fuerit. Excidit et aliud θεολογικαὶ ὑποτυπώσεις inscriptum, cujus ipse meminit variis locis. Nemo eorum quæ in sacramentis geruntur mysteria, et occultas significationes, profundius aut copiosius patefecit. Jam vero quam sana ubique in tanta sublimitate theoriæ de maximis Christianæ religionis dogmatibus, doctrina, ut de tribus in simplicissima divinitate hypostasibus seu personis, de earum processione et distinctione, de unitate essentiæ, de indivisa operatione, de admirabili unione naturæ divinæ et humanæ in una hypostasi Verbi, de natura mali, de efficacia sacramentorum, de augustissimo eucharistiæ sacramento, quod ex sententia sui inclyti præceptoris (Paulum vel Hierotheum intelligens) dicit esse τελετῶν τελετήν, quasi dicas sacramentorum omnium perfectionem. Quod ad elocutionem attinet, eam quoque angelicam potius dixeris quam humanam, adeo sublimis est; nimirum ut conceptionum sublimitatem orationis sublimitas exæquet. Quis post apostolos unquam de divinis ita locutus est : Τριὰς ὑπερούσιε καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε, κ. τ. λ. Πᾶσα θεία πατριὰ καὶ υἱότης ἐκ τῆς πάντων ἐξηρημένης πατριαρχίας καὶ υἱαρχίας δεδώρηται. Τὸ θεαρχικὸν Πνεῦμα. Πρὸς τὸν ἀρχίφωτον Πατέρα. Πρὸς τὴν ὑπεράρχιον ἀρχήν. Τὴν ἀρχικὴν καὶ ὑπεράρχιον τοῦ θεαρχικοῦ Πατρὸς φωτοδοσίαν ἀῦλοις καὶ ἀτρέμεσι νοὸς ὀφθαλμοῖς εἰσδεξάμενοι Ὑπερουσίως οὐσιώθη. Θεανδρικαὶ ἐνέργειαι. **630** Et mille alia non coacta, non laboriose quæsita, sed sponte ex altissima contemplatione fluentia. Legi S. Augustinum de Trinitate, et multa S. Gregorii cognomento theologi opuscula, et aliorum Patrum doctissimos tractatus, nemo tamen ex illis visus est mihi Dionysium vel doctrinæ sublimitate, vel dicendi majestate æquare. Quam ob causam mirantur illum non solum omnes doctores scholastici (quorum aliquot etiam commentariis illum illustrarunt), sed et SS. Patres qui illum legerunt, ut S. Joannes Damascenus, S. Maximus, Michael Syngelus, et alii multi quos recenset Delrio. Ex quibus constat auctorem istius operis

A fuisse eminentissimæ sapientiæ et magnæ sanctitatis virum, ut qui totus in rebus divinis et angelicis contemplationibus ubique versetur, et Timotheum passim ad rerum divinarum assiduam theoriam, relictis omnibus quæ sub sensum cadunt, hortetur. Quis talem ac tantum virum credat tam putide voluisse mentiri, et tam absurda hypocrisi falsa quadam specie antiquitatis et apostolicæ consuetudinis, mundo imposturam facere? Non cadunt ista in virum probum et sanæ mentis, multo minus in sapientissimum et sanctissimum. Denique, quo fine hæc omnia fecisset, et se alium finxisset quam revera fuit? an ut labores suos, et gloriam illis debitam, per scelus et amentiam perderet? Poterat enim nomen suum et veritatem patefaciendo, maximam sibi gloriam toto orbe et omnibus sæclis duraturam comparare, et maximis doctoribus Ecclesiæ æquari, vel etiam præferri. Poterat omnium theologorum qui unquam futuri sunt, admiratio-
B nem, amorem et benedictionem sibi conciliare, et illustrissima ingenia, ad sui imitationem provocare. Quorsum per mendacia et improba facta, per hypocrisim et imposturas indignissimas et inauditas voluisset tanto se bono privare, et nomen suum æternis tenebris involvere?

« Hæc ratio me ita convincit, ut nihil de auctore hujus operis possim dubitare : nec quisquam, opinor, dubitabit, qui lecto diligenter opere ista expenderit. Legi sæpius, et accurate omnia expendi; itaque mihi placuit, ut hunc Dionysium jam a triginta sex annis in patronum delegerim, et semper in sacrificio missæ nominatim invocarim, mihi ejus sapientiam et spiritum imprecans. Dolui subinde, quod non melius esset conversus, nec vis verborum ejus multis locis expressa, sed alia substituta, quæ lectorem possent in errorem conjicere, ut plurimis exemplis possem ostendere. Quam ob causam statui ego aliquando illum transferre, et in eum finem
C multa adnotavi. Verum per alias occupationes nunquam sat otii suppeditavit. Gaudeo, et gratulor tibi, quod hunc laborem susceperis, eoque nomine omnes theologi, præsertim qui Græcæ linguæ non satis sunt periti, tibi multum debebunt, si facilem illis aditum ad tanti auctoris lectionem et intelligentiam patefeceris. Vale, mi Pater, mei memor. Lovanii, 25 Aprilis 1615. »

R. V. Servus in Christo

LEONARDUS LESSIUS.

Potentissima quidem est, ut aiebam, hæc eruditissimi viri argumentatio, neque desunt aliæ rationes quæ eodem orationis cursu hic a me ponerentur, si certorum hominum voluntates rationibus duci posse constaret. Sed hærent in sententia firmiter, et tanquam in arce causæ multis præsidiis
D septi et circumvallati, nisi turres et propugnacula quatiantur, nisi diluantur objectiones et refellantur, abduci a pristina opinione non possunt, ac obstinati et multarum palmarum gladiatores se dimoveri de suo gradu non sinunt. Age igitur, videamus quæ objiciunt, et si non æqua cum superioribus felicitate, pari saue felicitate refutemus.

Stylum inprimis Dionysii nostri arguunt atque lacerant, quem obscurum et involutum esse aiunt, tum etiam tumentibus ampullis inflatum, quem negant convenire in illud tempus, in quo religionis Christianæ simplicitas moderatioque lucebat, et minime omnium quadrare in eum virum, qui dictus est Areopagita. Primum lubens ab iis doctoribus quærerem, quemnam esse hominem velint, et qualem tandem Areopagitam Dionysium. Audio quid Laurentius Valla dicat, quid Erasmus, quid alii quidam ex eadem officina fuliginosi. Volunt enim vel civem fuisse Atheniensem unum de grege, qui a certo loco urbis, Areopagitæ nomen tulerit, vel certe de numero judicum fuisse unum, quasi unum

Digitized by Google

de centumviris apud Romanos fuisse dicas. Rident proinde de catholicis magnos viros, qui Dionysium philosophum nominaverunt. Hinc Abrahamus Scultetus solis defectionem sive eclipsim, quam se vidisse ait Dionysius, *fabellam* indigitat. Itaque hominem pingunt prope idiotam, πραγματικόν, veluti quemdam rabulam fori togatum vulturium, qui pauculas modo Solonis leges tenuerit, qui Axonas manibus pervolutarit, cætera similis aliorum. Mentior si ab ore viri docti quidquam exire potuit insulsius. Ille etenim Dionysius, quem domi nobilem et ornatum, quem principem in urbe virum, quem in eo domicilio litterarum sapientem fuisse accepimus, de quo nobis tam multa ad commemorationem sancti Patres et historiarum monumenta reliquerunt, solus nihil viderit, nihil **631** audierit, in Academiam nunquam aut Lyceum venerit, non ad Platonicos unquam, non ad stoicos, aliasque sectas philosophorum accesserit? Ergone in eo concursu omnium nationum, quæ Athenas omnium disciplinarum emporium confluebant, ea maxime tempestate, cum, ut in sacra B. Lucæ historia perscribitur, aliud nihil studerent tum Athenienses, tum aliarum gentium peregrini, quam ut aliquid novi audirent, aut dicerent, ubi omnes « caupones fuerunt sapientiæ et facundiæ, » ut Tertulliani verbis utar; in eo æstu et ardore quotidianarum scholarum et eruditissimarum disputationum, Dionysius noster solus plumbeus, solus ἄμουσος et communium litterarum expers fuit, patriæque institutionis? Cur igitur non ut claudus sutor domi desedit, cur potius adfuit, cum D. Paulus cum Stoicis et Epicureis disputaret? cur tanto studio σπερμολόγον illum audiit, cur maturo exquisitoque judicio primus omnium vim divinæ religionis agnovit? Apage tu, Valla, tu, Erasme, convitium, utriusque linguæ vitium insolentis. Erit nobis Dionysius Areopagita qui semper fuit a temporibus apostolorum, dignus Atheniensis Musei alumnus, Atticæ cultor Minervæ, omnium doctrinarum choragio ornatus et sapiens. Qui aliud sentit, non meo, sed omnium intelligentium judicio sit ὄνος πρὸς λύραν.

Hic vir tantus (jam accedo propius ad propositam objectionem de stylo), hic Areopagi splendor ea gravitate et auctoritate, hic in omni parte litteraturæ perfectus, de quo Empedocleum illud merito dicam :

.... *σοφίας ἐπ' ἄκροισι θαμίζων*,

divinitus afflatus, mustea dogmata quæ magno animo conceperat, resque plane divinas atque cœlestes, litteris mandare voluit, hominumque judicio committere. Nego scribi de illis rebus potuisse melius aut sapientius, quam quo modo scripsit magnus Dionysius, hoc est obscure, et supra communem modum magnifice. Quis enim nescit hoc in more positum olim apud sapientes fuisse, ut cum abditas arcanasque res et indoctæ multitudinis sensum et intelligentiam superantes, vellent tradere, eas de industria cæcarent oratione atque mobscurarent, et sapientiæ velum obtenderent, seu ut illi ipsi loquebantur, τὰ τῶν λόγων προκαλύμματα? Id Synesius politissimi vir ingenii clarusque antistes, ἀρχαῖον καὶ λίαν Πλατωνικὸν esse ait, κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπουδαῖα : communem illam affert rationem, ne quæ perite sunt a doctis hominibus excogitata, pereant, neque tamen ab imperita multitudine ut a profanis, sancta contaminentur. Maximus Tyrius aliam rationem attulit, nimirum conciliandæ venerationis gratia et majestatis : Θρασεῖα γὰρ οὖσα ἡ ἀνθρωπίνη ψυχὴ, τὰ μὲν ἐν ποσὶν ἧσσον τιμᾷ, τοῦ δὲ ἀπόντος θαυμαστικῶς ἔχει. *Ea enim humanæ mentis imprudentia est, ut quæ exposita sunt atque prompta minoris faciat; quæ abstrusa, vehementer admiretur.* Itaque apud philosophos et poetas πάντα μεστὰ αἰνιγμάτων εἶναι. Et quidem Lycei parens Aristoteles, majorum veluti gentium philosophus, cum bipertito suas

A Commentationes tribuisset, populares sermones, quos θυραίους λόγους nominant, aureo genere orationis, et Gratiis Veneribusque instructos sic emittit, ut ab omnibus capi facile et cognosci queant; sed μυστικοὺς, καὶ ἐν οἷς τὰ τέλη ἱερά, *mysticos, et qui sacras initiationes continent*, sic inobscuravit, ὅπως καὶ ἔχοντες, μὴ ἔχωσιν ἀμύητοι, ut sapientem memini scribere Themistium. Qui aliter facerent, non modo inepti futilisque oris homines, verum etiam in philosophiam ingrati, in mysteria impii judicabantur. Clemens certe Alexandrinus in variegato illo opere suo mirabilis, Hipparchum ait Pythagoreum accusatum, quod σαφῶς *aperte* scripsisset decreta Pythagoræ, expulsum e schola fuisse, et propter ipsum veluti jam mortuum factam esse columnam. Sed periti id studiosissime observant, si quando foret de Deo, de religione, de arcanis cœlestibusque mysteriis disputandum. Demetrius Phalereus illud vere, Τὰ μυ-
B στήρια ἐν ἀλληγορίαις λέγεται πρὸς ἔκπληξιν καὶ φρίκην ὥσπερ ἐν ἀδύτῳ καὶ νυκτί. *Mysteria*, inquit, *allegoriis exprimuntur ad terrorem et horrorem tanquam in adyto et nocte.* Itaque videmus sanctissimos viros, religionis catholicæ mystas, et pietatis interpretes, cum augustiora illa pertractant, quæ non sit utile cognosci ab omnibus, tenebras offundere orationi, et ut verbo utar S. Hieronymi, obliquos esse in dicendo. Sanctus Joannes, abbas Raithu, Scholiis in Climacum, ad gradum 27 id sapienter animadvertit. « Non clare, inquit, narravit contemplationem sanctus, eo quod noluit omnibus talia revelare. » Quid igitur facere is debuit, qui Athenis, hoc est e sinu ipsius philosophiæ ad scribendum prodiens de abditis sanctæ theologiæ arcanis disputationem instituebat? qui in ejus urbis luce commentabatur, ubi tam multi curiosi atque
C malevoli, tam multi subsessores doctrinarum, tam multi aucupes novitatum, qui ut diuturnam sitim explere cupientes, quæ dicebantur, quæque litteris mandabantur, avidissime excipiebant? An dubitabimus quale sapientissimi Dionysii consilium hac in re fuerit, qualis mens et voluntas, nec audiemus quæ ipse perspicue significavit? Nam priusquam ad **632** hierarchiam ecclesiasticam proponendam aggrediatur, monet Timotheum, ne divina illa enuntiet profanis et evulget, sed clausa teneat, et veluti honorifico parapetasmate involuta, habeat in pretio et veneratione; se quidem illa tegere, doctum a theologia, οὕτω γὰρ ὡς ἡ θεολογία τοῖς θιασώταις ἡμῖν παραδέδωκε. Desinant igitur novi censores hanc gravissimi Dionysii obscuritatem impetere ut insolentem, ut tanto viro indignam, ut heroicis illis et apostolicis temporibus non convenientem. Imo potius mecum expendant quid de illa ipsa
D sentiat, quidve scribat scholæ magister S. Thomas, ille theologiæ apex, qui nodosas difficilium rerum quæstiones facilius, quam nodum Gordium Alexander solvebat. Illius verba mihi quidem auro contra Erythræisque gemmis chara, tibi quoque non injucunda, lector, futura, hic apponam. « Est autem considerandum, quod B. Dionysius in omnibus libris suis obscuro utitur stylo. Quod quidem non ex imperitia, sed ex industria, ut sacra et divina dogmata ab irrisione infidelium occultaret. Accidit etiam difficultas in prædictis libris ex multis. Primo quidem quia plerumque utitur stylo et modo loquendi, quo utebantur Platonici, qui apud modernos est inconsuetus. Secunda autem difficultas accidit in dictis ejus, quia plerumque rationibus efficacibus utitur ad propositum ostendendum, et multoties paucis verbis, vel etiam uno verbo eas implicat. Tertia, quia multoties utitur quadam multiplicatione verborum, quæ licet superflua videantur, tamen diligenter considerantibus magnam sententiæ profunditatem continere inveniuntur. »

Dixi de obscuritate, consequens modo est ut de styli magnificentia videamus. Ejus enim orationem

Digitized by Google

aiunt esse ὀγκώδη inflatam, peregrino tumore crepantem, insolentem, vel, ut objectat Illyricus, Asiaticam et redundantiorem, quam ut in eam ætatem et scribendi rationem quadret. Cui hæretico e Novatorum castris hominem unum possem opponere Isaacum Casaubonum, qui tametsi in oppugnanda veritate sit infelici et timendo fato immortuus, ut erat tamen non derelictus ab ingenio, nec lectionis complurium Auctorum expers, Dionysium nostrum vidit divinum quemdam esse hominem et antiquissimum, idque ipsum sæpe est non sine præfatione honoris professus, de cujus in scribendo ratione ita laudans, et micantis undique excellentiæ magnitudine obstupefactus prædicat : « Fingit voces novas, et compositiones format inusitatas, inauditas, mirificas : quæ simpliciter verbo uno aut altero dici poterant, diffundit in plures voces admodum sonoras et magnificas, atque ut vere observat Maximus, διὰ πολυπληθίας λέξεων σκοτοῖ τὸν λόγον, *congestis verbis multis obscurat sermonem.* » Et alio in loco nit multos Patres, eximie vero præ cæteris Dionysium Areopagitam, de sacramentis novo quodam et inusitato dicendi genere scripsisse, quod a cothurno tragico, vel dithyrambicis ampullis, non multum videatur distare. Hujus ob os, Illyricus credo, os aperire suum non audeat. Quanquam Illyrici quidem temeritatem jejunique animi jactationem, jampridem Matthæus Galenus, vir præstantis eruditionis, compescuit : docet enim una etiam in ætate, styli varietatem in diversis scriptoribus esse potuisse ; Philonem Judæum, quem Atticum ; et unum omnium elegantissimum omnes sciunt, cum temporibus iisdem floreret, ita nonnunquam dicendo incitari, ut propius absit a magno Dionysio, quem proinde meritissime Eusebius τῷ λόγῳ πλατέα, ταῖς διανοίαις ὑψηλὸν καὶ μετέωρον appellat ; id ipsum quod scioli quidam reprehendant a sanctissimis Patribus, qui totius Græciæ facile principes olim audierint, exquisita laude celebrari quippe a Gregorio Nazianzeno dicit viro eloquentissimo, et in rerum gravissimarum intelligentia versato, scripta fuisse a Dionysio κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. Hæc et alia vir ille doctus copiosissime exponebat. Sed, si lubet pedem propius jam conferre, quid est magnopere mirandum esse videatur, si noster Dionysius ea ingenii subtilitate, quod, ut verbum a poeta mutuer, tenues limarant Athenæ, ea institutione atque doctrina quæ clarissimum illud domicilium litterarum saperet, iis doctoribus usus, qui a tertio usque cœlo devocatam cœlestium rerum cognitionem in ejus animum instillassent, cum maxime religio et divinus amor ejus animi inflammationem excuscitant ; si Dionysius, inquam, sapientum Atheniensium primitiæ, in eo ardore pietatis, delibutus liquido gaudio et voluptate, qua divinæ mentis illapsu perfruebatur, humum deseruit, extulit se supra se, verba ad animi dominantem affectionem accommodavit, nova et inusitata dicendi ratione evolavit altius, quam nos humi strati queamus suspicere?

Si jam Hierothei sacros hymnos videremus, quos olim, æstu quodam ingenii raptus et pietatis, admirabiliter ceciuit, sic ut illi qui aderant, vix arcanos orationis sensus intelligentia consequerentur ; repudiaremus, credo et aspernaremur, quod sublimia illa atque magnifica in eam tempestatem non caderent, quod non trito et consueto genere orationis fuisset usus?

S. Ignatius neque Athenis disputans, neque hymnos pertexens, aut in mediis 633 cœlestium animarum choris beato lumine circumfusus, sed epistolas scribens, nonnunquam tamen impetu orationis effervescit, compositiones verborum habet granditate sonantes, novitate mirabiles, structura speciosas, ut vel initium epistolæ ad Romanos fidem facit. Quis enimvero est tam morosus in probando, tam in judicando stolidus atque procax, qui apostolicis temporibus eas epistolas scriptas neget?

Nemo miratur cum Platonem videt, Socratem, aliosque in convivio cum probum laudant speciosis amoris involucris redimitum, incitari mente, stylo assurgere, ἐνθουσιασμόν pati, furere, vaticinari, βακχεύειν : hanc animam divini amoris igne colliquescentem, Deo plenam, supra res omnes adspectabiles amoris alis evectam, divinæ bonitatis vim, varietatem, mirabiles et inexplicabiles machinationes canentem, novo singulari genere dicendi attollentem, non feramus? Id qui volet, tribuat excellentissimi Dionysii genio et consilio, qui cum esset a natura non modo ad singularem animi constantiam et gravitatem, verum etiam ad magnificum et illustre genus dicendi instructus, in mysteriorum ista explicatione, aliquid etiam ad consuetudinem adjunxerit ornatus et magnificentiæ, ne a profanis hominibus facile attingerentur.

Ego vero sic sentio, divini Numinis imperio et motione hæc ab eo fuisse perscripta. Deus profecto rerum omnium opifex qui illo ævo rara quædam et inusitata patrabat, Dionysii mentem atque linguam habuit pro calamo scribæ velociter scribentis : illius ductu atque lumine non politiam modo omnem Christianæ religionis, verum etiam cœlestium mentium ordines, peragravit. Ille Spiritus qui Dionysio concessit, ut indicta cæteris inauditaque pangeret, verba etiam et mirificum orationis contextum, quo illa ipsa exponeret, suppeditavit. Quare ut Graccho olim oranti, fistula eburneola puer litteratus vocis contentionem et tonum moderabatur, sic divina mens, periti instar phonasci, sanctissimo Dionysio nostro dedit, ut inflaret altius, et cum divinissimo Paulo mente excederet. Certe clarissimus idemque religiosissimus Billius, cujus industria et fructuosissimis laboribus, tot eximios e Græcia Patres explicatos et illuminatos habemus, dicere solebat, hoc opus Areopagitæ Dionysii, hunc stylum adeo esse θεόπνευστον atque divinum, ut si quotquot in Europa sunt acerrimo ingenio et graviorlbus scientiis imbuti, in unum coeant, et simile quidpiam meditentur, vix omni animi contentione atque viribus, sint tantam altitudinem atque præstantiam imitando consecuturi. Quod acroama ex ore tanti viri excepit D. Richardus Stephanus doctor theologus, vir summa humanitate, ut mihi nuper in familiari sermone memorabat. In eadem sententia fuit Marsilius Ficinus, lumen ævi sui, varia abundantique doctrina cujus aureum pronuntiatum non possum quin totidem verbis hic ponam, ut honorificum nostræ disputationis emblema. Sic igitur habet : « Dionysii Dei numen, Theologi veteres et Platonici, separaturum mentium exstasim et excessum esse putant, quando partim amore nativo, partim instigante Deo, naturales intelligentiæ limites supergressæ, in amatum Deum mirabiliter transformantur, ubi novo quodam nectaris haustu et inæstimabili gaudio velut ebriæ (ut ita dixerim) debacchantur. Hoc genus Dionysiaco mero Dionysius noster ebrius exsultat passim, effundit ænigmata, concinit dithyrambos. Itaque quam arduum est profundos ejus sensus intelligentiæ penetrare, tam difficile miras verborum compositiones, et quasi Orphicum dicendi characterem imitari, ac Latinis præsertim verbis exprimere. Idem profecto ad id facile consequendum necessarius omnino nobis divinis est furor, etc. »

Hæc de stylo satis : quid aliud adversus Dionysii nostri monumenta objiciatur videamus. Ecce tibi Scaliger sane infesto animo incurrit in Dionysium : hos libros suppositilios ex eo probat, quod de monachis agant, qui nusquam fuerint ; non enim, ut Tertullianus aiebat, Christiano « *silvicolas esse aut exsules vitæ* : » id genus vitæ a Paulo primum eremita institutum : ὑποβολιμαῖον hunc scriptorem in fraudem fuisse inductum ab Eusebio, qui

Digitized by Google

monachismum ad nascentis Ecclesiæ tempus revocavisset : per Dionysii nostri θεραπευτάς, exsules illos vitæ intelligendos, se primum e Trullana synodo aperuisse gloriatur. Sed Thrasonem hunc gloriosum κενῆς οἰήσεως ἔμπλεων ἄσκον, insultantem audacius, et in Trullo bullientem, sua confutarunt trua periti non in theologia modo homines, sed in omni litteratura elegantissimi, Martinus Delrio in primis e societate nostra theologus, deinde Joannes a Sancto Francisco, Fuliacensium prior apud Lutetiam, linguarum cognitione præcellens, in quo nescias ἐγκυκλοπαιδείαν mireris potius scientiarum, an virtutum. Ac videtur mihi quidem Scaliger meticulosos imitari peregrinos aut cerritos, qui quidquid increpuerit, quæ res cunque tandem in aures oculosque se injecerit, hostem putant, larvam, infortunium. Sic ille, cum monachorum genus omne et religiosorum Vatiniano quodam odio prosequeretur, si quod tenue religiosi pareat judicium, subito exhorrescit, monachum **634** adesse putat in cucullo silvicolam, exsulem vitæ μανδρίτην. Scripsit sanctus Dionysius, Γάϊῳ θεραπευτῇ : Scaliger, quasi in silvestrem Faunum incidisset, panico terrore, furit, monachum exclamat. Minuamus, si fieri potest, homini timorem, eumque a silvis et deserto loco in urbem ducamus. Neque enim therapeutam eum nominat Dionysius, eum intelligit qui in vasta quapiam solitudine oberret, aut qui plane atque omni ratione eorum vitæ rationem imitetur, quam in Palæstina primum atque Ægypto, mox ad orientem late solem et occidentem, piorum hominum greges celebrarunt. Ista magna et mirabilia non subito omni perfectione cumulata solent exsistere : levioribus principiis ea quæ perennant non natura modo, verum etiam et gratia prætexit. Quid vero temporibus illis θεραπευταὶ fuerint, si quis modo legat animumque accommodet, non est operosum e Dionysio ipso doctore cognoscere. Dividit enim cœtum omnem seu populi Christiani complexum duas primum in partes, in sacros videlicet homines, atque laicos.

In illis hierarchiæ sunt episcopi, presbyteri, et liturgi. In his ordinibus tribus distincti, in primo catechumeni, energumeni, pœnitentes; in secundo populus sanctus, in tertio monachi. Ex his gradibus divina quadam ratione conserta et composita ecclesiastica hierarchia, mirabiliter secum ipsa consentit; nam sacrorum hominum functiones in purgando, aut illuminando, aut perficiendo, occupantur, quare ordinem liturgorum καθαρτικὴν τάξιν appellat, *purgantem;* presbyterorum φωτιστικήν, *illuminantem;* episcoporum τελεστικήν, *perficientem.* Quibus inferiores tres respondent gradus. Et catechumenorum quidem energumenorum et pœnitentium ordinem nominat τάξιν καθαιρομένην, *purgatum,* populi sancti θεωρητικήν, seu φωτιζομένην, *illuminatum;* monachorum denique τετελεσμένην, *perfectum.* In hoc igitur partium concentu, et velut in cantu et fidibus harmonia, monachos locat in numero laicorum, sed qui tamen quasi μεθόριοι quidam existimari possint, sic ut neque in populi humilitate jaceant, neque rursus ad hierarcharum ordinem attollantur, itaque ad adyti januam consistunt, reliqua omni multitudine superiores, inferiores liturgis. Eorum proprium fuit, majorem quamdam vitæ sanctimoniam profiteri, piis precationibus dare operam paulo studiosius, ab inanium rerum tumultu recedere, in medio cœtu Christianorum ita vivere, ut longe quam vulgus religiosius consecravisse Deo vitam constaret. Nec monachi ideo nuncupantur, quod lucem fugitantes hominumque societatem, in speläea sese abderent, umbrosasque silvas, sed quod mentem atque voluntatem, quantum fieri posset, ab omni caducarum rerum cupiditate abstraherent, colligerent animi vires omnes atque potentias, seque vere ἑνιαίους in unius Numinis providentia collocarent. Hoc eleganter et divine, ut omnia, exponit Dionysius capite 6 *Ecclesiasticæ hierarchiæ :* Μοναχοὶ ὀνομάζονται ἐκ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς ὡς ἑνοποιούσης αὐτοὺς ἐν ταῖς τῶν διαιρετῶν ἱεραῖς συμπτύξεσιν εἰς θεοειδῆ μονάδα καὶ φιλόθεον τελείωσιν. Iidem ipsi non seclusum habebant ullum locum in quo cœtus celebrarent suos, sed cum cæteris divinis liturgis intererant : et tametsi loci honore ut et vitæ gradu anteirent cæteros laicos, velo tamen atque janua a liturgis disjungebantur, quibus dignitate cedebant, ut in epistola ad Demophilum therapeutam ab auctore nostro explicatur. Atque hæc, opinor, Scaligero, et ejusdem sectæ hominibus, ni iniquiores sint, possunt sufficere, quæ in Gallica P. Joannis a sancto Francisco Apologia longe uberius ornatiusque dicuntur. Nunc breviter, ut in cursu orationis, Abrahamum Scultetum modestiæ, commonefaciamus, qui Medullam Patrum velut excarnificatione direptam, pestilenti veneno infecit. Is de scriptis Dionysii Areopagitæ disputans « De undecim, inquit, epistolis, quæ eidem tribuuntur, nihil attinet multa dicere, cum nihil memoratu dignum contineant, nisi forte cuipiam fabella de eclipsi passionis Dominicæ arrideat, quam Dionysius Heliopoli Ægyptiorum se vidisse scribit epistola ad Polycarpum.

Græci veteres mare aiunt φύσει καθαρτικὸν εἶναι, labes animi corporisque tollere : sed ne quidem Germanicum omnem oceanum putem hanc effusi hominis temeritatem expurgare posse. Nam si nunquam eas epistolas in manus sumpsit, cur repudiat, et cæco judicio aspernatur? Si legit et pervolutavit aliquando, qua fronte, quo superbientis animi fastidio ea dicit quæ a quolibet, qui oculis modo atque ratione præditus si, et refelli et importunæ vanitatis convinci possint? Nam ut omittam, sanctum Dionysium semper sui esse similem, illo e sole divinitus illuminato, tum maximis tum mediocribus in rebus, radios spargi rutilantis sapientiæ, ubique ab eo sublimium rerum cognitionem attingi, certe epistolis 6 et 7 de tradendis fidei mysteriis communicandisque agit, re videlicet omnium gravissima; de via et ratione tenenda in disputando, ubi hæreticum agendi modum incredibili orationis venustate coarguit, de tolerandis æquo animo injuriis. Doctam præterea, veram, et exquisitam de solis **635** cursu et natura disputationem pertexit, tum Scripturæ sacræ auctoritate, tum luce rationis comprobatam.

Hæc igitur sani ullius judicio, vana, futilia, et explodenda videantur? Epistola 8, Christianam mansuetudinem eximie commendat, privatam exomologesin docet, nocturnis precationibus lucem affert, ecclesiastici fori majestatem exponit, de pœnitentibus mœrore confectis in Ecclesiæ gremium recipiendis monet. Ne hæc quidem censorio illo supercilio sint digna? Epist. 11, plurima illustrat de vinæ paginæ loca, in magna obscuritate posita, Traditionum vim et auctoritatem explicat. Hæc nimirum παίγνια sunt homini hæretico. Epistola 10, animi felicitatem, dura et acerba Dei causa toleranda summis laudibus in cœlum vehit.

Sed jam e dumis spinetisque disputationum egrediens oratio, gestit evolare liberius in amœna vireta sanctissimorum Patrum, atque hortulos omnigena florum varietate convestitos, e quorum dictis, velut rosis atque liliis, coronamenta plectam Dionysio nostro, magno, inclyto, victori, vere Areopagitæ, vere Gallico, de invidia hominum, de sæculorum omnium vetustate gloriosissime triumphanti. Nec longe abiero : nam ecce mihi cum plenis calathis R. P. Petrus Cotonus e societate nostra homo eloquentissimus, et magnarum artium cognitione instructissimus, qui Dionysium nostrum, conquisitis summa industria ex omni antiquitate testimoniis, exornavit et defendit. Ejus gravem et eruditam disputationem religio sane esset hic omittere, cum

Digitized by Google

tot symbolæ sint mihi aliunde quæsitæ ad convivii hujus apparatum. Ponam igitur illam ut mel et saccharum et extrema bellaria, in quibus mens tua, lector, conquiescat, et totidem verbis repræsentabo, prout Latinam fecit unus e nostro ordine, qui Gallicam elegantiam Romani styli suavitate æquavit. Sic igitur ille primo libro institutionis catholicæ.

Sed unius Dionysii Areopagitæ auctoritas, qui *De cœlesti hierarchia* librum divine contexuit, quique mysticæ theologiæ lumen, et eximius doctor fuit Ecclesiæ Christianæ, rem conficiet, dummodo constet eum Dionysium, qui de cœlesti hierarchia scribit, esse verum et genuinum Areopagitam, Pauli discipulum, de quo in Actis apostolorum memoratur [c]. Cujus rei probationes lubet hic apponere, e flore hominum sapientissimorum depromptas, qui quoque sæculo a nato mundi Servatore ad hanc ætatem floruerunt.

Sæculo I. D. Lucas ejus nobis describit nomen, conditionem, et ad fidem Christianam conversionem (61). In II. Dionysius Corinthi episcopus ait illum antistitem fuisse Athenarum. III. Dionysius Alexandrinus, Origenis auditor, luculentos in ejus opera scripsit Commentarios, ut Maximus vir doctissimus prodidit (62) IV. Divus Gregorius Nazianzenus (63) eumdem haud obscure designat, ubi scriptoris antiqui meminit, qui præstabili quadam sapientia disputasset de seraphinis qui tabernaculum operiunt, et τρισάγιον magno animi ardore decantant, cum certum sit, magnum Dionysium librum composuisse περὶ τῶν θείων ὕμνων *De divinis hymnis*, cujus meminit sub finem capitis septimi *De Cœlesti hierarchia*. In eodem sæculo S. Joannes Chrysostomus eleganter eum nominat πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, ut legitur in Epistola Anastasii Bibliothecarii ad Carolum Calvum. V. Si Liberato Afro (64), qui anno 520 floruit, adhibemus fidem, S. Cyrillus Alexandrinus antistes eum laudat, in Theodorum et Diodorum agens Nestorianorum primipilos, quod etiam fecit libro *De Incarnatione*. Sæculo VI. Anastasius episcopus Antiochenus, dictus Sinaita, vir exquisitæ eruditionis, et exemplar sanctitatis, ut auctor est Evagrius, in eximio quodam Commentario quem inscripsit *Contemplationes anagogicas in Hexaemeron*, illum indigitat celeberrimum rerum divinarum mystam, apostolicum Dionysium. D. Gregorius Magnus (65) antiquum venerandumque Patrem nominat, utiturque ejus auctoritate, ut probet angelos tutelares ex infimo esse ordine ultimæ hierarchiæ. VII. Hoc est circa annum Domini 640, floruit Maximus, excellenti artium cognitione vere maximus, et singulari auctoritate apud Heraclium imperatorem, qui se lubens a comitatu palatioque subduxit, quod pestem in eo grassantem Monothelitarum videret, et religiosis se claustris addixit, in quibus placida quiete perfruens, animique tranquillitate multos edidit confecitque libros, inter quos Scholia sunt in opera Dionysii Areopagitæ : tandem ipsi lingua evulsa fuit, hæreticorum factione impioque maleficio, inclytusque martyr e sordibus custodiæ et pædore ad beatæ æternitatis usuram evolavit. Eodem sæculo vigebat Sophronius patriarcha Hierosolymitanus, qui ad Sergium Constantinopolitanum item Patriarcham scribens, litteras quæ in undecima actione synodi VI, inseruntur (66), Dionysii auctoritatem adhibet ad confutandos errores Monothelitarum, eumque Dionysium a divino Paulo captum ait ex Areopago, Deo mancipatum. Eadem etiam erat usus auctoritate Macarius archiepiscopus Antiochenus, eadem hæresi imbutus, ut constat ex IIIa Actionis secundæ, ubi tametsi vehementer 636 imperator urgeret, distinguere tamen noluit et explicare, quemadmodum intelligeret operationem hominis Dei, quam Dionysius θεανδρικὴν in Epistola ad Caium nuncupaverat. Octavo S. Joannes Damascenus (67), lux et decus eorum theologorum, qui a præstanti eruditione Scholastici nomen habent, opera sæpe illius laudat, neque id fere unquam sine præfationis honoris, meritoque præconio, quippe nominat « divinum Areopagitam, sanctissimum et eloquentissimum Dionysium; » et tractatu De iis qui in fide quiescunt, « divinis rebus abundantem profundumque Dionysium. » Secundum generale concilium Niceæ celebratum (68), anno septingentesimo vigesimo septimo, sub Adriano papa (69), citat eumdem, et *magnum* Dionysium appellat. Idem pontifex Maximus scribens ad Carolum Magnum, vocat Areopagitam, « Episcopum Athenarum, hominem apostolicum : » ait dictum fuisse a sanctissimo Gregorio « antiquum Patrem et doctorem, » a sacris item conciliis et decessoribus suis comprobata illis fuisse opera, ex iisdem fuisse laudatas promptasque sententias, et præsertim ex epistola quam ad D. Joannem scribit, ad imaginum cultum et religionem tuendam.

Libri autem tanti viri missi in Galliam fuerunt circa nonum sæculum a Michaele imperatore Constantinopolitano, qui eos velut magnificum regiumque munus Ludovico imperatori Occidentis cognomento Pio dedit, cum didicisset, quanta observantia et religione magnum Dionysium prosequeretur, quam etiam videretur habere quasi propriam atque hæreditariam, cum eumdem avus atavusque imperator Carolus Magnus et Pippinus coluissent : Ludovicus Pius summa lætitia exceptos evestigio misit ad Hilduinum monasterii S. Dionysii abbatem in Francia. Michael Syngelus qui tum vivebat rem publica laudatione celebravit, et Methodius Græca lingua confecit Acta in ejus honorem, quæ usque in hodiernam diem reperiuntur. Joannes Erigena Scotus Græcis quoque Latinisque litteris doctus paulo post eos libros primus in Latinum vertit, idque jussu Caroli Calvi, qui in imperium paternamque pietatem successerat, anno fere octingentesimo sexagesimo. Anastasius, qui eodem ævo bibliothecarius fuit sanctæ sedis apostolicæ, ad eumdem scripsit imperatorem litteras, quarum initium est : *Inter cætera studia*, ubi apparet quantum studii industriæque poneret summus ille Galliæ et totius Occidentis moderator, in scriptis beati Dionysii legendis et intelligendis. Decimo sæculo Simeon Metaphrastes, cujus viri auctoritas in œcumenico Florentino concilio, sess. VII adducitur (70), S. Dionysii Vitam litteris mandavit, et libros qui in manibus sunt, ut veros et germanos agnovit. Suidas qui eodem scribebat sæculo, de ejus Vita moribusque similia memorat, nec in libris recensendis dissentit. Undecimo fuit Euthymius cognomento Zigabenus, inter doctos suæ ætatis clarissimus in Græcia, qui in Panoplia sententias sæpe atque flosculos e Dionysio nostro decerptos delectosque laudat. Quod etiam duodecimo sæculo multo sæpius facit Hugo a S. Victore, qui sub Ludovico Juniore florebat, dictus vulgo secundus Augusti-

[c] Act. XVII.

(61) Euseb., l. IV, c. 23.
(62) S. Maxim. in c. 5 *Cæl. hier.*
(63) Orat. 58.
(64) Liberatus Afer diaconus in Breviario *de causa Nestor. et Eutych.* c. 10.
(65) Homil. 34 *De Drachma perdita.*
(66) Tom. III *Concil.*
(67) Damasc Or. *de fid. defunct.*
(68) C. 2, tom. III *Concil.*
(69) Adrian. pap. ad Carolum Magnum tom. III *Concil.* ep. 3, c. 30.
(70) Tom. "

Digitized by Google

nus, propter uberrimam elegantissimamque doctrinam et ingenii præstantiam : hic autem splendidissimos et suavissimos Commentarios in *Cœlestem hierarchiam* edidit, quos eidem regi dedicavit. Decimo tertio Georgius Pachymeres inter Græcos, polita et exculta paraphrasi Dionysii libros illustravit ; et e Latinis D. Thomas celsissimus apex theologiæ, libros de *Divinis nominibus* luculenter exposuit, et in *Theologica Summa*, aliisque in locis, citat eos frequenter, ad abstrusissima quæque mysteria et reconditas fidei quæstiones comprobandas.

Sæculo XIV. Nicephorus Callixtus Xanthopulus, qui ecclesiasticam Historiam memorabili opera contexuit sub Andronico Palæologo, inter alia quæ de viro sancto memorat, ait illum et lavacro salutari tinctum, et Athenis episcopum renuntiatum manibus D. Pauli ; tum indicem proponit eorum voluminum quibus fruimur, quæque temporum injuria desiderantur.

Centum post annis sæculo XV, cardinalis Bessarion, doctrina sua quam purpura splendidior, eadem scripta vera et legitima esse defendit : Marsilius Ficinus in Latinum convertit librum *De divinis nominibus*, et quem *De Mystica theologia* scripsit, et rem omnem illustravit commentariis. Iisdem fere temporibus Joannes Picus Mirandulanus, cujus ingenii magnitudo atque excellentia orbem universum obstupefecit, illum suis laudibus ad cœlum extulit, præsertim eo libro quem doctissime elucubravit *De ente et uno*.

XVI. Eruditissimus Budæus manuscriptum unum reliquit, curis vigiliisque suis diligenter emendatum, notisque illuminatum, quæ Parisiis deinde in lucem prodierunt (71). Petrus Faber Stapulensis libros eosdem perpetuis annotationibus illustrat : Joachimus Perionius in Latinum vertit. Præstantissimi viri atque illustrissimi, Genebrardus, Baronius, Bellarminus aliique eorum objectiones docte refutarunt, qui et auctorem, et ejus scripta in dubium revocassent.

(71) Apud Gulielmum Morelium, an. 1562.

---

637 AREOPAGITÆ DEFENSIO

ADVERSUS

HÆRETICUM CALVINISTAM, CARENTONI MINISTRUM

Sive gemini argumenti adversus B. Dionysii Areopagitæ libros ab eo propositi imbecillitas demonstrata

A clarissimo et nobilissimo viro Joanne domino de Chaumont, *Christianissimi regis in sacris ac secretioribus regni consiliis consiliario, et arcanioris regiæ bibliothecæ præfecto, Gallice primum conscripta, subindeque cujuspiam amici studio Latine reddita.*

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Ad illustrissimum ac reverendissimum Dominum D. Philippum Conspeanum regi Christianissimo a secretioribus, sanctioribusque consiliis, ac Lexoviorum præsulem dignissimum, circa geminum argumentum adversus B. Dionysii Areopagitæ libros ab hæretico Carentoni ministro usurpatum.

Tibi jampridem (reverendissime præsul et illustrissime domine) obtemperandum a me fuit, ut ea scripto etiam consignarem, quæ tui honore colloquii perfruentem effari palam apud te ac disceptare licuerat : minusque oppido vereri debui, ne festinantior obsequi properantis et parum culta scriptio, quam ipsa non obsequentis detrectatio displiceret. Jam intelligis porro ut adscripta S. Dionysio Areopagitæ opera præfatione ista significem ; de quibus utique supervacanee quæritur, quisnam illis Dionysius e multis auctor debeat vindicari ; quippe cum totum quæstionis ipsius momentum in eo sit, seu revocari ad id unum debeat, an Dionysii Areopagitæ sint ; an vero egregii cujuspiam circulatoris ac sycophantæ, qui videlicet operis usque adeo divini, ut ab aliqua potius incorruptibili ac divina virtute, quam ab humano genio editum Suidas pronuntiet (72) *promeritam a se gloriam sibi ipse præripiens, eam subinde in alium, cui nec esse grata possit quandoquidem falsos ac mentitos honores respuunt sancti, derivet ac devolvat ; qui seipsum apostolorum coætaneum simulet ; qui apostolicis viris epistolas a se scriptas confingat et nugetur ; qui unam inter cæteras ad S. evangelistam Joannem datam obtendat ; et in ea quidem prædicere se, poetico veluti delirio ac figmento, prætexat, quæ contigisse alioqui jam nosset ; qui se paganum fuisse olim et paganorum erroribus implicatum ultro dicat, et portentosam illam eclipsim, quæ in salutifera divini hominum Redemptoris passione contigit, se vidisse glorietur, multaque demum de rebus apostolico sæculo gestis, ac si suo ipsius tempore contigissent, impudenter effutiat. Enimvero, quod Areopagitæ opera illa sint, nihil ad nos attinet, veros utique ac legitimos possessores, ut probemus ; cum vel ipsa librorum inscriptio satis auctorem prodat ac probet ; quorum passim nomina non aliunde quam ex istiusmodi præfixis inscriptionibus innotescunt, aut certa legentibus et probata redduntur ; sed quod impudentis cujuspiam circulatoris ac sycophantæ sint, qualem esse profecto nunquam sibi finget, qui eum accurate perlegerit, nec perfunctiore duntaxat ac transcursim ob solam antiquitatis* 638 *notitiam aucupandam critica curiositate prævaluerit. Id porro nobis necesse est ut probemus,*

(72) Nempe ita sentit, quod qui ejusmodi libros attentius legerit, expenderitque quo stylo conscripti sint, οὐκ ἀνθρωπίνης φύσεως γεννήματα νομίσει, ἀλλὰ τινὸς ἀκηράτου καὶ θείας δυνάμεως.

Digitized by Google

qui tam prave ac perperam sentiunt; nobis, inquam, quibus veluti veris ac legitimis possessoribus id unum satis esse debet, ut objectiones duntaxat omnes, vel ex advectis et ascitis extrinsecus testimoniis comparatas, vel ex ipsius libri visceribus effossas ac erutas refellamus. Et quidem nisi certam nobis præfatæ inscriptionis firmitatem objectiones illæ qualescunque convellant, firmus utique semper in ea laudis et gloriæ sorte perstabit sanctus noster, quam tot illi seriatim sæcula, tot eruditissimi ab ipsa jam antiquitate pontifices, tot ecclesiastica concilia, tot unanimi consensione nationes ac populi detulerunt; e quibus etiamnum tot ac tam graves viri, provolutis identidem ante cœlestis istius hominis opera genibus, latentem in iis profunditatem sensuum, et parem sensibus elocutionis majestatem adorabundi propemodum reverentur. Merito, inquam, in ea laudis et gloriæ sorte perstabit, dum eos interim, qui hanc ipsam illi honoris tesseram irrito conatu velut in cœlum, ut aiunt, spuentes, præripere aut abdicare tentaverint, justissimo utique tam sacrilegi latrocinii pudore suffusos, non aliud quam probrum ac dedecus ex ausu illo suo reportare oporteat; si videlicet mortuorum spoliatio quædam sacrilegii species habita semper est, et haberi justissime reipsa debet, eaque multo justius, qua sanctum, qua martyrem, qua tam sacrum divinumque hominem violari contingat. Nunc vero, cum tam justa sese offerat ac tam opportuna eorum refellendorum occasio, quæ recens hac ipsa de re quispiam Charentoni minister effutit et blaterat ea sine dubio carpens quæ nec ipse perlegerit, eoque ipso tam eximia citra comparationem ullam opera convellens, quæ nemo palam inspecta perstringet, ut in quibus maxime ante omnia non fucatam sinceritatem, et quæ nec a falsatore ullo fucari possit, palam sit elucere; subindeque res ipsa postulet, ut hoc ad religionem pertinens argumentum, uni cuipiam ex divinioribus illis germanæ religionis, non adulterinæ, ministris ac rectoribus animarum episcopis nuncupetur. Inter quos a tot jam annis insigniter emines, ut qui nimirum, genio simul et usu ad summam tui perfectionem certatim conferente, quidquid conferre ad absolutam summorum virorum efformationem solet, inusitatam eruditionem, parem etiam eloquentiam, judicioque prope divino spectabilem cum insigni simul vitæ sanctitate conjunxeris; nemini plane justius quam tibi nuncupari posse sentio, cujus et auspiciis ipsis, imperioque ac nutu conceptum est. Excipe igitur, illustrissime præsul, ac tuere, quod ego ipse tuum esse profiteor.

AREOPAGITÆ DEFENSIO.

CAPUT PRIMUM.

Cæteris hactenus argumentis omnibus abunde responsum est, quibus antiquam fidem eludens hæreticus, ascriptos jam dudum S. Dionysio Areopagitæ libros abrogare conatur, ac velut adulterinos fœtus, operave spuria, et illegitime illi afficta proscribere. Duo tantum supersunt, quæ delibata nondum ac discussa, expediri nunc diluique oporteat; alterum quidem ascititium et extrinsecus accersitum, nec nisi ad summum negativa, ut loquuntur, probatione constans; quatenus nempe, sive auctorum circa hæc ipsa opera silentium, sive aperta professio, quod incomperta ea sibi et ignota sint, non aliud præbere argumentum potest, quam qualia in scholis negativa dici, proindeque ad faciendam veritatis fidem, probandumque quod quæritur, infirma existimari solent. Alterum insititium quodammodo, vel affixum, seu ex ipso libri penu sinuque ac visceribus erutum ac depromptum. Et quidem ascititium illud quod extrinsecus advehit et accersit hæreticus, his omnino verbis, pag. 48 libri ab eo Gallice conscripti exaratis, conficitur: In ea, inquit, collatione quæ inter catholicos olim ac Severianos hæreticos habita est cum id in mentem Severianis venisset, ut Dionysii Areopagitæ scripta proferrent, Hypatius Ephesinus episcopus, qui catholicæ disputationis partes agebat, contra obstitit, et ea falsi postulavit. Quin et Liberatus testatur, quod cum Acephali alios quosdam **639** S. Cyrilli nomine libros, in quibus testimonia e S. Dionysii Areopagitæ scriptis petita continerentur, objecissent (dicere debuit hæreticus in eadem collatione id factum), catholici quoque ob hæc ipsa testimonia (debuit et addere ob alia quædam) libros illos ut conflictos ac supposititios rejecerunt. Ita ille quidem. Sed enim una eademque collatio, ut et Liberatus etiam ipse, de libris loquitur in contentionem et controversiam revocatis. Nempe de tribus contra Diodorum ac Theodorum episcopum Mopsuestenum conscriptis, et fortassis etiam de illo alio, quem de Incarnatione scripsisse fertur sanctus idem. Diceres tamen, hæretico isto perperam suggerente, argumentaque veluti gemmante quod unum est, duas fuisse collationes ejusmodi A celebratas: alteram quidem inter catholicos et Severianos, in qua hæreticos B. Dionysii Areopagitæ scripta proferentes, falsitatis Hypatius postulavit; alteram vero adversus Acephalos habitam, in qua prætermisso jam Hypatio episcopo Ephesino, repudiatos a catholicis ait libros quosdam, qui sancto Cyrillo afficti essent, et ea certe causa repudiatos, quod nonnulla e sancti Dionysii Areopagitæ depromptæ scriptis testimonia continerent. Atqui reipsa iidem sunt Severiani hæretici, qui Acephali; et collatio illa quæ ad annum Domini 532, nunquam satis laudando imperatoris Justiniani studio Constantinopoli habita est, ipsissima est eadem, quam ex Liberati Africani Breviario refert ac recenset hæreticus; nimirum circa Nestorii et Eutychetis hæreses, quas capite decimo Liberatus perstringit, convocata, ut ipse capite nono testatur. Atque in ea certe illos ipsos libros contra Diodorum ac Theodorum conscriptos, de quibus illic loquitur Liberatus, hæreticis B. Cyrilli nomine proferentibus, B catholici rejecerunt aut suspectos potius habuerunt. Non ob ullam tamen inscriptionem falsi ab iisdem catholicis adversus B. Dionysii Areopagitæ intentatam id præstitum; sed hanc unam ob causam duntaxat et momentum, quod sanctus Cyrillus contenta illic, tum ipsius B. Dionysii, tum aliorum quorumdam, testimonia produxisse tunc non posset, ac deinceps tamen eadem adversus Nestorium, viventem adhuc, omisisse: adeo ut hæc ipsa eorum dubitatio in sanctum Cyrillum potius recidat, cujus prætermissionem catholici carpant et notent, quam in id quod sancto Dionysio ascriptum proferebant hæretici, nec ipsi catholici respuebant; nisi hac una conjectura duntaxat, quod ejusmodi testimoniis usus postea Cyrillus non fuisset; quamvis ignota interim sibi sancti Dionysii opera testarentur.

Hic vero tam accuratum se terminorum, ut vocant, seu vocum interpretem hæreticus exhibet, ac dum alibi tria Chalcedonensis concilii capitula, C tres illius concilii capitales partes appellat; quæ nihil minus tamen quam concilii partes, ac multo minus capitales erant, vel ullam delinitionem fidei continebant; sed articuli duntaxat erant (sic enim interpretari capitula oportet) ad merum putum ec-

Digitized by Google

clesiasticæ politiæ factum pertinentes : nimirum circa Ibam episcopum Edessæ, ac magnum illum Theodoretum in episcopatus dignitatem et suarum possessionem sedium restitutos. Qua in re, non religionis ac fidei, sed personarum duntaxat causa versabatur. Quandoquidem tunc tantum restituti ambo sunt, postquam uterque Nestorium unanimi anathemate prædamnasset. Jam quod ad momentum tertium, nempe Theodori Mopsuesteni scripta spectat, nihil omnino de iis illic actum, ut Facundus ipse lib. III et lib. X, profitetur, ac multo minus quidpiam definitum. Quin, id ad quintam synodum revocari factum oportet, ubi excussa eorum ac librata doctrina est ; ut et ibidem Theodoreti quoque contra S. Cyrillum scripta versata sunt, et epistola Ibæ contra Marim Persam eodem examine ventilata ; triaque illa scilicet accusationis capita fuerunt ; quorum unum ad scripta Origenis vindicanda vergebat, cujusmodi primarius Theodori Cæsariensis in Cappadocia episcopi scopus et institutum fuit, ac deinde ut per tria illa capita simul, Chalcedonensis concilii auctoritatem, velut obliquis anfractibus et cuniculis, etsi frustra tentatis admotisque, convelleret. Frustra id sane ; quippe duos illos viros in suarum sedium possessionem restituisse concilium potuerat, et eam nihilominus, quæ de Theodoro Mopsuesteno agebat, epistolam tolerasse ; sola scilicet personarum habita ratione sine ulla eorum discussione quæ scripserant, qualem in posteriori concilio factam constat, adeo ut utrumque diverso respectu concilium recte fecisse dici posset ; cum utique ambos illos episcopos instructa in eos accusatione liberare potuisset illud primum, quantumvis Nestorianam hactenus hæresim professi essent, vel scriptis etiam suis consignassent, modo eam deinceps, ut uterque præstitit, anathemate adhibito, condemnarent. Sed hoc ad ipsum causæ fundum, statumque non pertinet, quemadmodum id pertinet, quod prolata sancti Dionysii Areopagitæ scripta falsi postulasse Hypatius ab hæretico isto in sua illa objectione prætexitur. Nec enim postulatio falsi, et ea quidem non firma, nec plane omninoque formata, illic usquam tentata est, nisi adversus epistolam unam duntaxat, vel duo testimonia, quæ sancti Dionysii scriptis contineri dicerentur ; non adversus opera ipsa, quæ nec ad manum illis erant, nec ad eorum notitiam forte pervenerant, qui ea testimonia protulissent : ac deinde **640** adversus ascripta S. Cyrillo scripta quædam, quorum auctoritas ad astruendam ejusmodi testimoniorum veritatem adhibita tunc fuisset. Et eos utique libros respuere Facundus aut inficiari ausus non est ; quamvis ipsius in Theodorum Mopsuestenum episcopum amica propensio, nimium quantum urgere illum videretur, ut id vellet.

Verique simile videri potest, nonnisi unam sancti Dionysii epistolam (quam ego quidem propter vocabulum, θεανδρικήν, quartam esse arbitror) inter Severianos aut Acephalos tunc temporis exstitisse. Quæ si profecto depravata jam tum fuisset, uti Monothelitæ postea depravatum fuisse annuerunt, nonnullam sane catholicis, propter vocabulum, καινήν, cum dictione, μίαν, commutatum difficultatem ac molestiam facessisset. Epistolam subinde illam nonnullis quoque aliis epistolis adnectebant, e quibus aliquas catholici velut afflictas ac suppositicias respuerunt ; hoc solum interim de ista pronuntiare contenti, quod eadem collatione continetur : illa enim testimonia quæ vos Dionysii esse dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini ? Enimvero quod aiunt, suspicamini, minus apte de libro seu opere integro, quam de compactis quibusdam testimoniis diceretur ; quæ quidem plurali numero hæretici juxta insitam hæresi ostentationem, ac nativum illius fastum efferebant, cum nonnisi tamen alterum præterea ejusmodi testimonium ex universis quæ apud nos exstant, illius operibus ascivissent : nempe illud quod secundo capite *De divinis nominibus* videre est, ubi quædam operationis istius θεανδρικῆς, quam *Deivirilem* Latini reddunt, effecta commemorat et recenset. Ad istam porro catholicorum exceptionem revincendam, prima subinde ac potissima hæreticorum reclamatio esse debuerat, ut commemoratum a se sancti Dionysii librum palam publiceque proferrent ; quo certus esse posset hæreticus iste noster, an librum illum reipsa falsi postulasset Hypatius, ut prætexit.

Sed cum hæretici nonnisi epistolas, vel deprompta ex Epistolis testimonia, fragmentaque præ manibus haberent, et ea quidem a catholicis falsa ob eam causam existimata, quod illa nec sanctus ipse Cyrillus alibi, nec sanctus Athanasius (quos antiquos appellant) usurpassent ; cum sola, inquam, ejusmodi testimonia præsto illis forent, quibus ad aliquod fidei momentum, ipsam sancti Cyrilli, ea illic usurpantis, auctoritatem accersere cogerentur ; catholicis visum est, penes quos nullius plane momenti erat, quidquid ad conciliandam testimoniis illis fidem, ex ascriptis nimirum sancto Cyrillo libris jactabatur, ut illa omnino rejicerent, quia sanctus ipse Cyrillus nec in epistolis, nec in articulis aut anathematismis duodecim, nec in Ephesino concilio, ubi ea ipsa testimonia contra Nestorium, spirantem adhuc et vivum, tantopere illi necessaria esse ac prodesse potuerant, reperiatur usurpasse ; id visum saltem, ut ab hæreticis ad eos libros, qui sancto Cyrillo ascriberentur, adjecta esse atque assuta responderent. Quin ubi ea se deinceps ex ipsismet sancti Cyrilli patriarchatus archivis ac monumentis deprompta prodituros receperunt hæretici, catholicis rursus hoc ipsum repudiare visum est, nisi ante certum aliquod ac præfixum tempus exstitisse monumenta illa constaret, seu fuisse sub ipsis Proterii ac Timothei, cognomento Salofacioli, temporibus explorata jam et comperta pro certis. Atque ubi subinde ad expendenda singulatim testimonia, et præsertim sancti Dionysii, ventum est, veritatemque illius epistolæ disquirendam, non amplius adhibentur illa verba (quæ præmissa generatim fuerant.) Intantum falsæ sunt epistolæ, sive testificationes, ut neque unam sanctus Cyrillus voluerit recordari. Utpote in quibus dubitatio falsitatis ad sancti Cyrilli emissionem refertur, iis ipsis locis notatam, ubi tantopere his epistolis ac testimoniis indigebat : sed hæc duntaxat sola nectuntur, unde nunc potestis ostendere, quia illius sunt, nescio : et quidem post alia illa jam præmissa ; nempe quod sanctus Athanasius, si p o certo ejus fuisse sciret. An vero id est cum tanta firmitate loqui, quanta jactatur ? aut negare omnino, quod sanctus Athanasius opera illa voluisset ? Vel quidquam aliud inde colligi possit, quam penes neutros illorum, qui hac de re disceptabant, ejusmodi opera exstitisse ? propterea que catholicos in unum aut alterum testimonium, adversus eos ipsos prolatum, non potuisse consentire, quin major illis ac certior, quam e sancti Cyrilli contentiosis, controversisque scriptis, firmitas accessisset. Id vero in ea tam prolixa collatione, in qua ipse illius enarrator de rebus tot ac tam diversis actum esse testatur, excussaque momenta tam varia, ut referre universa non possit, satis agnoscere ipsi potuerant. Quemadmodum et se ibidem nonnullum ex aliis quoque testimoniis legisse, imo et omnia pervidisse significant ; cum prius aiunt prodesse illa sancto Cyrillo contra Nestorium potuisse, si ab illo adhibita tunc fuissent.

Quid igitur ex his demum erui omnibus potest, quo generalis illa et perantiqua persuasio, quæ hos ipsos beato Dionysio libros asserit, convellatur ? An prædicta fortassis catholicorum recusatio, qua suscipere illos renuunt ac detrectant ? At enim nihil

Digitized by Google

in ea collatione de ipsorum veritate tractatum est; de qua nec certi aliquid statuere collatio potuit, cum infallibilem et ratam, præsertim in quæstione facti, auctoritatem non haberet; sed nonnulli duntaxat **641** ex iis textus in ascriptos beato Cyrillo libros impacti, ventilati sunt, cum ventilari totum opus expendique non posset; tantum abest ut falsi fuerit postulatum. Et id quidem, quod in ea ipsa collatione libratum est, non aliud fuit, quam librorum veritas qui ad Diodorum ac Theodorum conscripti ferebantur, ut de illorum auctore constaret; quem utique Liberatus ex proprio Marte ac genio loquens, beatum Cyrillum fuisse non abnuit, ut nec Facundus Hermianus episcopus, quantumcunque id se posse optaret. Quin hoc ipsum publico rumore sparsum asserit, qui non infimum sibi solet inter humanæ rationis firmamenta momentum ac pondus vindicare. Ac si equidem tenui duntaxat rumore jactaretur, vix illius habere rationem ipse vellet, cui persuaderi difficillime potuit, ut libris, quos in orthodoxis haberet, S. Cyrilli auctoritatem putaret obstitisse : nisi et illud quod ait, ut ferunt rumores, nullatenus ad scripta ipsa, sed ad solam scribendi occasionem, et ad ea duntaxat verba referri oportere dicendum est, quæ ibidem adjungit, cum ait : Quibus permotus Cyrillus. Budæus profecto vir doctissimus in autographo seu manuscripto suo consignatum ac testatum reliquit, quod sanctum Cyrillum iis libris auctorem Liberatus assignet; atque hoc ipsum doctissimus pariter Sirmondus in tertium Facundi librum his verbis asseverat : Cyrillus scripserat, sicut Liberatus testatur capite 10, tres libros contra Diodorum ac Theodorum tanquam auctores hæresis Nestorianæ. Sensisse interim catholicos refert, quod a sancto Cyrillo evulgati aut editi non fuissent ; cum parum consentaneum videretur, inquiebant, ut quibusdam adversus demortuos homines argumentis usus esset, quæ tamen ab eodem essent adversus viventem adhuc Nestorium prætermissa, etsi non satis ratio ista urget aut convincit. Illorum quippe conscribendorum occasionem post Nestorium condemnatum emersisse Liberatus narrat, et collatio ipsa catholicos asserit, eo se subinde recepisse, ut eos diceret depravatos, obtrusis in ea testimoniis de quibus agitur, et quæ præsertim e sancti Dionysii Areopagitæ operibus excerpta essent, haud dubie apud illos omnes, ob discussas a Maximo rationes, ignoratis.

Delitescebant nimirum in tenebris libri illi, et ipso Ecclesiæ communi usu, quo mysteria passim occultari solebant, et proprio sanctissimi auctoris instituto, qui se prodi noluerat : et subtili Platonicorum astu, qui eorum sibi sensa, quasi proprio concepta genio, vindicabant. Atque ut flumina illa, quæ in imos terræ sinus ac meatus absorpta, post aliquantum occultiori effluxu decursum, emensumque tractum, inde subito in apertum erumpunt : ita eximium hoc ac præcellens opus, posteaquam longo satis, quantum consequi notitia nostra potest, intervallo delituit, in Oriente tandem paulo post collationem istam illuxit, ut ex Anastasio Sinaita in suo adversus (73) Acephalos Ὁδηγῷ seu *via-duce* compertum, et eum diffundere splendorem palam cœpit, qui remotiorem a se nonnisi sexto exeunte sæculo illustrare perrexit Occidentem. Imo nec totum illucescere statim primo aspectu visum, sed aliqua duntaxat illius veluti fulgetra scintillare, sive testimonia propagari : adeo ut illinc depromptam assertionem quamdam sanctus Gregorius papa commemorans, velut ex rumore tantum dicat : « Fertur Dionysius Areopagita antiquus et venerabilis Pater dixisse. » Primis vero Ecclesiæ sæculis aliqua jam illius notitia præluxerat, ut ex Maximo colligi potest, qui non alium quam Dionysium Areopagitam Dionysii Alexandrini scholiis illustratum existimat, cum hæc ait : Magnus Dionysius Alexandriæ episcopus, orator ille, in Commentariis suis quos in B. Dionysium cognominem sibi fecit (74). Et sane quod professione orator esset, ut Anastasius etiam Sinaita loco citato refert, ubi et sanctum Dionysium Areopagitam existimat eum esse, quem Dionysius Alexandrinus Commentariis illustravit, quandoquidem Apostolicum (75) illum appellat, eo ipso plus apud Maximum aliosque ponderis ac momenti ob hæc ipsa verba obtinebat, quibus explicationem illius atque auctoritatem insignlendam judicavit. Quæ profecto necessitas proficua nobis admodum fuit, ut cui tam luculentam ac præclaram, et a tali ac tanto viro, martyrii gratiam sua ipsius egregia sanctitate promerito, editam veritatis confirmationem, referre acceptam debeamus. Enimvero quod ad illam aliam attinet, quæ istam antecessisse prætexitur, et ex quadam Origenis de diversis homilia, nempe secunda *in Joannem*, eruitur a nonnullis, absit ut eam a me proferri, adhiberique contingat : quamvis et initium ipsum et locus qui subinde producitur, grande illud ingenium utique sapiant, de quo pronuntiatum istud est, ut : Ubi bene, nemo melius fecerit.

Viderique merito possint ab imperitis ac hæreticis assuta esse nugamenta quæ illic reperiuntur, universa, dum suis nimirum deliriis **642** conciliare tanti scriptoris auctoritatem ambiunt, et hinc operi potius auctoritatem abrogant, qua se maxime cupiant permunitos; ut in epistolis ipse suis iterum, iterumque conquestus est. A Maximo nihil ominus definitum fortasse quispiam arbitretur, quod in tot Origenis operibus ad sex usque millia voluminum numeratis horum Areopagitæ operum non nulla mentio fiat, nec nisi quatuor illic ecclesiastici scriptores commemorati sint; probabileque illud videri satis posse putet, habita ratione scriptorum qui tam pauci antea scripserunt; atque hoc ipsum ex illo Prologi loco eruere sibi videatur. Ubi enumeratos ab Eusebio scriptores ecclesiasticos commemorans, et conceptam his verbis adversus Dionysii libros objectionem perstringens, « Atqui nec Eusebius, quin nec Origenes, hujus libros scriptis mandarunt, » huic objectioni sic respondendum docet : « Eusebium quamplurima omisisse quæ ad ejus manus non pervenerant. Etenim nec prorsus omnia, inquit, collegisse ait : imo magis fatetur libros qui ad ipsum non devenerunt, esse numero superiores. Et sane multorum meminisse possem, quos minime habuit, et quidem suæ regionis, ut Hymenæi et Narcissi, qui sacerdotes Hierosolymis fuere. Ego sane in aliquos Hymenæi libros incidi. Item neque Pantæni opera descripsit, neque Clementis Romani, nisi duas tantum epistolas, sed neque plurimorum aliorum ; Origenes enim nescio an omnium, vix autem quatuor meminit; diaconus vero quidam Romanus, nomine Petrus, narravit mihi omnia divini Dionysii opera Romæ in sacrorum scriptorum Bibliotheca reposita servari (76). » Enimvero non satis cohærere ista inter se videri pos-

(73) C. 22. Ibi nimirum citat aut citatum certe ab alius refert, ἄγιον Διονύσιον ἐν κεφαλαίῳ περὶ μεγάλου καὶ σμικροῦ· quod in lib. *De div. nomin.* novum haberi. Hom. 54.

(74) Ὁ μέγας Διονύσιος, ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς σχολίοις, οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον, τὸν αὐτοῦ συνώνυμον.

(75) Θεῖος, inquit, καὶ Ἀποστολικὸς Διονύσιος. Et mox eadem verba, quæ proxime scribebat Maximus, nec syllaba quidem immutata, subjungit.

(76) Ἀλλ' οὐκ ἔγραψεν αὐτοῦ τὰς συντάξεις Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου, καὶ μὴν οὐδ' Ὠριγένης. Et mox : Ἀκτέον, inquit, ὡς πάμπολλα παρῆκεν Εὐσέβιος, οὐκ ἐλθόντα περὶ χεῖρας. Καὶ γὰρ οὔτε φησὶν ἅπαντα καθάπαξ συναγηοχέναι, μᾶλλόν γε μὴν ὁμολογεῖ καὶ ἀριθμοῦ κρείττονα βιβλία καθεστάναι,

Digitized by Google

sint, si de scriptoribus illic rerumve numero agitur, qui Origenem præcesserunt; quippe si vix quatuor forent, forte non diceret Maximus : Nescio an omnium; cum utique multo plures Origene antiquiores non ignoraret, aut scire saltem posset exstitisse; puta sanctum Clementem papam, sanctum Ignatium, Papiam, Quadratum, Aristidem, Anaxagoram, sanctum Justinum martyrem, sanctum Dionysium Corinthiorum episcopum, Clementem Alexandrinum, sanctum Irenæum, Tertullianum, aliosque plusquam viginti a sancto Hieronymo in Catalogo recensitos; inter quos Hermas et Hegesippus numerantur. Quin cohærere videantur aptius et connecti, si librorum sancti Dionysii numerus insinuari dicatur, e quibus utique qui perierunt, multo iis quos conservari contigit, numerosiores dici possunt; cum vel unius *De divinis nominibus* libri capita tredecim pro tredecim libris eo tempore habita ipse observet. Alioqui certe nisi hæc ad sancti Dionysii libros referri oporteat, quorsum iis verbis : Vix quatuor meminit, alia ista subnecteret, quod quidam ei narraverit omnia sancti Dionysii opera conservata? Utique opera illa quæ præ manibus habebat, imo et interpretabatur, conservata ex integro fuisse, admonendus non fuit (77).

Verum utcunque ista se habeant, hoc ego argumenti genus adhibere nolim, ut neque anterius aliud usurpare; id unum proferre audacter possim, istiusmodi operibus astruendis eamdem auctoritatem inservire, quæ destruendis adhibetur, indeque fulciri ea maxime unde illorum veritas oppugnatur ac posse præsumitur expugnari; non secus ac ingentes illos palos agitatio ipsa firmat, qui firmandis deinceps fulciendisque superstructis ædibus ipsi subserviunt. Id, inquam, proferre audacter possim, quod juxta rumorem tunc jactatum, reclamantibus quidem in ea collatione catholicis, et validam satis opponentibus conjecturam, quæ quinque illis episcopis facile persuaderet, posse hoc ipsos quod præstare cogerentur, ut videlicet ejusmodi libros **643** abnuerent, eos utique sanctus Cyrillus non ante concilium Ephesinum, sed illo duntaxat jam celebrato protulerit, ut non omnium quovis tempore meminisse moris est; et quod arma hæc ipsa venire illi subinde in mentem, vel ad ejus notitiam post initum cum Nestorio certamen pervenire potuerint; cum Juvenalis nimirum et ipse, dum orientalium adventum præstolantur, commodum satis inter miscendos de beatissima Deipara sermones, revocandi ad memoriam ejus operis, ac de illo disserendi spatium nacti essent. Atque inde factum, ut prima deinceps occasione oblata iisdem illis armis usus reperiatur in iis libris, quos Alexandrinus patriarcha Cyrus, Monothelita quidem, sed catholicum simulans, transmissæ a se ad Sergium Constantinopolitanum patriarcham scriptionis

A articulo nono, his ei verbis ascribit : « Si quis non suscipit scripta sancti Cyrilli, et maxime quæ sunt contra Theodorum et Theodoritum, Andreamque ac Nestorium, anathema sit (77*). Aut sess. sive act. 13 sextæ synodi continetur. Neque vero credibile est, ut Basilius diaconus, qui librorum Theodori volumen per varia passim loca circumferebat, illud ad ipsum attulerit, eaque de re litteras ad eum Joannes Antiochenus patriarcha conscripserit, quemadmodum de utroque testatur Liberatus, nec ipse tamen operi tam pernicioso scriptum ullum ac responsum objecerit, unde nefarium adversarii sui Nestorii dogma propagari videret; et in ea quidem tanti momenti quæstione tam erudite versatus quæ disceptanda illic occurrebat. Quin, quod eo fortius adhuc urget, act. sive collat. 4 quintæ synodi quædam Theodori verba referuntur, quæ sanctus utique Cyrillus refutavit. Et quod rursus ipsa Hypatii negatione multo validius ac ponderosius argumentum est, quædam item primi ac secundi adversus
B Theodorum libri a beato Cyrillo conscripti fragmenta in eamdem illam actionem sive collationem quintam inserta exstant, et synodi consensu velut germana illius opera comprobata; utique etiam doctissimus ac R. P. Sirmondus, Christianissimi regis a sacris confessionibus auditor, in facundi Hierniani episcopi librum nonum hisce verbis agnoscit ac testatur.

Nec in iis vel ullum styli discrimen, vel quidpiam aliud videmus a catholicis observatum, quod eos beato Cyrillo abrogandi præbere causam possit, præter conjecturam prædictam, quod Dionysii Areopagitæ aliorumque scriptorum testimoniis ac epistolis non esset usus, ex quo in istis adversus Diodorum Tarsensem episcopum ac Theodorum Mopsuestenum libris ea ipsa, ut ferebatur, usurpasset. Ac ego quidem capere non possum, ut affingi sancto Cyrillo libri illi, vel quo instituto et fine potuerint;
C cum Nestorianismum ab eo condemnatum nihil opus esset persuadere; aut ut illorum verus auctor seipsum scriptionis illius gloria defraudare voluerit. At vero, quod facile captu est, fuisse saltem catholicus auctor debuit a quo scripti sunt, et, ut in ea collatione asseritur, ex Alexandrini patriarchatus monumentis atque archivis prodierunt. Ex cujus profecto collationis lectione, ut et ex iis omnibus, quæ circa opera Liberatus prodit constare satis aperte potest, ut facta de illis disquisitio in eorum gratiam favoremque declinet; ac eorum inde veritas elucescat, unde convinci putantur falsitatis. Jam vero quid adversus homiliam illam qua sanctus Chrysostomus Ecclesiæ suæ valedicit, et quam Anastasius cardinalis, apostolicæ Bibliothecæ præfectus, ad Carolum Calvum, hos libros plurimi facientem, suorumque hac in parte majorum, Ludovici Pii, Caroli Magni, ac Pippini cui eos Paulus papa transmiserat, exempla insecutum rescribens, inter grata

μηδαμῶς εἰς αὐτὸν ἐληλυθότα· καὶ πολλῶν ἐδυνάμην μνημονεῦσαι μὴ κτηθέντων αὐτῷ, καὶ ταῦτα τῆς αὐτοῦ χώρας· ὡς Ὑμεναίου καὶ Ναρκισσοῦ, τῶν ἱερασαμένων ἐν Ἱεροσολύμοις. Ἐγὼ γοῦν ἐνέτυχόν τισι τῶν Ὑμεναίου· καὶ μὴν οὔτε Πανταίνου τοὺς πόνους ἀνέγραψεν, οὔτε τοῦ Ῥωμαίου Κλήμεντος, πλὴν δύο καὶ μόνων ἐπιστολῶν· ἀλλ' οὔτε πλείστων ἑτέρων· ὁ γὰρ Ὠριγένης, οὐκ οἶδα εἰ πάντων, μόλις δὲ τεττάρων ἐμνήσθη. Διάκονος δέ τις Ῥωμαῖος, Πέτρος ὄνομα, διηγήσατό μοι, πάντα τὰ τοῦ Διονυσίου σώζεσθαι, κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν ἱερῶν βιβλιοθήκην ἀνατεθειμένα.

(77) Planum tamen ex tota serie contextus de scriptoribus dici : Et vero qui dicere vellet Maximus, Origenem vix quatuor operum seu librorum S. Dionysii meminisse, cum nullius omnino præsumatur meminisse? Nec urget illud, *nescio an omnium;* non enim nescire se ait, quod alii præcesserint, sed an eorum Origenes in tam multis

D operibus a se non visis meminerit. Sed nec urget, quod subnectat, *diaconus vero quidam*, etc. Non enim hoc admittit præcisis illis verbis, quæ proxime antecedunt, sed superiori toti contextui, ut significet, quod quamvis nec Eusebius, nec Origenes ista scripta commemorent, exstent tamen. Non denique urget, quod ea exstare quæ præ manibus illi essent, admonendus non fuit; neque enim eo se admonitum ait, ut ea exstare sciret, sed ut sciret velut monumentum antiquitatis asservari, et sub illius nomine cui tribuenda ipse sentiebat, atque ut illam in sacrorum librorum (sive forte pontificum, hoc enim etiam est, ἱερῶν) Bibliotheca tam accuratam asservationem præternissioni Eusebii et Origenis quam sibi objecit, opponat.

(77*) Εἴτις οὐ δέχεται τὰ συγγράμματα τοῦ ἁγίου Κυρίλλου, καὶ μάλιστα τὰ κατὰ Θεοδώρου, καὶ Θεοδωρίτου, καὶ Ἀνδρέου, καὶ Νεστορίου, ἀνάθεμα ἔστω.

Digitized by Google

illius opera octingentis abhinc annis exstitisse testatur, ut etiamnum exstat. Quid, inquam, adversus homiliam illam afferri, vel ad id subinde dici potest, quod in ea ipsa sanctum Dionysium volucrem cœli (78) appellat? Haud dubie propter illum *Cœlestis hierarchiæ* librum, ex quo de pertinentibus ad angelos mysteriis eamdem Ecclesia doctrinam hausit, quam ei sui deinceps doctores, puta sexto sæculo sanctus Gregorius jam citatus, et S. Hieronymus quarto, quemadmodum libro primo Apologiæ adversus Ruffinum videre est, tradiderunt. Atque ut hanc totam de Dionysii Areopagitæ operibus disceptationem coronide ista concludam, ea Juvenalis Hierosolymitanus episcopus, qui sanctum Cyrillum inter celebrandam Ephesinam synodum vidit, et secum habuit colloquentem, ea, inquam, Juvenalis in scriptis ad Marcianum imperatorem, et Pulcheriam imperatricem datis, Nicephoro teste, profert, apud quem scripta illa Juvenalis exstabant, ut lib. xv, cap. 14, et lib. II, cap. 23, testatum reperitur. Præterquam quod scriptus etiam S. Athanasio quæstionum ad Antiochum liber eadem illa, tanquam Dionysii, responsione octava usurpat et adhibet (79).

644 CAPUT II.

Pergit deinceps hæreticus, et librum libro ipso exauctoratum explodere satagens, ac sanctum Dionysium cum veritatis hostibus pariter suorumque ipsius operum æmulis conciliare contendens, ita pag. 48 loquitur : « Qui enim existimari potest, ut auctor ille, qui postea quam de cæremoniis ac ritibus Ecclesiæ sacramentisque disseruit, hoc ipsum a se tradi testatur, quod sancti pontifices traditione antiqua instituti docuerunt? » Sed enim respondeo non de universis Ecclesiæ cæremoniis id ab eo proferri; verum de iis duntaxat, quæ in baptismo parvulorum usurpantur : ita parum ipse sincerus ac fidus est in iis etiam referendis, quæ prodesse instituto non possunt. Quippe illic sanctus Dionysius (80) : « De hoc, inquit, (baptismo) id quoque dicimus, quod divini nostri (seu Deiformes) pontifices a prima (Christi) traditione mystice edocti ad nos usque produxerunt. » Et quidem præterquam quod sancti Dionysii usus ita fert, notum id etiam vulgo est, ut vocabulum, ἀρχαῖος, vetustum quidpiam nonnisi ex accidente significet; nempe, cum res a principio suo et origine procul distat. Atque hoc idem vocabulum sanctus ipse Dionysius c. 10 *De divinis nominibus* per paraphrasim explicans, id significare ait, quod a principio exstat, ubi Deum eo designari notat, velut a principio exsistentem (81). Ibidemque, Hierotheo interprete, Deum simul, πολιὸν καὶ νεόν, antiquum et novum appellari disserit, ut utroque illo vocabulo, τὴν ἀρχαιότητα τὴν θείαν, exprimat; quam utique vetustatem divinam reddi nefas sit, sed potius principalitatem divinam, si eo verbo uti fas est, seu divinam principii rationem reddi oporteat, ut quo pacto scilicet Deus principium sit, eo dicendi modo explicetur. Quin et subinde, vocabuli, νέος, explicationem adjiciens, ideo intelligi vult, ut, τὸ ἀρχαιότερον Deus obtineat, quod *majorem vetustatem* perperam redderemus, quasi juvenis vetustum exprimeret; sed majorem principii rationem obtinere aptiori significato reddendum est : quem in sensum et alia dictio, ἀρχηγικώτερα, proxime sequitur, ut origini propinquiora significet. Sic et Latinum antiqui vocabulum, velut ab adverbio, *antea*, derivatum, non aliud quam quod anterius est, sua ipsius origine ac derivatione significat; eoque sensu contra modernum opponitur; A etsi aliam ei significationem communius ac vulgarius jam receptam usus indiderit, juxta quam tamen sive res ipsæ, seu personæ ob eam semper causam antiquæ nuncupantur, quod origine alias antecedant.

Nec Latini cum antiquos dicunt, intelligunt senes, aut intellectos utique volunt, sed eos tantum qui præcesserint, quemadmodum et hic loquendi modus; vir qui antiquum obtinet, non senem certe illorum usu, sed hominem primis moribus insignitum præditumque designat; alioqui nostro sæculo congruentius antiquitatis notio, quam primævo conveniret (quod videlicet in primis hominibus juventus ipsa vel infantia potius mundi nascentis fuit), si vetustatem necessario significaret antiquitas, et non id solum quod anterius exstitit, sive a principio ipso fuisse declaratur : tantumque abest, ut, ἀρχαίου, vocabulo significari vetustatem oporteat, quin potius aliquando ad significandam simplicitatem ineptam, et stoliditatem adhibetur, ac proinde B vetustatem eo ipso significare non potest, ut pote a stolida simplicitate remotiorem ætatem et magis alienam. Et vero cum antiquos, vel Gallos, vel Romanos, vel Græcos nominamus, non eos utique ab ejusmodi appellatione secludimus, qui juvenili ac florentiori ætate, ut Alexander et Cæsar, obierunt. Ut et cum antiquum ætatis auream sæculum, vel antiquum etiam Saturni sæculum dicimus, non aliud intelligimus quam primævum aut primum; aut ut antiquus majorum nostrorum valor, vel antiqua virtus et pietas, nonnisi primævum valorem ac primævam pietatem virtutemque significat. Et cum Arminii hæretici, quos contra remonstrantes appellant, ad suos antiquos Lutherum, Melanchthonem, Calvinum, aliosve a pio ipsorum sæculo non procul dissitos provocare se dicunt, quid aliud apud illos antiquorum nomen, quam primos innuit? Ut ad suos nimirum præceptores primos intelligantur provocare; alioqui Ecclesiæ comparatione nuperrimos. C Vel ut aptius id usurpem, nunquid et sanctus Lucas ipsis Ecclesiæ incunabulis vicinior quam Dionysius iste noster, nihilominus dum Evangelium scribere aggrederetur, dixit, οἱ ἀπ' ἀρχῆς, quod per illos qui fuerunt a principio, reddi debet, ut ii significentur, qui credita sibi primum Christi doctrinæ mysteria cæteris deinceps tradiderunt? Sic igitur et sanctus ipse noster, ad quem suorum ipsius verborum interpretatio potissimum pertinet, vocabulum illud adhibuit, ut juxta traditam cap. 10 *De divinis nominibus* ἀρχαίου paraphrasim quasi a principio existentis, primos **645** illos Ecclesiæ præsides, præsulesque insinuet, a quibus interpretatam a se baptismi doctrinam, derivatam ac traditam profitetur.

Num et alii denique ἀρχαῖον, quasi principiale, ut ita dicam, usurpant, sive a principio jam existens? Quemadmodum a sancto Gregorio Nazianzeno ἀρχαίαν δύναμιν reperies usurpatam. Ac tu equidem rectissime tunc, illustrissime præsul, aiebas, vix D persuadere sibi quemquam posse, quo pacto scriptor iste, quem quicunque legerunt, non modo candidum inprimis ac sincerum, sed et summo simul judicio pollentem, ac sublimi supra modum ingenio præditum et præstantem agnoscunt, adeo tamen mente captus videri possit, imo et sensu, quem vocant, communi caruerit, ut pro παλαιᾶς vocabulo, illud aliud ἀρχαίας vocabulum data opera quæsitum adhiberet, quo suam ipse detegeret imposturam; nisi et suopte instituto, et sancti simul nostri usu, primam et a principio existentem, sive originalem, ut ita loquar, aut originariam designaret. Ex quo utique concludo non ita reddi textum auctoris oportere, quemadmodum asserto fraudulenter addita-

(78) Πετεινὸν οὐρανοῦ.

(79) Nempe de angelis loquens : Οὐσία μία, inquit, ὥσπερ καὶ ἀνθρώπων μία. Τάγματα δὲ, ὡς ὁ πολὺς ἐν θεολογίᾳ Διονύσιός φησιν, ἐννέα.

(80) Eccl. hierar. cap. 7 : Περὶ τούτου ταῦτά φαμεν, ἅπερ οἱ θεοειδεῖς ἡμῶν ἱεροτελεσταὶ, πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως, εἰς ἡμᾶς προήγαγον.

(81) Τὸν ἀρχαῖον καὶ ὄντα ἀπ' ἀρχῆς.

Digitized by Google

.mento reddit hæreticus; ut aliquam unam seriem .raditionis ac successionem longius propagatam significare velle videatur, quippe cum non habeat, παρά τινος, vel πρός τινος, quo pacto hæreticus commentari videtur, cum pro suo nutu vertit (*par une tradition ancienne*), sed ut solam definite Christi traditionem, sive institutionem, ab apostolis jam inde initio acceptam exprimat, quæ nudo ac simplici et absolute pronuntiato τῆς παραδόσεως vocabulo designatur, ut non alia quam Christi videri possit ac debeat designata, quemadmodum et interpres expressit. Nec aliter paraphrasis quam textus legit, sed ἐκ τῆς duntaxat, non ἔκ τινος aut aliam quam originariam institutionem, non vero continuatam diu succidua sæculorum plurium consuetudine traditionem insinuat. Non committam interim, ut ex hoc argumento absque adnotatiuncula ista desiliam; nempe quod eo ipso loco qui ad abroganda sancto Dionysio Areopagitæ admiranda hæc opera valere plurium existimatur, merus, ut in sua paraphrasi Pachymeres adnotavit, reperiatur atticismus his expressus verbis τοῦτο εἰς νοῦν ἐληλυθός, quemadmodum et in alio illo, εἰκόσιν ἀποτυποῦσιν, quem in suis ad septimum *Cœlestis hierarchiæ* caput Scholiis Maximus observavit; quin et alius alicubi quispiam exstat, quem ex duobus illis viris alteruter mihi suggessit advertendum. Id vero illi, non affectata quadam levitate studiose conquiritur, sed in stylum sponte incurrit; ut et manifesta ubique in illius contextu ingenuitas elucescit: puta, cum sua ipsius opera tunc citat, ubi non modo ad institutum apta citatio, sed omnino necessaria videri aperte potest, nec ab ipsa periodo separari, quin plenitudo sensus, et integritas violetur, cui citatio illa veluti supplementum accedit, ut per se impleat, quod alioqui vel materiæ deesse, vel ordini videri juste posset: aut cum de nonnullis etiam sui temporis rebus disserens, nunc Elymam dicere ait nunc Bartholomæum, nunc Justum, nunc Clementem, et series tamen contextus interea ordinatim procedit. Itemque refert, quod sibi optimus Crispus apud eum in insula Candia hospitanti narraverat: et rursus, quid Apollophani responderi oporteat, Polycarpo rescribit; ac alia id genus multa suo tantum sæculo nota profert; quæ proinde illi a posteriorum sæculorum hominibus affingi non potuerint, eo scilicet tempore quo nulla nobis eorum habetur mentio, donec hi libri tandem vel innotescere palam reipsa cœperunt, vel juxta eorum placitum, quibus critica tantum et censoria levitate percurrere satis visum est, supposititie ostentari: postremo cum obsoletos jam dudum ritus, ac desuetam eorum praxim, antiquatumque usum aperte commemorat; ac præ cæteris impositum altari per sacerdotes una cum diaconis consecrandum panem; et eucharistiam pueris mox a baptismo suscepto ministratam: ex quo, ait Maximus, hujus auctoris antiquitas innotescit, qui res a sæculis posterioribus tam remotas recenset, ut vel nunquam auditas (gratis tamen et citra ullum fundamentum) obtrectent, qui eas respuunt ac detrectant. Atqui retorquere possim, nulli ergo venisse in mentem unquam, ut eas excogitaret aut fingeret, si nec unquam auditæ sunt: nisi forte is ipse, a quo ut in tam multis locis videre est, non utique præter mentem, quasi duntaxat exciderint, sed sciente ac volente, veluti data opera, ultro ac sponte conscriptæ sunt, eam plane veri speciem detrahere sibi voluerit, quam tamen captare tam studiose atque ambire solet, quisquis fingit.

A

B

C

D

CAPUT III.

Ad adnotata omnia supradicta, illustrissime præsul, hoc etiam tibi velut ultra sortem et condictum addideram, quod vocem, τελετή, quæ sacramentum, vel sanctam, sacramque cæremoniam ac ritum significat, per nudum perfectionis abstracto sensu sumptæ vocabulum perperam interpretaretur hæreticus. Atque id quidem, quam præter germanum vocabuli significatum, et propriam illius loci notionem faceret, ex ipsa Pachymeris, Græcam profecto linguam sibi nativam apprime callentis, Paraphrasi debuit edoceri, ubi sic loquitur (82): « Sed, o divinissimum et sanctissimum sacramentum (ut animatum enim alloquitur, et merito quidem), » ac mox addit, « et sanctum illud sacramentum ipse Dominus noster Jesus Christus est, cui sermonem hunc dirigit... » Et vero si Christum Dominum extra mysterium aut sacramentum alloqueretur illis verbis, neutiquam diceret: Vela detege, quæ te symbolicis integumentis obvolvunt; quod ad solam τελετήν, quatenus mysterium, sacramentum, cæremoniam sacram, sanctumque ritum significat, pertinere dici potest. Quin addi præterea possit, ad eam solam τελετήν et eo sensu sumptam referri hanc apostrophen oportere, quandoquidem de illa ipsa proxime, sive in antecedentibus verbis, sive in consequentibus agitur; eique ut cæremoniæ sanctæ vel sacro ritui et mysterio ac sacramento spectatæ, aptius epitheta illa, ibi adjecta et simul juncta conveniunt; θειοτάτη καὶ ἱερά, quibus divinissima et sacra nuncupatur, quam Christo ipsi, ut perfectionis appellationem abstractim designato, conven.re dici possint, uti τελετήν hæreticus contra Græcorum usum contendit explicandam. Plane quodcunque tandem vocabuli etymon, vel etymi ac originis ratio esse possit, usui tamen velut elocutionis regi, vel potius tyranno, cedendum ultro ac parendum est, ex eoque vocabulorum notiones accersendæ, ac tales existimandæ, quales ipse præscripserit; sed hoc illi præsertim usui tribuendum, qui sanctorum Patrum auctoritate firmetur; adeoque idem hic in sancto Dionysio Areopagita observari oportet, qui τελετήν, alio nunquam sensu, quam præmisso usurpat, ut eo sacrum ritum, sacramentumque significet. Quippe illud ipsum quod hæreticus inde promit, nonnisi pro sacramento seu sacro ritu et cæremonia ibidem usurpatur. Ejusmodi enim est generali quadam notione sancti chrismatis consecratio, quatenus mysticum quiddam suapte significatione importat ac includit. Nec Lanssechi versio, vel docti admodum patris Goulæi posterior officit, perfectionem reddens, cum anterior tamen consecrationem reddidisset; nam et excidere utrique potuit, et minus meo quidem judicio advertens, unam pro alia significationem reddiderint; et utcunque ab illis id factum sit, non certiorem utique quam Pachymeres, facere fidem possunt aut illius Paraphrasi prævalere, quæ sic habet (83): « At mysterium sanctæ chrismatis aut unguenti cæremoniæ, perinde ac si quis dicat, sanctæ Dei cæremoniæ mysterium. Quia enim τελετή tam ejus est qui consecrat et initiat, quam qui consecratur ipse ac initiatur, utroque sensu vocabulum usurpatum. » Et hoc ipsum sancti Dionysii textus aperte fert, nimirum Θεοῦ τελετήν, utroque prælato sensu ob eamdem rationem, ab iis qui τελετουργίαν illam, hoc est sacri ritus ac cæremoniæ operationem celebrant, appellari: ac deinde proxime in eodem sancti Dionysii textu sequitur, ἔστι γὰρ αὐτοῦ τε-

(82) Ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετή· ὡς ἐμψύχῳ γάρ αὐτῇ διαλέγεται, καὶ εἰκότως. Εἶτα μετ' ὀλίγα: Καὶ αὕτη ἡ ἱερὰ τελετή. αὐτός ἐστιν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, πρὸς ὃν ποιεῖται τὸν λόγον ὁ ἅγιος, ἵνα ἀποκαλύψῃ τὰ ἀμφιέσματα, καὶ ἀποπληρώσῃ τοῦ ἐνιαίου φωτός.

(83) Ἀλλὰ μυστήριον τελετῆς μύρου, ὡς ἄν τις φαίη μυστήριον τελετῆς Θεοῦ· ἐπεὶ δὲ τελετὴ καὶ τοῦ τελουμένου λέγεται, ἐν ἑκατέρῳ νῷ ἐκλαμβάνομεν τὴν λέξιν.

Digitized by Google

λετή, quasi dicat : Sacramentum enim illius aut sancta cæremonia perfectiva et ejusdem consecratio. Quæ verba omnia nonnisi ad operationem ipsam τελετῆς veluti sacræ cæremoniæ referuntur. Ut enim sanctificatur altare per cæremoniam aliquam sacram, per eamdem sanctificat; sic et Christo tam secundum rationem altaris, quam Dei spectato convenire ait, ut utroque sensu cæremonia Dei sancta dicatur; sive quatenus recipit sanctificationem ut homo, sive quatenus eam confert ut Deus : neque illic τελετή, nisi pro quodam cæremoniæ sacræ genere usurpatur, quo Christus perficiatur ut homo, et nos vicissim tanquam Deus, quadam sui communicatione perficiat : scilicet eam perfectionem quam recepit Christus ut homo, et quam nobis confert, atque communicat ut Deus, id est quam in sua simul et nostra humanitate operatur, utique tanquam cæremoniam quamdam sacram spectat et contemplatur sanctus noster; non proprie quidem dictam, sed ea ratione, qua Christum ut altare, nos vero ut victimas intulit. Ac proinde vocabulum τελετή, neutiquam illic ad significandam perfectionem, sive passive, sive active sumptam, usurpatum dici debet, ut contendit hæreticus : qui profecto non tam acriter ad abrogandum hunc sancto Dionysio Areopagitæ librum, nec tanta contentione ac pertinacia depugnaret, ut reipsa depugnat, si consentientem sibi sentiret et faventem.

(Amicus ille qui e Gallico idiomate in Latinum transtulit, vocatur reverendus Pater Joannes Nicolai, sacri ordinis Fratrum Prædicatorum, doctor theologus facultatis Parisiensis; cujus nomen ut omnis doctrinæ fama celebre est, ita et hoc opus non mediocriter illustrabit.)

R. P. BERNARDI M. DE RUBEIS

ORDINIS PRÆDICATORUM

De operibus, quæ vulgo Areopagitica dicuntur : deque auctore, ejusque fide, an orthodoxus fuerit, an hæreticus, vel Apollinarista, vel Monophysita, seu Eutychianus?

DISSERTATIO

ADVERSUS MICHAELEM LEQUIENUM ALIOSQUE.

I.

Orthodoxi quinque episcopi in collatione Constantinopolitana anno 532, videntur opera vulgo Areopagitica rejecisse, veluti fœtus Apollinaristarum.

647 Opera quæ vulgo Areopagitica audiunt, sive testimonia quædam ex illis deprompta, prima vice coram palamque allegata a Severianis hæreticis invenimus, qui Constantinopoli collationem cum orthodoxis episcopis anno 532 habuerunt. Severiani erant impia propago Eutychianorum seu Monophysitarum, qui unam in Christo naturam contra fidem catholicam ac synodi Chalcedonensis definitionem propugnabant. Nomen obtinuere a Severo, qui primum Petri Mongi partes adversus Timotheum Solofaciolum catholicum Alexandriæ antistitem sectatus est ; tum ab ejus postea communione abstinuit, Zenonis imperatoris edicto *Henoticon* vocant, subscribere nolens, utpote quo non satis Chalcedonensi concilio derogari censebat : ducemque illorum se præbuit, qui ab eodem Mongo secedentes, ac nulli obtemperantes episcopo, dicti sunt Acephali. Thronum denique Antiochenum anno 512 invasit, ubi quinque annos et aliquot menses tyrannidem exercuit. Fœdam adhuc vitam agebat anno 536 quo synodus Constantinopoli, præside Menna, celebrata est. Consule Michaelem Lequienum ordinis Prædicatorum in *Oriente Christiano*, et Petrum Boschium societatis Jesu in *Historia chronologica patriarcharum Antiochiæ*, inter *Acta sanctorum*, tomo IV Julii.

Nomen etiam Semieutychianorum Severianis inhæsit. Istos inter ac Eutychianos discrimen Petavius enarrat libro I *de Incarnatione*, capite 17, num. 9, ex Facundo Hermianensi, qui primus videtur Semieutychianorum vocabulum usurpasse : quod meri Eutychiani unam tantummodo naturam, eamque simplicem, post unitionem mansisse in Christo dicebant, sive in humanitatem divinitate conversa, sive potius humanitate in divinitatem absorpta, aut per eam consumpta ; quod plerique ex ista hæresi sequebantur. At Semieutychiani unam ex duabus naturam compositam sic esse constituebant, quemadmodum ex anima et corpore una consurgit integra natura humana ; ut eadem propterea Deo Patri et homini consubstantialis esset; impium hocce dogma satis obscurum et implexum ita declarant alii, ut sine alterutrius naturæ permutatione, vel confusione, una tamen illa esset; una videlicet natura divina primas agente partes, cui accesserit humana, velut instrumentum per quod illa actiones ederet, vel quod passiones forinsecus illatas reciperet. Hac de re adhuc infra diligentiore opera agendum.

Cum his hæreticis Constantinopoli anno 532 collationem habuere orthodoxi quinque antistites, quorum primus erat Hypatius episcopus Ephesinus. Patres nonnullos vetustos, veluti unam naturam Dei Verbi decernentes post unitionem, allegabant heterodoxi homines, beatum Cyrillum, et beatum Athanasium Alexandrinæ civitatis episcopos, Felicem, et Julium Romanæ Ecclesiæ, Gregorium mirabilium factorem, et Dionysium Areopagitam. Spurias invehi ac venditari merces nihil hæsitans reponit Hypatius : « In tantum falsæ sunt, inquiens, epistolæ, sive testificationes illæ, quas dicitis, ut neque unum ex illis beatus Cyrillus voluerit recordari. » Suspicionem falsi amoliri studeni Severiani, et aiunt : « Quid ergo suspicamini, quia nos eas falsavimus? » Non ipsis, sed antiquis Apollinaristis hanc esse tribuendam fraudem et imposturam, ait Hypatius : « Vos non suspicamur, sed antiquos hæreticos Apollinaristas. » Tum contentione mota ob citatos Cyrilli libros *Adversus Diodorum et Theodorum*, de quibus numero sequente expendere pergit Ephesinus antistes testimonia Patrum, quæ primo loco Severiani attulerant : « Nam et beati Julii, inquiens, famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse, scriptam ad Diony-

Digitized by Google

sium.... Quod autem prius dici debuit, hoc in ultimo loco dicimus; illa enim testimonia, quæ vos **648** Dionysii Areopagitæ, dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini; si enim ejus erant, non potuissent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? Quando et beatus Athanasius, si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno concilio de substantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea, unde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio. » Ad opera igitur vulgo Areopagitica quod attinet, spuria et conficta illa esse ostendebant Hypatius ex veterum silentio, maximeque Cyrilli et Athanasii; eademque videtur habuisse pro fœtu Apollinaristarum, quemadmodum et aliorum Patrum testimonia, quæ allegaverant Severiani : « Vos non suspicamur, inquiens, sed antiquos hæreticos Apollinaristas. »

De libris Areopagiticis litem in hac collatione actam non fuisse, putat Natalis Alexander dissert. 22, sæculi primi; sed intentatam postulationem falsi adversus duntaxat epistolam, vel quædam testimonia, quæ in Areopagitæ scriptis contineri contendebant Severiani. Quod ego non ita solidum doctissimi viri existimaverim responsum cum certum sit compertumque, objecta ab heterodoxis testimonia in ipsis contineri libris, quæ tribui Dionysio Areopagitæ solent. Ex Collectaneis mss. contra eosdem hæreticos, quæ a se visa ac diligenter lustrata refert Michael Lequienus dissertatione 2 Damascenica, Severum patriarcham addiscimus in patrocinium erroris hæc attulisse sub nomine Areopagitæ verba : « Dei sancti viri novam quamdam deivirilem operationem, » quæ habentur in epistola 4, *Ad Cajum*. Affert etiam Anastasius Sinaita in Ὁδηγῷ, seu *Duce viæ* capite 13, prolatas ab Acephalis sub ejusdem Dionysii nomine sententias, quæ pariter totidem verbis in citata *Ad Cajum* epistola leguntur, et in libro *De divinis nominibus*. Alia plura dabimus infra. Hæc vero satis indicant, Severianos præ manibus opera Areopagitica habuisse; ex hisce deprompta ab eisdem, quæ objicerentur testimonia, ut una in Christo natura suaderetur, et operatio; tum ipsa vero testimonia, tum Areopagitica scripta ab orthodoxis episcopis in collatione Constantinopolitana, veluti spuria rejecta fuisse, et ab hæreticis cusa.

II.

An Areopagitæ scripta, vel testimonia Cyrillus Alexandrinus laudaverit in libris contra Diodorum et Theodorum? *Orthodoxorum responsio in collatione Constantinopolitana. Liberati diaconi locus expensus et emendatus.*

Cum Hypatius et orthodoxi episcopi, testificationes Athanasii, Felicis et Julii Romanorum pontificum, Gregorii Thaumaturgi et Dionysii Areopagitæ, quas in medium proculerant Severiani, veluti spurias et *ab antiquis hæreticis Apollinaristis* confictas rejecissent, reposuerunt in hæc verba ipsi Severiani, ut oppositam νοθείας notam amolirentur : « Possumus ostendere, inquientes, quia beatus Cyrillus usus est istis testimoniis in libris adversus Diodorum (Tarsensem) et Theodorum (Mopsuestenum) editis. » Hinc lis inter partes erupit, id ita esse negantibus orthodoxis, aientibus Severianis. Parvi momenti res non esset, si certo innotescere quidem posset, testimonia quædam sub nomine Dionysii Areopagitæ ante medium sæculum quintum allegasse Cyrillum Alexandrinum; obiit quippe sanctissimus Pater anno 444.

At reclamantis Hypatii verba sunt : « Modo maxime et illos adversus Diodorum et Theodorum libros ambiguos facitis, tanquam fictos; adversus mortuos prolatos dicentes, qui non poterant refellere falsitatem. Si enim adversus mortuos prolati sunt, multo magis contra Nestorium (præmiserat enim Hypatius, testimonia illa non inveniri a Cyrillo adhibita in libris contra blasphemias Nestorii elucubratis) et eos qui contra capitula ejus (nempe Cyrilli) scripserunt, proferre habuerit eadem testimonia. Sed nunc videtur, quoniam et in illis libris hæretici falsantes addiderunt ea. » Severianis reponentibus, facile posse ex antiquis exemplaribus, maxime si ex Alexandriæ archivis eruantur, comprobari, revera Cyrillum prædictas attulisse Dionysii et aliorum auctoritates; regessit Hypatius, indubitata fore duntaxat exemplaria, quæ sub Proterio, vel Timotheo Solofaciolo descripta ostenderentur; cum enim illa a multis, qui rectæ duarum naturarum confessioni adversabantur, jampridem retinerentur; adigi catholicos nequaquam posse, ut adversariorum suorum testimonia suscipiant.

Laudatum ergo a Cyrillo Areopagitam, ejusque testimonia adhibita in libris *Contra Diodorum et Theodorum*, contendebant Severiani. Dolendum hæc opera deperdita esse : quæ consulere cum non liceat, dubium manet, quod satis expediri nunquam poterit, num Severiani dixerint, in eisdem prostare Areopagitæ testimonia. Infirma quoque videntur Hypatii responsa. Reposuit primo, Cyrillo libros istos *Contra Diodorum et Theodorum* falso attribui; quæ certe responsio maxime nutat, cum illi pro genuinis admissi lectique fuerint collatione quinta **649** synodi quintæ œcumenicæ : id quod etiam agnovere Liberatus diaconus in Breviario, capite 10; Leontius Byzantinus *De sectis* actione 8, et Eulogius Alexandrinus in *Excerptis apud Photium*. Neque solida est, quæ subditur ratio, ac si non potuerit Cyrillus veterum illorum Patrum sententias, quas prætermiserat in libris contra Nestorium viventem lucubratis, in aliis afferre libris, quos contra Diodorum et Theodorum vita functos conscripsit. Sed utriusque rationis forte cognita levitate, eo tandem se recepit Hypatius, ut eosdem Cyrilli libros diceret depravatos, hæreticorum manu testimoniis insertis, de quibus agimus : « Sed nunc videtur, inquiens, quoniam et in illis hæretici falsantes addiderunt ea. » Quo sane responso confici posse videtur in eisdem Cyrilli libris testificationes insertas esse, quæ a Severianis afferebantur, sub nominibus Athanasii, Felicis, et Julii Romanorum pontificum, Gregorii Thaumaturgi, et Dionysii Areopagitæ; at eas veluti spurias tamen rejectas ab orthodoxis, utpote « ab antiquis hæreticis Apollinaristis » confictas, additasque interpolatrice manu Cyrilli libris.

Favere videtur Liberatus archidiaconus Carthaginensis, in Breviario causæ Nestorianorum et Eutychianorum, quod paulo post præfatam Constantinopolitanam collationem scribebat. Sic habet enim capite 10 : « Basilius quidam diaconus, sumens tomum Procli (Constantinopolitani episcopi) quem Armeniis scripserat, Alexandriam venit : et Armeniorum libellos suis libellis adnectens, obtulit Cyrillo ejusdem urbis antistiti. Quibus (ut ferunt rumores) permotus Cyrillus, quatuor libros scripsit, tres adversus Diodorum et Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis auctores, et alium de Incarnatione librum; in quibus continentur antiquorum Patrum testimonia incorrupta, id est Felicis papæ Romani, Dionysii Areopagitæ Corinthiorum episcopi, et Gregorii Mirabilis cognominati. » Verba illa, « ut ferunt rumores, » sensum edere videntur, rumore publico ac fama communi constare, editos a Cyrillo contra Diodorum et Theodorum libros; quanquam et eadem verba non ad ipsos Cyrilli libros referri, sed ad solam scribendi eos occasionem datam, animadvertunt doctissimi viri.

Ad illa verba : « Dionysii Areopagitæ Corinthiorum episcopi, » notam adpingit in sua editione Joannes Garnerius : « Addita erat, inquiens, in editis codicibus vox Areopagitæ; sed expungenda

Digitized by Google

fuit.» Retinendam esse vocem «Areopagitæ,» Corinthiorum expungendam, felicius conjectatur Lequienus in Dissertatione citata num. 12: «Garnerius, inquiens, hunc locum non sanavit, dempta voce «Areopagitæ,» ac si Dionysius Corinthi episcopus, qui secundo floruit sæculo, laudatus potius a Cyrillo credi posset. Nam Liberatum hic paucis narrare constat, quid in collatione Constantinopolitana gestum sit cum Severianis; ex cujus proinde actis Areopagitæ nuncupationem retinendam docemur. Hunc vero scriptorem memoriæ lapsu, Corinthiorum episcopum, pro Atheniensem posuisse (quanquam fortasse notariorum error dici debet). Sed ejus textus sic forsan restitui potest: «In quibuscontinentur antiquorum Patrum incorrupta testimonia, id est Felicis papæ Romani, Julii ad Dionysium Corinthiorum episcopum, Dionysii Areopagitæ, et Gregorii mirabilis cognominati.» Dionysium etenim illum, ad quem Julii papæ data epistola ferebatur, Corinthi episcopum appellat Leontius actione 8 *De sectis.*» Quæ ita si sese habeant, dicendum foret, in illis Cyrilli *Contra Diodorum et Theodorum* libris laudatum fuisse Dionysium Areopagitam, ejusque allegata testimonia. Sed num ea ipse adhibuerit Cyrillus, an hæretica manus addiderit, dubium est, quod in collatione Constantinopolitana haud satis expeditum videtur. Illud postremo admonere non prætermitto, Leontii Byzantini loco citato sententiam esse, epistolam illam Julii «ad Dionysium Corinthi episcopum, quin et septem alias epistolas, quæ ejus esse dicuntur, ab Apollinare» prodiisse, tanquam auctore.

III.

Præcipuo Apollinaristarum hæreseos capiti passim adversantur Opera vulgo Areopagitica: adeoque ab eisdem non prodierunt hæreticis. Guillelmi Cave sententia expenditur.

Humanitatem Christi Domini mutilabant Apollinaristæ nobiliore sua parte, humana scilicet mente. Cum nempe ex duabus rebus perfectis et integris componi unum aliquid non posse existimarent, ab humanitate Christi, ut is unus agnosceretur, eam sustulere partem, quæ rationalis est, ejusdem munia in Verbum propter unionem cum carne transferentes. Sophistas Platonicos «secutus est Apollinarius (verba sunt Nemesii capite 1 *De natura hominis*) qui aliud esse animum, aliud intelligentiam statuebant, atque ex tribus hominem constare volunt, corpore, animo, intelligentia: quo opinionis suæ jacto fundamento, reliqua suo dogmati convenienter astruxit.» Hinc inferebat ille, nadum unam esse Christi personam et hypostasim, verum et naturam unam. Hanc anathemate percusserunt hæresim synodus Alexandrina **650** sub Athanasio anno 362, Romana sub Damaso papa anno 373, Antiochena anno 378, et Constantinopolitana, œcumenica secunda, anno 381.

Luculentissima sunt in operibus vulgo Areopagiticis testimonia, quæ impium hocce dogma funditus convellunt. De libellis Gregorio Thaumaturgo, Felici et Julio Romanis pontificibus attributis, et ex Apollinaristarum officina prodeuntibus, si credimus Hypatio in sæpe laudata Constantinopolitana collatione, hoc loco non ago. Pauca Areopagiticorum proferre loca liceat, quorum primum in epistola 4 *ad Cajum monachum* habetur: *Jesus..... cæteris hominibus substantialiter aggregatus est..... inquantum est revera homo, secundum totam hominis substantiam*, κατ' οὐσίαν ὅλην. In *Scholiis*, quorum aliqua Joannes Scythopolitanus edidit, lucubravit alia Maximus martyr, legere hæc est: «*In hac autem dispensatione*, tanquam secundum totam hominis substantiam substantialis homo dicitur.... Observa autem totum epistolæ contextum, quoniam est contra omnem hæresim, tam antiquam quam novam.» *De ecclesiastica hierarchia*, capite 3, § 7, in fine legimus: *Perfectaque rerum nostratium assumptione, suarum nos participes efficiat.* Scholiastes ait: «*Perfecta.* Nota, quid de Christo dicat, sive de perfecta ejus assumptione humanitatis, etiam contra Apollinarium.» Et capite 4, num. 3, § 10, divino unguento Christus denotatur, ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς ὁλικῇ πρὸς ἀλήθειαν ἐνανθρωπήσει, *in totali et omnimoda secundum veritatem humanitatis assumptione.* Quæ verba animadvertenda proponuntur in *Scholiis*: «Nota autem, integram naturam humanam assumpsisse, contra illos qui illum mentis expertem asserunt.» *De divinis nominibus*, capite 1, § 4, ait auctor: *Se nobis* πρὸς ἀλήθειαν ὁλικῶς, *vere integre in una persona sua communicavit.* «Nempe quod dicit *integre* (ut ait Scholiastes) est etiam contra Apollinarium; significat enim, ipsum assumpsisse hominem perfectum.» Et capite 2, § 9: Ὁλικῶς καὶ ἀληθῶς, *integre et vere nostram substantiam assumpserit.* Paria occurrunt plurima, quæ cum præcipuo Apollinaristarum hæreseos capite pugnant ex diametro.

Auctor prologi in eadem opera Areopagitica, qui nomen S. Maximi præfert in editione Corderiana, sed parentem habet Joannem Scythopolitanum, ut infra dicendum, hanc impietatis Apollinaristicæ notam jam ejus ætate impactam his verbis amolitur: «Quin audent aliqui, inquiens, hæreseos insimulare divum Dionysium, cum prorsus non cognoscant, quæ sint hæreticorum. Si enim cum singulis, quæ in hæreticis damnata sunt, hujus dogmata conferrent, ab impiis istis multo magis distare cognovissent, quam verum lumen a tenebris. Quid enim dixerint de iis quæ de sola adoranda Trinitate ab ipso theologice exponuntur? Quid de uno beatissimæ hujus Trinitatis Jesu Christo, unigenito Dei Verbo, qui τελείως ἐνανθρωπῆσαι, *perfecte humana indui natura* voluit? An non ψυχὴν ἔννουν, *animam intellectualem*, et corpus terrenum nostro simile recensuit?» Hæc sane qui tam diserte docet, tam perspicue profitetur, dici Apollinarista non potest.

Guillelmi Cave in *Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum* opinio fuerat, operum de quibus agimus, auctorem esse Apollinarium antistitem Laodicenum, nempe Apollinarium filium, mutilatorem mentis in Jesu Christo, regni millenarii propugnatorem. Laodiceæ, quæ Ad mare dicitur, in patriarchatu Antiocheno gestas ab illo infulas, ostendit Lequienus in *Oriente Christiano*: «Verum re melius perpensa (inquit Cavæus) eruditis disquirendum relinquo, an non Apollinario patri potius, quam filio Areopagitica sint tribuenda? Certe filium, ut in aliis fidei articulis hæreticum, ita inter Millenii propugnatores recensent veteres; qui tamen error, ut notavit olim S. Maximus, in his libris liquido damnatur. Pater vero in fide sanus erat; nec de illo aliter loquuntur veteres, nisi quod Socrates semel eum eadem cum filio hæresi involvere videtur.» Hæc satis essent, inquio ego, ut Areopagitica ab hæreticis Apollinaristis haud prodiisse liquido certoque constaret. Rem quippe luculentissime confirmat aperta regni millenarii damnatio, quod Apollinaristæ heterodoxi propugnabant. Insignem locum profero ex capite 7 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 1, § 2: *Alii porro, nescio quo pacto ad terrenas cogitationes dilapsi, dixerunt, præsenti vitæ similem beatis promissam esse sanctissimam beatissimamque sortem; cibosque vitæ variabili proprios iis, qui angelis æquales sunt, nefarie applicuerunt. Sed absit ut unquam sanctus vir quispiam in istiusmodi errores incidat.* Appositissimum refero scholion quod sub nomine S. Maximi in Corderiana citata editione prostat: «Beatissimamque. Hæc ait insinuans, ut opinor, Papiam Hierapolis Asiæ episcopum, qui divi Joannis Evangelistæ temporibus floruit. Hic autem Papias libros IV *Dominicarum* suarum *explanationum* scripsit,

Digitized by Google

fore in resurrectione voluptates, quæ percipiuntur ex cibis : in quod quidem dogma postmodum Apollinarius credidit, quod aliqui vocant Annum millenarium. Quomodo igitur scripta S. Dionysii possint esse Apollinarii, uti aliqui delirant, cum hæc Apollinarium refutent? »

At illa Apollinario patri tribuenda censet Cavæus « qui in fide sanus erat. » Novit **651** ipse tamen adversantem sibi Socratem. Is enim libro II. *Hist. eccles.*, capite 46, ait : « Laodiceæ in Syria duo erant viri, eodem nomine nuncupati, pater et filius. Uterque enim Apollinaris dicebatur. Et pater quidem presbyteri gradum in Ecclesia obtinebat, filius vero lectoris officio fungebatur... Florebat una cum illis Epiphanius Sophista (philosophus gentilis) cui cum essent arctissimo amicitiæ vinculo conjuncti, omni studio eum fovebant. Theodotus vero Laodicenus episcopus, veritus ne assidua hominis consuetudine paulatim ad gentilium superstitionem delaberentur, vetuit ne ad illum ventitarent. At illi parvipendentes episcopum, amicitiam Epiphanii constanter retinuerunt. Post hæc Georgius, successor Theodoti, ab Epiphanii consuetudine eos avellere conatus, cum id illis persuadere non potuisset, utrumque communione mulctavit. Id factum Apollinaris filius contumeliæ loco duxit : et sophistica dicendi facultate fretus novam ipse quoque hæresim condidit..... Et initio quidem dicebant (uterque, pater et filius) hominem absque anima a Deo Verbo assumptum esse in dispensatione Incarnationis. Postea vero tanquam pœnitentia ducti, ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet; Deum autem Verbum mentis loco esse in homine assumpto. » Errorem utrique Apollinario communem, patri et filio, diserte narrat Socrates. Quidni ita fuerit, cum ambo arctissimo amicitiæ vinculo conjungerentur Epiphanio sophistæ gentili, a quo dogmata Platonica edocti fuerint, quibus eorum hæresim superstructam fuisse, docentem supra audivimus Nemesium?

IV.

Ante Constantinopolitanam anni 532 collationem noti erant libri Areopagitici, quos Joannes Scythopolitanus illustravit scholiis, vindicavitque ab hæreseos nota. Quis ille fuerit? Eodem tempore laudavit eos Ephræmius, patriarcha Antiochenus.

Anastasius Bibliothecarius in epistola ad regem Carolum Calvum de sua Latina, quam adornavit, translatione *Scholiorum in Areopagitica*, sic ait : « Ipsorum autem Scholiorum quæcunque in calce sui signum vivificæ crucis habent, a beato Maximo confessore et monacho inventa narrantur; et cætera S. Joannis Scythopolitani antistitis esse narrantur. » Quæ tamen in libris Dionysii anno 1562 inclusive editis (admonente Usserio Armachano apud Cavæum et Lequienum, locis citatis) simul confusa sunt Joannis et Maximi scholia; quæ non antiquioribus solum, quæ Cyparissiotæ tempore ferebantur, editionibus fuerunt distincta, sed etiam in utroque quo usus Morellius codice; in quorum altero ad marginem apposita sunt Joannis Scythopolitani sine nomine scholia; in altero vero seorsim, post absolutum textum integrum Dionysii, nomine Maximi insignita scholia; eo breviora, quod ab amplioribus Joannis, cum quibus ea conjunxit Morellius, separata fuerant. » Obiter animadverte, non ipsa Areopagitæ opera, sed scholia ab Anastasio Bibliothecario Latine translata fuisse, ut contra Vossium disserit Labbeus. Ipsum consule.

Joannem urbis Scythopoleos in Palæstina antistitem, qui sedem illam anno circiter 496 conscendit, recenset Lequienus in ejus Ecclesiæ tabulis in *Oriente Christiano*. Apud Photium codice 231 legimus excerpta epistolæ synodicæ, quam Sophronius patriarcha Hierosolymitanus dedit ad Honorium papam adversus Monothelitas; in eaque beatus Joannes antistes Scythopolitanus memoratur, « qui docte et pie de synodo Chalcedonensi scripsit. » Synodus illa anno 431 celebrata est. Fato functus anno 518 jam fuerat, cum eodem anno Scythopolitanam Ecclesiam regeret Theodosius.

Recenset idem Photius codice 95 libros duodecim « Joannis Scythopolitani Scholastici adversus Ecclesiæ desertores, Eutychem et Dioscorum, ejusdemque sectæ asseclas, qui in duabus naturis prædicare Christum recusabant : » notatque, ipsum Joannem in suis libris præcipue insequi Basilium Cilicem Nestorianum, quem anno circiter 517, vita mortali migrasse, animadvertunt bibliographi. Dubium vero, an iste fuerit idem cum Joanne episcopo Scythopoleos? Imo diversus videtur, idemque cum illo, quem Cyrillus Scythopolitanus in Vita S. Sabæ his verbis repræsentat apud Lequienum in Theodosio episcopo, laudati Joannis successore : « Erat porro quidam Scythopoli Scholasticus Joannes, Expelleutæ filius, vir bonus et animo illuminatus. » Hunc a Basilio Cilice multis scriptis exagitatum satis indicat Photius codice 107 : « Lectus est, inquiens, liber Basilii presbyteri Cilicis adversus Joannem Scythopolitam, cui et Causidici nomen. » Vitam ergo adhuc agebat hic Joannes Scholasticus Scythopolitanus sub Theodosio ejusdem urbis episcopo, quem adnotavimus sedem eamdem anno 518 conscendisse.

Hunc potius Joannem Scholasticum, quam priorem Scythopoleos antistitem lucubrasse *Scholia in opera Areopagitica*, gravem ingerunt conjecturam nonnulla *scholiorum* loca animadversione dignissima. In scholio ad caput 7 *De cœlesti hierarchia*, § 3, hæc **652** habentur : « *In cœlum*. Nota contra Basilianos, sive Nestorianos, Jesum Christum ut hominem in cœlos assumptum, ipsum etiam Dominum omnium spirituum, et Regem gloriæ exsistere. » Et ad caput 7 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 3, § 7 : « *Et sanctam illam*. Intelligit sanctam illam confessionem : *Tu es Christus, Filius Dei vivi*; quod notandum est contra Basilianos, et Nestorianos, et Paulianistas, et similes. » « Atqui nusquam alibi reperias (optima Lequieni animadversio est) Nestorianos appellari Basilianos. Hæc autem appellatio ab alio auctore indita eis esse non potuit, præterquam a Joanne Scythopolitano, qui variis scriptis a Basilio Cilice Antiochenæ Ecclesiæ presbytero lacessitus, eumdem Basilium, tanquam versutissimum Nestorianæ impietatis propagatorem, antirrheticis dissertationibus traduxerat; veluti narrat Photius in Bibliothecæ codicibus 95 et 107. »

Jam vero sive *Scholiorum in Areopagitica* auctor fuerit Joannes Scythopolitanus antistes, sive Joannes alter Scythopolitanus scholasticus et causidicus (qua in re non adeo constans videtur sæpe laudatus Lequienus) plura colligere pronum est. I. Eadem opera ante Constantinopolitanam anni 532 collationem, tum hæreticis hominibus, tum orthodoxis nota fuisse. II. Eadem ab hæreticis adhibita contra fidem catholicam : deque illis inter orthodoxos dubitasse nonnullos, num potius Apollinaristarum fetus essent. III. Sæculo tamen sexto ineunte, vel etiam quinto vergente ad finem, scholia suis Areopagitica illustrasse Joannem Scythopolitanum; eadem etiam eripuisse Apollinaristis, hæreticis, tanquam auctoribus; ac data occasione demonstrasse, quantum dogmata in eisdem contenta differrent a vetere qualibet hæresi, ac nova maxime Monophysitarum seu Eutychianorum.

Eodem tempore florebat Ephræmius, pluribus pro synodo Chalcedonensi scriptis editis clarus, quæ Photius recenset codicibus 228 et sequente. Rexit etiam Antiochenam sedem ab anno 527 ad annum 545, ut calculos subducunt Lequienus in *Oriente Christiano*, et Boschius *De patriarchis Antiochenis*, tomo IV Julii, inter *Acta sanctorum*.

Digitized by Google

Areopagitica opera laudat ille, utiturque testimonio ex libro *De divinis nominibus* desumpto. Verba ejus sunt apud Photium codice 229 juxta versionem Andreæ Schotti : « Et unam personam, hoc est Verbi incarnati hypostasim pronuntiamus. Quandoquidem simplicem ponit Jesum divus Dionysius Areopagita (in libro *De divinis nominibus*) et de hypostatica quidem unione juste contra pietatem compositum dicitur; compositum vero dicere nemo audeat præter Apollinarium. » Vitiosam corrige translationem : « Quoniam et simplex Jesus componebatur, ἁπλοῦς Ἰησοῦς συνετέθη, secundum sanctum Areopagitam Dionysium. Etenim de unione secundum hypostasim, juste ab ipsa pietate compositum dicitur, παρὰ τῆς εὐσεβείας τὸ σύνθετον : substantiam autem compositam, σύνθετον δὲ οὐσίαν, nemo dicere ausus est præter Apollinarium. »

V.

De alio Areopagiticorum scholiaste, Dionysio Alexandrino, inquiritur. An eadem, quæ Joannes Scythopolitanus lucubravit, Dionysii Alexandrini nomine prænotata scholia fuerint? Quis ille Dionysius Alexandrinus? Magno Dionysio Alexandriæ episcopo perperam ipsa Areopagitica opera tribuenda conjicit Joannes Philippus Baraterius.

Non pauci Areopagiticorum operum Scholiastæ, nomine suppresso, memorantur in *Scholiis* quæ S. Maximo tribuuntur in editione Corderiana, qua utor. Ad caput 11 *De divinis nominibus*, § 1, hæc habentur : « *Ad integram unitatem.* Integram unitatem aliqui quidem intellexerunt simplicem atque individuam rerum causam, ad quam omnia conversa sunt, ut quæ in ipsa consistant; alii vero compagem universi ex elementis diversæ naturæ contemperatam. » Inter eos, honoris causa, nomine proprio vocat magnum Dionysium, Alexandriæ episcopum et oratorem, ad caput 5 *De cœlesti hierarchia* : « *Cœlestes essentias.* Cur porro, cum Ecclesia tradat, omnes sanctos angelos unius esse substantiæ, divus Dionysius multas virtutes nominat? Magnus ille Dionysius, Alexandriæ episcopus et orator, in scholiis a se in beatum Dionysium sibi cognominem concinnatis, notat, » etc.

Petrus Halloixius quæstione 2 *De vita et operibus S. Dionysii Areopagitæ* animadvertendum proponit, non dicere S. Maximum, eum scripsisse in Dionysium Areopagitam, sed in « Dionysium sibi cognominem; » tales autem fuisse multos, Dionysium Corinthiorum episcopum, et Dionysium papam Romanum; adeoque certo dici non posse, loqui Maximum de Areopagita, ac non potius de Corinthio. « Si enim, inquit ille, Areopagitam intellexisset, potius, ut fert scriptorum consuetudo, sic locutus fuisset : In Notis quas scripsit in hunc ipsum Dionysium; agebat enim tum de Dionysio Areopagita. » Verum enimvero hunc Areopagitam utroque modo nominari potuisse, scriptorum consuetudo ferre videtur. Ad hæc, par est loquendi modus, quo utitur Anastasius Sinaita, qui eodem de argumento agit in Ὁδηγῷ capite 22 : 653 « Rursus, inquiens, cum Ecclesia doceat, unam esse angelorum substantiam, idem divinus et apostolicus Dionysius nominat supernas virtutes multas substantias. At magnus Dionysius Alexandrinus, ex rhetorum numero episcopus factus, in Scholiis quæ scripsit in sibi cognominem Dionysium, hæc habet, » etc. Eadem fere sunt verba Anastasii et Maximi; quo tamen loco cognominis ille Dionysius intelligi sine dubio videtur Areopagita. Rem ponit extra controversiam Joannes Cyparissiota, cognomento Sapiens. *Decades* ejus *de theologia symbolica* habentur tomo XXI Lugdunensis *Bibliothecæ Patrum*. Decade prima, capite 1, cum Areopagiticam sententiam ex Epistola ad Titum protulisset, « Hoc dictum, addit, sanctus Maximus, et Dionysius Alexandrinus adnotarunt. » Aliam sententiam ex eadem Areopagitæ epistola cum adduxisset decade secunda capite 2, « Alter, inquit, Dionysius (Alexandrinus), hæc edisserens ait, » etc.

Usserius Armachanus in *Observationibus mss.*, ut citat Lequienus, vel ut citatio est Jo. Alberti Fabricii libro v *Biblioth. Græcæ*, cap. 1, num. 6 in *Dissertatione de Dionysio*, quam H. Warthonus edidit ad calcem libri *De scripturis vernaculis*, putat Joanni Scythopolitano reddenda esse Scholia, quæ Dionysio Alexandrino perperam attributa erant. « Quod ex sententia, inquit, a Cyparissiota ex Dionysii Scholiis citata patet : quæ in Scholiis istis totidem verbis reperitur, ut liquet ex Latina translatione Scholiorum Scythopolitani, a Roberto Lincolniensi episcopo facta, et in Bibliotheca collegii Corporis Christi apud Oxonienses asservata. » At mirum, inquio ego, maxime fuerit, Anastasium Sinaitam, qui sexto sæculo vitam agebat, eamque ut summum ad initia sæculi septimi traduxit, ut Bollandi continuatores notant ad diem 20 Aprilis, Scholia ignorasse Joannis Scythopolitani ejusdem sæculi sexti scriptoris, eademque Dionysio Alexandrino tribuisse! Equidem loca duo, quæ Cyparissiota profert capite 1 decadis primæ, et capite 2 decadis secundæ sub nomine Dionysii Alexandrini, totidem verbis reperiuntur in Scholiis, quæ sub nomine S. Maximi prodierunt : et miratio subit major, Joannis Scythopolitani nomen deleri oblivione potuisse, ejusque loco substitui « Magnum Dionysium Alexandrinum episcopum et oratorem! »

An fortasse locum habet conjectura, Scholia in Areopagitam adornata fuisse et a Dionysio quodam Alexandrino, et a Joanne Scythopolitano; et hunc pleraque, quæ prior alter ante scripserat, sua fecisse; vel potius econtra? Pro certo ac indubitato tamen illud habendum existimo, « Magnum illum, quem vocant Dionysium Alexandrinum episcopum et oratorem, » non esse Dionysium, cognomento Magnum, qui sæculo Ecclesiæ tertio sedem Alexandrinam tenuit. Cum enim Joannes Scythopolitanus in Prologo ad Opera Areopagitica ad eam responderet adversariorum objectionem, « quod nec Eusebius Pamphili, nec Origenes scriptorum Dionysii (Areopagitæ) meminerint; » sine dubio (ut ait Halloixius) si scivisset Dionysium Alexandrinum, Origeni æqualem, et Eusebio superiorem, conscripsisse Scholia in Areopagitam nullo modo reticuisset; sed ejus auctoritate, scriptisque ab eo scholiis adversantium ora obturasset. Consentit Joannes Pearsonius in Vindiciis Ignatianis parte 1, cap. 10 : « Hunc quidem Dionysium, inquiens, quem ἐκ ῥητόρων indigitat Maximus (et ante ipsum Anastasius Sinaita) haud credo fuisse Alexandrinum episcopum tertii sæculi, quem optimum oratorem quidem fuisse agnosco; sed in Areopagitica scripsisse scholia non puto. » Putat vero, satis vetustum fuisse auctorem, an priorem Scythopolitano, an sequiorem, ignotum mihi. At Maximus et Sinaita habent : Μέγας Διονύσιος, ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, *Magnus Dionysius, Alexandriæ episcopus, e rhetoribus.* An ergo cum nobili illo celebratoque Alexandrino episcopo confuderint alium quempiam Dionysium Alexandrinum, oratorem, et Areopagiticorum scholiasten?

Nolim ego de tabula manum ante subducere, quam peculiarem Jo. Philippi Baraterii sententiam enarro ac paucis refello. Is inter *Dissertationes* adjunctas operi, quod inscriptum : *Disquisitio chronologica de successione antiquissima episcoporum Romanorum*, etc., typis Ultrajectinis anno 1740 edidit, nonnullas profert conjecturas, queis ipsa Areopagitica opera laudato magno Dionysio, Alexandrinæ Ecclesiæ episcopo, tribuenda suadeat. Peto mihi concedi, inquit ille, Dionysium aliquem auctorem horum librorum esse, cum omnes codices, omnes citationes Dionysio hæc opera tribuant. At·

Digitized by Google

qui Dionysius iste (pergit) jam sexto, jam quinto, imo et quarto sæculo citatur; ergo prior est. Atqui rursum primis quatuor sæculis, imo et sæculo sexto, et ultra, alii Dionysii non fuerunt, vel eruditione, vel alio nomine noti, præter Areopagitam, Corinthium et Alexandrinum. Sed noster, sane eruditus, non est Areopagita; quod ab aliis ad oculum demonstratum est. Neque est Corinthius, tum quod Corinthius præter quasdam epistolas veteribus recensitas, nihil scripsisse memoretur, tum ob alias multas rationes; ergo est Alexandrinus. Hæc Baraterii sententia, in qua tamen primum, quod sibi dari postulat hic auctor, non ita facile concesserint, qui opera, vulgo Areopagitica, **654** Dionysio Areopagitæ tribuenda pernegant. Hypatius Ephesinus, et alii catholici antistites in collatione Constantinopolitana contendebant, eadem opera ab hæreticis Dionysio, eidemque Areopagitæ supposita fuisse. Neque præterea satis constat, sæculo præsertim quarto eadem nota ac vulgata fuisse opera, atque demum ab ejus ævi scriptoribus laudata; unde an ætate prior fuerit auctor Areopagiticorum, non demonstrat, non evincit Baraterius.

Inanes futilesque, ut puto, addit ille conjecturas, queis magno Alexandrino Dionysio laudata adjudicet opera. Legenda jubet fragmenta epistolarum ejus *ad Germanum* apud Eusebium libro VI, cap. 11, et libro VII, cap. 11, in quibus ait, et Timothei et Caii mentionem fieri; ac si idem sit Timotheus, idem Caius quibus epistolas aliquas et libros nuncupat ac scribit auctor Areopagiticorum. Lubricum, ac elumbe quis non videat argumentum? Styli demum consonantiam in prolixo fragmento Περὶ φύσεως, *De natura*, quod affert Eusebius libro XIV *De præparatione evangelica*, cap. 23, profert ille: «Stylum nempe, ut in Areopagiticis, intricatum admodum, et obscurum, atque compositis ampullatisque vocibus plenum.» At simile quidpiam nihil ego video, nihil vident eruditiores. Commenta philosophorum ibidem Alexandrinus Dionysius refert: quorum alii «Universum infinitum esse putabant, ortu carere, nec ullo providentiæ consilio regi.» Atomos alii invexere, «incorrupta quædam exigua corpuscula, numeroque infinita, unaque spatium aliquod vacuum, nec ullis finibus circumscriptum. Hinc dum casu propter impetus perturbationem aliæ cum aliis concurrunt, ac propter multiplicem figuram inter sese commiscentur, hic mundus, imo mundi etiam infiniti facti sunt.» Quid hic intricatum, quid obscurum, quænam verba composita et ampullata? Pergit vero Dionysius cap. 24, 25, 26 et 27, hæc vana commenta simplici, claro, didascalico stylo expendere ac refutare.

VI.

Colligitur, Areopagitica opera perperam Gregorio Magno Romano pontifici attribui. Neque illorum auctor est Latinus quispiam homo, neque Ægyptius, sed Græcus, ex Achaia ut videtur.

Singularem, quæ sibi insederat, de auctore Areopagiticorum opinionem datis litteris ad Guillelmum Cave his verbis significavit Henricus Dodwellus, quæ habentur in ejusdem Cavei *Historia litteraria*. I. Dubium esse, an non Dionysius, quem in collatione anno 532 habita Constantinopoli, citabant Severiani pro una natura, alius fuerit ab eo, cujus opera habemus hodie. II. Contentioso isto sæculo non defuisse catholicos, forsan ipsum Gregorium postea Romanum pontificem, qui diu Constantinopoli vixerat, qui Dionysium catholicum confingerent, quem pro una hypostasi, aliisque quibusdam controversiis tunc temporis agitatis, Orientalibus opponerent. III. Hinc vero hæc opera in Romanæ Ecclesiæ scriniis reposita, teste Scholiaste in Prologo, et a Gregorio papa primum diserte producta. IV. Suspicionem exinde augeri, ut habet idem Dodwellus in libro *De sacerdotio laicor.*, cap. 8, § 3, A quod Areopagita Romanorum potius, quam Græcorum mores, id adnotante Maximo in Scholiis, enarravit; quod quidem ab homine Græco, gente nimirum et lingua, fieri ægre admodum probabile est.

Nutat quaquaversum, ac rimas agit insolens hæc Dodwelliana opinatio. Alium non esse Dionysium, quem citabant Severiani, ab eo Dionysio, cujus opera vulgo Areopagitica hodie habemus certo evinci potest ex iis quæ proferebant Severiani, testimoniis; totidem enim verbis reperiuntur eadem in operibus, quæ supersunt, Dionysio Areopagitæ tributa. Loca nonnulla indicavimus num. 1 in calce; alium num. 4 protulimus ex Ephræmio: plura dabimus infra.

Quid est vero, quod Areopagiticorum auctorem suspicetur Dodwellus hominem Latinum quempiam, «ac forsan ipsummet Gregorium, qui diu Constantinopoli vixerat?» Jussus a Pelagio II, migravit Constantinopolim, apocrisiarii munere defuncturus B Gregorius, anno 578, aut insequente; Romamque redit ille anno circiter 585. Utramque epocham definiunt ascetæ Sammauræi in ejusdem Gregorii papæ Vita cap. 5, ac nos etiam expendimus et constituimus in *Monumentis Aquileiensibus* cap. 26, num. 4. Jam vero notum compertumque fecimus, sæculi sexti initio, vel etiam sæculo quinto cadente, nota fuisse opera Areopagitica, eademque laudata in collatione Constantinopolitana, et ab Ephræmio patriarcha Antiocheno memorata, et illustrata Scholiis a Joanne Scythopolitano; ut insana sine dubio opinatio illa sit, vel eadem Gregorio attribuere velut auctori, vel ab hominibus Latinis procusa asserere eo tempore, quo idem Gregorius Constantinopoli morabatur.

An ipsius præterea sanctissimi Gregorii probitas pateretur, ut opera, quæ ipse confinxerit, aut ipsis confingendis ansam et opem præbuerit, sub nomine Dionysii **655** Areopagitæ laudaret? Laudat ea vero homilia 34 in Lucam: «Fertur, inquiens, Dionysius Areopagita, antiquus et venerabilis Pater dicere quod ex minoribus angelorum agminibus foras ad explendum ministerium, vel visibiliter vel invisibiliter mittuntur.» Hæc allegatio Gregorii jam tum vulgata fuisse evincit opera sub nomine Dionysii Areopagitæ, quæ præ manibus omnium forent. Sed attamen sanctissimum pontificem de illorum saltem auctore dubium hæsisse, reponunt plerique; quod si placeat, per me licet; quanquam hæsitationem ejus, quam significat verbum *fertur*, non ad auctorem ejusque opera, sed ad doctrinam in libro *De cœlesti hierarchia* contentam, quam in ipso fonte expendere forte Gregorio non vacabat, referri posse, docti viri interpretantur: quam ego intactam hoc loco relinquo quæstionem.

Accedit demum, et ipsa ætate Scythopolitani, tot scilicet ante Constantinopolitanum Gregorii iter annis, in Archivis Romanæ Ecclesiæ exstitisse opera, quæ Areopagitica dicuntur. Qua de re fidem D Petri cujusdam Romani diaconi allegat ipse Scythopolitanus in Prologo: «Quidam vero, inquiens, diaconus Romanus, nomine Petrus, narravit mihi omnia divi Dionysii opera Romæ in sacrorum scriptorum Bibliotheca reposita servari.» Sonoram fabellam Joanni Scythopolitano cecinisse Petrum illum diaconum, putat Lequienus, quandoquidem sexto sæculo jam affecto (ait ille) Gregorius Magnus ex auditu solo illa exstare noverat: profertque locum ejus jam allatum ex homilia 34 *in Lucam*. At locum illum satis non esse, ut pro fabella habeatur Petri illius diaconi Romani narratio, adnotavimus.

Areopagiticorum auctor, inquit Dodwellus, «Romanorum potius, quam Græcorum mores, id etiam ipso Maximo adnotante in Scholiis, enarrat.» Locum Maximi afferre satis fuerit, qui habetur in Scholiis ad cap. 4 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 2: «*Proponunt*. Hoc et secundum consuetudinem, quæ Romæ viget: illic enim septem soli diaconi al-

Digitized by Google

tari serviunt, quos hic arbitror selectos appellari.» Latinum ergo si exinde concludas fuisse auctorem Areopagiticorum, toto aberras ostio. Quidni enim Græcus homo, qui ritus liturgicos, aliosque ecclesiasticos aggrediatur data opera explanandos, non potuerit, vel etiam non debuerit ritus eos exponere, quos in Occidentali et Romana Ecclesia adhiberi, facillimo negotio nosse poterat? Frequentes sunt Latini scriptores, vetusti ac recentes, qui idem argumentum pertractantes, et Latinos ritus declarant, et Græcos, aliosque.

Plura adducit argumenta Lequienus loco citato, ut Atticum fuisse illum scriptorem evincat. Atticismis opera ejus scatere, Joannes Scythopolitanus, aliique Græci observarunt. In Notis ad cap. 7 *De cœlesti hierarchia*, pag. 90 edit. Corder., hæc habentur : « Nemo soloecismum suspicetur... Atticorum enim est, participia masculina femininis conjungere.» Ipsum vocat Michael Syngelus in ejusdem encomio « atticizantium atticissimum et grammaticorum peritissimum. » Hinc vero conjicit laudatus Lequienus, Romanorum ritus ab eo sæpe describi ; propterea quod cum Ecclesiæ Achaiæ, Thessaliæ, et Illyrici ab ipso apostolorum ævo addictæ essent Romano primati, Romanæ Ecclesiæ cæremonias aliquot usurpabant, quas aliæ Græci ritus et idiomatis non haberent. Hanc peculiarem Romanæ Ecclesiæ curam in prædictas provincias ex eo colligit laudatus auctor in *Orientis Christiani* diœcesi Illyrica, num. 4, quod earum Ecclesiarum fundator ac institutor Paulus, cum Romam subinde profectus esset, ibique martyrio functus, eas dedit Romanæ Ecclesiæ administrandas. « Quamobrem aliquandiu ab ejus obitu, orta in Corinthiorum Ecclesia (sub qua Athenæ) contentione de iis, quos episcoporum seu presbyterorum gradu movendos ducebant, causam Romanæ sedi detulerunt, apud quam judicaretur et finiretur. Clementis papæ primi epistola exstat, quam Ecclesiæ suæ nomine ad Corinthios de illo negotio scribit. Huc quoque spectat, quod Hegesippus apud Eusebium lib. IV *Historiæ eccles.*, c. 22, memorabat, se Romam cum Primo Corinthiorum antistite navigasse... Navigabat illuc Primus ob negotia Ecclesiæ suæ urgentissima. Dionysius, Primi successor, Soteri papæ data epistola significavit, illam Clementis ad Corinthios suos epistolam statis temporibus ad se legi solitam ; quin illam pariter, quam Soter quoque papa sibi scripserat. » Græcus ergo homo, et ex Achaia, vel Atheniensis, ut videtur, cum fuerit Areopagiticorum auctor, mirum esse non debet, ritus aliquos Ecclesiæ Romanæ suis in operibus ipsum explanasse.

Pergit Lequienus in dissertat. 2 Damascenica sic disserere : « Sacram unctionem, quam nos confirmationem appellamus, non a presbyteris fieri concedit, ceu qui perficiendi potestate careant, sed a pontifice : Ἐπὶ τὸν ἱεράρχην αὐτὸν ἀνάγουσιν, *illum* (baptizatum) *ad pontificem ducunt, qui divinitus sacrato oleo virum consignans*, etc. cap. 2 *De eccles. hierarch.*, num. 2, § 7. Qui locus argumento erit, larvatum hunc Dionysium non fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ obnoxium ; in qua penes etiam presbyteros jam olim esset hujus unctionis peragendæ officium. » Hæc nimirum dicta sunt contra Paschasium Quesnellium, et Joannem Bonam, **656** de quibus infra ; conjecturamque confirmant de auctoris patria et Ecclesia Romanæ Ecclesiæ subjecta. Quamquam theologi viri animadvertunt, allato loco ordinarium confirmationis ministrum indigitari : ipsumque scriptorem alibi presbyterum simplicem agnovisse ministrum extraordinarium, ut apud Græcos in more positum est. Locum afferunt ex capite 5 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 1, § 5, ubi pontificem esse primum in ordine hierarchico, ab eoque sacram omnem potestatem ad inferiores promanare cum probet, sic deinceps ait : *Licet enim sacerdotibus venerunda quædam sacramenta conficiantur, nun-*

A *quam tamen sacerdos divinam illam regenerationem* (seu baptismum) *sine divinissimo illo unguento consummabit.* Quod unguentum sine dubio consecrat pontifex : an etiam illud ipse semper adhibeat, baptizatos consignando? Ita sane Pachymeres, Dionysii paraphrastes : non ita Arcudius, qui baptizatum eo loci ab ipso simplici sacerdote inungendum intelligi arbitratur.

VII.

Ab hæreticis Monophysitis seu Eutychianis Areopagitica opera non prodiisse velut auctoribus, argumenta plura suadent ; vulgata Dionysii Areopagitæ vetusta prænotatio ; Areopagitica dogmata ab orthodoxis patribus contra Eutychianos, et Monothelitas adhibita suspicio quidem apud aliquos de auctore Apollinarista, apud neminem de Monophysita ; testimonia plura in eisdem libris contenta, quæ Eutychianis erroribus adversantur.

B Hactenus leviora disseruimus, quæ nulla tamen prætermitti ratione potuere, ut inoffenso pede ad graviora assurgeremus. Num Eutychianus homo fuerit auctor Areopagiticorum, quæstio est, quam celebrem fecit doctissimus vir Michael Lequienus ordinis Prædicatorum, eruditissimis editis operibus clarissimus. In dissertatione Damascenica 2, num. 14 et seqq., ostendere pro virili sua nititur, errores Monophysitarum sive Eutychianorum, sive Dioscoritarum, sive Acephalorum ac Severianorum in Areopagiticis libris contineri ; suspicaturque num. 16, eorumdem auctorem fuisse Petrum Cnaphæum seu Fullonem, Ecclesiæ Antiochenæ tyrannum, aut alium quemlibet partium ejus et consiliorum socium. Id saltem argumentis Lequieni evinci contendit Maturinus Veyssere la Croze in opere Gallico Hagæ comitum anno 1739 typis edito quod inscribitur, *Histoire du Christianisme d'Ethiopie et d'Arménie ;* ut Areopagitica quinto Ecclesiæ sæculo elucubraverit scriptor, qui commentum Apollinarii C temperaverit, præformaveritque hæresim Monophysitarum ; ac iste fuerit Synesius episcopus Ptolemaidis. Mihi nemo vitio vertat, nimiæque audaciæ haud me notet, si maxime pugnam cum Lequieno doctissimo viro committere audeam, quem a facie novi dum anno 1722 degerem Parisiis, quemve me docentem ac eruditis colloquiis beantem sæpe audivi. Sed et ipsius Crozei opinatio refellenda mihi est.

Præsto sunt argumenta plura, queis auctoris Areopagiticorum orthodoxiam vindicem : ac præsto mihi sunt gravissima, ut puto, responsa, quibus opposita argumenta infirmari possunt, ac etiam elidi. Ipsa occurrit primo prænotatio Dionysii Areopagitæ, sub cujus nomine vetusti orthodoxi patres Areopagitica laudabant ; quod argumento est, eorumdem auctorem fuisse illis, sin minus apostolicum virum sancti Pauli discipulum ; orthodoxum certe, ac nulla hæreseos nota infamem, allegantem D sub Dionysii Areopagitæ nomine testimonia ex iis libris deprompta jam audivimus Ephræmium patriarcham Antiochenum. Imo Dionysio Areopagitæ vindicavit eadem opera (qua de re judicium ego non profero) Joannes Scythopolitanus sexto sæculo ineunte, vel cadente superiore. Andreas Cæsariensis in Cappadocia episcopus, quem eodem circiter tempore floruisse bibliographi notant, in *Commentario in Apocalypsim*, capite 10, ubi de sensu alis quatuor animalium agitur, ita magno Dionysio (Areopagitæ) visum admonet, ipsumque non semel alibi laudat in eodem opere. Jobius monachus, sæculi sexti, ut videtur, scriptor, novem libros edidit *De Verbo incarnato*, quos Photius recenset codice 222. Hæc habentur vero libro VI, num. 22 : « Quamobrem etiam ineffabilium enarrator (Paulus apostolus I Cor. XIII, 9) clamat : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus ; cum autem venerit quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte*, etc.

Digitized by Google

Hujusque germanus discipulus, sapiens ille Dionysius, hæc ipsa iisdem propemodum testata verbis reliquit; maxime ubi de perfecto atque uno agit, » scilicet capite 13 *De divinis nominibus*. Anastasii Sinaitæ aliquot jam loca protulimus : afferunt alii plura. Leontium denique Byzantinum memoro, qui libro II contra Nestorianos et Eutychianos, passibile et corruptibile corpus Christi probat ante resurrectionem, Dionysii Areopagitæ verbis allegatis ex libro *De divinis nominibus*. At ipsis laudare hæc opera sub Areopagitæ nomine, perinde erat ac virum orthodoxia ac fide integra eximium allegare.

657 Ejusdem testimonia cum hæretici, Eutychiani, et Monothelitæ, proferrent, scriptorem opponere orthodoxis existimabant, qui nullius ob hæreseos suspicionem rejiciendus foret. Sed abuti doctrina ejus Eutychianos et Monothelitas, ostendebant orthodoxi Patres, ipsosque premebant auctoritate ejusdem auctoris, veluti catholicæ fidei luculentissimi testis. An hodie ergo tot in operibus ejus innotescant errores, quos videre datum non fuit veterum illis Patribus in acerrimis illis, quæ agitabantur de una natura deque una voluntate controversiis? Patres quamplures memoravimus, qui sexto sæculo floruerunt, et Areopagiticorum auctoritate Monophysitas insecuti sunt. Insequenti sæculo septimo acta contra Monothelitas paucis, refero. Lateranense concilium sub Martino I papa anno 649 celebratum est adversum Monothelitas, Eutychianorum propaginem. Areopagitica testimonia pro fide duarum in Christo voluntatum et actionum, proque impio dogmate adverso, ab orthodoxis Patribus et ab hæreticis prolata leguntur non pauca. At hæretici quidem corrupta loca allegabant; fraudem eorum evincebant orthodoxi, codicem sancti Dionysii episcopi Atheniensis ex Bibliotheca sedis apostolicæ proferentes; eorumque dogma, quo unam constituere voluntatem et actionem nitebantur, genuinis textibus ex codice illo desumptis convellebant. Idem quoque in œcumenica synodo sexta sub Agathone papa anno 688 præstitum, ut cuique innotescere facile potest, qui quartam et octavam, et undecimam actiones expendat. Vitam agebat hoc eodem sæculo S. Maximus, Constantinopolitanus monachus, martyrio pro fide clarus, qui prædicta Areopagitica opera brevibus illustravit scholiis; florebatque Sophronius, qui sedem Hierosolymitanam anno circiter 633 tenere cœpit, ac Dionysii Areopagitæ testimoniis Monothelitas insequebatur. Hæc satis. Quorsum vero hæc omnia? Ut nempe liquido innotescat, pro orthodoxo Areopagiticorum auctorem habuisse Patres illos, quos memoravimus sæculi septimi, et sexti, ac fortasse quinti; eosdemque orthodoxia et sublimitate doctrinæ ejus facillime induci potuisse, ut etiam germana illa (diligentiore indagine, si placeat, prætermissa) apostolici viri Dionysii Areopagitæ, sub cujus nomine ferebantur, opera nihil hæsitantes crederent.

Ac dignissima profecto animadversione res est, incidere quidem suspicionem de auctore Apollinarista apud nonnullos catholicos potuisse, qui ab hæreticis deprompta ex libris Areopagiticis testimonia minus primo aspectu intelligebant, nunquam vero de auctore Monophysita, seu Eutychiano. Cum prolatas a Severianis in collatione Constantinopolitana nonnullas testificationes Dionysii Areopagitæ, ac veterum aliorum Patrum, rejecisset veluti falsas Hypatius Ephesinus antistes : « Quid ergo suspicamini, reposuerunt Severiani, quia nos eas falsavimus? » Non illis, neque cæteris Monophysitis crimen falsi impegerunt orthodoxi, sed antiquis hæreticis Apollinaristis : « Vos non suspicamur, inquientes, sed antiquos hæreticos Apollinaristas. » Hac in re deceptum quidem Hypatium cum collegis, num. 3 ostendimus : at notum fit compertumque, nullam episcopis orthodoxis tum temporis insedisse suspicionem de impostura, quam Monophysitæ seu Eutychiani fecerint.

Ab hæreseos nota auctorem Areopagiticorum vindicat Joannes Scythopolitanus : sed ipsum ab una Apollinaristarum impietate vindicatum invenimus, quin ullum indicium pateat Eutychiani erroris, cujus ille insimulatus aliquando fuerit. Verba ejus sunt : « Quid enim dixerint (qui fidem auctoris in controversiam vocant) de iis quæ de sola adoranda Trinitate ab ipso theologice exponuntur. Quid de uno beatissimæ hujus Trinitatis Jesu Christo, unigenito Dei Verbo, qui perfecte humana indui natura voluit? Annon animam intellectualem, et corpus terrenum nostro simile recensuit? » Cætera plura se « in Scholiis pro occasione » pertractaturum spondet. Unus hoc loco Apollinaristarum memoratur error, quem auctor Areopagiticorum passim confoderit; sive qui humanam Christi naturam nobiliore sua parte, scilicet anima vel mente, mutilabat; sive qui gradu in sanctissimam Trinitatem invehebat, ut Spiritus sanctus magnus, major Filius, Pater maximus diceretur.

Quidni vero res ita se habeat, cum sententiæ plures in Areopagiticis habeantur, quæ dogmatibus Eutychianis adversantur ex diametro? Id observatum frequentissime a Scholiaste legimus. Dabimus infra loca plura. Illud in exemplum profero, quod habetur capite 1 *De divinis nominibus*, § 4. Ait auctor : « Se nobis vere et integre in una persona sua communicavit, revocans ad se, sibique jungens humanam humilitatem, ex qua simplex Jesus ineffabili modo constitit. » Quæ nemo dixerit, nemo confiteatur Monophysita. In Scholiis nota appingitur : « Nota vere unam illam personam nobiscum integre communicasse : quodve dixerit, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, cum simplex exsisteret, deinde compositum, humanam extremitatem ad se revocasse. Recte igitur dicimus, unam personam sanctissimæ Trinitatis crucifixam esse; quod est contra Nestorianos, et Acephalos, Monophysitarum propaginem. » Alia dabimus contra Eutychianos luculentissima testimonia capite sequente, ac deinceps.

VIII.

Areopagitica dogmata fatentur innoxia, et Monophysitis adversa vel ipsi doctissimi viri, qui eadem esse inficiantur Dionysii Areopagitæ.

658 Haud leve puto pro orthodoxia auctoris Areopagiticorum argumentum illud, quod suppeditat auctoritas doctissimorum virorum, qui multiplici argumentorum genere opera illa Dionysio Areopagitæ abjudicantes, integram habent, et omni censura immunem auctoris fidem, maximeque adversam erroribus Monophysitarum. Eminet inter eos Joannes Morinus, qui et opera Areopagitica prodiisse in lucem arbitratur, antequam Eutychiani prodirent. Sic ait vero parte II *De sacris ordinationibus* in præfatione capite 6, num. 1 : « Certum est, nemoque diffiteri potest, anno Christi quingentesimo, aut pauculis post annis, Dionysii opera e tenebris in lucem emissa fuisse. Deinde certum est, tum primum composita non fuisse, nec eo anno; sed quisquis eorum fuerit auctor, tempus adnotatum aliquot annis præcessisse. Præterea cum propter sententias quasdam ambiguas, Eutychiani ea catholicis opposuerint; certum quoque mihi videtur, ante Eutychetis condemnationem, hoc est ante concilium Chalcedonense, eorum auctorem vixisse. Nam apud omnes notum et confessum, catholicos doctores liberius, et minus caute ante natam hæresim nonnunquam scribere et loqui solere. Ideo nihil novum et insolens fecit, si verba quædam ambigua protulit, quæ hæresis postmodum nata in suum commodum interpretata est. Forsan post Nestorium scribens, dum (tacita hæresi) personæ in Christo unitatem vehementer enar-

Digitized by Google

fietur et explicat, visus est Eutychianis naturarum unitatem et confusionem inducere. » Id videbatur Eutychianis, qui opera illa, quæ vetustissimi auctoris fetum putabant, catholicis opponebant. Id quoque visum quinque illis Constantinopolitanæ collationis episcopis, qui propterea auctorem suspicabantur vetustum quempiam Apollinaristam. Sed « paulatim catholici librorum istorum lectioni diligentius incumbentes (pergit Morinus capite 1, num. 11, judicium suum exponere) eorum soliditatem in fide, sensum absolute catholicum admirati sunt... Cum enim maturius et penitus examinassent testimonia ab hæreticis Eutychianis in hæresis suæ defensionem hinc deprompta, animadverterunt ea facile dissolvi posse, et longe plura in istius hæresis eversionem ex iisdem colligi. » En ergo solertissimum Areopagiticorum scrutatorem, qui verba ut summum ambigua in illis reperit, quibus abuterentur Monophysitæ; sensum novit absolute catholicum, ac longe plura in istius hæresis eversionem ex iisdem colligi posse animadvertit.

Aliam definit auctoris ætatem Nicolaus Nourrius, asceta Benedictinus Sammauræus; sed ejus orthodoxiam certam habet, prolatisque nonnullis testimoniis confirmat. Verba ejus sunt dissertatione 10 *De operibus S. Dionysii* : « In iis libris hæresis contra Incarnationis Christi mysterium non minus aperte, quam omnes contra ejus divinitatem, et unam trium divinarum personarum naturam errores, proscribitur. Hæc etenim de incarnato Dei Filio variis in locis legimus, *De ecclesiastica hierarchia*, capite 3 (num. 3, § 2) : *Dei principalis bonitas... nostrorum omnium vere facta particeps, absque peccato, humilitatique nostræ unita, salvo proprietatum suarum statu, eoque prorsus inconfuso et inviolato.* In alio autem *De divinis nominibus* libro : *Verbum dirinissimum... per inconfusam humanitatis nostræ assumptionem.* Et in epistola 4 ad Caium : *Quatenus erat Deus et homo, novam quamdam nobiscum conversando,* θεανδρικὴν ἐνέργειαν (*Dei-virilem operationem*) *exhibebat.* Quid planius, quid dilucidius post sparsos Nestorii Eutychetisque errores, a quovis auctore usquam scriptum est? » Tam perspicua putabat Nourrius, hæc et similia plura testimonia contra Eutychianos errores, ut etiam non levi conjectura colligendum existimaverit auctorem Areopagiticorum, maximas « cum turbas ab hæreticis Nestorianis et Eutychianis cieri videret, tunc ut utrosque confunderet, ac pro viribus Ecclesiæ partes tueretur, animum ad scribendum appulisse : » adeoque prædicta opera « intra annum 451, quo synodus œcumenica Ephesina adversus Nestorianos, et 451, quo synodus Chalcedonensis contra Eutychianos celebrata est, ab illo profecta videri. »

Ad sæculum Ecclesiæ sextum detrudit operum eorum natales Paschasius Quesnellius. Auctorem habet apprime catholicum, sed tanto contra Nestorianos zelo actum, ut in contrariam quandoque declinare sententiam videatur. Epistolam ms. hocce de argumento ab eodem Quesnellio scriptam refert, ac decerpit Papebrochius in Ephemeridis Græco-Moschis tomo I, Maii pag. XLV. Nihil ambigendum ait de fide auctoris, tametsi « tanto contra Nestorianos zelo actus scripserit, ut plus quam par sit in contrariam Eutychianorum, vel Semieutychianorum declinaverit sententiam, phrases 659 eis familiares usurpans : quas tamen catholice interpretari quis possit, fortasse et debeat. » Addit ille, auctorem sibi videri « ex Judæis prognatum, natione Ægyptium, professione monachum, disciplina Platonicum. » Hanc vide Joanni Bonæ ex parte placuisse opinionem, cum libro 1 *Rerum liturgicarum*, capite 8 doceat : « Unum fortasse fuisse ex professoribus Platonicæ philosophiæ, qui in Schola Alexandrina circa finem quarti sæculi, vel initio quinti sapientiæ laude floruerunt. » Sed ipsum non fuisse Alexandrinum, haud spernendis conjecturis probantem jam audivimus Michaelem Lequienum; ipsumque ad sæculum Ecclesiæ sextum detrudi non posse, plura sunt argumenta quæ enarravimus. Ut ut sese res habeat, viros criticissimos habemus, qui auctorem Areopagiticorum catholicum pronuntiant, non Apollinaristam, non Eutychianum, non Semieutychianum.

Recentissimos addo scriptores duos heterodoxos, Christianum Augustum Salig, et Jacobum Bruckerum. Lequieni opinionem novit ille, nec approbat. Verba ejus affero, quæ habentur in tractatu de Eutychianismo ante Eutychen capite 18 : « Ut ego dicam, quod sentio : ab Apollinaristis, et Eutychianistis non profecta Dionysii opera... exinde mihi probare videor, quod et Eutychianismus in scriptis illis notetur, ac refutetur... Credam ego, totum librum *De divinis nominibus*, quin et alios, nullo alio consilio esse scriptos, quam ut confusionem et commistionem naturarum contra Eutychianos prosterneret auctor ipsorum... Fullonem nunquam tam candide et fortiter contra Eutychianos pugnare potuisse existimo, dum et ipse Fullo inter Eutychetis fautores refert. »

Minus æquo in eumdem Areopagiticorum scriptorem comparatus animo fortasse videri poterit Bruckerus, qui in *Historia critica philosophiæ*, tomo III, capite 3 *de philosophia Patrum in specie*, notat ipsum veluti « philosophum eclecticum, sive Alexandrinum, qui nugis Platonicis Christianæ fidei simplicitatem depravavit, » sæculo circiter Ecclesiæ quinto. At ejus pariter sententia est § 29 scriptorem istum, « non tam confirmandi Monophysismi, quam propagandæ confirmandæque philosophiæ Alexandrinæ causa, » nugas suas magno cuidam inter Christianos nomine supposuisse. Adnotat etiam § 31 haud esse ferendam eorum opinionem, qui Apollinario patri hos fetus adjudicant, cum recte observatum Pearsonio fuerit, fragmentis ejus, quæ supersunt, similes haud esse, nec dogmatibus ejus consentaneos; neque Apollinario juniori tribuendos, cum nonnulla contineant ab ejus placitis longe lateque diversa. Mirum foret, Apollinaristarum Eutychianorumque commenta non vidisse in Areopagiticis, aut purgare ipsorum auctorem voluisse scriptores, qui virga nimium censoria eadem notare opera, severumque proferre de illis judicium non hæsitarunt.

IX.

Michaelis Lequieni conjecturæ, queis Opera Areopagitica Petro Cnaphæo seu Fulloni Monophysitæ, aut cuidam ex ejusdem asseclis tribuenda suspicatur; itemque conjecturæ Crozei de Synesio, Areopagiticorum auctore, simulque præformatore hæreseos Monophysitarum.

Innoxiam doctrinam Areopagiticam esse, maximeque Eutychianorum erroribus adversam, diligentiore inito examine, infra mihi ostendendum est, in argumentorum solutione, quæ validiore quam hactenus egerint alii, conatu opponit Lequienus. Conjecturas ejus modo expendo, queis permotus auctorem Areopagiticorum suspicatus est, dici posse Petrum Fullonem Monophysitam. « Hic omittere non possum (inquit in dissertatione Damascenica 2, num 14) pessimum hunc hominem (Cnaphæum) aut quemdam saltem ex ejus asseclis, genuinum fuisse videri parentem librorum, qui Areopagitici audierunt. Cujus meæ suspicionis hæc ratio est, quod capite 3 *De hierarchia ecclesiastica*, ubi strictim primum refert, moxque subinde enarrat liturgiæ partes, quas ab apostolis traditas esse persuadere lectoribus voluit, mentionem etiam fecerit recitationis Symboli : Προομολογηθείσης ὑπὸ παντὸς τῆς Ἐκκλησίας τοῦ πληρώματος τῆς καθολικῆς ὑμνολογίας, *cum omnis Ecclesiæ cœtus confessus ante fuerit catholicam laudationem;*

Digitized by Google

hoc est, ut ipse in *Theoria mysterii* exponit, τῆς θρησκείας τὸ σύμβολον, *religionis symbolum*; quod nempe recitandum statim ab egressu catechumenorum et energumenorum ait; uti postea fieri consuevit in Ecclesiis Græci ritus, quarum etiam morem Latini deinceps imitati sunt. Atqui ecclesiasticæ historiæ monumenta perhibent, paucis annis antequam supposititia Dionysii volumina prodirent, Petrum Cnaphæum, cum Antiochenum thronum denuo occupasset (anno 476, ut infra) instituisse ut symbolum fidei in omnibus missis recitaretur: καὶ ἐν πάσῃ συνάξει τὸ σύμβολον λέγεσθαι, inquit libro II Theodorus lector. Quem ritum paulo post sub Anastasio imperatore Timotheus Constantinopolitanus antistes Monophysita, Chalcedonensique **660** synodo infensus, in Urbe regia observari sanxit, eodem lectore teste. Ex quo capite compertiorem habemus ætatem, qua spuria Areopagitica conscripta sunt.

« Ad hæc, quemadmodum Cnaphæus iterum excogitavit, ut unguentum sanctum, seu chrisma palam in Ecclesia, astante populo, sacraretur, τὸ μύρον τῆς Ἐκκλησίας ἐπὶ παντὸς λαοῦ ἁγιάζεσθαι (Theod. lect. libro II), quæ proinde consecratio prius clam, et extra divinam liturgiam flebat: ita quoque libro *De ecclesiast. hierarch.* capite 4 legitur, statim valere jussis catechumenis, et aliis qui a sacrificio de more arcebantur, auspicandam esse intra missarum solemnia, ac proinde Christiana plebe præsente, divini unguenti consecrationem.

« Quinimo ritus alter, qui ibidem subjungitur, quemque hodieque observant Græci, ut unguentum super altare depositum seraphicis figuris duabus contegatur, quo significetur, Christum qui unguento repræsentatur, perpetuo seraphim cantico, quod trisagium seu tersanctum dicitur, celebrari; annon hoc etiam Cnaphæi et Severianorum mentem et ingenium redolet, qui trisagia cantica modo toti Trinitati accinunt, modo soli Filio ac Christo: quemadmodum ecclesiasticum illud: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et immortalis*, adjecta interdum voce, *qui crucifixus es pro nobis*, ut ad Christum referri significaretur? Hujus additamenti, quo Filius ter proclamaretur *sanctus*, auctorem fuisse Fullonem, vel pueri norunt.» Hæc ille.

Sequitur opinio, vel potius commentum Mathurini Veyssieris la Croze, cujus hæc asserta sunt libro I citati operis. I. Scilicet, Areopagiticas lucubrationes « revera abs scriptore prodiisse, qui perversum Apollinarii dogma temperavit quidem, sed hæresim præformavit, quam Eutychiani et Monophysitæ » coluerunt. Qua in re satis illi est, consentientem habere doctissimum Lequienum. II. Theophilum Alexandriæ episcopum prima novi dogmatis lineamenta præformasse; auctoremque Synesio episcopo Ptolemaidis fuisse, ut ad errori conciliandam auctoritatem libros concinnaret sub viri apostolici nomine, Dionysii Areopagitæ. III. Hæc opera tam venerando nomini supposita in Archivis Ecclesiæ Alexandrinæ latuisse, donec Cyrillus Theophili successor, qui errorem maxime promovit, nonnulla ex illis deprompta testimonia adhibuit contra Diodorum et Theodorum, quæ postea Severiani allegarunt in collatione Constantinopolitana anno 532 habita.

Porro Theophilum Alexandrinum inter præcursores Eutychetis numerandum esse, colligi ex eo posse putat Crozeus, quod ipse ex eorum numero fuerit, qui apud Nyssenum in Epistola ad ipsum Theophilum adversus Apollinarem, orthodoxos duas in Christo naturas confitentes insimulabant erroris, ac si « duos filios colerent in dogmate, unum quidem secundum naturam, alterum autem adoptione postea acquisitum.» Novo huicce dogmati expoliendo promovendoque animum applicuisse Cyrillum, Theophili in sede Alexandrina successorem, dubitaverit nemo (inquit ille) qui prolatam expenderit ab eo sententiam de una Verbi natura incarnata, quam suam fecere Eutyches et asseclæ. A Synesio denique Areopagitica prodiisse opera, tria videntur evincere, Areopagiticorum collatio cum ejusdem Synesii operibus, ejusque animi character ad mentiendum proni, ac peculiaris quædam calami facilitas ad varia styli genera. In fine libri, qui *Dion* inscribitur, fatetur ipse, perquam facile sibi fuisse, ut variis « plurimumque a se invicem diversis dicendi formis » mentem et calamum adaptaret. Effata ejus nonnulla occurrunt, quæ satis indicant ad fingendum proclivitatem. Sententia ejus est in Encomio Calvitii: Populum faciles nimium parabilesque res deridere: portentis autem, τερατείας (seu *imposturis*) opus habere (*il a besoin d'imposture.*) Et in epistola 105, tum scripta, cum ad episcopale fastigium postulabatur, quod ejurare omni ope contendebat, sic ait: « Animus certe quidem philosophia imbutus, ac veritatis inspector, mentiendi necessitati nonnihil remittit... Mendacium vulgo prodesse arbitror, contra nocere veritatem iis, qui in rerum perspicuitatem intendere mentis aciem nequeunt.» Quem animum sic affectum et episcopus factus (Crozei verba sunt) servavit. Par denique stylus, par sententiarum sublimitas in Areopagiticis et in Synesii operibus. Ait iste hymno 3, ubi de Patre æterno agit, παγὰ παγῶν, *fontem fontium*, *principium principiorum*, *radicum radicem*: ait etiam ille capite 2 *De divinis nominibus*, § 7: πηγαία θεότης, *fontalis divinitas*. Eodem in hymno divina vocat Synesius βυθὸν ἄῤῥητον, *profunditatem ineffabilem*; legiturque capite 9 libri citati *De divinis nominibus*, § 5, βάθος... ἀπερίληπτον, *profundum cunctis inaccessum*. Alia demum loca conferenda jubet, ac præcipue caput primum libri citati Areopagitici, pag. 439 editionis Corderianæ, cum primo et altero Synesii hymno.

X.

Nec Theophilus, nec Cyrillus, episcopi Alexandrini, Monophysitarum hæresim præformarunt. Synesio episcopo Ptolemaidis perperam Areopagitica tribuuntur opera. Eadem elucubrata non sunt ea mente eoque consilio, ut error unius in Christo naturæ evulgaretur.

661 Superius descriptum Crozei commentum liceat ante paucis refellere, quam expendere Lequieni doctissimi conjecturas et argumenta, eademque pro mea virili refutare aggredior. Posita a Crozeo principia nutant, ac labascunt omnia; fabulisque adinventis fabulam fulcit ille. Manus habeo mihi porrigentem laudatum Bruckerum tomo III *Historiæ criticæ philosophiæ* capite 3, § 29. Commentum aio putidissimum esse, unam in Christo naturam credidisse Theophilum Alexandrinum, ipsumque Apollinaristis junctum insimulasse orthodoxos, qui duas integras in Christo naturas profitebantur, ac si duos inveherent filios. Tanti criminis, cujus reus fuerit Alexandrinus antistes, vola nulla, vestigium nullum apud Gregorium Nyssenum. Admonet ille Theophilum, Apollinaristas, qui « carnale Verbum faciunt, atque sæculorum conditorem hominis Filium, et mortalem Filii deitatem, insimulare quosdam in Catholica Ecclesia» audere, veluti qui « duos filios in dogmate colunt,» utpote duas naturas in Christo confitentes, « unum quidem secundum naturam, alterum autem secundum adoptionem postea acquisitum.» Catholicos viros hæc mussitantes fatetur ipse, se nosse nullos: « Nescio a quo talia audientes, aut cum qua persona luctantes: nondum enim cognovi qui talia effutiret.» Hinc Theophilum adhortatur, ut pro ea qua pollebat auctoritate, Ecclesiæ causam vindicet, cohibeatque maledicos Apollinaristas: « Veruntamen

Digitized by Google

men, inquiens, quoniam istam proponentes adversus nos causam, ex eo quod videntur tale flagitium impugnare, suas opiniones corroborant; bonum est, ut tua in Christo perfectio, prout tibi in mentem injecerit Spiritus sanctus, eorum occasiones amputet, qui quærunt adversus nos occasiones; et persuadeat eis, qui per calumniam hæc Ecclesiæ Dei crimini vertunt, nullum hujusmodi apud Christianos esse dogma, neque prædicari.» Tum in eo denique totus est, ut ostendat, binarium filiorum numerum minime colligi ex « conjunctione naturæ humanæ cum Verbo; » sed « propter exactam unionem assumptæ carnis et assumentis divinitatis,» uni Filio Christo « communicari et mutuo dari nomina, ita ut et humanum ex divino, et divinum ex humano denominetur.» Verbulum occurrit nullum, quod subindicet, Theophilo Alexandrino placuisse temperatum Apollinaristarum dogma; ipsumque curasse, ut naturæ unitas in Christo editis libris vindicaretur; eosque invecti binarii filiorum numeri insimulasse, qui duas in Christo naturas tutabantur. Imo Apollinaristas, veluti imposturæ fabros, apud Theophilum accusat Nyssenus; ipsumque permovere studet, ut hominum audaciam cohibeat, causamque Ecclesiæ pro virili defendat.

Vita mortali functo Theophilo, sedem Alexandrinam anno 412, obtinuit Cyrillus. Ex Areopagiticis jam conflictis libris deprompta ab eo nonnulla testimonia, eademque adhibita in opere contra Diodorum et Theodorum, nimia confidentia pronuntiat Crozeus. Severianis id aientibus in Constantinopolitana collatione, tam facile fidem præstandam non esse, admonuimus num. 2. Lequienum vero, quem veluti sibi faventem appellat, diserte adversum habet in Dissertatione Damascenica 2, num. 17, ubi hæc habet: « Ex illis itaque, de quibus ante disputavi, lucubrationibus variis, ac non ex Dionysii (Areopagitæ) libris, Cyrillus intulit, unam dicendam esse Christi Domini naturam propter arctissimam unionem divinitatis cum humanitate: unam itidem Dei Verbi naturam incarnatam.» Nimirum hæc posteriora verba leguntur libro II *contra Nestorium*, et in *Epistola ad Acacium Melitinensem*, et in *Commonitorio ad Eulogium*: eademque ab omni Apollinarismi suspicione purgavit in *Epistolis ad Successum*. Habentur vero priora verba in laudato *Commonitorio*, ubi sic ait sanctissimus Pater: « Unitione concessa, non distant amplius ab invicem, quæ unita sunt; sed deinceps Filius est una ipsius natura, Verbo utique carne facto.»

Quæ cum ipse et scripserit, et vindicaverit, quantum ab errore Apollinaristarum Eutychianorumque longissime distaret, egregie probant ac evincunt Lequienus loco citato, Ludovicus Thomassinus *De Incarnatione*, libro III, capite 13, et Dionysius Petavius libro IV, capite 7, et libro VI, ubi anonymum Calvinianum hominem pro meritis castigat, qui hoc demonstrandum suscipit, Nestorium impurissimum hæresiarcham, pium et catholicum fuisse: illos autem, a quibus condemnatus est, Cyrillum et Ephesinam synodum, hæreticos et impios. Consule caput 8, in quo sententia, quam et Crozeus opponit, innoxia et apprime catholica ostenditur. Mentem Cyrilli, consiliumque omnium lucidissime patefacit laudatus Thomassinus loc. cit. Verba ejus refero, quæ maximo et infra usui nobis erunt. **662** « Nestorio, inquit, insidiosius duas jactante in Christo naturas, et (quod nequissimum fraudis genus est) de veritate ipsa veritati invidiam conflante; ne duarum naturarum obtentu duæ quoque impingerentur personæ, hanc aut excogitavit, aut instauravit Cyrillus jam pene obliteratam eloquendæ Incarnationis formulam (cum diceret, unam esse Verbi Dei naturam incarnatam). Cujus oraculi hæc maxime significatio, hæc sententia sanissima est: minus tute (ævo potissimum illo) duas dici in Christo naturas nisi una dicatur Verbi natura incarnata. Propterea quod ubi duæ dicuntur Christi naturæ, duarum statim ebullit suspicio personarum. Etenim non aliud est natura, aliud persona; sed una et eadem res cum sit, aliter et aliter significatur (quæ distinctio in scholis virtualis appellatur), quocirca plurimum periculi ingruit, ne geminata natura, geminetur et persona. Deinde cum duæ dicuntur naturæ, quasi ex æquo numerantur, eoque seorsim unaquæque cogitatur: vix autem, ac nec vix cogitari seorsim quælibet potest natura, quin personæ proprietate vestiatur. Denique non alia magis machina Nestorius duas scindebat personas, quam naturæ duplicis prædicatione: atque ita ab ipsa veritate falsitati præsidia comparabat. Si duæ autem naturæ non ita statuantur ob oculos, ut binæ simul ex æquo procedant, sed ut altera subjungatur alteri; ut una principaliter emineat, altera accessio ejus sit: una fuerit semper et pergat esse, altera nuper illi accreverit: una sua sibi sit, sui juris suæque potestatis sit, per se immutabiliter et sempiterne sit; altera illi ut subjecto accidens incumbat, illi superstruatur ut fundamento, illius juri censuique ascripta sit, illius propria et quasi portiuncula sit, per se seorsim nec sit, nec unquam fuerit; tum vero omnis eluetur in geminæ naturæ professione suspicio geminatæ personæ.

« At id Cyrillus molitus, id consecutus est ubi unam dixit naturam Verbi incarnatam. Eminet enim et primas tenet, imo sola in conspectum statim se dat principaliter divinitas Verbi; nec latet interim caro seu humanitas, ex quo dicitur incarnata. Occursat itaque non deitas et caro, sed deitas cum carne: non Deus et homo, sed Deus humanatus; non duplex natura, deitas et humanitas, sed simplex natura deitatis, cum accessione humanitatis. Etenim ubi duæ naturæ dicuntur Deus et homo, utraque natura per se nominatur, per se cogitatur; et per se nominari cogitarive vix potest, quin personæ cuique suæ suspicio obrepat. At ubi natura tantum Verbi incarnata dicitur, una primario et per se subsistens natura obversatur animo, cum naturæ alterius additamento.

« Quamobrem singula ejus confessionis verba momenti plurimum afferre non immerito videntur, ad fidei adversus Nestorianas insidias stabilimentum. Nam I. Natura una dicitur Verbi: ac proinde perinde nobis est, seu naturam ibi pro natura strictius, seu pro persona laxius sumptam arbitreris (namque Cyrillum alii aliter interpretati sunt). Nihil aut perparum interest, utrislibet accedas; nam persona et natura non differunt, nisi conceptu mentis; et seu personam vel hypostasim Verbi incarnatam seu naturam Verbi ut principalem et summam et totalitate sua per se fretam cum carnis adjunctione jam cogites, perinde est. Persona enim non aliud est, quam natura ut principatum sui tenens, ut per se consistens, ut accidentibus et additamentis omnibus substans. II. Natura Verbi dicitur, ne ad totam Trinitatem spectare existimetur carnis assumptio. III. Incarnata dicitur, quo caro designatur, sed oblique; et ut non per se, nec sui causa, nec sui juris: adeo ut unitati hypostaseos vindicandæ accommodatius sit dici, naturam Verbi incarnatam, quam naturam Verbi et carnem. IV. Una dicitur Verbi natura, nam unitas sicut et totalitas penes naturam principaliorem est attendenda. Una est enim persona Christus, quia unus est Dei Filius sempiternus et incorruptibiliter idem; prius sine carne, nunc cum carne, semper idem, unusque semper idem; nec minus totum prius sine carne, nec magis totum cum carne; auctus sine incremento, nec major factus carnis accessione. Unitas ergo personæ tota a Verbi natura repetenda est....

« Hinc item (inter eos, qui in propositione Cyrilli

Digitized by Google

nomen naturæ pro persona, seu hypostasi usurpatum opinantur, et qui pro natura Verbi ipsa positum existimant) componere non arduum est, si medullitus Cyrilli doctrina indagetur. Illi enim hypostasis vel persona non aliud est, quam natura, sed tota et integra; adeoque non alterius cujusquam facta, velut pars et accessio. Illi nomen φύσεως, et ὑποστάσεως promiscue pro eodem habetur. Illi, quominus persona aut hypostasis sit humanitas Christi, non alicujus inopia est, sed superioris naturæ copia. Ergo ubi una natura Verbi incarnati pronuntiatur, et pro natura, et pro persona nomen naturæ usurpatur; quia natura, ubi tota et princeps suique juris est, utique persona est..... Hinc etiam consultissime a Cyrillo dictum, non Christi, sed Verbi unam naturam incarnatam. Nam Christi duæ sunt naturæ: at Verbi una est natura seu una divinitas incarnata. Puerili autem cavillatione **663** Semieutychiani, Christum et Verbum eumdem esse blaterantes, unam Christi naturam incarnatam hinc fabulabantur.» Hactenus egregie Thomassinus.

Nihil vero ab eo dictum, quod ipse Cyrillus pluribus in locis, quæ laudatus auctor allegat, luculentissime non expresserit. Ad rem hanc demum illustrandam maxime facit exemplum in creatis compositi accidentalis, puta albi, quo divus Thomas utitur opusculo II, capite 211. Si namque in albo quispiam dixerit, unam esse naturam parietis dealbati, seu dealbatam, verum dicit: significat quippe, naturam seu substantiam parietis esse principalem, accessorium accidens; illam per se subsistere, istud subsistere in subjecto per inhærentiam; ac duas naturas parietis et accidentis fatetur distinctas, non discretas aut separatas. Par est significatio Cyrillianæ propositionis, cæteris omnibus salvis conditionibus, quæ substantialem hypostaticam duarum naturarum quæ substantiæ sunt, in Christo unitionem comitantur.

Jam vero colligitur, somnium esse et commentum Crozei existimantis, elucubrata Areopagitica opera eo consilio fuisse, ut in iis Monophysiticum unius in Christo naturæ dogma vulgaretur. Verum etiam facinus istud a Synesio perpetratum, commentum est atque vanissimum somnium. Ptolemaidis Cyrenaicæ episcopatum gessit ille, Theophilo Alexandrino incentore, quod anno 407 accidisse putant Petavius et Lequienus. Nihil ille prætermisit, ut ad episcopale fastigium non promoveretur: eamque potissimum causam affert, quod ipse Platonicæ philosophiæ præceptis imbutus, a præcipuis aliquot fidei Christianæ capitibus dissentiret; easque opiniones ita animo fixas esse, ait, ut licet dissimulare pacis et concordiæ causa posset, dimittere tamen aut mutare easdem nolit. Dogmata autem tria proponit: primum, animam præexsistere: alterum de mundi æternitate, quem ut interiturum aliquando crederet, neutiquam adduci poterat: tertium de mortuorum resurrectione, quam mysticum et arcanum aliquem sensum recondere, nec cum vulgo accipiendam esse asserit. Non serio ista a Synesio inculcata fuisse contendit Baronius ad annum 410, sed arte ad declinandum episcopi munus. Animi sui sensus candide illum aperuisse, veteres plures ac recentes arbitrantur, tantum animi candorem collaudantes. Cæterum quæ verba opponit Crozeus, non exhibent hominem ad mentiendum fingendumque paratum: neque asserentem bonum esse quandoque et utile mendacium proprie dictum; sed pacis et concordiæ causam bonam quandoque esse veritatis dissimulationem, illa scilicet in corde retenta, mendacio tamen nunquam prolato. Aiebat enim, dogmata illa sua Platonica, si episcopus fuerit, silentio premere posse, nihil contra eadem docturum. Verba ejus accipe: « Ut nihil penitus docens, sic nihil etiam dedocens, atque in præsumpta animi opinione permanere sinens. » Hæc licet contestaretur Synesius, ea tamen spe initiatus episcopus fuit, fore ut veræ religionis vertex et colophon accederet: neque eam spem fefellisse Theophilum aliosque, qui Synesium ad episcopale munus postulabant, tradit Evagrius libro I, capite 15: « Recte omnino conjicientes, inquiens, ad reliquas ejus viri virtutes ista esse accessura cum divina gratia nihil imperfectum habere sustineat; nec spes eos fefellit. » Paria scribit Photius codice 26. Loco altero in Encomio Calvitii, de sacerdotibus Ægyptiorum agit, qui « populum ludunt, ipsi in interiores latebras recepti, quod ipsi efficiunt populi oculis eripientes: » si namque quod efficiunt ipsi, videret populus, succenseret ipsis: utpote qui « faciles nimium parabilesque res deridet; portentis enim opus habet, » quorum ipse causas non norit. An hæc animum Synesii repræsentent mendaciis, commentisque, ac impostoris addictum? At licitam putaverit ipse fraudem et suppositionem, ad ducendum naso populum: peculiaris hæc ipsi non inederat opinatio; neque pro Synesio quidpiam colligere Crozeo datur. Sibi quidem vindicat ille gloriolam in *Dione*, quod eo pervenerit studio et exercitatione, ut vix distinguenda similitudine styli imitari valuerit veteres scriptores; quodve de suo scriptis eorum adnecteret, ab ipsis dictum scriptumque putarent lectores. Sed hæc probant, inquit Brukerus, interpolandi vel supponendi artem egregie calluisse Synesium; ad libros Dionysii Areopagitæ nomine insignitos minime quadrant. Vel enim ea scripta Synesii ætate non extabant, quorum ipse stylum imitaretur: quod si exstarent, non eadem sub falso nomine Synesium elucubravisse, peritia evincit, qua pollebat in aliorum scriptorum styli imitatione.

Quænam vero tanta inter Synesii stylum ac sententiam similitudo ac Areopagiticorum auctorem, ut hæc fetus illius dici debeant! An adeo sublime et reconditum fuerit, Deum cogitare et appellare fontem fontium, et ineffabile profundum; ut si quæ diversa opera hanc habuerint sententiam, ab eodem prodiisse auctore existimandum sit? Quanquam Synesius Patrem fontem fontium appellat, et alter fontalem divinitatem; quæ vim eamdem non exserunt et significationem. Ait etiam auctor Areopagiticorum capite 112 *De divinis nominibus*, § 1: τὴν πηγαίαν καὶ ἀνέλλειπτον αἰτίαν, *scaturientem et nunquam deficientem causam*, et § 5: μόνη δὲ πηγὴ **664** τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ Πατήρ, *solus fons supersubstantialis deitatis Pater*: quibus paria in Synesio frustra perquiras.

Conferendum denique Crozeus jubet primum et secundum Synesii hymnum cum loco *De divinis nominibus* capite 1, § 1. Annuimus libentissime. Hæc loco citato habentur: *Supra substantias est illa suprasubstantialis infinitas, et supra mentes ista supra mentem unitas: et omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum omnique verbo ineffabile est illud supra verbum bonum: unitas effectrix universæ unitatis, et substantia supra substantiam, et mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis ratione, intelligentia, nonuneque vacans: nullius rei similitudinem habens: quæ quidem causa est, ut omnia sint*, etc. Hæc vero inter alia, quæ hymno secundo Synesius canit, accipe: « Unus fons, una radix: una enim profunditas Patris, ibi etiam illustris Filius: bonorum tulit copiam, et supersubstantialem propaginem: Patris gloriam, et primogenitam formam: tu Pater, tu es mater; tu mas, tu femina: tu vox, tu silentium: unitas divinorum numerorum. » Hæc paria qui dixerit, cæcus est. Canit etiam hymno I: « Ille quidem ex se ortum principium, gubernator paterque rerum omnium, ingenitus..., unitatum unitas sancta, monadumque monas prima, simplicitas summitatum... Unitas ineffabilem in modum diffusa, trinam adepta est vim. Supersubstantialis vero fons coronatur pulchritudine prolis, quæ ex centro profluxit. » Sunt quædam utrique com-

Digitized by Google

munia, utpote quæ cuique obvia, quæ de summo Deo ac sanctissima Trinitate celebrentur; sunt alia Synesio propria, quæ nuspiam scripsit auctor Areopagiticorum. Ac duo sunt postremo loco animadvertenda; alterum cum Jo. Ernesto Gabrio in Notis ad caput 1 S. Irenæi, Synesium in hymnis poetica licentia abusum, omnem fere Valentinianorum Matæologiam vere theologiæ adoptasse, ac hæretica voce orthodoxam cecinisse fidem; alterum cum Tillemontio tomo XI, in ejusdem Synesii Vita articulo 4, nempe dogmata Christianæ fidei in hymnis parum accurate edisseri, ac plura promi potius ex philosophorum scriptis, quam divinis ex eloquiis. Hæc ab Areopagiticis longe absunt; quorum integerrima fides adhuc inferius patefacienda est, ac vindicanda.

XI.

Fullonem esse auctorem Areopagiticorum, non probat ritus publicæ sacri unguenti consecrationis in Areopagiticis descriptus. Ritum illum antiquissimis temporibus nonnullæ Ecclesiæ adhibebant. Canticum trisagion in eisdem Areopagiticis vel non memoratur, vel certe non redolet Fullonis et Severianorum ingenium.

Præmittere licebat Areopagiticorum auctoris verba, quibus unguenti sacri conficiendi ritus describitur, *De ecclesiastica hierarchia*, capite 4, num. 2: *Eodem modo, quo in synaxi, ordines eorum qui minus perfecti sunt, excluduntur: præmissis videlicet sacra per totum templum cum odoris fragrantia processione, Psalmorumque sacra modulatione, et divinissimorum eloquiorum promulgatione.* Hactenus missarum solemnia vides ad evangelium usque lectum promulgatumque. *Deinde pontifex, accepto unguento, ponit illud supra divinum altare, duodecim sacris aliis obvelatum, cunctis sanctissima voce concinentibus illud divinitus afflatorum prophetarum canticum afflationis.* In altari, adeoque intra missarum solemnia, astante populo fideli, sanctum unguentum sacratum a pontifice', hæc verba declarant. Atqui Theodori lectoris in *Historia ecclesiast.*, libro II, verba sunt: « Petrum Fullonem instituisse, ut sacrum chrisma coram omni populo consecraretur. » Hinc Lequieni suspicio, aut ipsi Fulloni, aut ejus socio et asseclæ Areopagiticos libros tribuendos esse.

At hæc scribens Theodorus lector si deceptus fuerit, cadat oportet labaturque Lequieni conjectura. Errasse vero Theodorum, si Fullonem fuisse intellexerit, qui primus in universa Ecclesia Christiana ritum invexerit, chrisma sacrandi in altari inter actionem liturgicam, coram populo fideli, pro certo habet Edmundus Martene *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, capite 22, § 3, num. 1, ubi: « Publica hujusce consecrationis solemnitas (ait) in Africana Ecclesia jam longe ante obtinuerat; utpote quam ad altare peractam fuisse, non secus ac eucharistiam, docent hæc S. Cypriani verba in epistola 70. Porro eucharistia, et unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatur. » Et quidem invocato Christi nomine, ut discimus ex Optati Milevitani libro VIII *Adversus Parmenianum*: « Oleum nominant illum liquorem, qui in nomine Christi conditur; quod chrisma, postquam conditum est, nominatur. »

Cypriani locum adhibet Martene, prout ab Erasmo emendatus est, suaque in editione a Pamelio positus legitur. Aliter legendum censuit Baluzius juxta fidem codicis Corbeiensis: « Porro autem eucharistia est, unde bapizati unguntur oleo in altari sanctificato. » Aliamque post Manutium lectionem amplectitur Rigaltius: « Porro autem eucharistia est, unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum; » ac si ipsa 665 eucharistia dicta intelligatur oleum spirituale: eodemque in loco de spiritali unctione agatur, quæ ab ipso proficiscitur eucharistiæ sacramento. Quænam præferenda, velùti genuina, lectio sit, diligentius perquirere non vacat: certum vero mihi compertumque, eodem in loco Cyprianum de ipso etiam chrismate loqui, deque consecratione ejus in altari. Post allata verba, statim subjicit ille: « Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habet, nec ecclesiam (id est hæreticus): unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, et eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. » Quo loco « olei creaturam, quæ sanctificatur, » quis intelligat eucharistiam? Imo oleum distinguit Cyprianus, et eucharistiam, docetque neque illud sanctificari, neque istam fieri apud hæreticos posse, qui nec altare habent, nec ecclesiam. Hocce argumentum quo Cyprianus hæreticorum sacramenta rejiciebat, adducit ac solvit Augustinus libro V *De baptismo* contra Donatistas capite 20, oleumque accipit ab eucharistia distinctum: « Cur autem, inquiens, ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ (non hæretici, sed intra catholicam Ecclesiam peccatoris) possit tamen Deus oleum sanctificare: et in altari, quod hæretici posuerunt, non possit, nescio... Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? » Materiæ aut elementi nomine distincta numerat et appellat sacramenta, baptismum, confirmationem, eucharistiam, ordinationem.

In altari ergo, intra missarum solemnia coram populo fideli longe ante Fullonis ætatem sacratum fuisse chrisma seu sacrum unguentum, certo constat. Neque reponas, Petrum Fullonem, Theodoro lectore teste, ritum illum consecrandi chrismatis primum invexisse apud Græcos: eumdemque ritum jam olim in Ecclesia Latina obtinentem spectari minime potuisse a Græco Areopagiticorum auctore. Præsto namque responsio prima est, sibi etiam scriptorem illum proposuisse, Lequieno consentiente, ac animadvertente Scholiaste, ut Ecclesiæ Romanæ et Occidentalis ritus aliquos afferret et exponeret: quod num. 6 exemplis confirmavimus. Sequiturque responsio altera Theodori testimonio id unum evinci, Fullonem in Ecclesiam Antiochenam, in qua tyrannidem exercebat, ritum illum potuisse primum invehere; at colligi non posse, eumdem ritum in aliquibus Græcæ communionis ecclesiis antea non obtinuisse.

« At ritus ille, qui ibidem subjungitur (Lequieni verba sunt) ut unguentum super altare depositum seraphicis figuris duabus contegatur, quo significetur, Christum qui unguento repræsentatur, perpetuo seraphim cantico, quod Trisagion seu Tersanctum dicitur, celebrari; annon hoc etiam Chaphæi et Severianorum mentem et ingenium redolet, qui Trisagia cantica modo toti Trinitati accinunt, modo soli Filio et Christo? » Duo animadverte in ritu, quem describit Areopagiticorum auctor. I. Unguentum supra divinum altare positum, seraphicis figuris duabus, *seu duodecim aliis obvelari.* II. Concinere astantes *illud divinitus afflatorum prophetarum canticum afflationis.* Verba hæc cum integro textu superius dedimus. Canticum istud, quod astantes concinunt, ita declarat Scholiastes: « *Canticum*, scilicet *Sanctus* vel *Alleluia*. » Sed posterius, *Alleluia*, intellexisse auctorem Areopagiticorum, ipse sui interpres est loco citato num. 3, § 12, ubi latius exponit quæ strictim proposuerat: *Porro*, inquiens, *melos illud sacrum prophetarum divinitus afflatorum, sciunt hi qui Hebraice norunt, Dei laudem significare, sive laudate Dominum.* Itaque canticum illud, quod in confectione sacri unguenti concinebant astantes, nihil aliud erat nisi *Alleluia;* quod Latine perinde esse ac *Laudate Deum*, vel pueri norunt. Nulla ergo in his verbis Trisagii mentio. Neque te moveat (obviam

Digitized by Google

prævenio ac depello difficultatem) chrismatis confectionem ad sanctam et magnam feriam quintam hebdomadis sanctæ reservatam esse : illudque canticum, *Alleluia*, minimæ Quadragesimæ tempore decantari solitum. Olim enim liberum episcopis fuisse, ut sacrum chrisma omni die conficerent, perspicue patet ex concilio Toletano I, quod æræ Christianæ anno 400 celebratum est, canone 20, ubi hæc habentur : « Episcopo sane certum est omni tempore licere chrisma conficere. » Quibus adde Goarii animadversionem in notis ad Euchologium Græcorum : « In officiis quadragesimalibus canticum, *Alleluia*, frequentare sæpius et iterare Græcos; eique decantando facilius indulgere, quo tempus illud diuturniores divinas laudes requirere agnoscunt; accidem quoque in mortuorum exsequiis assumere. »

Dixerit Lequienus, de Trisagio se loqui, quod seraphicæ illæ figuræ duæ, sacrum unguentum obtegentes, significent. Annuo libentissime. Ipse auctor Areopagiticorum loco citato num. 3, § 5, sic ait : In alis duodecim unguentum in altari positum obvelantibus, significari *ordinem seraphim*, qui, *astante Jesu, et multum decantatam illam theologiam incessabili voce proclamant.* Voce illa, *Theologiam*, adnotat Scholiastes, intelligi canticum *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Ecce Trisagion : quod etiam *theologiæ* voce indicari, docet Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 23, mystagogica 5, num. 4 : « Mentionem 666 etiam facimus seraphim, quæ in Spiritu sancto vidit Isaias thronum Dei circumstantia, et duabus alis faciem tegentia, duabusque pedes, ac duabus volantia, et dicentia : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth*... Propterea traditam nobis a seraphinis hanc theologiam recitamus, ut communi laudum modulatione cum superioribus mundo exercitibus conjungamur. » Notas consule doctissimi Sammauræi editoris. Significent ergo figuræ illæ duæ seraphicæ canticum Trisagion, quod in cœlis perpetuo decantatur; quid inde extundas, quod mentem et ingenium redoleat Cnaphæi et Severianorum, cum illud in liturgico officio antiqua omnis catholica Ecclesia adhibuerit?

At in eo contendit laudatus Lequienus, pravam latere Severianorum mentem, quod Trisagion illud ad solum Filium Jesum Christum, sacro unguento significatum, applicetur. Ac sane Fulloni datum crimini fuit, qui ad ipsum solum Filium carmen illud redegerit, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis;* invecto additamento, *qui crucifixus es pro nobis.* Petavium lege libro V *De Incarnatione*, capite 4, § 4. Nolim ego subtiliores hoc loco quæstiones agitare. Pro certo illud habeo, Areopagiticorum auctori mentem consiliumque non fuisse, ut Trisagion soli Christo applicatum eo ritu intelligeretur. Quinimo seraphim illi, astante Jesu, concinere intelliguntur Trisagion sanctissimæ Trinitati, Jesum sanctificanti, et oleo gratiæ plenissime ungenti. Auctoris luculentissima accipe verba, loco citato, num. 3, § 10 : *Nequaquam igitur*, inquientis, *divinissimus cœlestium essentiarum ordo ignorabat, Jesum divinissimum sanctificationis ergo descendisse, verum sciebat... et ab ipsomet Patre Spirituque humano more sanctificatum.* Consonat Scholiastes : *Nam et Jesus, qui ut Deus omnia sanctificat, ut homo etiam sanctificatus fuit a Patre, et a semetipso, quia etiam Deus est, et a Spiritu sancto; scientibus quoque cœlestibus ordinibus.*... Eodem ritu hodieque utuntur Græci, ut apud Goarium videre est; neque puto, quispiam dixerit, se conformare illos velle menti, consilioque Petri Fullonis et Severianorum.

Cæterum ad illud quod attinet Trisagion, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus et immortalis*, cum additamento Petri Fullonis, *Qui crucifixus es pro nobis*, nec illud indicant Areopagiticorum auctoris verba, nec illud est quod a seraphim in cœlis decantari audiebat Isaias. Originem ejus narrant ecclesiastici scriptores.

XII.

Symbolum fidei non indicat auctor Areopagiticorum, legi aut decantari solitum in liturgia quam describit; unde præcipua cadit Lequieni conjectura de Areopagiticis libris Petro Fulloni ascribendis.

Morem legendi, aut cantandi fidei symbolum post evangelium, catechumenis et energumenis dimissis, in sacra liturgia, a Petro Fullone primitus invectum post secundam ejus sedis Antiochenæ invasionem anno 476, pro certo habent doctiores quique, qui de sacris ritibus agunt, fide et auctoritate innixi Theodori lectoris. Verba ejus num. 8 dedimus. Ritum istum satis indicari Lequienus contendit ab auctore Areopagiticorum, capite 3 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 2, ubi hæc habentur : *Sacrarum Scripturarum lectione finita, sacro ambitu catechumeni arcentur, et cum iis energumeni et pœnitentes... Qui autem in ministrorum ordine primas tenent* (diaconi) *una cum sacerdotibus divino altari panem, sacrumque calicem benedictionis imponunt; ab universa plenitudine Ecclesiæ* (seu ab omni Ecclesiæ cœtu) *communi hymnologia* (seu catholica laudatione, τῆς καθολικῆς ὑμνολογίας) *præmissa.* Hanc laudationem catholicam intelligit vir doctissimus fidei Symbolum : quod etiam clarius indicatum putat ab eodem auctore num. 3, § 7, ubi latius theoriam mysterii exponit : *Hunc autem hymnum*, inquiente, *alii laudis canticum, alii religionis symbolum*, τῆς θρησκείας τὸ σύμβολον, *appellant.* Itaque auctor ille fuerit aut ipse Fullo, aut quidam alius ejus assecla.

Iis verbis Areopagiticis indicari symbolum fidei credidit etiam Hugo Menardus, in notis et observationibus in librum *Sacramentorum* : « Fuit quidem, inquiens, illius (symboli) usus in Ecclesiis antiquorum Græcorum, ut constat ex S. Dionysio, capite 3 *Hierarch. eccles.*, cum proferens diversas opiniones circa hymnum, qui in sacris mysteriis cantatur, sic ait : *Hunc autem hymnum alii laudis canticum, alii religionis symbolum, alii* (*mea quidem sententia*) *divinius, hierarchicam eucharistiam.* » Quo tamen loco cum symboli fidei usum in sacra liturgia referat Menardus ad ecclesias antiquorum Græcorum, idque probet ex S. Dionysio, annon spectasse tempora videatur Petro Fullone anteriora?

Vidit hanc vero objectionem Scholiastes, sive Maximus, sive Joannes Scythopolitanus, depellitque duplici modo : « *Ab universa.* Quoniam, inquiens, euam tum 667 fidei quoddam symbolum præmittebatur; vel potius doctrina ista quam tum acceperant; seu fidei explanatio. » Hæc habet ille ad n. 2 et ad n. 3, § 7, sic ait : « *Generali.* Generale laudis canticum dixit : vel quod ab omnibus canitur, vel pro universali quasi gratia offertur. Hunc autem hymnum. Nota ut hunc hymnum symbolum, et professionem, et gratiarum actionem appellet. » Quamdam fidei explanationem professionemque, quæ symbolum vocari posset, ac etiam hymnus et laudis canticum dicebatur, editam ac decantatam ab omni Ecclesiæ consessu locum antiquitus in sacra liturgia habuisse, animadvertit primo Scholiastes; quin inde tamen colligere liceat, Areopagiticis allatis verbis indicatum esse symbolum fidei, sive apostolicum, sive Nicænum, sive Constantinopolitanum. Symboli Nicæni usum, Theodoro lectore teste, in Ecclesiam Antiochenam invexit Petrus Fullo, et in Ecclesiam Constantinopolitanam Timotheus Monophysita; erat vero ab hisce formulis longe diversa quæ describitur ab auctore Areopagiticorum, in officio liturgico adhibita, confessio fidei, utpote quæ hymnologiæ, et cantici laudis, et hierarchicæ eucharistiæ, seu gratiarum actionis modum haberet; tametsi et symbolum religionis vocaretur, propterea quod divina beneficia, quæ fide credimus nobis

Digitized by Google

a Deo in redemptione collata, canebantur et laudabantur.

Ad rem hanc facit animadversio Josephi Bingham, qui libro XV *Originum ecclesiasticarum*, capite 3, cum explanasset majorem gratiarum actionem, quæ in liturgia legitur; illam scilicet, quæ hymnum seraphicum includit, *Sanctus, sanctus, sanctus Deus Sabaoth*, adnotat, mentionem deinceps fieri in *Constitutionibus apostolicis* cujusdam specialioris actionis gratiarum pro divinis beneficiis in redemptione per Christum acceptis. « Quod integrum symbolum erat, inquit, quo Ecclesia tunc temporis in hoc officio utebatur. Nondum enim solemnis recitatio symboli pars officii ecclesiastici erat, uti quidem in posterioribus sæculis; sed tantum istæ doctrinæ recitabantur quæ specialioris gratiarum actionis pro magnis Incarnationis ac Redemptionis mysteriis erant argumentum. » Locum affert ex *Constitutionibus*, itemque testimonia Joannis Chrysostomi homilia 24, in Epist. I ad Corinth. et Cypriani epist. 113, edit. Oxon.

Jamvero ad alteram scholiastæ responsionem dilapsi sumus, quæ potius est prioris allatæ lucidior explanatio. Ipse namque Areopagiticorum auctor catholicam illam hymnologiam, quam post evangelium decantatum, jussisque foras abire catechumenis et energumenis et pœnitentibus, totus Ecclesiæ consessus concinebat, positam docet in commemoratione quadam beneficiorum Dei, Deique maxime benevolentiæ in sacro mysterio nos peragendo, cum laude supremi datoris, et cum gratiarum actione pro donis datis. Ejus accipe verba quæ habentur num. 3, § 7 : *Tum denique*, inquientis, *sancti sacrorum administri, spectatoresque studiosi* (ecce consessum Ecclesiæ omnem) *sacratissimam hostiam* (quæ nempe parabatur in altari immolanda) *contuentes, catholica hymnologia* (seu generali laudatione) *concelebrant beneficum munificumque principium, a quo salutaria nobis exhibita sunt sacramenta, quæ sacrosanctam illam initiatorum* (baptizatorum) *consumat deificationem.* Quis, indicatis his verbis, dixerit symbolum fidei, seu formulam illam aut apostolorum, aut Nicænam, aut Constantinopolitanam, quam recitantes aut legentes fidei nostræ suprema capita profitemur? Pergit auctor : *Hunc autem hymnum alii laudis canticum, alii religionis symbolum appellant : alii denique, mea quidem sententia, divinius hierarchicam eucharistiam, sive sacro principalem gratiarum actionem ; ut quæ divinitus ad nos dimanantia sacra dona complectitur.* Hymnus iste dicebatur laudis canticum, quo sacri ministri et fideles supremum datorem bonorum omnium canendo laudabant : verum etiam gratias agebant pro sacris donis ad nos dimanantibus, unde et *sacro principalis gratiarum actio* vocabatur. Ab aliquibus item *symbolum religionis* dictum fuit; ubi dignum est animadversione, *symbolum* dici, non fidei, sed *religionis :* nec enim simplex erat fidei prolessio; sed Christianæ religionis mysteria, Deo laudes effundendo, eique gratias pro collatis donis agendo, commemorabant fideles. Diciturque demum *catholica hymnologia*, propterea quod universus Ecclesiæ cœtus hymnum illum decantabat.

Nihil est ergo, quod formulam illam, quam *symbolum fidei* vocamus, indicet. Mirum foret, tot nominibus insignitam illam fuisse, quæ Patres alii ecclesiasticique scriptores nunquam usurparunt, neque ipse Areopagiticorum auctor alio in loco, ubi de Symbolo fidei apostolorum agit. Porro symbolum sive apostolorum, sive Nicænum, sive Constantinopolitanum a Græcis Patribus dictum legimus πίστιν, et ἔκδοσιν, et ὅρος πίστεως, et κανόνα, et ἅγιον μάθημα, et γράμμα, et γραφήν : nullibi *hymnum*, aut *hymnologiam*, aut *canticum laudis*, aut *gratiarum actionem*. Ipse auctor Areopagiticorum capite 2 *De ecclesiast. hierarch.*, num. 2, § 6, de symbolo fidei loquens, quod initiandi baptismo edebant, ac profitebantur, vocat illud θεοπαράδοτους ἱερολογίας, *sacra a Deo tradita eloquia*. Quod argumento demum est, nihil 668 esse in eo loco Areopagitico, quod symbolum fidei indicet, quodve spectet ad ritum in officio liturgico invectum a Petro Fullone.

XIII.

Symbolum simplex Nicænum fecit sacræ liturgiæ partem Petrus Fullo. Symbolum Constantinopolitanum orthodoxi adhibuerunt. Ritus hujusmodi non exponit, nec indicat auctor Areopagiticorum. Hinc vitam egit ille ante ejusdem novi ritus tempora.

Nondum satis. Invectum a Fullone ritus penitius introspicere præstat, ut liquido demum pateat, nihil esse in Areopagiticis dictis, quod mentem ac ingenium Petri Fullonis ac Severianorum redoleat. Illum verissime declarat Christianus Lupus in Dissertatione de symbolo apostolico et Nicæno cap. 6 : « Tertio discimus, inquiens, quod Nicænum symbolum solemniter cantari ad omnem liturgiam, primus in Antiochena Ecclesia ac diœcesi jusserit fœdus Eutychianista Petrus Fullo. Quarto, quod eumdem ritum in Constantinopolitanam Ecclesiam ac diœcesim invexerit ejusdem patriarcha Timotheus. » Jam tene ritum illum a Fullone in Ecclesiam Antiochenam, a Timotheo in Constantinopolitanam, Eutychianistis hominibus invectum, in sola Symboli decantatione positum non esse, sed in usu Symboli Nicæni, rejecto Constantinopolitano.

Cur ita? Animadverte formulam fidei, quam in concilio Nicæno adversus Arium trecenti decem et octo Patres condiderunt, quibusdam postea auctam fuisse additamentis, vel majoris explicationis gratia, vel novæ ut hæreses claris verbis confoderentur. Nicænum quidem Symbolum his verbis desinit : « Qui propter nostram salutem incarnatus est, et inter homines versatus : qui passus est, et resurrexit tertia die, ascendit ad Patrem, et iterum venturus est cum gloria, ut vivos judicet ac mortuos : credimus etiam in Spiritum sanctum. » Ita vero se habent symboli Constantinopolitani additamenta : « Qui propter nos homines, et nostram salutem descendit de cœlis : et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est : crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, » etc.

Utrumque symbolum in synodo Chalcedonensi, quod habitum fuit adversus Eutychem et asseclas, publica orthodoxorum acclamatione, ac Patrum decreto confirmatum. Utrumque actione 2 recitatum, ac primo his acclamatum Nicæno verbis : « Hæc catholicorum fides, huic omnes credimus, in hac baptizati sumus, in hac baptizamus; » tum pariter Constantinopolitano : « Hæc omnium fides, hæc orthodoxorum fides, sic omnes credimus. » In definitione demum fidei, quæ habetur actione 5, ita pro utroque decretum latum legitur : « Communi judicio dogmata expellentes erroris, et inerrabilem Patrum renovavimus fidem, symbolum trecentorum decem et octo omnibus prædicantes : et eos, qui hanc veluti tesseram pietatis acceperunt, ut proprios Patres etiam ascribimus; eos nimirum, qui postea in magna Constantinopoli congregati sunt centum quinquaginta, et eamdem fidem ipsi quoque confirmaverunt. Decernimus igitur.... præfulgere quidem rectæ et immaculatæ fidei expositionem sanctorum et beatorum 318 Patrum qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Constantini imperatoris : servari autem et ea, quæ apud Constantinopolim a sanctissimis centum et quinquaginta Patribus decreta sunt, ad expellendas quidem hæreses quæ eo tempore germinaverant, et ad confirmationem catholicæ et apostolicæ nostræ fidei. » Hinc vero factum, ut orientales orthodoxæ Ecclesiæ, singularibus fidei formulis prætermissis, quibus utebantur pro liber-

Digitized by Google

tate; quæ tunc obtinebat, paulatim symbolum Constantinopolitanum adhibere cœperint in baptismatis collatione, illudque constantissime retinuerint, hodieque retineant; idemque symbolum nihilominus in ecclesiasticis monumentis appellatum fuerit Nicænum, cum revera sit ipsum Nicænum aliquibus additamentis auctum.

At hæc additamenta, quæ in symbolo Constantinopolitano habentur, pertinacissime rejiciebat Eutyches, adhærebatque soli ac simplici Nicæno, quo divinæ sacramentum Incarnationis non ita perspicue, ut in Constantinopolitano, explanatum fuerat. Apertissime rem produnt Acta synodi œcumenicæ Chalcedonensis. Actione 1, libellus refertur confessionis Eutychetis, in quo symbolum Nicænum continebatur cum his verbis ad Incarnationis mysterium attinentibus : « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est, passus, et resurrexit tertia die, » etc. Tum sic addit Eutyches : « Sic ab initio, inquiens, a progenitoribus meis accipiens, credidi et credo.... Et in hac fide baptizatus, signatus sum, et usque hodie vixi.... Eum, qui præter istam addiderit aliquid, aut imminuerit, aut docuerit, damnationibus.... subjacere. » Pravam hæretici hominis mentem statim patefecit Diogenes episcopus Cyzici. Hæc ille reposuit : « Dolose, inquiens, præposuit (Eutyches) synodum sanctorum Patrum, quæ in Nicæa facta est, Accepit namque additamenta a sanctis Patribus (Nicæni ad Symbolum apostolorum facta) propter perversum intellectum Apollinaris, et Valentini, et Macedonii, et qui eis similes sunt 669 (quibus Eutyches animo adhærescebat). Et additum est in symbolo sanctorum Patrum (nempe Constantinopolitano) : *Qui descendit, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Hoc namque prætermisit Eutyches, sicut Apollinaristæ. Nam etiam Apollinaris suscipit sanctam synodum, quæ in Nicæa facta est; secundum propriam perversitatem intelligens verba. Effugit : *De Spiritu sancto et Maria virgine*, ut ne omnino unionem carnis confiteretur. Etenim sancti Patres, qui in Nicæa convenerunt, quod incarnatus est, dixerunt. Sancti autem Patres, qui post ipsos fuerunt (Constantinopoli congregati in synodo) explanaverunt dicentes : *De Spiritu sancto, et ex Maria virgine.* » Hæc Cyziceni episcopi verba insuper habentes episcopi quidam Ægyptii, qui Eutychetis, ac Dioscori Alexandrini antistitis, Eutycheti patrocinium impendentis, partibus adhærebant, adjectiones Nicæno symbolo factas rejicere perrexerunt : « Nemo, inquientes, suscipit adjectionem, nemo diminutionem : quæ in Nicæa constituta sunt, teneant. » Ac rursum : « Adjectionem nullus suscipit : teneant, quæ Patrum sunt : teneant, quæ in Nicæa constituta sunt. »

Satis jam patet, solemne Eutychianis fuisse, ut Constantinopolitanum symbolum sugillarent ac rejicerent, solumque Nicænum profiterentur. Hoc idem consilium Monophysitus Petro Fulloni episcopo Antiocheno, et Timotheo episcopo Constantinopolitano insederat; eodemque pravo inducti consilio, partem liturgiæ divinæ fecerunt symbolum, non Constantinopolitanum, quod rejiciebant; sed Nicænum, quo abutebantur. Refert ergo Theodorus lector libro II, Petrum Cnaphæum (« cum rursus episcopatum recuperasset » Antiochenum) « excogitasse, ut in singulis collectis symbolum diceretur, » quod Nicænum fuisse, hæc alia ejus verba evincunt : « Timotheus (episcopus Constantinopolitanus) symbolum fidei trecentorum et octodecim Patrum in singulis collectis recitari præcepit, in odium scilicet Macedonii, quasi ille non susciperet id symbolum. » Secundam Cnaphæi irruptionem in sedem Antiochenam ad annum 476 pertinere, docent Lequienus in *Oriente Christiano*, continuatores Bollandi tomo IV Julii, Antonius Pagius. Macedonio hujus nominis secundo anno 515 in exsilium pulso, Monophysita Timotheus subsecutus est in sedem Constantinopolitanam, rexitque Ecclesiam illam septem annos. Invecti novi ritus auctor fuit in Antiochena Ecclesia Petrus Fullo, seu Cnaphæus : ipsumque imitari in Ecclesia Constantinopoleos Timotheo placuit.

Verba illa, « in odium scilicet Macedonii, » expendens Natalis Alexander, sibi colligere videtur, agi eo loci de symbolo Constantinopolitano, tametsi dicatur illud « trecentorum et octodecim Patrum; » Macedonium scilicet intelligens. Spiritus sancti divinitatis hostem, in synodo Constantinopolitana œcumenica II damnatum. Ita ille sæculo IV, dissertatione 37, art. 1 in fine. Fallitur vir doctus. Macedonius est, non primus Spiritus sancti hostis, sed hujus nominis II immediatus ipsius Timothei antecessor, catholicæ fidei in synodo Chalcedonensi constitutæ professione clarus. Hanc ob causam ab Anastasio imperatore in exsilium anno 511 pulso, ipse Timotheus hæreticus, et synodi Chalcedonensis impugnator suffectus fuit. Plura pessimus homo egit, Theodoro lectore teste, contra ipsum Macedonium : ac inter alia « symbolum fidei trecentorum et octodecim Patrum (Nicænum) in singulis collectis recitari præcepit, in odium scilicet Macedonii (præcessoris) quasi ille non susciperet id symbolum (nempe Nicænum). »

Ritui porro, quem pravo consilio invexerant hæretici Monophysitæ, ritum opposuerunt orthodoxi, quo palam coramque in sacra liturgia rectam et catholicam Incarnationis Dominicæ fidem profiterentur, symbolo Constantinopolitano, quod rejiciebant illi, adhibito. Præsto est ecclesiasticum monumentum, quod ad annum 518 pertinet, quo maxime constat, jam tum in usu fuisse apud orthodoxos, ut in divina liturgia symbolum fidei legeretur aut decantaretur. Inter acta synodi Constantinopolitanæ anno 536 sub Menna celebratæ, libellus recensetur inscriptus : *Quomodo prædicatæ* (seu promulgatæ) *sint synodi.* Ad aliud concilium spectat Constantinopoli anno 518 habitum, Justino seniore catholico regnante post Anastasium imperatorem, Chalcedonensis concilii hostem. Ejus initium est : « Introitu facto secundum consuetudinem in sanctissima magna ecclesia nostra, die Dominica 15 præsentis mensis Julii, indictione XI, a domino sanctissimo archiepiscopo et œcumenico patriarcha Joanne, » etc. Annum 518 indicat undecima indictio : quo Joannes II, cognomento Cappadox, die 17 mensis Aprilis in sedem Constantinopolitanam Timotheo Monophysitæ memorato suffectus fuit. Prope finem libelli hæc habentur verba juxta versionem ab Henrico Valesio emendatam in notis ad Evagrium libro IV, capite 11 : « Et post lectionem sancti Evangelii, cum missa ex more celebraretur, et clausis januis, et sacro symbolo (τοῦ ἁγίου μαθήματος) ex more recitato (κατὰ τὸ σύνηθες) ubi ventum est ad diptycha, » etc. Perspicue patet, symbolum fidei in liturgia jam anno 518 « ex more » lectum recitatumque ab orthodoxis fuisse.

At illud erat symbolum Constantinopolitanum. Exstant loco citato epistolæ 670 ejusdem synodi Constantinopolitanæ annô 518 celebratæ ad ipsum Joannem nuperum patriarcham, in quibus hæc habentur : « Tertium capitulum in petitione continebatur, ut pro majori Scripturarum auctoramento sancta et magna synodus 318 Patrum congregatorum in Nicæa, qui sanctum symbolum fidei definierunt et exclamaverunt : « In quo baptizati sumus, et baptizamus : » et quæ in Constantinopoli sub « Nectario sanctæ memoriæ congregata est, et prædictum sanctum symbolum 318 Patrum confirmavit ponantur in sacris diptychis, » etc. Ubi symbolum illud fidei, quod Nicæna synodus definivit, confirmavitque synodus Constantinopolitana, non aliud est nisi Constantinopolitanum, seu Nicænum cum additamentis. Paria leguntur verba ibidem in

Digitized by Google

epistolis monachorum, et Joannis Hierosolymitani ad eumdem Joannem patriarcham.

Accedit luculentissima confirmatio ex Chronico abbatis Biclarensis Lusitani, qui sæculo sexto florebat, didicitque litteras Constantinopoli, Chronicon illud, quod ab anno 566 perducitur ad annum 590, vulgavit Henricus Canisius. Locus est, luxatus quidem, sed ab Henrico Valesio ad sua tempora redactus, qui rem mirifice confirmat. Nempe ait Biclarensis: « Romanorum (imperatorum) LIII Justinus junior annis undecim. Qui Justinus anno primo regni sui (anno Christi 566) ea quæ contra synodum Chalcedonensem fuerant commenta, destruxit; symbolumque sanctorum 150 Patrum Constantinopoli congregatorum, et in synodo Chalcedonensi laudabiliter receptum, in omni Ecclesia catholica a populo concinendum intromisit, priusquam Dominica dicatur oratio. « Quæ nempe Justino seniori conveniunt, factaque fuerunt anno 518, deceptus Biclarensis tribuit Justino juniori, redigitque ad annum 566. Ita Henricus Valesius in Notis ad caput 4 libri v Evagrii. Quo loco refert ipse Evagrius, a Justino juniore transmissum fuisse anno primo imperii, Christi 566, edictum « ad omnes qui ubique sunt Christianos: cui omnes quidem consensum suum accommodarunt, rectam in eo fidem ac doctrinam promulgatam esse dicentes; nullum tamen ex membris Ecclesiæ, quæ discissa fuerant, ad pristinam rediit unitatem; propterea quod disertis verbis edixerat imperator, ut firmus atque immotus Ecclesiarum status in posterum servaretur, sicut antea servatus fuerat. » Nempe satis fuit Justino juniori, orthodoxam edicto suo exposuisse fidem; deque Eutychiano, et Nestoriano dogmate disputationes in posterum vetasse, ita ut unicuique de hisce rebus pro suo sentire arbitrio liceret. « Ex hoc itaque edicto colligitur (verba sunt Valesii) nullam utilitatem consecutam esse, ut recte scribit Evagrius. Malè igitur Joannes Biclarensis in Chronico Justino juniori ea tribuit, quæ seniori Justino potius conveniebant. » Is fuit ergo, qui anno 518, ut ea destrueret, quæ contra synodum Chalcedonensem peracta fuerant, symbolum fidei Constantinopolitanum, quod ipsa Chalcedonensis synodus laudabiliter acceperat, quodve rejiciebant Eutychiani, decantandum in sacra liturgia præcepit « in omni Ecclesia catholica, » cum aliquæ jam illud adhibere cœpissent, postquam Petrus Fullo anno 476 concinendum prava mente invexit symbolum Nicænum. Concinendum illud vero jussit, si Biclarensi credimus, « ante Orationem Dominicam; » quod utique postea præstitutum novimus in ecclesiis Hispaniæ, non alibi.

Sero in Occidente ritus idem receptus. In collatione baptismatis tradere symbolum, quod apostolorum dicitur, perrexerunt Latinæ Ecclesiæ: ipsumque symbolum Constantinopolitanum ut divinæ liturgiæ pars esset, Hispani Patres in concilio Toletano III quod anno 589 sub Recaredo rege adversus grassantem Arianam impietatem celebratum est, primi decreverunt capite 2. « Ut pro reverentia sanctissimæ fidei, inquientes, et propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi et gloriosissimi domini Recaredi regis.... per omnes ecclesias Hispaniæ vel Galliciæ, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, concilii Constantinopolitani, hoc est 150 episcoporum, symbolum fidei recitetur: et priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur. » Sæculo nono mos idem vigebat in Galliis. Valafridus Strabo in libro *De rebus ecclesiasticis*, capite 22 ait: « Apud Gallos, et Germanos post dejectionem Felicis hæretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati (anno 792, in synodo Ratisbonensi et anno 794 in Francfordiensi) idem symbolum latius et crebrius in missarum cœpit officiis iterari. » Satis indicant hæc verba (animadvertente Edmundo Martene libro I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, capite 4, art. 5) jam antea symbolum in missis recitatum fuisse; sed non ita latius et crebrius, ac post damnatum Felicem. Sæculo demum undecimo, eumdem in Ecclesia Romana, Henrici imperatoris temporibus admissum ritum, plerique arbitrantur; sed toto etiam sæculo nono dictum lectumque, licet non decantatum, apud Romanos symbolum, contendit laudatus Martene loco citato, ubi scriptorum, qui adversari videntur, testimonia declarat et conciliat.

Jam vero ritum hujusmodi nullum, quem diligenter exposuimus, indicant Areopagitica verba a Lequieno opposita, sive prava mente a Petro Fullone et Monophysitis, sive catholico consilio ab orthodoxis invectum. Nulla symboli Nicæni, nulla Constantinopolitani mentio, quod in sacra liturgia decantaretur. Una proponitur **671** hymnologia, quam totus ecclesiæ consessus post Evangelium, catechumenis, et energumenis, et pœnitentibus pulsis, cum hostia in altari immolanda parabatur, concineret. Quæ nempe hymnologia complectebatur tum laudem supremi Numinis, a quo bona cuncta procedunt, tum pro donis datis gratiarum actionem. Hinc vero colligi potest, auctorem Areopagiticorum, qui inter partes liturgicas nullam symboli fidei mentionem ingerit, vitam egisse ante ritum hujusmodi invectum anno 476.

XIV.

Primus Areopagiticorum locus a Lequieno objectus ex libro De divinis nominibus. *Prava dogmata Monophysitica explanantur. Cum his non consonat, imo illis adversatur prædictus locus, quo divinæ naturæ integritas, et humanæ exaltatio in Christo declaratur. Scholiastæ et S. Thomæ commentarii.*

Summam disputationis jam attigimus. Pravis Eutychianorum dogmatibus opera Areopagitica scatere contendit Lequienus. Id ad examen vocandum est. Locum profert ille, qui capite 2 *De divinis nominibus*, § 10, legitur sub nomine S. Hierothei: in quo Dominus Jesus dicitur ὑπερφυὲς καὶ ὑπερούσιον, *quod supernaturale et supersubstantiale est, quando factus fuit homo, servasse, non solum quatenus nostra participavit sine alteratione et confusione, nihil ex inexplicabili sua inanitione quoad immensam plenitudinem suam perpessus; sed (quod omnium novorum pergnam novum est) in nostris naturalibus supernaturalis erat et in iis quæ substantiæ sunt supersubstantialis; quoad omnia nostra supra nos eximie supereminens.* « Cujus loci sensus visque ut percipiatur (Lequieni verba sunt), attinet observare, vocibus ὑπερούσιος, et ὑπερφυὴς, apud istum auctorem non significari eximium quemdam statum, qui tamen naturæ creatæ terminos ex toto non excedat; sed divinam omnem præcellentiam, quæ ab omni creatæ substantiæ quantalibet perfectione infinite discrepet. Jamvero si Dominus Jesus, supernaturalem, supersubstantialemque statum suum servavit; non solum quatenus cum Deus esset, sine sui diminutione et confusione nostrarum rerum particeps fuit; sed etiam quatenus humana nostra, seu nostræ substantiæ ac naturæ propria, supernaturali supersubstantialique ratione gessit, et habuit; quid aliud restat, nisi Christum divine humana quæque nostra gessisse; ejusque adeo humanitatem ad divinitatis naturam pertinuisse velut ejus appendicem; qui quidem purus putus Monophysitarum error fuit. »

Reponenda plura sunt. Ac primo Monophysitica commenta, non una, sed alia et alia ratione efferebant heterodoxi ipsi homines, ac intellexisse videntur Patres, qui in illo negotio versati sunt, S. Leo papa, Patres Chalcedonenses, Theodoretus aliique plures. Paucis ea Damascenus II lib. III *De fide orthodoxa*, capite 2, complectitur: « Unus, » inquiens, Filius Dei naturæ humanæ perfectæ ac

Digitized by Google

integræ « secundum hypostasim absque confusione, aut mutatione, aut divisione : ita ut nec divinitatis suæ naturam in carnis substantiam mutaverit, nec substantiam carnis suæ in naturam suæ divinitatis; nec ex divina sua natura, et quam assumpsit humana natura, unam confecerit naturam » (sive confusam, ex divina scilicet et humana simul commistis coalescentem ; sive ex duabus illis integris quidem manentibus, sed veluti imperfectis incompletisque partibus compositam). Tres vel quatuor hujusmodi insani ac pestiferi erroris explicandi modos passim afferunt Patres. Nihil vero simile in Areopagiticis allatis verbis, nihilque prorsus in opere toto : imo dicitur Filius Deinostra participavisse sine alteratione et confusione : nihil ex inexplicabili sua inanitione, quoad immensam plenitudinem suam, perpessus. » Quæ Scholiastes expendens ait : « Observa itaque, neminem tam divine loqui contra Nestorianos, et Acephalos (seu Monophysitas) et Phantasiastas. » Adhuc plura, eaque solidissima, dabimus infra.

At fuerint Monophysitarum aliqui, vel plerique, qui impium ac impossibile unius Christi naturæ commentum prædictis modis expositum rejicientes, novum addiderint, ne ita insani viderentur ; quod nempe verbis citatis indicat Lequienus, ac superius ex doctissimo Combefisio ita repræsentaverat, « ut unam dixerint Eutychiani naturam, non ut caro sive humanitas Christo defuerit, vel per mutationem sive conversionem, vel per absorptionem sive deperditionem (neque ut divinitas conversa intelligi debeat in carnem, aut in unam tertiam naturam differentem per commistionem adunata, aut veluti demum pars imperfecta compositam quamdam simul cum carne conficiens) ; sed ut natura divina sola proprie natura sit et dicatur, quæ primas in Incarnatione partes habeat, non humana, quæ secundas tantum : illa, inquam, quæ aliam habeat, non quæ habeatur tanquam illius videlicet appendix, eique immersa. » Qui tamen error, inquio ego, ut magis innotescat, satis non est dicere, naturam divinam in Christo 672 principalem esse, et humanam veluti appendicem ; illamque habere, et istam haberi. Hæ videntur innoxiæ locutiones, ni aliquid aliud addatur. Dixerat namque Vigilius Tapsensis libro IV *Contra Eutychem*, num. 4 : « Quia ergo non est idipsum haberi, et habere; Verbum quippe habet, habetur autem caro : perspicue et liquido comprobatur, Christum utriusque esse naturæ, unius vero personæ. » Quo loco ex illa distinctione habentis, et habiti dogma colligit Vigilius Eutychianis adversum. Quanquam et illud animadvertendum est, quod docet S. Thomas in opusculo *Contra Græcos et Armenos*, capite 6, non tam esse divinam naturam, quæ habeat humanam; quam potius personam Verbi esse illam, quæ vere ac proprie naturam humanam habet ; nihilominus vero « propter rei identitatem, » ut ait ille opusculo 1, capite 4, cum natura divina non distinguatur a persona ; dici recto sensu posse, naturam divinam habere humanam. Ea recole quæ latiore sermone versavimus num. 9, ubi Cyrilli sententiam expendimus *de una natura Verbi incarnata*.

Hinc merito Dionysius Petavius libro *De Incarnatione*, capite 8, num. 4 colligit, primarium in Incarnatione locum obtinere divinitatem, ad quam humanitas, velut appendicis et accidentis instar est ad substantiam. Id ante luculentissime docuerat doctor angelicus, opusculo II, capite 211, ubi rejecta compositione ex natura divina et ex humana, velut ex partibus, non aliud inquit hujusce compositionis in Christo « exemplum posse in creaturis inveniri, » nisi quod suppeditat subjecti et accidentis unio : quæ « non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur; unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, et suppositum ; accidens vero trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis, et albi. » Neque tamen quispiam colligat, naturam humanam accidentis more ad personam divinam adhærescere, ac unionem duplicis naturæ in Christo accidentalem dici debere ; humana quippe natura est vera substantia, eademque ad subsistentiam Verbi divini tracta constituit personam Christi, quæ non est distincta a persona Verbi pariter subsistente in natura divina. Theologos consule, qui hæc omnia late pertractant.

Hæreticum sensum si velit Lequienus locutionibus illis, quas adhibet cum Combefisio, efferri ; addat oportet quæ postea refert ipse ex Timotheo Æluro, qui in lucubratione, qua Leonis Magni ad Flavianum epistolam vellicabat, pronuntiare non dubitavit : « Humanitatem Christi omni actione propria caruisse; nec operationes alias, nisi divinas, per eam exsertas esse ; atque adeo quæ humanitatis operationes censebatur, πάθη passiones potius, et meras exsecutiones, πράξεις, esse nuncupandas. » Quo commento admisso sponte fluit, quod idem Ælurus contendebat, « solam divinitatem esse Christi naturam, etsi incarnatam » se nimirum carne vel humanitate habente instar appendicis adjunctæ, vel instar instrumenti, per quod divinæ exsererentur operationes. Quo pariter admisso commento, et illud intelligi potest quod effutiebant, per Incarnationem humanitatem totam ad deitatis naturam pertinuisse, sed sine ulla tamen permistione, vel absorptione, vel conversione ; nec enim humanitas deperdebatur, sed salva consistebat, propria tamen operatione spoliata, ac divinæ naturæ effecta instrumentum. Eutychianum hunc sensum confirmat Petavius libro VIII *De Incarnatione*, capite 6, enarrans dogma Monothelitarum, qui sicuti unam Christi operationem esse putabant, ita unam ejus naturam fateri cogebantur. « Christi humanitatem a divinitate Verbi actam (ait ille num. 5) et impulsam, ac gubernatam fuisse, inter orthodoxos convenit... Verum hoc eo fine Monothelitæ proferebant, ut nonnisi una amborum esset ἐνέργεια, eaque ex toto divina, quæ manans a divinitate trajiceretur in animam et in carnem, a quibus tantummodo reciperetur, nulla autem efficeretur ex parte. Siquidem animam illi censebant nullis in Christo facultatibus instructam esse, neque spiritalibus, neque sentienti ac vegetanti parti congruentibus ; sed solam inesse substantiam : δύναμιν vero et potentiam, ac consequentem ex ea ἐνέργειαν in solidum divinitatis esse. Sicut malleus ab artifice ad opus adhibitus et impulsus nullam ex sese motionem confert ; sed hanc totam a movente receptam, tanquam alienam in opus refundit. » Et infra num. 5 : « In ipsa carnis perpessione duo sunt consideranda : alterum, motio ipsa et agitatio carnis, aut divisio vel contusio et hujusmodi ; alterum doloris perceptio, quam scholæ *sensationem* vocant. Horum prius sola caro patiebatur, utpote materia, et quantitate natura sua constans ; posterius ex vi et sentiendi facultate proficiscebatur, non humana vel creata ; sed divina, quæ carni se accommodans, idem in carne Christi faciebat, quod in carne omnium hominum anima rationalis. » Itaque (ut numero superiore concludit ille) « quidquid vitale, ac vegetum, et spirans inesset homini Christo atque omnis ejus actio et impulsio, qua vel seipsam in cæteris Adami posteris movet anima, vel subjectam sibi carnem agit et excitat, non ab ulla creata potentia et facultate fluebat, sed ab ipsamet divinitatis substantia, quæ naturales animæ facultates altiori et extraordinaria 673 virtute supplebat, et consentaneas humanæ substantiæ operationes exprimebat. » Hæc ille, quæ et Lequienus approbat in Notis ad hæresim Monothelitarum. Hinc demum perspicue ratio patet, ob quam Monothelitas et Eutychianos orthodoxi Patres appellarent Apollinaristas ; hi namque animam, vel mente mutilabant humanitatem Christi;

Digitized by Google

illi propria energia ac omni facultate vitali spoliabant eam, id omne munus in divinitatem rejicientes.

An ergo tam impium dogma tradiderit allato loco auctor Areopagiticorum? Age locum ipsum diligentius expendamus. Prætermissa a Lequieno verba primum affero. Jesu Christi divinitatem extollit, quæ *ineffabilis est et inexplicabilis, supra sensum, supra vitam, supra substantiam; supernaturaliter habet supernaturalitatem et supersubstantialiter substantiam excedit.* Quo loquendi modo passim toto opere usurpat auctor non tam substantiam, dici debere Deum, quam supra substantiam, frequentius animadvertens; neque naturam, sed supra naturam. Pergit ille: Ex humani generis amore, inquiens, ἕως φύσεως *ad naturam se demisit:* καὶ ἀληθῶς οὐσιώθη, *et vere substantiatus est;* καὶ ἀνὴρ ὁ ὑπέρθεος ἐχρημάτισεν *et homo (qui supremus Deus erat) nuncupatus est.* Catholicam fidem hæc verba exprimunt; neque verbulum est, quod varia Eutychiana dogmata redoleat. Id etiam ævo suo observatum a Scholiaste: « *Usque ad naturam.* Vides quomodo dicat, quoniam etiam *ad naturam* venit (naturam scilicet nostram intellige): et naturam non recte de Deo dici (Deus quippe supra naturam est). Ecce enim quomodo dicat, quoniam usque *ad naturam* descendit, id est eo usque vilitatis, atque ejus quod ipse non habebat, pervenit. Ubi nota significantiam verborum. »

An ita vero descenderit ad naturam nostri generis, ut hæc in assumptione conditionem proprii generis amiserit, actione propria spoliata, et effecta instrumentum, per quod quidquid energiæ et actionis erat in Christo Domino una deitas operaretur? Ita nonnullos Eutychianos contendisse, dictum est: ac ita sequentibus verbis voluisse Areopagiticorum auctorem, arbitratur Lequienus. Jam verba, quæ sequuntur, profero et expendo. *Etsi in istis* (in natura scilicet nostra, nostraque substantia assumptis) *habeat quod supra naturam, et supra substantiam est.* Quod bifariam ostenditur. Ac primo quia divinitas, quam paulo superius vocandam docuerat *supra naturam, et supra substantiam,* salva consistit in Incarnatione; unde ait: *Non solum quia immutabiliter et sine confusione nobis sese communicavit, nihil in exuberanti sua plenitudine ex ineffabili exinanitione perpessus.* Ac deinde quia *verum etiam (quod omnium novorum novissimum) in naturalibus nostris supernaturalis erat, et in substantialibus supersubstantialis, omnia nostra ex nobis et supra nos excellenter habens.* Si Monophysitica hæc verba sint, sensum edant oportet, naturam nostram et substantiam nostram in Christo propria caruisse actione; nec operationes alias nisi quæ divinitatis erant, per humanitatem ejus exsertas esse. Sed hunc sensum convellit auctor, qui diserte docet Deum, seu Dei Filium in Incarnatione vere substantiatum esse: et insuper habere *omnia nostra ex nobis,* naturam scilicet ipsam et naturæ proprietates, et actiones; sed hæc omnia tamen ab illo haberi *supra nos,* id est *excellenter,* seu excellenti modo. Quam sine dubio excellentiam plura declarant in Christo Domino notissima. I. Quia natura humana Verbi divini personali proprietate subsistit. II. Quia operationum, quæ Christus exserebat, principium erat persona divina, seu Verbum divinum in ipsa subsistens natura humana. III. Quod ipsa natura humana auctore et moderatore Deo ita gubernabatur, nihil ut sine ipsius nutu prorsus ageret. IV. Denique quod multiplici ac sublimi dono gratiæ insignitus fuerat homo Christus veluti ortus ex Virgine, impeccabilitatis, ac miracula patrandi facultatis; quæ omnia novissima sunt, soli Christo conveniunt; ac sane mirabilia quis non agnoscat, non adoret? Hæc vero sunt illa, quæ pervio, ac plano et catholico sensu ostendunt, in ipsis naturalibus et substantialibus nostris per Incarnationem assumptis maxime elucere divinitatis supernaturalitatem et supersubstantialitatem.

A Hæc illustrat omnia Petavius libro VIII *De Incarnatione,* capite 10 et 12. Hæc eadem ante enarraverat Scholiastes, quem consule. Non alium vidit sensum perspicacissima angelici præceptoris mens. Ait enim lectione 5: « Quamvis enim acceperit propria nostræ naturæ, tamen in ipsis rebus humanis habuit supernaturale et supersubstantiale: id est uno modo, in quantum communicavit nobis, assumens nostram naturam absque variatione divinæ naturæ, et absque commistione ipsius, et conversione ad humanam naturam; ita quod per exinanitionem ineffabilem de qua Apostolus loquitur Philipp. II: *Nihil passus est ad superplenum ipsius,* id est nihil diminutum de plenitudine suæ deitatis; non enim dicitur exinanitus per diminutionem deitatis, sed per assumptionem nostræ naturæ deficientis. Alio modo, quia (quod est inter omnia nova magis novum, et mirabile) ipse erat *in naturalibus nostris supernaturaliter,* et *in substantialibus nostris supersubstantialiter, omnia* humana quæ *ex nobis* accepit, *supra nos habens;* quia caro **674** ejus majoris virtutis est et dignitatis quam alterius, et anima ejus dignior omni anima, et actus ejus et operationes fuerunt unificæ (vivificæ, deificæ) ex virtute deitatis. » Cur ita? quia nempe caro et anima, seu humanitas Christi, Dei Verbi personali proprietate affecta subsistebat, ac operationes ejus a persona divina, velut a principio, proficiscebantur; unde verissime dictum, Christum divino et excellenti modo humana nostra gessisse et habuisse.

B

XV.

Alia Areopagitica testimonia duo, ex eodem libro De divinis nominibus *objecta naturam diserte distinguit a persona auctor: docetque factam naturarum unitionem in persona et hanc ex duabus naturis compositam. Divi Thomæ commentarius.*

Eodem in allegato loco, quem numero superiore C expendimus, digna censet animadversione Lequienus verba nonnulla sub Hierothei nomine prolata, nempe: *Causa omnium, et quæ omnia implet, est Jesu divinitas,* τοῦ Ἰησοῦ θεότης; *quæ usque ad nostram naturam se demisit, et vere substantia est,* ἀληθῶς οὐσιώθη. Ubi « Severianorum more (inquit Lequienus) contra quam inter catholicos, post synodum præsertim Chalcedonensem, ratum fixumque erat, deitatem seu naturam divinam hic minime secernit ille ab hypostasi, ut eam esse incarnatam censeat. » Quem Eutychianum sensum confirmari ait aliis verbis, quæ eodem in libro *De divinis nominibus,* capite 1, § 4, habentur: *Deitas* θεότης, *humanissimam se præbuit, quia nostris secundum veritatem integre in una suarum hypostasium communicavit, ad seipsam referens, sibique vindicans humanam vilitatem, ex qua ineffabili modo simplex Jesus compositus est,* etc. « Hoc in loco (verba sunt Lequieni) humanitatem sic a deitate D assumptam censet, ut ipsamet divina natura propria sibi fecerit, quæ humanitatis sunt, ac non solum divina Verbi persona: ut, inquam, non modo divinæ personæ Verbi secundum accuratas mutuæ communicationis proprietatum regulas, humanitatis dotes ascribat, verum et ipsimet deitati. Quo dato deitas ipsa de Virgine nata, passa et crucifixa erit; aliaque portenta impune proferentur, quæ Eutychianis et Severianis familiarissima fuere, cum naturam ab hypostasi non distinguerent, ubi de Dei Verbi Incarnatione disputabant. »

At Areopagiticorum auctor, reponam ego, si naturam Severianorum more non distinguebat ab hypostasi; cur ei satis dicere non fuit, deitatem nostris vere et integre communicavisse; cur addiderit, hanc deitatis cum nostris unitionem factam esse *in una suarum hypostasium,* ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων? Nonne vero, qui in deitate *hypostases* cognoscit ac pronuntiat, easdem fatetur distinctas a deitate, quæ una est? Addo vocem θεότης eo in

Digitized by Google

loco non haberi, sed θεαρχία. Hanc porro *supremam Divinitatem* animadvertit ibidem Areopagiticorum auctor, collaudari primo, *ut monadem quidem ac unitatem*, ὡς μονάδα μὲν καὶ ἑνάδα : deinde, *ut Trinitatem*, ὡς Τριάδα, *propter superessentialis fecunditatis in tribus personis*, τρισυπόστατον, *manifestationem*; et hanc denique *se nobis vere et integre in una suarum hypostasium communicavisse*. Quid vero non catholicum in his verbis reprehendi potest? Quodnam fuerit verbulum, quo indicaverit auctor humanitatis dotes ipsi naturæ divinæ ascribi debere, ut non solum Filius Dei dicatur natus ex Virgine, passus, crucifixus, sed ipsa deitas, aut natura divina dici nata ex Virgine, passa, crucifixa debeat? Imo « pulchre hic explicat (Scholiastis verbis utor) mysterium Incarnationis, quoniam una persona Trinitatis passa est. Nota vero : unam illam personam nobiscum integre communicasse..... Recte igitur dicimus unam personam sanctissimæ Trinitatis crucifixam esse : quod est contra Nestorianos, et Acephalos, » seu Eutychianos.

Non alium sensum efferunt, qui hæreseos nota configi debeat, verba primo loco objecta ubi quemadmodum docet ille, deitatem Jesu ad nostram usque naturam venisse, ac vere substantiam esse; ita simul etiam diserte factum, *appellatumque esse hominem, qui summus Deus est*. Paria sunt quæ ab eodem tradita legimus capite 3 *De mystica theologia* : Jesum supersubstantialem (quatenus Deus est, humanæ naturæ veritatibus substantiatum fuisse, id est veram assumpsisse naturam humanam. Quibus in locis *Deus*, et *Jesus*, qui factus, et *appellatus homo* dicitur, atque *substantiatus*, divinam procul dubio personam significat, in qua naturarum unitionem factam esse credimus. Ille vero *humanæ naturæ veritates*, ἀνθρωποφυϊκαῖς ἀληθείαις, nonne integram significant naturam humanam quæ per Incarnationem neque suæ conditionis metas transilierit, neque proprias amiserit facultates, et operationes? quo certe nihil magis Eutychiano commento adversum. Cæterum denique scitissime adnotavit Petavius libro IV *De Incarnatione*, capite 8, num. 4, « plerumque Patres naturæ divinæ tribuere, quod non ei simpliciter ac secundum se convenit, sed eatenus qua est hypostasis. » Exempla affert plura ibidem, et libro V, capite 1, num. 4. Cujus rei egregiam divus Thomas, hac eadem de re disserens, rationem affert in opusculo I *Contra* **675** *errores Græcorum*, capite 4 : « Licet modus, inquiens, significandi diversus sit, cum dicitur Deus, et deitas : tamen res est eadem penitus, et ideo propter rei identitatem sicut unum de altero prædicatur, ut cum dicitur, Deus est deitas, vel persona divina sive Pater est divina essentia; ita et a sanctis interdum unum pro alio ponitur, et sic dicitur quod essentia divina generat, quia Pater, qui est essentia divina, generat; et essentia est de essentia, quia Filius qui est essentia, est de Patre qui est eadem essentia divina. » Quod impune dici potuit ab aliis sanctis Patribus, cur veluti hæreticum, et medullitus Monophysiticum rejici omnino debeat in verbis Areopagiticorum auctoris?

Quid est vero, quod ea verba : *Simplex Jesus compositus*, Lequienus carpat, ac si quid veræ theologiæ minime consentaneum sonent? Ipsa verba satis admonent theologum, Jesum eatenus dictum simplicem, qua Filius Dei est subsistens in natura divina : *compositumque* præterea, quia subsistit etiam in assumpta natura humana. Illud ego expendendum in iis verbis propono, quod Eutychianis maxime adversatur; tum primo compositum dici Jesum, ex duabus scilicet naturis; tum etiam compositum appellari *ex humana vilitate, humilitate, extremitate*, ἀνθρωπίνην ἐσχατιὰν ἐξ ἧς, etc., quæ verba perspicue demonstrant, humanam naturam per Incarnationem non transcendisse metas sui generis; atque demum in hanc compositionem *servatas esse proprietates integras et inconfusas*, μετὰ τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν οἰκείων ἰδρύσεως. Hæc sunt orthodoxa dogmata Eutychianis commentis adversa, ut etiam notavit Scholiastes : « Nota, inquiens, quo dixerit, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum cum simplex exsisteret, deinde compositum, humanam extremitatem ad se revocasse..... Quod est contra Nestorianos et Acephalos. » Egregiam subjicio divi Thomæ commentationem : « *Jesus* qui est ineffabiliter *simplex* secundum deitatem, ipse idem hypostasi est *compositus* secundum humanitatem..... Et ne aliquis perverse intelligeret, quod Deus factus sit homo secundum aliquam conversionem deitatis in carnem, vel in animam (eo nempe sensu, quo Apollinaristæ effutiebant, divinitatem gessisse munus animæ, vel mentis : quove Eutychiani et Monothelitæ putabant, divinitate suppletas fuisse proprias humanitatis facultates et operationes) vel etiam secundum aliquam commensurationem, ut sic esset una natura Dei et hominis, ut Eutyches confinxit; subjungit, *cum intransmutabili et inconfusa collocatione*, id est firma salvatione *propriorum*, id est proprietatum utriusque naturæ. » Animo nimium præoccupato Areopagitica legisse videtur opera, qui eadem scatere Monophysitarum commentis contendit.

XVI.

Epistola quarta, quæ est ad Caium, opponitur : eademque ad examen vocatur. Grandioribus verbis unam docet auctor naturæ humanæ exaltationem in Christo, ejusque operandi modum plane divinum, mirabilem, ineffabilem. Sed hæc attamen, salva naturæ humanæ integritate quoad substantiam, ipsasque quod attinet ad facultates et operationes, intelligenda jubet idem auctor.

Cœpto pergit Lequienus. Monophysiticum virus, quo putat aspersum Areopagiticorum auctorem, effundi totum in epistola quarta ad Caium, contendit ille. « Etsi Christum (inquit) vere fuisse hominem concedit; attamen eum supra quam hominum conditio ferat, hominem fuisse iterum docet Monophysitarum more : *Supra homines, et secundum homines, ex hominum substantia cum supra substantiam exsisteret, substantiam assumpsit.* Itemque : *Ad substantiam vere veniens, supra substantiam substantiatus est et supra hominem operabatur quæ hominis sunt.* Id quod probat ex ejus in utero Virginis conceptione, et incessione super aquas. Quæ quidem exempla ipsissima sunt quæ Leo Magnus in epistola ad Flavianum adhibuerat, ut ostenderet deitatem Christi peculiares suas operationes divinas ab humanis distinctas exercuisse; quemadmodum humanitas suas, absque utrarumque confusione aut divisione; cum alioqui Monophysitæ adversus ipsum ex iisdem mirificis operibus unicum operationis genus, subindeque naturam unam, deitatis scilicet, in Christo fuisse inferrent. Proprietates humanas ad divinam naturam revocabant, ut caro deitatis dotibus imbueretur; quæve humanæ operationes videbantur, revera deitatis ipsius actiones propugnabant. Quin demum idem auctor ibidem subjungit, ea quæ de humanitate Christi asseverando dicuntur, vim potius habere eximiæ negationis. Unde ait : *Ut enim compendio dicamus, neque homo erat, non ut prorsus non fuerit homo, sed ut qui ex hominibus cum esset, ab hominibus longe distabat, vere factus supra hominem homo.* Quibus verbis Apollinarii vocem imitatur, ac Christum absolute dici hominem inficiatur veluti fere quondam Eutyches corpus ejus, humanum esse corpus effutierat, non corpus hominis. » Hæc Eutychetis recitantur verba in synodo sub Flaviano celebrata.

676 Christum fuisse absolute hominem, dicere potuerat, debueratque Apollinarius, qui humanitatem nobiliore sua parte, mente scilicet, mutilabat;

Digitized by Google

insumque Verbum gessisse vicem mentis, effutiebat. Hæreseos quoque suæ principiis inhærens Eutyches corpus Christi fateri corpus hominis renuebat, tametsi vocaret illud « corpus humanum. » Quomodo namque corpus hominis, aut vera humanitas diceretur, quæ ita absorpta a divinitate asserebatur, ut spoliata esset proprietatibus suis, ac facultatibus et operationibus, quæ illas consequuntur; eademque admittebatur in Christo veluti inanime quoddam instrumentum, per quod nonnisi divinæ actiones transfunderentur, quæ operationes humanas supplerent? Longe ab hisce commentis distant Areopagitica dicta. Plura superioribus capitibus eademque luculentissima in medium protulimus testimonia, queis egregie idem auctor docet assumptam a Filio Dei ab una Trinitatis persona humanitatem *vere*, *integre*, *perfecte*, *totaliter*, *omnimode*. An hæc toties, ac passim inculcaret, qui humanitatem in Christo Domino spoliatam arbitraretur proprietatibus suis ac facultatibus et operationibus quæ consequuntur?

Favent et ipsa testimonia ab Lequieno objecta. Grandioribus quidem verbis mirabilissimum Incarnationis mysterium enarrat auctor: at in id recidit tamen semper, ut ipse Christus vere fuerit homo. At ille: *Neque homo erat;* sed veluti se corrigens addit: *Non, ut prorsus non fuerit homo:* erat ergo prorsus et omnino homo. Ait etiam: *Vere factus supra hominem homo;* ita ut tametsi Christus dici debeat *supra hominem*, ut infra declarandum; *vere* tamen *factus homo est*. Quod illis demum verbis confirmatur: *Ad substantiam vere veniens, supra substantiam substantiatus est.* Dei Filius nempe, cum nec natura nec substantia proprie sit, sed supra naturam et supra substantiam; ad nostram naturam nostramque substantiam *vere venit, et substantiatus est*, per ejusdem naturæ ac substantiæ assumptionem, et cum ejusdem proprietatibus, facultatibus, operationibus.

Tam catholica, et commentis Eutychianis adversa dogmata clariora fiunt, si brevis epistolæ ad Caium integrum contextum expendamus. Inquirentem Caium inducit: *Quomodo, inquis, Jesus cum sit omnibus superior, cæteris hominibus substantialiter,* οὐσιωδῶς, *aggregatus est?* Planum ac pervium sensum accipe: Quomodo Filius Dei, qui rebus omnibus et hominibus superior est, factus fuerit hominibus consubstantialis? Repouit auctor: *Non utique, ut auctor hominum, hoc loco homo dicitur.* Id est ne putes ea ratione Jesum dici hominem, qua nomen effectus eminenti quodam modo tribui solet causæ, ac hominem dici Jesum, quia auctor est hominum; quemadmodum et sol et lux vocatur Deus, qui suprema est causa et lucis et solis. *Sed in quantum secundum substantiam totum vere homo est;* κατ' οὐσίαν ὅλην ἀληθῶς ἄνθρωπος ὤν. Verba sunt, quæ « contra omnem hæresim, tam antiquam, quam novam » militant, ut ait Scholiastes. Adversantur ea Phantasiastis, qui verum corpus, veramque humanitatem Christo negabant; et Apollinaristis, qui totam hominis substantiam in Christo non agnoscebant, utpote mente eam mutilantes; et Acephalis ac Monophysitis qui eamdem Christi humanitatem proprietatibus suis, et facultatibus, ac operationibus quæ consequuntur, spoliabant: unde nec illi admittebant, totam in Christo vere exsistere humanitatem.

Sequitur: *Nos autem Jesum non humanitus definimus.* Quomodo enim *humanitus* tantum definiri potest Christus, qui a cæteris hominibus longe distat; nec est solus homo, sed homo et Deus? *Neque enim ille homo tantum est, quia nequaquam supersubstantialis exsisteret, si solus homo foret.* Solus namque homo natura constat humana, et subsistentia creata: at Jesus ita homo est, ut humanitas affecta subsistat personali Filii Dei proprietate, quæ supersubstantialis est; et hæc unio, quæ dicitur hypostatica, transcendit omnem naturæ ordinem. *Sed* attamen *revera homo;* nec enim per eamdem unionem aut mutata, aut deperdita fuit natura humana, aut mutilata aliqua sui parte, aut demum spoliata proprietatibus, quæ veritatem consequuntur naturæ humanæ. Quandoquidem *Filius Dei supra homines, et secundum homines, ex hominum substantia, cum supra substantiam exsisteret, substantiam assumpsit.* Filius nempe Dei incarnatus, et est *supra homines*, quia Filius Dei ac verus Deus: et est *secundum homines*, quia verus homo. Ipseque, cum in natura divina subsistens, sit supra naturam, et *supra substantiam, ex hominibus* tamen *substantiam assumpsit.* Nonnisi lividus oculus heterodoxa in his verbis videat portenta.

Sed ampliora pergit ille enarrare. Inquit: *Verumtamen supersubstantialitate supra modum plenus est.* Jesu namque persona, utpote divina, est supra substantiam; ac supernaturalis et supersubstantialis est naturæ divinæ et naturæ humanæ unitio in una divina Filii Dei persona. *Ut qui semper supra substantiam sit, abundantia quadam supersubstantialitatis; etiam ad substantiam vere veniens, supra substantiam substantiatus est.* Divina Verbi persona ita supra substantiam dici debet, ut etiam *ex abundantia quadam supersubstantialitatis* fecerit naturam humanam supersubstantialiter subsistere, personali scilicet divina Filii proprietate affectam: et licet *vere* ad nostram venerit **677** substantiam, manet simul tamen *supra substantiam.* Imo demum *et super hominem gessit ea, quæ sunt hominis;* propterea nempe quod humanæ operationes non procedebant a solo homine, sed ab homine Deo, qui sine dubio *super hominem est.* Et hæc etiam supernaturalitas, et abundantia supersubstantialitatis, quam Dei Filius in humanitate assumpta integram servat, maxime apparet in mirificis operibus, quod *Virgo supra naturam parit:* quod *aqua profluens, quæ pedum ex materia terraque concretorum gravitatem sustinet, neque cedit; sed virtute supernaturali sine diffusione subsistit.*

Hinc vero sponte ac necessario fluit: ea *quæ de humanitate Jesu affirmantur, excellentis quoque negationis vim continere.* Ita namque affirmamus Jesum esse hominem, ut simul negari oporteat, ipsum esse simplicem hominem; cum sit supra hominem, utpote persona divina in natura humana subsistens, et a Virgine conceptus fuerit, deque Virgine matre natus. *Nam ut summatim dicamus, ne homo quidem erat: non quod non esset homo; sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit.* Non erat homo solus, sed vere tamen factus est homo: simulque omnes homines superabat, et supra hominem erat; quoniam persona divina, quæ supra hominem est, et supra naturam, et supra substantiam vere subsistebat in natura nostra, in humanitate nostra: et sic subsistens Dei Filius *vere homo factus erat.*

Commentum omne Monophysitarum, ut video, longe exsulat ab hac epistola: quod etiam vidit Scholiastes: « Observa, inquiens, totum epistolæ contextum, quoniam est contra omnem hæresim, tam antiquam, quam novam. » Neque reponat doctissimus Lequienus has nostras interpretationes esse quæ hæreticas locutiones obscuriore quodam modo propositas ad catholicum sensum detorquent. Sunt imo simplices sententiarum grandiore stylo scriptarum explicationes, quæ catholicum sensum, non longe petitum, sed pervium ac planum patefaciunt. Hisce dictis abutebantur quidem Monophysitæ, hæreticorum more proprios errores ut poterant tegentes: at eadem Areopagitica dicta nec hæresim efferunt, nec hæresim involucro verborum tectam complectuntur, ut illius ævi Patres ostendebant. Opus foret, ut Areopagiticorum auctor probaretur hæreticus argumentis aliunde petitis, ut quæ demum grandiore quodam stylo ac insueto protulit,

Digitized by Google

prava mente ac pravo sensu dicta dicerentur. At hæc argumenta præsto non fuerunt Lequieno.

Cæteroqui vero ex hac intima et mirabili naturæ humanæ in Christo conjunctione cum natura divina in una sanctissimæ Trinitatis persona colligebant veteres Patres absque ulla erroris suspicione, factam illam esse divinam, et deificatam, et in alterum quodammodo statum translatam, ac recto demum et catholico sensu a divinitate absorptam. Id vero, ac præterea nihil, verborum suorum magnificentia, et grandi sublimique dicendi genere, docet auctor Areopagiticorum. Patrum testimonia Dionysius Petavius libro IV *De Incarnatione*, capite 9 et libro X, capite 1, non pauca profert, quæ naturam humanam in Christo *deificatam* enuntiant : quæ perperam et injuria ad invidiam conflandam traducerentur. Orthodoxum, cuique pervium exprimit sensum loco posterius citato num. 8, ubi varias naturæ humanæ proprietates distinguit ; docetque, quibus illa, salva integritate, spoliari possit, quibusque non. Aliæ sunt specificæ, ut ratiocinari posse, intelligere, loqui, libere agere, individuis omnibus humanis communes, et ad essentiam pertinentes, vel profluentes ex essentia. Aliæ adventitiæ et accidentes, sine quibus constare natura potest ; vel individuis omnibus convenientes, cujusmodi sunt ægrotare posse, vel sanum esse posse, morti et corruptioni obnoxium esse, concupiscentia, et in peccatum propensio, quibus hominum nemo caret citra singulare Dei beneficium ; vel certis duntaxat individuis, non omnibus competentes, ut ægritudo, bona valetudo, vitium corporis aut animi, quæ non insunt omnibus. Jam vero cum proprias naturæ humanæ affectiones protulere Patres in divinitate Jesu Christi absorptas ac velut exstinctas, de priore genere proprietatum locuti minime sunt. Ac sane quod attinet ad auctorem Areopagiticorum, quis dixerit hanc ab eo admissam absorptionem exstinctionemque, cum passim doceat naturam humanam a Verbo assumptam *vere, integre, perfecte, totaliter, omnimode*, salvis *humanæ naturæ veritatibus*, ac *inviolato* manente *proprietatum statu:* quæ tam frequenter inculcata verba sensum omnem rejiciunt, et Apollinaristicum, et Eutychianum?

Alterius generis proprietatum quasdam statim exclusas funditus penitusque in Christo docuere Patres ; quasdam, dum in terris ipse viveret, procurandæ salutis humanæ gratia retinuisse. Priores eæ sunt, quæ contagione culpæ aliqua sunt afflatæ ; cujusmodi est peccandi potestas, intestinus concupiscentiæ motus, id genus alia. At quæ sunt alterius speciei, et procul ab vitio peccatoque sunt, tametsi vilissima ac indignissima tanta majestate fuerint, aliquanto in se tempore suscepit ; ut est moriendi conditio, tristitia, fames, lassitudo, sitis, ac reliqua id genus humanæ infirmitatis argumenta. Quæ tamen, mortali vitæ statu perfunctus, **678** deposuit omnia, et in præstantiorem ac divinum absorberi, abolerique voluit, nempe post resurrectionem. Egregium præsto est Areopagiticum testimonium, quo hæc doctrina orthodoxa mirifice confirmatur. Capite 3 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 4, § 2, sic habet auctor : *Dei principalis bonitatis infinita benignitas... nostrorum omnium vere, ἐν ἀληθεῖ, fac.a particeps, absque peccato ἀναμαρτήτως, humilitatique nostræ unita, salvo proprietatum suarum statu prorsus inconfuso et inviolato, cujus etiam nobis, utpote congeneis consortium dedit.* Peccato, et iis quæ peccati contagione aliqua afflata sunt exceptis, *particeps* factus est Dei Filius *omnium nostrorum*. Animadverte, omnia nostra a Dei Filio assumpta, animam, corpus, humanitatem ex iis coalescentem, præditamque suis facultatibus et operationibus. Animadverte rursus, hæc eadem verba : *Nostrorum omnium vere facta particeps*, sensum edere nonnisi orthodoxum, Eutychiano dogmati ex diametro adversum, illumque cuique pervium. Quis vero dixerit eadem ab auctore ita usurpari potuisse, ut significarent humanitatem sibi Deum junxisse, facultatibus suis ac operationibus multatam, ac veluti instrumentum inanime, per quod suas exereret divinas operationes, quæ nostras humanas imitarentur et supplerent? Eutychianum hocce commentum impingi auctori, qui superiora protulit scripsitque verba, per injuriam quidem potest, jure ac merito (me sane judice) minime potest.

XVII.

Postrema ejusdem epistolæ ad Caium, veluti speciali nota digna, Lequienus opponit verba. Quæ tamen non unam, sed novam Deivirilem in Christo operationem enuntiat. Hæc vero non mistas duntaxat ex utriusque naturæ confluxu operationes complectitur; verum ad alia quoque protenditur operationum genera.

Postrema ejusdem quartæ ad Caium epistolæ verba, quæ animadvertenda proponit Lequienus, hæc sunt : *Cæterum divina, non qua Deus patrabat; neque humana, quatenus homo gerebat ; sed quatenus erat Deus et homo, novam quamdam, nobiscum conversando, deivirilem*, θεανδρικήν, *operationem exhibebat*. Ad quæ sic ille : « Pergit ementitus auctor, statimque subdit quæ magis unam deitatis humanitatisque naturam compositam astruunt, propter mistæ *unius* ac *Deivirilis* operationis vocem, quam ipse omnium primus invexit. » Miratio subit, asseri a Lequieno, mistam *unam* ac *deivirilem* operationem ab illo auctore invectam, qui non *unam*, sed *novam quamdam* appellat Deivirilem operationem. Animadvertit ibidem ipse doctissimus auctor Cyrum Alexandrinum anathematismo 7, et Sergium Constantinopolitanum in epistola ad eumdem Cyrum, ambo Monothelitarum hæreseos patronos præcipuos, ut virus suum de una Christi voluntate et operatione melius infunderent, Dionysii Ipsius verba labefactare non dubitasse : quasique vero non eis sufficeret, auctorem istum *novam quamdam deivirilem* operationem protulisse, vocem illam in *unam deivirilem* operationem mutasse. Cur ergo et ipse textum eumdem labefactat, ac *unam* enuntiat, non *novam* operationem deivirilem?

Addit ille : « Quod quidem postremum epistolæ membrum, licet sequioris ævi Patrum complures post Scythopolitanum Joannem, aliique subinde theologi ad sanum sensum variis interpretamentis transferre conati sunt, ita ut jam Domino Jesu deivirilis operatio quædam absque fidei detrimento attribuatur ; nihilominus obvia totius periodi, maxime ubi cum iis quæ præcesserunt comparatur, significantia, nihil præter unius naturæ compositæ, in qua tamen potior sit, humanamque involvat divinitas, assertionem repræsentat. » At quæ præcesserunt omnia in epistolæ contextu, non unius Christi naturæ assertionem repræsentant : neque verbulum adest quod naturam Christi ita compositam significet, ut potior tamen sit divina, et hæc involvat humanam, et hæc humana se habeat instar instrumenti inanimis, per quod divinitas operetur ; nec aliæ a natura humana operationes profluant nisi divinæ, quæ imitentur ac suppleant humanas. Hinc vero postremum Epistolæ membrum, sive comparetur cum præcedentibus, sive obvia ejus significantia expendatur, nihil certe minus repræsentat, quam Monophysitica commenta.

Ad ipsam novam theandricam, seu Deivirilem operationem accedo. Voces istas tam parum aptas ad arcessendum unitati naturæ, et operationis patrocinium existimavere Cyrus Alexandrinus, et Sergius Constantinopolitanus ambo Monothelitæ et Monophysitæ : ut ille « novam immutando, unam pro nova asseruerit : » et iste « immutationem novæ confirmans, Deivirilem amputaverit penitus vocem, unam absolute in Christo Deo dogmatizans opera-

Digitized by Google

tionem. » Hæc sunt verba Martini Romani pontificis in synodo Lateranensi, consultatione 3.

Novam ergo ex Incarnatione Filii Dei operationem Deivirilem apparuisse docet **679** auctor: quidni vero ita docuerit, cum plane nova ac mirabilis facta fuerit duarum naturarum in uno supposito unitio? Id genus operationum naturam propriamque indolem, quæ Deiviriles seu theandricæ appellantur, præter Joannem Scythopolitanum et Maximum in *Scholiis*, aliosque veteres orthodoxos Patres, qui Eutychianos et Monothelitas insecuti sunt, tam luculenta oratione enarrant Petavius libro VIII *De incarnatione* a capite 10, et Thomassinus libro VI a capite 8, ut mirum sit auctorem Areopagiticorum propter ea verba, quæ multiplicem efferunt catholicum sensum, ad invidiam traduci. Pauca paucis verbis delibo ego. Triplex operationum Christi genus discernitur; earum, quæ Deitatis sunt, sicut mundum creare; earum item, quæ humanitatis propriæ sunt, velut edere, bibere, loqui, flere, pati; earum denique, quæ mistæ sunt quodammodo ex utriusque naturæ confluxu, ut tactu carnis mortuum exsuscitare.

Fuerunt veterum nonnulli, qui theandricas operationes intelligerent mistas illas tantum: qua de re difficultas nulla, cum tangere v. g. sit hominis, Dei autem excitare mortuum. At operationis theandricæ vocem latius patere, seseque ad alia operationum genera protendere, egregie ac perspicue patefaciunt laudati scriptores, ac theologi omnes.

Cur enim humana quæque operatio dici non debeat theandrica, cum eadem sicuti a natura humana, ita et a persona divina proficisceretur? Norunt philosophi, consentiunt theologi quique, nullam, nisi subsistentem, agere naturam quidpiam; ac prius definiri ac terminari illam oportere, certaque consistendi proprietate devinciri, quam functionem ullam præstare possit; ac personalem demum proprietatem, etsi per se et præcise loquendo, non sit efficax et actuosa, eam tamen vim habere, ut naturam afficiens et complens ac terminans, eamdem ad agendum instructam et idoneam reddat. Quæ cum ita se habeant, sponte illud oritur, ut quælibet actio Christi divina sit, etiam illa quæ mere est humana; propterea quod humanitas eam exercere vel perpeti, nisi divina Verbi personali proprietate affecta et completa ac determinata non potest. Adest ergo orthodoxo apprime sensu deivirilis operatio in Christo, v. g. locutio, loquebatur enim Deus homo; eademque operatio proficiscebatur et ab humanitate, et a persona divina; ab ista ut a supposito, quod loquitur; ab illa ut a principio, quo persona divina loquitur. Sed et alii demum sunt modi, queis divinitas sese humanis operationibus infundebat, eas regendo ac moderando, eisque dignitatem maximam ac infinitum pretium communicando.

Divinas ipsas, quæ supersunt, ac sunt Dei Verbi operationes, multifariam multisque modis dici theandricas posse, laudati scriptores egregie declarant. Rationem duplicem, quam veteres Patres exponunt, paucis exhibet Joannes Damascenus libro III *De fide orthodoxa*, capite 19. Namque « et caro vicissim, ait, cum operante Verbi divinitate communicabat: tum quia per corpus, velut instrumentum quoddam, divinas actiones (puta miracula) efficiebat; tum quia unus idemque erat, qui et divino simul et humano modo operabatur. » Rationem hanc posteriorem adoptat Anselmus libro *De sacramento altaris*, capite 3. « Natura carnis, inquit, ex quo summe illi naturæ unita est, in tanta unitate et ab ipso conceptu Virginis est concepta, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana; et per hanc unitatem etiam in diebus carnis suæ homo Christus potuit divina. » Christi namque operationes, quarum aliæ sunt humanæ, aliæ sunt divinæ, unius et ejusdem sunt operantis; A qui quemadmodum Deus simul et homo est, ita naturæ propria utriusque exsequi dicitur. Latiorem prætermitto sermonem.

Animadvertendum est ad id summam quæstionis redigi, utrum deivirilem operationem Monophysitico sensu dixerit Areopagiticorum auctor, ut operatio, quamcunque Christus ederet, nec humana esset, nec divina, tametsi ab homine-Deo proficiscens; verum tertia quædam ex utraque coagmentata, ut Monothelitæ nonnulli loquebantur; vel divinam quidem, sed per humanitatem edita, ac propriam supplens humanitatis operationem. Tam absurdos sensus in Areopagiticis verbis invenerit nemo, nisi qui verba ipsa ad id significandum torqueat, quod minime significant. Ait vero auctor: *Cæterum divina, non qua Deus patrabat; neque humana, quatenus homo gerebat; sed quatenus erat Deus et homo.* Porro quærendum est, num divina cum patraret Christus, v. g. regendo mundum, B hæc revera non esset operatio divina, sed tertia quædam, nec divina, nec humana? Apage tam pravum sensum, ab Areopagiticis dogmatibus longe alienum. Pari ergo demum ratione docuerit illo nunquam, humanas Christi operationes non fuisse vere humanas, sed tertium quid, quod ne cogitando quidem adumbrari potest. Sed erant tamen deiviriles operationes multiplici orthodoxo illo sensu, quem satis declaravimus.

XVIII.

Postremus locus opponitur ex libro De divinis nominibus. *Mistam quamdam non invehit Areopagita eorum auctor operationem in Christo, quæ ita sit Christi propria, ut in eam sanctissima Trinitas nullam exerceat efficientiam. Quid in eisdem operationibus proprium Christi fuerit, quid Trinitati commune, declaratur. Sancti Thomæ Commentarius, et alia egregia ejusdem testimonia.*

C **680** Malesanam ac hæreticam de una illa Domini Jesu operatione composita sententiam suam, Lequieno si credimus, vocibus aliis iterum exhibet auctor Areopagiticorum, quæ cap. 2 *De divinis nominibus*, § 6 habentur. Sunt illæ vero: *Porro a benignissima erga nos efficientia divina secernitur, quod ipse Deus Verbum, qui supra substantium est, integre ac vere, juxta ac nos, atque ex nobis substantiatus fuerit; egeritque, et perpessus sit, quæ τῆς ἀνθρωπίνης αὐτοῦ θεουργίας, humano-divinæ operationis ipsius præcipua sunt et singularia. In his nihil commune habuit Pater, ac Spiritus sanctus, nisi quis dicat, secundum benignissimam voluntatem.* Inviolabilem Ecclesiæ doctrinam esse adnotat Lequienus, externa quævis Deitatis opera tribus personis perinde communia esse; ut quæcunque miracula Christus, etiam adhibita carne, ediderit, eadem Pater et Spiritus sanctus simul et ex æquo perfecerint. « Quod si Christus, seu Verbum incarnatum (subsumit ille) præter efficientiam suam mere divinam, D quam cum Patre et Spiritu sancto communem habet; altera insuper divino-humana, quæ nec Patri nec Spiritui sancto communis est, eximia opera seu miracula edidit; quid aliud hinc consequitur, nisi auctorem istum qui hæc effutiit, eo in errore versatum esse: Deum Verbum, assumpta humanitate, mistum quoddam naturæ genus nactum esse, seu naturam compositam quæ hujus efficientiæ veluti formale, ut scholastici loquuntur, principium esset; quæque nec Patris, nec Spiritus sancti exsisteret. »

Mira nobis hæc videntur. Hæc eadem Areopagitica verba in synodo Lateranensi consultatione, seu secretario 5 allegantur omnia, ut duplex in Christo evincatur operatio quemadmodum duplex in eo natura est. Argumenti vim expono. Nempe aliqua necessario stabilienda est Christi operatio usque adeo propria et peculiaris, ut in ejus communionem nec Pater, nec Spiritus sanctus vocetur. At hæc non

Digitized by Google

alia quam humana operatio potest excogitari, quæ ita sit Verbi propria, ut non sit Patris et Spiritus sancti, ad eum modum quo est Verbi; sicut et humanitas assumpta ita est Verbi peculiaris, ut eadem ipso jure nec Patris sit, nec Spiritus sancti. Quia enim solus se carni implicuit Verbum Deus, humanitatem sua personali divina proprietate complendo, definiendo, terminando; in ejus etiam unius jus personale, et proprium censum eadem humanitas ascripta est. Ex quo id etiam efficitur, ut omnis operatio humanitatis, veluti peculium sit Verbi proprium, tanquam ex proprio ejus agro succrescens arbor, vel in propria arbore fructus enatus. Est autem prætereo Verbi operatio divina, ut creare, conservare, regere mundum, miracula patrare, ac ea operari quæcunque, quæ Deus operatur, cum Patre et Spiritu sancto sine dubio communis. Ergo duplex est Christi operatio.

Agnitam ab auctore Areopagiticorum efficientiam mere divinam fatetur Lequienus, quam Christus communem cum Patre et Spiritu sancto habeat. Alteram, ait ille, ab eodem auctore distingui, et appellari humano-divinam, quæ nec Patri nec Spiritui sancto communis est : quod repugnat, inquit, inviolabili doctrinæ Ecclesiæ, quæ tradit externa quævis Deitatis opera (omnia autem opera nostra et ipse operatur Deus) tribus personis perinde communia esse. Magna latet æquivocatio, in quam incidisse videtur vir doctissimus. Animadverto, humanas operationes Christi hoc loco ab illo auctore appellari humano-divinas, eodem plane sensu quo alibi vocavit eas Deiviriles; utpote quæ a natura humana, velut principio formali proceduut, et a persona divina tanquam supposito agente; sunt enim actiones, passionesque suppositorum. Rursum animadvertendum, in hisce humano-divinis operationibus quidpiam esse, quod sanctissimæ Trinitati commune est, nempe efficientiam illam, qua dicitur Deus omnia opera nostra operari; sed etiam quidpiam admitti oportere, quod esset Verbi divini proprium, cujus ratione dicebatur ille in humanitate assumpta intelligere, velle, esurire, sitire, edere, bibere, pati; non item Pater, non Spiritus sanctus. Hæc trita est apud theologos doctrina. Sylvium audire liceat III p., quæst. 19, art. 1 : « At dices (sic opponit) : Actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; tales autem erant humanæ operationes Christi : ergo, etc. Resp. Neg. consequ., quoniam humanæ Christi operationes erant quidem communes toti Trinitati, inquantum ex ea, veluti causa principaliter efficiente procedebant; peculiari tamen aliqua ratione procedebant a Christo, **681** secundum quam non procedebant a Patre, nec a Spiritu sancto. Quia Christus operabatur eas per naturam humanam, sibi (non Patri, non Spiritui sancto) hypostatice unitam : ac per consequens persona Verbi (non Pater, non Spiritus sanctus) erat causa proxima illas eliciens per naturam humanam, quam terminabat; atque ita dicebant intrinsecum ordinem ad humanitatem, ut ad principium quo (agitur) : et ad Verbum humanitati conjunctum, ut ad principium quod (agit). »

Id unum docet auctor Areopagiticorum. Ait ille : *Porro a benignissima erga nos efficientia divina* (quæ toti Trinitati sanctissimæ communis est) *secernitur : quod ipse Deus Verbum, qui supra substantiam est* (non Pater, non Spiritus sanctus) *integre, et vere, juxta ac nos, atque ex nobis substantiatus fuerit.* An qui contenderet, a Deo Verbo assumptam fuisse humanitatem, mutilatam anima vel mente, propriis facultatibus et operationibus spoliatam, ita loqueretur, ut ex nobis humanitatem assumpserit integre et vere, ac homo factus esset juxta ac nos? Hinc etiam oritur quod ipse Deus Verbum *egerit et perpessus sit, quæ humano-divinæ operationis ipsius præcipua sunt et singularia*, quin *in his commune aliquid habuerit Pater et Spiritus sanctus :* propter ea nempe quod Deus Verbum in humanitate assumpta peculiari jure exercebat quidquid ad humanas pertinebat operationes; ipseque dicebatur intelligere, velle, esurire, edere, sitire, bibere ac pati; non item Pater, non Spiritus sanctus. Sed istas humanas tamen operationes ac perpessiones vocat insuper auctor humano-divinas; cum non solus homo, sed Deus et homo esset ille, qui ageret, qui pateretur.

Quod attamen in eisdem operationibus commune sanctissimæ Trinitati dici poterat, statim enarrat laudatus auctor : *Nisi quis*, inquiens, *dicat secundum benignissimam voluntatem;* ac insuper *secundum omnem illam eminentem atque ineffabilem divinam operationem, quam, apud nos existens is qui immutabilis erat, exercuit, in quantum Deus et Dei Verbum;* quæ verba prætermittit Lequienus. Primo itaque sanctissima Trinitas, consilio et beneplacito suo, sicut humanitatis assumptionem approbavit, ita et cæteras omnes Verbi divini operationes in humanitate assumpta. Deinde communis eidem Trinitati erat efficientia illa eminens et ineffabilis divina, qua et Verbum ut subsistens in natura divina, et Pater et Spiritus sanctus operationes omnes humanas Christi simul operabantur.

Tam perspicue vero, tam egregie cum auctor Areopagiticorum de humano-divinis Verbi Incarnati operationibus et passionibus agat, mirum sane, silentio præteriisse Lequienum perpessiones Christi omnes, neque animum ad id applicuisse, quod ea quæ Verbum Dei passum est, nec Pater sine dubio, nec Spiritus sanctus perpessi sunt! Mirum etiam, prædicta omnia quibus Pater et Spiritus sanctus juxta sententiam auctoris non communicarunt, peculiari scilicet eo jure quo eadem in carne assumpta sibi vindicabat Verbum, ad unam redegisse Lequienum *efficientiam* illam, qua *eximia opera seu miracula edebat Christus;* cum absque ulla ambage de iis pertractet omnibus auctor, quæ *egerit* Christus, *et perpessus sit!* Quid est vero, quod in eisdem mirabilibus, quæ Christus patrabat, non discreverit ille quod toti Trinitati commune, quod proprium et peculiare verbi erat; v. g. sputo cæci nati oculos liniendo, visum eidem restituit Christus. Linire sputo oculos, eosque tangere erant actiones hominis, vel etiam humano-divinæ, ut sæpe dictum; curare cæcum, ac visum restituere erat operatio divina. Ita Deus Verbum in natura humana subsistens delinivit oculos, ut nec Pater nec Spiritus sanctus dicantur oculos linivisse ac tetigisse; at curatio cæci nati Deo Verbo, et Patri, et Spiritui sancto æquo modo convenit; imo et ipse oculorum tactus motusque impressus efficiebatur a sanctissima Trinitate, ut effectus a causa suprema. Quid est postremo, verba illa, *operatum passumque eximia quæcunque et excellentia divino-humanæ efficientiæ opera*, in sensum Monophysiticum pertrahere; ac si Christus, non modo qua homo exstabat, verum etiam ipsa deitate cum humanitate composita propter nos sublimiori quadam ratione esset passus? Pervius et planus sensus catholicus his effertur verbis; sublimiori quadam ratione Christum operatum, passumque esse eximia quæcunque et excellentia, quæ ad ejus incarnationem et incarnationis œconomiam pertinebant; quia non homo solus, verum Deus et homo erat ille, qui agebat, qui patiebatur, prout Incarnationis dispensatio postulabat.

Hæc omnia pari ratione ac sensu intellexit Scholiastes; eademque Eutychianis commentis maxime adversa, adnotavit. Scholia profero : « *Secernitur vel distinctum est.* Nota, Verbi Incarnationem a sancta Trinitate omnino ac vere distinctam esse. » Item : « *Nostri, vel juxta ac nos.* Hoc loco iterum de dispensatione seu Incarnatione tractans, eam soli Deo Verbo attribuit, sine ulla Patris et Spiritus sancti communicatione, nisi secundum voluntatem. Nota vero accuratam dispensationis enarrationem. Quoniam Deus Verbum *supersubstantiale*, substan-

Digitized by Google

tiam 682 *immutabiliter* assumpsit ; permansit enim Deus : *et uti nos*, ex nobis substantiam *integre* accepit, id est corpus, et animam rationalem vere habuit. Item Deus Verbum est id, quod *patiebatur*, scilicet secundum carnem : et *humana* simul ac *divina* erat ejus operatio, quoad omnia quæ concernunt dispensationem. His autem Pater et Spiritus non communicarunt, nisi ex beneplacito, volendo incarnationem; et in divinis signis, Deo Filio cooperando. Nota vero hæc, maxime contra Nestorianos, et Acephalos, atque Phantasiastas. »

Latior et luculentissima divi Thomæ commentatio caput claudat. Verba ejus hæc sunt : « *Discretum est*, id est, ad unam tantum personam pertinet; *supersubstantiale Verbum*, id est Dei Filium, *esse factum secundum nos*, id est hominem similem nobis in natura ; *ex nobis* accepta carne, non de cœlo allata secundum Valentinum ; *totaliter*, id est non subtracta anima vel intellectu, secundum et Arium et Apollinarium; *et vere*, non phantastice secundum Manichæum. Et non solum ipsa incarnatione discretum ; sed, secundum etiam *actiones* et *passiones* Dei Filium credimus incarnatum. *Quæcunque sunt*, cum quadam electione et segregatione ab aliis attributa Christo secundum considerationem humanitatis ipsius, ut concipi, nasci, comedere, bibere, dormire, crucifigi, et alia hujusmodi. *Istis enim Pater, et Spiritus secundum nullam rationem communicarunt ;* quia neuter eorum est incarnatus, aut mortuus. *Nisi* forte *dicat aliquis*, quod communicaverunt præmissis *secundum voluntatem* bonitati divinæ *convenientem*, et *benignam* quoad nos; acceptaverunt enim Pater et Spiritus sanctus Incarnationem Filii, et passionem et alia hujusmodi. Et similiter communicaverunt *secundum omnem divinam operationem superpositam* creaturis, et *ineffabilem* nobis : *quam faciebat* Christus, *factus secundum nos*, id est factus homo passibilis ; *invariabilis* manens, *secundum quod Deus et Dei Verbum.* Non enim sic factus est homo, quod divinitatem amitteret ; unde ut homo exsistens, habebat operationem divinam, quæ communis est sibi, et Patri, et Spiritui sancto. Et sic destruitur hic error ponentium unam operationem (et unam naturam) in Christo et per hoc, quod attribuit, secundum operationem divinam communem toti Trinitati, et operationem propriam sibi: »

Latina versio, qua utitur hoc loco S. Thomas, sic habet : « Discretum autem est a benigna ad nos divina operatione, secundum nos ex nobis totaliter et vere substantiam factum esse supersubstantiale Verbum : et facere, et pati quæcunque humanæ ipsius contemplationis sunt electa et semota. » Ac si legisset interpres, ut Lequienus adnotat, ἀνδρικῆς θεωρίας, pro ἀνδρικῆς θεουργίας· unde non mirum, ait ille, quod errorem non advertit S. Thomas. At (inquio ego) nec in restituta vera lectione errorem doctor Angelicus advertisset, quem cubare nullum ostendimus. Conjecturis opus non est. Veram ille vidit, adhibetque lectionem in p., q. 19, art. 1, ac sane mirum, hunc a Lequieno non visum, prætermissumque locum. Contra Monothelitas quæstionem movet : *Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis ?* Quod ipsi objiciebant ex auctore Areopagiticorum, num. 1, sic habetur : « Videtur, quod in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis. Dicit enim Dionysius in 2 cap. *De divinis nominibus : Discreta autem est benignissima circa nos Dei operatio per hoc quod secundum nos, ex nobis integre vereque humanatum est Verbum, quod est supra substantiam : et operari, et pati quæcunque humanæ ejus divinæ operationi congruunt.* Ubi unam operationem nominat *humanam et divinam*, quæ in Græco dicitur theandrica, id est *deivirilis*. Videtur igitur esse una operatio composita in Christo. » An aliquem hoc loco, in quo diserte operatio nominatur humano-divina seu deivirilis, errorem advertit S. Thomas? Responsum ejus accipe, quo tum allatis verbis, tum aliis a Lequieno oppositis utitur sanctissimus doctor in fidei catholicæ confirmationem, reprehensionemque Monothelitarum et Eutychianorum. « Dicendum quod Dionysius (loco citato) ponit in Christo operationem theandricam, id est *divinam virilem* vel *divinam humanam*, non per aliquam confusionem operationum, seu virtutum utriusque naturæ; sed per hoc quod divina operatio ejus utitur humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinæ operationis. Unde sicut ipse dicit in quadam epistola ad Caium (ep. 4) : *Super hominem operabatur ea, quæ sunt hominis ;* quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens, et aqua instabilis terrenorum pedum sustinens gravitatem. Manifestum est enim, quod concipi est humanæ naturæ, similiter et ambulare; sed utrumque fuit in Christo supernaturaliter. Et similiter divina operabatur humanitas, sicut cum sanavit leprosum tangendo. Unde in eadem epistola (ad Caium) subdit : *Non secundum Deum divina faciens, non humana secundum hominem : sed Deo homine facto, nova quadam Dei et hominis operatione.* Quod autem intellexerit, duas esse operationes in Christo, unam divinæ naturæ, aliam autem humanæ ; patet ex his, quæ dicit in 2 cap. *De divinis nominibus*, ubi dicit, quod *in his quæ pertinent ad humanam ejus operationem* 683 *Pater, et Spiritus sanctus nulla ratione communicant : nisi quis dixerit secundum benignissimam et misericordem voluntatem ;* in quantum scilicet Pater et Spiritus sanctus ex sua misericordia voluerunt Christum agere et pati humana. Addit autem : *Et omnem sublimissimam et ineffabilem Dei operationem, quam homo pro nobis factus adimplevit, immutabilis profecto Deus, et Dei Verbum.* Sic igitur patet quod alia est operatio humana, in qua Pater et Spiritus sanctus non communicant, nisi secundum acceptationem misericordiæ suæ; et alia est ejus operatio, in quantum est Dei Verbum, in qua communicant Pater et Spiritus sanctus. » Paucis verbis angelicum divi Thomæ ingenium, quæ lato sermone nos enarravimus, complectitur omnia, illudque animadvertere non prætereo, deiviriles, aut humano-divinas operationes intellexisse hoc loco eas videri Thomam, quas dixerunt veteres mistas quodammodo ex utriusque naturæ confluxu. Sed etiam testimonia præsto sunt, ubi præter id genus Deivirilium operationum, vocem hanc protendit ad alias Christi quaslibet operationes, utpote proficiscentes a persona divina in natura humana subsistente. Ait enim in 3 dist., 18 q., 1 art., 1 ad 2 : « Dicendum quod actionem Christi dicit Dionysius Deivirilem, non quia sit simpliciter una actio deitatis et humanitatis in Christo; sed quia actiones duarum naturarum ad tria uniuntur. Primo, quantum ad ipsum suppositum, agens actionem divinam et humanam, quod est unum. Secundo, quantum ad unum effectum, qui dicitur opus operatum, vel apotelesma secundum Damascenum, sicut mundatio leprosi. Tertio, quantum ad hoc, quod humana actio ipsius Christi participabat aliquid de perfectione divinæ naturæ ; sicut intellectus ejus, altis eminentius, intelligebat ex virtute divini intellectus, sibi in persona conjuncti. » Quam denique doctrinam paucis, sed luculentissimis comprehensam verbis legimus libro IV *Contra gentes*, capite 36 : « Dionysius humanam Christi operationem vocat theandricam, id est deivirilem, etiam quia est Dei et hominis. Vidit ergo Thomas in Areopagiticis dictis, quæ toties versat vocatque ad examen, multiplices sensus, omnesque apprime orthodoxos; errorem nec vidit, nec refutat ullum.

—

Digitized by Google

XIX.

Areopagitica dicta comparantur cum Eutychianis et Monotheliticis; latissimum ostenditur eorum discrimen. Deivirilem operationem rejecerunt Monophysitarum et Monothelitarum aliqui, alii sensu pravo, ab Areopagitico longe alieno, exposuerunt et propugnarunt.

Monophysiticam in Areopagiticis dictis pravitatem se deprehendisse, frequentius adnotat admonetque Lequienus, comparatione eorum facta cum Eutychianorum et Monothelitarum sententiis, quas putat omnino pares similesque. Hanc et mihi postremo loco inire comparationem liceat cum eisdem Eutychianorum seu Monophysitarum testimoniis, quæ profert in medium vir doctissimus; idque lucri obventurum confido, ut Areopagitica dicta tum verbis, tum sensu longe lateque diversa appareant.

Sectæ Coryphæi Eutychetis dicta occurrunt primo, quæ exhibentur actione quinta concilii Constantinopolitani anno 448, sub Flaviano celebrati, cujus acta in actione I concilii Chalcedonensis recensita leguntur. Nempe urgenti laudato Flaviano, orthodoxo Constantinopoleos antistiti, ut archimandrita ille fateretur, non solum consubstantialem Patri Christum secundum divinitatem, verum etiam consubstantialem matri ac nobis secundum humanitatem, reposuit: I. Sui non esse, « Dei et Domini cœli et terræ naturam edisserere. » II. Se dixisse nunquam, « corpus Domini et Dei nostri consubstantiale nobis. » II. Se pariter minime dicere, « corpus hominis corpus Dei; humanum autem esse corpus, » quod inerat Jesu Christo, « et corpus Dei. » Negantia postrema hæc verba catholicum edere sensum possunt; quandoquidem corpus Christi, si ad Verbum divinum, cujus est, referatur (ut adnotant theologi) non est corpus hominis, sed Dei, qui qua Deus est aut Verbum, non est homo; at puerile tamen est ob hanc rationem inficiari, corpus Christi esse corpus hominis, eo nempe sensu quia idem Deus ac Verbum sine dubio est homo secundum susceptam ab eo carnem. Penitior alia Eutychetis mens erat, quam Lequienus aperit; unam esse Christi naturam, scilicet divinam, et huic humanitatem conjunctam, instar appendicis cujusdam; ac etiam divinitati immersam, et a divinitate absorptam, seu pertractam ad ipsius divinitatis operationem: ita ut quidquid vitalis et actuosi in Christo foret, id esset revera operatio divina, per naturam humanam trajecta veluti per instrumentum, ipsius humanitatis operationes quaslibet imitans ac supplens. Consule, quæ latiore sermone supra disseruimus.

Verumenimvero paria, aut affinia docuit nuspiam Areopagiticorum auctor. Quamplura ex ejus operibus testimonia attulimus, et expendimus, quæ perspicue et absque ambage, sive per se spectentur, sive cum præcedentibus comparentur et subsequentibus, dogmata perhibent Eutychianæ sententiæ adversa; nempe, Verbum Dei *integre*, *vere*, *totaliter*, *omnimode* ad nostram venisse *naturam*, et *substantiam*, et *vilitatem*; assumpta ab eo fuisse *omnia nostra*, omnesque *veritates humanas* in eo elucere; **684** nihil in eadem assumptione passam esse detrimenti divinitatem, cum Deus Verbum permanserit supra naturam, supra substantiam, supra hominem; attamen ipsum *vere* factum esse appellatumque *hominem*, et hominibus *vere aggregatum*, nobisque *congeneis*, ὁμογενέσι, consortium dedisse: atque demum *absolutam et inconfusam* dici debere *nostræ humanitatis assumptionem*, τῇ παντελεῖ καὶ ἀσυγχύτῳ καθ' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσει, ut legimus capite 3 *De ecclesiastica hierarchia*, num. 3, § 2.

Severianos ita loquentes apud Anastasium Sinaitam in Ὁδηγῷ inducit Lequienus: « Si Christus non erat deitas, quomodo sputum ejus cæco medicinam fecit? Quomodo lacrymæ ejus Lazarum excitarunt? Sed neque dormisse, nisi semel in navi legimus; sed neque in Evangelio constat num, ut sors ferebat, bibisse. Quæ omnia argumento sunt, carnem Christi divinam evasisse, nec humanis proprietatibus obnoxiam fuisse. Quamobrem una tantum Christus natura est, » scilicet divina; quæ per naturam humanam, veluti appendicem sibi adjectam, vel instrumentum conjunctum, efficientia sua divina id efficeret omne, quod Jesus Christus operabatur. Commentum habes ab Monophysitis excogitatum, quo unam in Christo naturam esse, scilicet divinam, ostenderent, ac humanam assumptam evasisse divinam. Pugnat ex diametro contra auctor Areopagiticorum. Magnificis quidem, et grandiloquis verbis divinitatem Christi passim extollit; simul vero in eo totus est, ut doceat, et inculcet, et exaggeret, Deum Verbum, non obstante summa ejus divinitate, supersubstantialitate, supernaturalitate ac eminentia super homines, vere factum esse hominem; ad *nostram venisse naturam*, licet ipse sit *supra naturam*; ad *nostram* descendisse *substantiam*, licet ipse sit *supra substantiam*; nostram ab eo assumptam *vilitatem*, licet ipse *supra hominem*. Neque satis tam ampla et splendida fuerunt ipsi. Assumptam præterea naturam cum suis proprietatibus egregie declarat: cum nempe edisserat *omnia nostra* assumpta ab eo fuisse, *humanas* persistere *veritates* in eadem humanitatis nostræ assumptione, ac unum excipiendum esse *peccatum*, idque omne quod in nobis peccati contagione aliqua afflatum est. Recole quæ jam protulimus testimonia, diligentius eadem expende, et scrutare; ipseque luculentiora deprehendes ab Eutychiana pravitate longe aliena.

Severianorum principem, Severum, Antiochenæ Ecclesiæ tyrannum, perhibet S. Maximus epistola 2 ad Marinum, dolo et fraude adhibitis, in mysterio Incarnationis idem esse asseruisse hypostasim et naturam, ut nimirum unius hypostasis nomine naturarum confusionem statueret. Ad ipsius humanitatis assumptæ proprietates quod attinet, non eas aliquando visus est negasse; sed in variis tamen librorum ejus et epistolarum locis, quæ in sexta synodo recitata sunt, aperte negat, Lequieno admonente, humanas ἐνεργείας ἢ ἰδιότητας, *operationes*, *sive proprietates*. An vero naturam confuderit cum hypostasi, qui luculentissimis docet verbis, *supremam divinitatem*, in qua *una est Deitas*, *tres sunt hypostases*, *nostris secundum veritatem integre in una suarum hypostasium*, id est Filii, *communicavisse*? Hæc autem tradit auctor Areopagiticorum, qui rursum addit Filii Dei assumentis propriam effectam *humanam vilitatem*, *ex qua ineffabili modo simplex Jesus compositus est: et qui æternus est*, *temporalem sumpsisse accessionem: necnon ad intima nostræ naturæ descendisse*, εἶσω τῆς καθ' ἡμᾶς ἐγεγόνει φύσεως, *qui universum totius naturæ ordinem supernaturaliter transcendit*, *servatis tamen proprietatibus prorsus integris et inconfusis*. An duarum naturarum, quæ inconfusæ permanent, in una divina Filii persona luculentius explicari unitio potest? Quid aptius, quid clarius adversum unam Christi naturam, eamque divinam proferri verbis poterat, quam simplicem Jesum, qua Deus est, asserere *compositum ex humana vilitate*, cum Deus homo factus est? Inficiari si velis, humanam in Christo naturam non evasisse ullo modo divinam, aptiorane præsto fuerint verba quam Areopagitica, quibus docemur Jesum *ineffabili modo ex humana vilitate compositum* esse: et qui æternus est, *temporalem sumpsisse accessionem*; et *ad intima nostræ naturæ descendisse*, qui universum totius naturæ ordinem transcendit? Animo demum attento perpende, Dei Verbum *nostris secundum veritatem integre communicavisse*, ipsumque descendisse *ad intima nostræ naturæ*: quæ Eutychianorum nemo dixerit, eo præoccupatus errore,

Digitized by Google

ut naturam humanam permeget *cum proprietatibus suis et operationibus* assumptam.

Timothei Æluri verba sequuntur, quæ legimus in ejus lucubratione contra epistolam S. Leonis Magni ad Flavianum : « Sola divinitas est Christi natura, etsi incarnata. » Pravam mentem suam aperire apud Lequienum pergit, dum ait humanitatem Christi omni actione propria caruisse, nec operationes alias nisi divinas per eam exsertas esse ; atque adeo quæ humanitatis operationes censebantur, *passiones* potius et meras *exsecutiones*, πάθη et πράξεις, esse nuncupandas. Locum Severi similem profert vir doctissimus ex epistola ad Œcum. Comit. (Actione 10 synodi sextæ) ubi hæc habentur : « In Christo, sive divina ageret, puta miracula patrando ; sive humana, gradiendo, mutando locum (id quod suapte natura prorsus humanum est) ; non illud illius naturæ esse, nec istud istius ; sed **685** unius et ejusdem divinitatis, quæ divina ratione, tum prodigia, tum humana opera efficiebat. » His paria sunt, Lequieno si credimus, Areopagitica dicta nonnulla. Ait ille cap. cit. *De divinis nominibus*, § 10 : *Divinitas Filii Dei* (*quod omnium novorum novissimum*) *in naturalibus nostris supernaturalis erat, et in substantialibus supersubstantialis, omnia nostra ex nobis et supra nos excellenter habens.* Dixerat superiore § 6 : *Ipse Deus Verbum, qui supra substantiam est, integre ac vere, juxta ac nos, atque ex nobis substantiatus est ; egit, et perpessus est quæ humano-divinæ operationis ipsius præcipua sunt et singularia.* Ait etiam in epistola 4 ad Caium : *Supra hominum conditionem gessit ea, quæ sunt hominis ; quod declarat et Virgo, quæ supra naturam parit ; et aqua profluens, quæ pedum terrenorum gravitatem sustinet, nec cedit, sed virtute supernaturali sine diffusione subsistit.* Ait demum ibidem : *Cæterum divina, non qua Deus, patrabat ; neque humana, quatenus homo gerebat : sed quatenus erat Deus et homo, novam quamdam, nobiscum conversando, deivirilem operationem exhibebat.*

Pervios, facilesque hujusmodi sententiarum, cuique obvios, propriosque sensus orthodoxos jam exposuimus. An easdem cum Monophysiticis allatis testimoniis comparatas expendentibus Eutychiana suboleat pravitas ? Animadverte, de illo agi Monophysitico commento, quo una divina efficientia, quæ uni convenit naturæ divinæ, constituebatur in Christo, qua ille, qua Deus est, per naturam humanam, veluti per instrumentum, tum opera miraculosa operabatur, tum ea efficiebat humana omnia, quæ in nobis ab ipsa humana natura, tanquam a principio actuoso formali proficiscuntur. Nihil est in Areopagiticis dictis, quod hunc errorem adumbret. Docet auctor, Verbum Dei in nostris *naturalibus* et *substantialibus* assumptis propriam retinuisse absque ullo detrimento divinitatem, supernaturalitatem, supersubstantialitatem : imo et omnia nostra *ex nobis* assumpta habuisse *supra nos excellenti* et eximio modo. Integram quam quis non videat catholicam fidem, qua credimus, omnia nostra a Filio Dei assumpta, *ex nobis* quidem, id est vere ac integre, sed *supra nos*, utpote qui conceptus fuerit ex Virgine, ab omni immunis peccato ac omni peccati contagione ? Qua rursum credimus, eadem omnia nostra excellenti, modo ac divino inesse Christo, cum divina Filii persona subsistentem reddat naturam humanam, eademque persona divina in humana natura assumpta sit principium quarumcunque Christi operationum ?

Ea est etiam sententia auctoris : *Deum Verbum* in humanitate *integre et vere* sibi copulata, *egisse et passum esse quæ humano-divinæ operationis ejus præcipua sunt et singularia.* Non ait divina quadam efficientia egisse opera divina miraculosa, et egisse ac supplesse operationes cæteroqui humanas. Ait vero, Deum Verbum egisse ea omnia, quæ ad humano-divinam ejus operationem spectabant ; propterea quod omnis operatio Christi, sive quæ miracula patrabat, sive quæ humana erat ab ipsa procedens humanitate integre et vere assumpta, non erat humana solum, non erat divina solum, sed erat humano-divina, procedens a Deo Verbo subsistente in humana natura. Longe hæc absunt ab una illa Eutychiana Christi operatione, quæ non erat nisi divina efficientia, tum miracula efficiens, tum etiam supplens humanas operationes, humanitate se habente instar appendicis et instrumenti. Neque solum Deus Verbum in sibi copulata natura humana ita agebat ; verum etiam pati dicebatur, tum passiones forinsecus immissas recipiendo, tum etiam passiones ipsas, v. g. dolores, percipiendo in ipsa humanitate assumpta : supposito namque, et personæ, sicuti actiones, ita passiones attribuuntur. At non solum actiones in Christo Domino, ipsæ etiam passiones erant humano-divinæ, cum ad ipsum Deum Verbum in natura humana subsistens verissime pertinerent.

An errorem redoleant ea verba : *Supra hominum conditionem gessit ea, quæ sunt hominis ?* Vel ipsa, quæ subjiciuntur exempla, errorem omnem amoliuntur. Namque *Virgo* est, quæ *supra naturam parit.* Verissima hominis est operatio parere, ac vere peperit Maria Virgo ; sed virginem parere, *supra hominum conditionem* dicitur. Aquas tangere, moveri, et mutare locum, sunt humanæ operationes ; sed aquas pedum gravitate pressas non diffluere, hominum conditionem excedit. Christum denique (ut verissimas humanas omnes operationes complectamur) esurire, edere, sitire, bibere, ac similia exercere, perinde est ac Christum ea *gerere quæ sunt hominis ;* sed ille, cum non esset solus homo, sed persona divina in natura humana subsistens, gerebat *supra hominum conditionem.*

Sensum hunc apprime orthodoxum confirmant, errorem nullum propinant ea demum verba : *Cæterum divina, non qua Deus, patrabat ; neque humana quatenus homo, gerebat ; sed quatenus erat Deus et homo.* Videlicet, neque miracula quæ patrabat Christus, neque operationes humanas quas ille edebat, aut solus Deus operabatur, aut solus homo ; sed homo Deus vel Deus homo simul, hoc est persona divina in natura subsistens humana. Quod si dicendum foret, humana non gessisse Christum, quatenus hominem, eo quia divina efficientia operabatur ea ; ita fabulandum esset, divina non patrasse Christum quatenus Deum, ac si efficientia quædam humana miraculosos illos affectus operaretur. Apage nugas.

Quæ cum ita se habeant, vox nulla excogitari aptior poterat ad hujusmodi Jesu Christi operationes declarandas, quam *novæ deivirilis operationis.* Quemadmodum **686** enim Christum credimus Deum verum, verumque hominem : ita operationes ejus (meras humanas in exemplum adduco) proficiscebantur ab humanitate velut a principio formali, et a persona divina vel ab hypostasi, veluti principio agente ; adeoque una voce appellandæ sunt deivirales. At quemadmodum non una est Christi natura ex duabus conflata, sed nova naturarum in eo unitio facta est : ita nec una, scilicet divina, fuit Christi operatio, sed *nova* apparuit in eo deivirilis. Non ita Eutychiano errori consonam agnoverunt Monophysitæ deivirilem operationem, quin potius veluti adversam rejecerint non pauci. Pro *nova* sustinuerunt *unam* nonnulli ; *unam* retinentes, deivirilem rejecerunt alii, divinam solummodo agnoscentes.

In Lateranensi concilio sub Martino papa anno 649 celebrato, Monophysitarum duorum conflictus exponitur secretario 5, scilicet Colluthi et Themistii : quorum iste *unam deivirilem* operationem statuebat, quod etiam Cyrus Alexandrinus, Theodorus Pharanites, Sergius et Pyrrhus Constantinopolitani, aliique dixerunt ; unam ille quidem, ad *divinam*

Digitized by Google

solummodo, seu *Deo congruentem*, ut vocabat ille, aut barbaro vocabulo *Deo decibilem*, Græce θεοπρεπῆ, appellandam esse contendebat. Verum in id consentiebant demum omnes, ut una esset in Christo operatio divina, cujus unum esset principium actuosum penes divinitatem, humanitatem seu anima rationali et corpore se habentibus instar organi et instrumenti, per quod ipsa trajiceretur. Theodori Pharanitis verba refero, quæ habentur in synodo VI œcumenica actione 13, et in Lateranensi citato concilio secretario 3, desumpta ex ejus epistola ad Sergium Arsenoitam: « Oportet igitur sapere et dicere nos, omnia quæ in Incarnatione Salvatoris Christi dicuntur esse, unam scire operationem esse; hujus autem opificem et creatorem Deum Verbum, organum vero humanitatem consistere. Ergo quæque veluti de Deo, aut humane de ipso dicuntur, omnia una est operatio Verbi divinitatis. » Quo loco Monotheliticum et Monophysiticum errorem perspicue expositum habes. Quam longe vero lateque distant Areopagitica dicta! *Unam* vocat operationem Christi Theodorus, *novam* auctor noster: *divinam* solummodo ille, *deivirilem* aut *humano-divinam* iste: proficiscentem a sola *Verbi divinitate* Pharanites, a *Deo et homine* auctor Areopagiticorum: trajectam demum per humanitatem, veluti per organum ille; qua voce, aut simili, aut affini usus iste nunquam est.

Patet quam maxime, mentem ejus consiliumque haud fuisse, ut unam in Christo divinam efficientiam statueret, quæ efficeret omnia, sive divina essent, sive humana apparerent opera ejus. Imo id sibi ab ipso propositum satis constat, ut novam operationem Christi, ex nova duarum naturarum in una persona Filii unione exsurgentem, declararet conditionem indolemque in eo positam, ut operatio Christi quælibet *deivirilis* esset, aut *humano-divina*. Triplex jam genus operationum ejus distingui oportere adnotavimus; earum scilicet, quæ Deitatis sunt, ut mundum creare; earum item, quæ humanitatis specialiter propriæ sunt, ut esurire, edere; earum denique, quæ mistæ dicuntur quodammodo ex utriusque naturæ confluxu, ut tactu carnis mortuum exsuscitare. Hujusce extremæ classis operationibus frequentius Patres, qui Monothelitas et Monophysitas insecuti sunt, deivirilis operationis nomen indiderunt; eodemque operationum genere adhibito, duas in Christo operationes constituebant, quarum altera a divinitate, a natura humana proficiscebatur altera. Tangere carnem, inquiebant, cujus est nisi hominis; et cujus est mortuum excitare, nisi Dei?

Cæterum cum Areopagiticorum auctor et post ipsum Scholiastes ejus, aliique Patres universim affirment (verbis utor Ludovici Thomassini *De Incarnatione*, libro V, capite 6, 11): « nec ut Deum divina, nec ut hominem humana operatum esse Christum; sed et in divinis operationibus hominis, et in humanis Dei aliquas partes fuisse; quid aliud restat nisi ex Deo et homine mistas quodammodo fuisse omnes Christi operationes ac proinde omnes theandricas. Alioquin non ita indiscriminatim, non ita inconsiderate pronuntiandum erat, nec divina ut Deum, nec humana ut hominem operatum esse; sed circumspectius aiendum fuerat, divina quidem ut Deum, humana ut hominem plerumque peregisse; raro autem, nempe dum miracula ederet, divina ut hominem, humana ut Deum effecisse, dum tangendo suscitabat mortuum, et suscitando tangebat. At nullum sibi limitem figit auctor: *Cæterum neque divina ut Deus, neque humana ut homo agebat; sed quatenus erat Deus et homo, novam quamdam, nobiscum conservando, deivirilem operationem exhibebat.* » Qui et alio loco non solum θεουργίαν, *divinam operationem*, sed etiam ἀνδρικήν, *humanam*, hoc est *humano-divinam* vocat. « Ac præterea theandricæ operationis principium indigitat auctor, *Deum hominem factum*, et a Deo homine facto non tertium tantum mistumque genus operationis, sed et primum, et secundum profluebat; et sui fontis saporem triplex hic rivulus pro suo quisque modulo aliquem sane servabat. » Egregia plura pergit ille docere. Hæc satis nobis erunt, quæ hactenus tradidimus, ut integra catholica fides Areopagiticorum auctoris, longe diversa, maximeque adversa Eutychianis commentis, pro virili vindicata et exposita innotescat.

NOTITIA IN S. DIONYSIUM

PARISIENSEM EPISCOPUM ET MARTYREM.

(*Gallia Christiana*, novæ editionis t. VII, p. 4, in episcopis Parisiensibus.)

S. Dionysium a pontifice Romano ordinatum, Parisiensibus Christi fidem annuntiasse, Parisiensem condidisse Ecclesiam, primum hujus gessisse episcopatum, martyrioque vitam finiisse in confesso est apud omnes. Quis autem fuerit ille Dionysius, quo tempore vixerit, et a quo e summis pontificibus in Galliam sit delegatus, sub cujus principatu martyrium fecerit, quæstio est, quæ superiori sæculo magnis partium studiis renovata, plures doctrina, ingenio et pietate insignes viros exagitavit. Nostrum non est tantas lites componere. Jam enim in præfatione generali noster monuit Sammarthanus nostri non esse instituti prolixis dissertationibus Ecclesiarum origines investigare, quibus ultra legem tantæ molis opus tenderet. At cum de primordiis Ecclesiæ Parisiensis gravissimæ disputationes inter viros historiæ peritissimos præterito maxime sæculo in lucem prodierint, absque negligentiæ nota, aut veritatis dispendio diversarum opinionum fundamenta Sammarthanorum vestigiis inhærentes, nec ulli addicti magistro, silentio prætermittere non possumus. Itaque ut ratione et via nostra procedat oratio, triplex distinguenda videtur opinio, eorum qui unum eumdemque Dionysium Areopagitam et Parisiensem astruunt, altera eorum qui Areopagitam a Parisiensi quidem distinguunt, sed hunc a S. Clemente missum asserunt. Postrema eorum est qui Dionysium Parisiensem et 687 ab Areopagita discernunt et a S. Clemente missum negant, medio autem circiter tertio sæculo e Romanis partibus in Gallias appulisse existimant.

Ac primo quidem S Dionysius Areopagita multis abhinc sæculis creditus Parisiorum primus episcopus et apostolus, de fide mysteriis a beato Paulo edoctus, baptizatus, et Atheniensium episcopus ordinatus, cum pluribus annis hanc Ecclesiam direxisset, amore Pauli magistri sui, quem Romæ vinctum acceperat, relictis Athenis, ad eum iter fecit. Postea vero a Clemente pontifice, sociis Rustico presbytero, Eleutherio diacono et aliis plerisque, in Gallias prædicandi Evangelii causa missus, Lutetiam deveniens, cum ibi per annos aliquot commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tan-

Digitized by Google

dem a præfecto Fescennino post gravissima tormentorum genera gladio percussus, martyrium pro Christo subiit. Ita qui pro uno stant Dionysio. Cujus primum opinionis suæ petunt argumentum, ex eo quod, ut in præfatione generali auctoritate veterum Patrum demonstravimus, religio Christiana in Galliis fuerit prædicata apostolorum vel apostolicorum saltem virorum temporibus, ab illisque fundatæ sint apud nos quædam Ecclesiæ contra Severi Sulpitii et Gregorii Turonensis testimonia, qui serius fidem ad nos transmissam affirmant. Tum vero Areopagitistæ nituntur antiqua traditione et consensu Ecclesiarum Galliæ, Germaniæ, Hispaniæ et Italiæ, quæ in Martyrologiis, Breviariis et Missalibus unum colunt Dionysium. Hanc civitas et Ecclesia Paris. a majoribus ad finem sæculi XVII usque quasi per manus traditam conservavit. Ea imprimis Dionysiani monasterii vetus est traditio, quam antiquarum praxeon tenaces monachi etiamnum retinent, ut constat ex missa diei festi S. Dionysii, in qua epistola quæ ad Areopagitam spectat, recitatur a pluribus sæculis. Hanc Ecclesia Romana traditionem etiam post iteratas sæpius ecclesiastici officii recognitiones integram illibatamque retinuit. Quid quod Martyrologia eamdem confirmant, Romanumque imprimis, ubi ad VII Id. Octob. legitur Dionysius Areopagita primum quidem Atheniensis episcopus, postea a Clemente in Galliam missus, Parisiensis episcopus fuisse. Nec minus recensent Eusebii, Bedæ, Rabani antiqua Martyrologia, recentiora vero Galesinii et Sausseii, et ne quid desit etiam ex parte Græcorum, testes adducunt Methodium, Michaelem Syncellum, Metaphrasten et Nicephorum huic consentientes opinioni, ac claris verbis Atheniensem Dionysium in Gallias missum prædicantes, et martyrio consecratum. Hujus opinionis quædam veluti præjudicia eruuntur, primo ex eo quod Stephanus papa secundus, allatis e Gallia sancti Dionysii reliquiis, Romæ monasterium seu scholam Græcorum monachorum instituerit ob memoriam receptæ in Dionysiana basilica sanitatis. Deinde quod Adrianus papa vulgatos libros Dionysii Græce scriptos Fulrado abbati dono dederit. Ad hæc quod eosdem Michael imperator Orientis miserit Ludovico Augusto, qui ipsos monasterio S. Dionysii consignavit. Inde Hilduinus, Sancti Dionysii abbas, jussus a Ludovico Pio imperatore scripsit *Areopagitica*, quibus contra Gregorium Turonensem maxime et Bedam, sententiam « jam pridem per supplantationum postulationes inolitam » de Dionysii Areopagitismo probat ex Actis apostolorum et antiquissimis Gallici ritus Missalibus, ex testimonio Visbii vetustissimi scriptoris, quod apud Morinum videre licet, auctoritate quoque Aristarchi Græcorum chronographi et aliorum. Plures postea Hilduini sententiam, dato calculo comprobarunt. Æneas, Parisiensis episcopus, doctrina, pietate et industria celebratus, in inscriptione libri *Adversus Græcos*, de seipso sic loquitur : « Æneas Parisiacensis urbis episcopus, quo primus præsedit S. Dionysius a Paulo apostolo Atheniensium consecratus archiepiscopus, sed a sancto Clemente totius Galliæ consecratus apostolus, » etc. Hanc quoque in opinionem descenderunt Paschasius, abbas Corbeiensis, inter ætatis suæ doctissimos, Hincmarus Remensis in epistola ad Carolum Calvum, ubi citat vitam sancti Sanctini, Meldensis episcopi, Anastasius Bibliothecarius, et Rothomagensis archiepiscopus Franco, ut refert Dudo libro II *De moribus et actis Normannorum* : posterioribus item sæculis S. Thomas in sermone quem S. Dionysio inscripsit, Robertus Antissiodorensis, Raphael Volaterranus libro XV *Anthropologiæ*, Faber Stapulensis, Genebrardus in sua *Chronologia*, Matthæus Galenus in præfatione ad *Areopagitica*, Jacobus Pamelius *in Tertullianum*, Molanus *ad Usuardum* et Loaisa in notis ad decretum regis Gundemari. Pene omiseram doctissimum cardinalem Baronium, qui tum in Martyrologio, tum in Annalibus ad annos 98 et 109 eamdem sententiam multis argumentis propugnavit. Hanc secutus est Spondanus. Ad eumdem quoque collimarunt scopum Natalis Alexander, Hugo Menardus, Germanus Milletus, quibus multos adjungere possemus tum recentes, tum antiquioris notæ, nisi brevitati consulere studeremus. Hæc autem tot ac tantis et momentis et testimoniis sacra traditio non temere abjicienda quibusdam visa eruditis : « Unde cum selecti e sacra facultate Parisiensi theologi ad Breviarii Parisiensis emendationem, quæstionem de S. Dionysio Areopagita et Parisiensi episcopo diligenter expendissent, et in utramque partem suis librata momentis disceptassent coram illustrissimo archiepiscopo Francisco Harlæo, censuit archipræsul sagacissimus, et ad recte judicandum de rebus antiquitatem ecclesiasticam spectantibus per eximias ingenii doctrinæque dotes comparatus, antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ traditioni de uno Dionysio Areopagita et Parisiensi episcopo in officio ecclesiastico honorem suum servandum esse, non vero convellendam piam majorum nostrorum opinionem, cui saltem probabilis sententiæ jura non spernenda momenta confirmant. » Ita Bollandistæ tom. VI Julii, pag. 76.

2. Sed esto, inquiunt alterius opinionis patroni, Areopagita non sit quem colimus Dionysius, missioque a Clemente Areopagitistis errandi ansam præbuerit. At certe antiquitate prævalet hæc missio, totque fulcitur probationibus, ut a sanæ mentis hominibus in dubium revocari non possit. Fassus enim est ipse Tillemontius de sancto Saturnino loquens duas sexto sæculo in quibusdam Ecclesiis viguisse traditiones, quarum juxta alteram primi episcopi apostolorum vel eorum discipulorum temporibus in Gallias accesserunt, alteram vero imperante Decio, ut ipse scripsit Gregorius Turonensis. Hæc autem tam de S. Dionysio quam de S. Saturnino posse intelligi quis non videt, utpote qui simul eodemque tempore fidem Christianam prædicaverunt. At præter argumentum e propagata primis sæculis in Galliis fide desumptum uni et alteri opinioni commune, huic adhuc favet Gregorio Turonensi antiquior auctor Vitæ sanctæ Genovefæ virginis, quippe qui profitetur se eam scripsisse post ter senos a beatæ virginis obitu annos, ideoque circa annum 520 : inibi autem diserte testatur sanctum Dionysium et a Clemente papa in Gallias missum, et ab eodem episcopum consecratum. Idem habet Fortunatus episcopus Pictaviensis, Gregorii Turonensis suppar et amicus, qui in hymno quem de sancto Dionysio Parisiensi composuit, et quem Dubletius in *Antiquitatibus Sandionysianis* publicavit, sic cecinit :

Fortem, fidelem militem
Christi secutum principem
Dionysium martyrem
Plebs corde, voce personet.

Clemente Roma præsule
Ab urbe missus adfuit,
Verbi superni seminis
Ut fructus esset Galliæ.

Nec dicas hymnum illum male a Dubletio Fortunato attributum fuisse : nam præterquam quod illud sine dubio asseruit Hilduinus, hymnus ille sic legitur in codicibus mss. S. 688 Germani Pratensis, S. Petri Carnotensis, et S. Benigni Divionensis. Præterea si vetus ille hymnus Fortunati non est, at certe Hilduino antiquior est, quod sullicit. Antiphonalis Gregoriani Caroli Calvi, in Compendiensi bibliotheca asservati, prima de S. Dionysio antiphona pro vigiliis nocturnis ejus missionem per

Digitized by Google

sanctum Clementem præfert, sicut et responsorium tertium primi nocturni. Mabillonius lib. VI *De re diplomatica*, pag. 488, refert præceptum Theoderici Calensis, Francorum regis, anno Christi 723 datum, in quo Theodericus anteriorum regum ac pontificum privilegia Sandionysianis concessa confirmans, ait beatum Dionysium sub ordinatione B. Clementis, Petri successoris, in Galliarum provinciam advenisse. Pipinus rex in charta anno 768, paulo ante obitum data, idem habet ac Theodericus. Hanc autem opinionem prorsus hauserant ex Actis passionis S. Dionysii, quæ citat Hilduinus, ubi scriptum legebatur S. Dionysium a Clemente pontifice Romano episcopum ordinatum, et in Gallias fuisse transmissum. Acta hujus Vitæ e mss. codicibus edidit Franciscus Bosquetus, auctorem vero Fortunatum Pictaviensem episcopum appellatum deprehendit Petrus de Marca in codice ms. Turonensis Ecclesiæ. Ante Hilduinum a Clemente papa missum Dionysium nullus est Venerabilis Beda, in cujus Martyrologio ad diem 9 Octob. legitur beatus episcopus a pontifice Clemente Romano in Gallias directus. Idem scripsit Rabanus in Martyrologio et Usuardus. Huic opinioni coronidem imponunt Galliæ episcopi in frequenti conventu apud Parisios de cultu sacrarum imaginum an. 825 habito ante annos decem quam Hilduinus scribendis *Areopagiticis* operam daret, ubi sub finem actionis VII apud Jacobum Bongarsium ita loquuntur : « Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendam rationem veritatis, veritatemque rationis, sese paulo longius sermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis patribus nostris, usque ad nos inflexibiliter ducta est, B. Dionysio scilicet, qui a S. Clemente B. Petri apostoli in apostolatu primus ejus successor exstitit, in Gallias cum duodenario numero primus prædicator directus, et post aliquod tempus una cum sociis huc illucque prædicationis gratia per idem regnum dispersis martyrio coronatus est. » Ubi Mabillonius tom. I *Analect.*, pag. 63, legendum putat : *qui a S. Clemente B. Petri apostoli primo successore exstitit in Gallias*, etc. Pervulgata itaque non solum ante Hilduini, sed et ante Gregorii Turonensis tempora fuit opinio, cui nec ipsius Gregorii auctoritas contrariam inducere potuit, S. Dionysium Parisiensem a Clemente Romano pontifice missum. Alios scriptores Hilduino posteriores non loquor, licet plures ex illis idem asserant, sed omittere non possum illustrissimum Petrum de Marca, archiepiscopum Tolosanum et dein Parisiensem, præclaram hac de re ad Henricum Valesium dedisse epistolam ejus versioni *Historiæ ecclesiasticæ* Eusebii præfixam, in qua doctissimus præsul disertissime missionem sex Gregorianorum episcoporum ante sæculum tertium probat, et Joannis Launoii ac ejus sequacium opinionem solide refellit. Inter hujus sententiæ patronos numerandus venit Baronii criticus Antonius Pagi, tom. III, pag. 557. Sed et anno 1727 ejusdem abnepos Antonius Pagi luculentam hac de re dissertationem historico-criticam concinnavit, quam tom. IV Breviarii Romanorum pontificum præfixit, in qua varias tum Petri de Marca, tum Antonii patrui collegit rationes, et pro misso a S. Clemente in Gallias Dionysio rite concludit. Præcipuis quæ adversus hanc opinionem struuntur objectionibus facimus **689** jam satis in præfatione generali tomo primo affixa.

3. Restat jam tertia opinio, non tam argumentis affirmantibus quam negantibus nixa. Hujus quippe patroni, quibus duæ priores non arridebant, inde concludunt tertiam necessario esse admittendam. Hos igitur sicut et alios audiamus. Proferunt primo Severi Sulpitii et Gregorii Turonensis aperta testimonia, opinioni utrique maxime repugnantia : ille enim lib. II *sacræ Historiæ* inquit : « Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinto agitata, ac tum A primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. » Gregorius vero lib. I *Hist. Franc.*, cap. 30, Decii tempore, post annum Christi 250, asserit missum esse Parisios Dionysium, ex quibus clare convincit Dionysium Parisiensem apostolum et martyrem, nec posse esse Areopagitam, ut qui antea occubuisset, nec a Clemente missum. Gregorius autem sæpe Parisios venerat; cum Germano episcopo Parisiensi et Ragnemodo ejus successore amicitiæ vinculo fuerat conjunctus, quem proinde hujus Ecclesiæ traditionem ignorasse vero non videtur simile. 2° Si Dionysii socii et comites, qui usque ad numerum duodecim in Belgica secunda primi fidem annuntiarunt, sub Diocletiani principatu certamen martyrii pro Christo ediderint, ut constat ex eorum Actis, constantique Ecclesiarum quas fundaverunt traditione, tempore apostolorum in Gallias missi non sunt, nec missus S. Dionysius. 3° Inter S. Dionysium protoB præsulem et Victorinum, qui Agrippinensi synodo an. 346 adfuit, in omnibus antiquis indicibus quatuor tantum memorantur episcopi, quos per spatium ferme annorum 260, qui a misso in Gallias a S. Clemente Dionysio numerantur, sedisse oportuit, quod probabile non videtur. 4° Opinio Gregorii patronos semper habuit et propugnatores. 5° Innocentius tertius misit ipse ad Dionysianos reliquias S. Dionysii, quas e Græcia Romam Petrus capellanus attulerat, ne in dubium deinceps posset revocari quin reliquiæ S. Dionysii in Dionysiano monasterio asservarentur. Quod spectat ad testimonia a Martyrologiis pro Areopagitismo S. Dionysii petita, aut nullius esse momenti, aut falsitatis convincunt ex ipsis Martyrologiis Parisiensibus, quæ duos distinguunt, alterum quidem V Non. Oct., alterum VII Idus ejusdem mensis. De Areopagita igitur sic se habent : « V Non. Octob. natale sancti Dionysii, episcopi et martyris, qui post clarissimam confesC sionem fidei, et post gravissima tormentorum genera, glorioso martyrio coronatus est, ut testatur Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis in eo opere quod de Christiana religione composuit. » De Parisiensi vero : « VII Idus Octobris apud Parisium natale sanctorum martyrum Dionysii episcopi, Rustici presbyteri, et Eleutherii diaconi. Qui beatus episcopus, a pontifice in Gallias prædicandi gratia directus, ad præfatam urbem devenit, ubi tandem una cum sociis martyrium complevit. » Horumce fidem augent quamplurima, quæ Joannes de Launoy theologus Parisiensis, in asserenda antiquitate diligentissimus, conquisivit, et evulgavit in discussione *De duobus Dionysiis* : nam Bedæ Martyrologium antiquissimum, Usuardi, qui Carolo Magno regnante, paulo ante Hilduinum in urbe Parisiorum scribebat in monasterio S. Germani, Romanum ab Heriberto Rosveido editum id probant, Adonis Viennensis, Notkeri, Arvernensis Ecclesiæ. D Remensia duo, Antissiodorensia tria, Trecense unum, Parisiensia multa ejusdem temporis et longe posterioris, in Ecclesia Parisiensi duo anno 1448 exarata, alterum 1727; præterea ejusdem urbis S. Germani de Pratis et Antissiodorensis, Sancti Martini de Campis, S. Victoris, et in ipso Beati Dionysii monasterio ante quadringentos et paucos annos reperiebatur, quod Guido abbas testatur et Sanctilogio suo inseruit. Passim autem per Gallias basilicæ Rothomagensis, Senonensis, Augustodunensis, Aniciensis, Andegavensis, Ambianensis, et Sancti Martini Turonensis : plura quoque Kalendaria typis mandata; denique vitæ sanctorum ante et post annum Christi octingentesimum conscriptæ Dionysium diserte asserunt in Gallias venisse imperante Decio, ex quibus ea quæ opponuntur ex antiquis Martyrologiis et novis falsi arguuntur. Addit Sirmondus in dissertatione *De duobus Dionysiis*, publico donata an. 1641, recentis opinionis auctorem fuisse Hilduinum, S. Dionysii abbatem. Mandavit ei

Digitized by Google

